SC.15.P1.6.

37
23 A
4

ARA238

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIA SACRA
VULGATAE EDITIONIS
SIXTI V. PONTIFICIS MAXIMI
iuſſu recognita,
& CLEMENTIS VIII.
auctoritate edita

cum ſelectiſſimis Litteralibus Commentariis

IOANNIS GAGNAEI,
IOANNIS MALDONATI,
EMMANUELIS SA,
GUILIELMI ESTII,
IOANNIS MARIANAE,
PETRI LANSSELII,
THOMAE MALVENDAE,
IO. STEPHANI MENOCHII,
IACOBI TIRINI,
IACOBI GORDONI,
& IACOBI BENIGNI BOSSUET.

ACCEDUNT

Romanæ Correctiones, ac Lectionum Varietates a FRANCISCO LUCA BRUGENSI obſervatæ, & Notationes in loca variantia ab eodem concinnatæ, in ſua ſingulæ capita tributæ: nec non ſelecta variorum Prolegomena, nunc primum in unum collecta: indices denique plures accuratiſſimi.

TOMUS QUARTUS
complectens LIBROS IOSUE, IUDICUM, & RUTH.



VENETIIS
MDCCXLVII.

Excuderunt { MODESTUS FENTIUS, &
IOANNES TYBERNINUS ſub ſigno Providentiæ.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

LIBER IOSUE,

HEBRAICE IEHOSUA.

H*Uius Libri hæc fere ſumma eſt: Ingreſſus populi Dei in terram promiſſam, expugnatæ urbes, & victoriæ de hoſtibus reportatæ, cuiuſque tribus ſors a Ioſue deſignata. Ut Moſes Veteris, ſic Ioſue fuit Novi Fœderis, & Chriſti Domini typus. Nam ut ſub Moſis regimine populus contumax ſemper erat, & ad rebellionem promptus; ſic ſub Ioſue docilis fuit, & ad obſequium paratus: adeo ut Novi Teſtamenti gratia Ioſue temporibus refulgeat, cum veri Abrahæ filii patriam promiſſam ingreſſi Dei vocem audiunt, eique obſequuntur.*

De huius libri Auctore magna eſt inter Eruditos controverſia. Theodoretus eum excerptum fuiſſe ex Libro Iuſtorum, *qui laudatur cap.* x. *exiſtimat; alii a Samuele, aut ab Eſdra ſcriptum opinantur. Communior ſententia eſt, hunc librum a Ioſue ipſo fuiſſe conſcriptum, qui non ſolum nomine, ſed etiam rebus geſtis Chriſti Domini figura fuit, ob id maxime quod populum Dei in terram promiſſionis introduxit. Id vero perſuadent hæc poſtremi capitis verba*: Scripſit quoque Ioſue omnia verba hæc in volumine legis Domini. *Tametſi hæc verba ad ea præciſe quæ in hoc capite continentur, de fœdere Deum inter & populum renovato, ſatis commode referri poſſunt. Ad exemplum Moſis res a ſe geſtas litteris conſignavit, & opus ſuum libris Moſis ſubiecit. Huius libri cum alibi in Scripturis paſſim, tum maxime Lib. III. Regum cap.* III. *fit*

mentio , ubi ſacer textus innuit Ioſue maledictionem adverſus eum qui ædificaverit Ierichο, impletam fuiſſe in perſona Hiel de Betbel.

Quod autem cap. IV. *loquens Auctor huius libri de duodecim lapidibus in medio Iordanis alveo poſitis, ſic ait*: Sunt ibi uſque in præſentem diem.: *& cap.* VI. *de circumciſione facta hæc habet:* Vocatum eſt nomen loci illius Galgala uſque in præſentem diem. *Sic cap.* X. *citatur Liber* Iuſtorum , *Ioſue recentior, aut æqualis, cum Auctor meminerit pugnæ Gabaonitarum. Cap.* XIX. *narratur expeditio Danitarum adverſus Lizen , quæ poſt mortem Ioſue contigit, ut liquet ex capite octavo Libri Iudicum. Quin modus iſte loquendi cap.*XVII. 14. Non fuit antea, nec poſtea tam longa dies, *cum ſcilicet ſol ſtetit in medio cæli, longius videtur temporis ſpatium exigere , quam illud quod ab hoc miraculo ad mortem uſque Ioſue effluxit.*

Hæc, inquam , & alia non evincunt hunc librum a Ioſue non fuiſſe conſcriptum, ſed eius acta fuiſſe poſtea a ſcribis, aut ab Eſdra recognita, interiectis aliquot verbis connexionis , aut explicationis gratia. Liber Iuſtorum fuit carmen epinicium poſt reportatas victorias compoſitum, & inter Hebræos promulgatum: aut forte liber fuit parænaticus, qui Iſraelitas ad pie ſancteque vivendum informabat. Ioſue admodum ſenex hunc librum edidit: hinc frequens illa temporis notatio, Uſque ad præſentem diem, *uti Matth.* XXVII. *de agro Haceldama legimus.*

Quod autem de expeditione Danitarum inſeritur , id unum eſſe poteſt ex additamentis , quæ huc illuc Eſdras ad pleniorem rerum intelligentiam ſparſit. Cum enim, ut ſapienter obſervat Illuſtriſs. Huetius, aſſignatam Danitis portionem deſcripſiſſet Ioſue, aliamque poſtea armis quæſiiſſent, merito id Eſdras, aut quiſquis alius Scriptor Hagiographus ſupplendum duxit. Clauſulam ſi detrahas, conſtabit ſententia, neque ſuſpenſus erit ſenſus. Sic duos verſus in cap. XXI. *intruſos reperies, quos vetuſta Hebræorum exemplaria non agnoſcunt, teſte Davide Kimhi. Videtur quoque inſerta clauſula verſibus* 14. *& quinque ſequentibus cap.* XV. *ut videtur Huetio. Qui aliam quoque diluit obiectionem , quod cap.* XIX. *fiat mentio terræ Chabul, cui id nominis impoſitum fuerit poſt multas ætates a Rege Tyri Hiram, Lib. III. Regum, cap.*IX. *Sed docet vir doctiſſimus non eamdem eſſe utramque terram Chabul. Altera enim eſt regiuncula viginti conſtans oppidis, altera eſt vicus in confiniis Ptolemaidis, utraque in Tribu Aſer; eas diſtinxit Ioſephus Lib. VIII. Antiq. cap.* I.

CA-

Digitized by Google

C A P U T P R I M U M.

Confortatus Ioſue a Domino monet populum ut ſe ad Iordanis tranſitum præparent; tribus autem Ruben, Gad, & dimidiam Manaſſe, ut fratres ad promiſſam terram deducant.

1. ET factum eſt poſt mortem Moyſi ſervi Domini, ut loque-
retur Dominus ad Ioſue filium Nun, miniſtrum Moyſi, &
diceret ei: 2. Moyſes ſervus meus mortuus eſt: ſurge, &
tranſi Iordanem iſtum tu, & omnis populus tecum, in ter-
ram, quam ego dabo filiis Iſrael. 3. (a) Omnem locum,
quem calcaverit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam, ſicut
locutus ſum Moyſi. 4. A deſerto & Libano uſque ad flu-
vium magnum Euphratem, omnis terra Hethæorum uſque ad mare magnum
contra ſolis occaſum erit terminus veſter. 5. Nullus poterit vobis reſiſtere cun-
ctis diebus vitæ tuæ: (b) ſicut fui cum Moyſe, ita ero tecum: non dimittam,
nec derelinquam te. 6. (c) Confortare, & eſto robuſtus: tu enim ſorte divides
populo huic terram, * pro qua iuravi patribus tuis, ut traderem eam illis.
7. Confortare igitur, & eſto robuſtus valde: ut cuſtodias, & facias omnem le-
gem, quam præcepit tibi Moyſes ſervus meus: ne declines ab ea ad dexteram,
vel ad ſiniſtram, ut intelligas cuncta quæ agis. 8. Non recedat volumen legis
huius ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut cuſtodias & fa-
cias omnia quæ ſcripta ſunt in eo: tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.
9. Ecce præcipio tibi, confortare, & eſto robuſtus. Noli metuere, & noli ti-
mere: quoniam tecum eſt Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque per-
rexeris. 10. Præcepitque Ioſue principibus populi, dicens: Tranſite per medium
caſtrorum, & imperate populo, ac dicite: 11. Præparate vobis cibaria: quoniam
poſt diem tertium tranſibitis Iordanem, & intrabitis ad poſſidendam terram,
quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis. 12. Rubenitis quoque, & Gadi-
tis, & dimidiæ tribui Manaſſe ait: 13. Mementote ſermonis, quem præcepit
vobis Moyſes famulus Domini, dicens: Dominus Deus veſter dedit vobis re-
quiem, & omnem terram. 14. (d) Uxores veſtræ, & filii, ac iumenta mane-
bunt in terra, quam tradidit vobis Moyſes trans Iordanem: vos autem tranſite
armati ante fratres veſtros, omnes fortes manu, & pugnate pro eis, 15. donec
det Dominus requiem fratribus veſtris, ſicut & vobis dedit, & poſſideant ipſi
quoque terram, quam Dominus Deus veſter daturus eſt eis: * & ſic revertemi-
ni in terram poſſeſſionis veſtræ, & habitabitis in ea, quam vobis dedit Moyſes
famulus Domini trans Iordanem contra ſolis ortum. 16. Reſponderuntque ad Io-
ſue, atque dixerunt: Omnia quæ præcepiſti nobis, faciemus: & quocumque mi-
ſeris, ibimus. 17. Sicut obedivimus in cunctis Moyſi, ita obediemus & tibi:
tantum ſit Dominus Deus tuus tecum, ſicut fuit cum Moyſe. 18. Qui contra-
dixerit ori tuo, & non obedierit cunctis ſermonibus quos præceperis ei, moria-
tur: tu tantum confortare, & viriliter age.

(a) Deuter. xi. 24. (b) Inf. iii. 7. Hebr. xiii. 6. (c) Deuter. xxxi. 6. 23. III. Reg. ii. 2. (d) Num. xxxii. 20.

BRU-

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Verſ. 6. *Pro qua iuravi patribus ſuis*. Servandum eſt tertiæ perſonæ pronomen *ſuis*, non mutandum in ſecundum *tuis*.

V. 15. *Et ſic revertemini*. Futurum *revertemini* multis nominibus præferendum eſt præſenti *revertimini*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 4. DESERTO, ſcilicet quod eſt ad meridiem. LIBANO: eſt a ſeptemtrione. EUPHRATEN, partim eſt a ſeptentrione, partim ab oriente. HETHAEORUM: per hos reliqui populi intelliguntur.

V. 7. QUAE AGIS; pro, quæ agere debeas; quaſi dicat: Prudenter diſpones actiones tuas. Chald. *Ut proſperitis in omni loco ad quem iveris*.

V. 8. DIRIGES, id eſt proſperabis.

V. 11. TERTIAM; quaſi dicat, poſt [illegible] dies. Auguſt. in Ioſ. quæſt. 11. *Fuit*, inquit, *hæc diſpoſitio quædam humana, poſtea Dei providentia mutata*. Videtur potius eſſe anticipatio: nam id dictum poſt miſſos exploratores.

V. 13 OMNEM TERRAM. Hebr. Chald. & LXX. *terram hanc*.

V. 14. ANTE, ſcilicet præcedentes eos.

V. 15. CONTRA, pro ad.

ESTII.

Verſ. 1. AD IOSUE FILIUM NUN, MINISTRUM MOYSI. Pro *miniſtrum*, Græce eſt λειτοῦργον, quaſi ſucceſſorem in principatu dicat. Moyſes enim iam moriturus erat, ut patet ex primis verbis huius capitis.

V. 11. PRAEPARATE VOBIS CIBARIA. Hoc de manna intelligi non poſſe, patet, quia illud ſervari non poterat in craſtinum, multo minus in tertium diem, quod hic adiungitur. Proinde accipiendum eſt de aliis cibis, quorum tunc copia eſſe poterat filiis Iſrael, quia erant in terra frugifera. Neque tamen manna defecit, donec tranſiiſſent Iordanem, ut patet infra cap. v. Itaque intelligendum filios Iſrael ſimul cum manna uſos fuiſſe etiam aliis cibis, quæ inveniebant in regionibus perquas tranſibant: ſicut & Deuteron. cap. 11. dicitur, quod filii Eſau, & Moabitæ vendebant filiis Iſrael cibaria tranſeuntibus per terram ipſorum. QUONIAM POST DIEM TERTIUM TRANSIBITIS IORDANEM. Auguſtinus in Ioſue quæſt. 11. *Fuit*, inquit, *hæc diſpoſitio quædam humana, poſtea Dei providentia mutata*. Ita ille. Sed veriſimilius eſt, Ioſue, maxime initio principatus ſui, nihil egiſſe, aut dixiſſe, niſi prius conſulto Domino. Itaque potius per anticipationem hæc dicta ſunt, ut intelligatur triduum, de quo cap. III. verſ. 1. Prior eſt enim hiſtoria de exploratoribus, quæ deſcribitur capite proximo. In qua quidam exploratores unum diem conſumpſerunt ut minimum, antequam venirent in Iericho; deinde leguntur in montanis delituiſſe per tres dies, poſt quos demum, quam celerrime, quinto die redierunt ad Ioſue. Itaque per anticipationem intelligitur triduum illud quo filii Iſrael poſt reditum exploratorum adhuc manſerunt ad Iordanem, de quo cap. III. verſ. 1.

V. 14. UXORES VESTRAE, ET FILII, AC IUMENTA MANEBUNT IN TERRA. An nulli ſimul viri cum illis manſerint, vide infra ad cap. XXII.

MARIANAE.

Verſ. 1. ET FACTUM EST. *Et*, iungit hunc Librum cum fine ſuperioris de morte Moyſis deſcripto ab eodem Ioſue: nam Deuteron. cap. XXXIV. Ioſue adiecit. Vel ex uſu linguæ Hebraicæ ea coniunctio inceptiva narrationis eſt: quod in libris Ruth, Eſther, & Ezechielis notum eſt. *Et*, pro ſane. POST MORTEM MOYSI. Eo vivo, ut Deus loqueretur Ioſue opus non erat. MINISTRUM MOYSI. Uſu familiari Ioſue a Moyſe inſtitu-

ſtitutus, mores eius, & mentem edoctus, idoneus erat heri ſucceſſor: ſic Eliæ eius miniſter Eliſeus ſuccedit.

V. 2. SURGE; quaſi dicat: Satage, diligentiam adhibe. Omnem locum tradam,

V. 4. A DESERTO ET LIBANO. Hebr. *a deſerto & Libano hoc*. Deſignat terminos terræ ſanctæ. Deſertum a meridie eſt, Libanus a ſeptemtrione. USQUE AD FLUVIUM MAGNUM EUPHRATEN. Euphrates ad ortum terræ promiſſæ. OMNIS TERRA HETHAEORUM. Per hos alias ſex gentes intelligit. Sed hos hic numerat tantum, quoniam in eo ſeptem gentium numero primi nominabantur. Confortare.

V. 6. SORTE DIVIDES POPULO. Hebr. *Hereditare facies*, vel *in hereditatem mittes populum*.

V. 7. NE DECLINES AB EA, ſcilicet lege. Hebr. *ab eo*, ſcilicet Moyſe; id eſt, ab eo quod ille præcepit. UT INTELLIGAS. Chald. *Ut felix ſis*. Sic etiam Hebræi exponunt. Nam verbum Hebraicum *ſachal*, primum ſignificat *intelligere*; ſed quoniam prudentibus quæ agunt fere proſpere cadunt, uſus obtinuit ut ſignificet *proſpere agere*. Idem dicito proximo verſ. illis verbis: *Tunc diriges viam tuam, & intelliges eam*.

V. 9. ECCE PRAECIPIO TIBI. Hebr. *Nonne præcipio tibi?* Sed hoc loco hortantis potius vox hæc eſt, quam interrogantis; quaſi dicat: Age, en tibi præcipio: nonne admonui te? vox hortantis eſt.

V. 11. POST DIEM TERTIUM TRANSIBITIS IORDANEM. Ita cogitabat; ſed moræ ſemper nectuntur: & alioqui prudentis eſt, actioni præfigere ſubditis terminum breviorem, quam ſit opus futurum. Aut dic, hæc dicta poſt, & nunc hic poni per anticipationem, cum contigerint poſt miſſos exploratores, de quibus proximo capite agitur.

V. 13. DEDIT VOBIS...ET OMNEM TERRAM. Hebr. additur *hanc*: ſic Sept. & Chald. *omnem terram hanc*: neque enim totum illis orbem dedit.

V. 15. CONTRA SOLIS ORTUM, pro ad ſolis ortum, dedit Moyſes eam terram, ſcilicet Rubenitis, & Gaditis.

V. 17. TANTUM SIT DOMINUS DEUS TUUS TECUM; id eſt, ſit tibi propitius. Magnum a probitate Prælatis præſidium, ut populum obedientem habeant. Qui tibi non obedierit,

V. 18. MORIATUR: in iudicio ſcilicet morte plectatur: capitale illi ſit qui tibi, o Ioſue, non obedierit.

MALVENDAE.

Verſ. 1. AD IOSUE FILIUM NUN. De nomine *Ioſue* diſſeruimus in Num. XIII. verſ. 17. MINISTRUM MOYSI, vel *miniſtrantem Moſis*. Vide Numer. XI. verſ. 28. & Deuteron. I. verſ. 38. Fuit Moſi fidus & perpetuus comes ex intimis eius miniſtris: & hic quidem *miniſtrum* intellexerim, quaſi vicarium, & magnum præfectum eius, cui graviora negotia pace belloque exequenda Moſes committeret, ut ex Exodo, Numeris, Deuteronomio liquet.

V. 2. IORDANEM. De celebri hoc amne, Evangelica quoque hiſtoria nobilitato, nonnulla annotavimus Geneſ. XIII. verſ. 10. & pleniora Lib. III. de Antichriſto, cap. VIII. Eum deſcripſere Strabo Lib. XVI. pag. 755. Ioſephus Lib. III. Belli, cap. XVIII. Tacitus ſub initium Hiſtoriæ V. & innumeri alii recentiores. Plinius: *Iordanis amnis oritur e fonte Paneade, qui cognomen dedit Cæſareæ; amnis amœnus, & quatenus locorum ſitus patitur, ambitioſus, accoliſque ſe præbens, velut invitus Aſphaltitem lacum dirum natura petit, a quo poſtremo ebibitur, aquaſque laudatas perdit peſtilentibus mixtas*. Solinus: *Iordanis amnis eximiæ ſuavitatis, a Paneade fonte demiſſus, regiones præterfluit amœniſſimas; mox in Aſphaltitem lacum merſus, ſtagno corrumpitur*. De regionibus amœniſſimis quas Iordanis præterfluit, plura Strabo, ac Ioſephus. Meminit quoque Iordanis Pauſanias Lib. V. num. 153. ISTUM; vel quia prope aberat, ut poſſet digito demonſtrari; vel emphatice, quia celebris & illuſtris; ut de Libano infra verſ. 4.

V. 3. OMNEM LOCUM QUEM CALCAVERIT, &c. nempe de his quæ terminis verſus ſequentis includuntur. Vide de hoc verſu, & ſequenti Deuteron. XI. verſ. 24.

V. 4. A DESERTO. Tzinis intelligunt, quo a meridie terminabatur promiſſa terra.

Vide

Digitized by Google

Vide Deuter. xi. verſ. 24. ET LIBANO. Hebr. *& Libano iſto*. Quidam, *& uſque ad Libanum iſtum*. De Libano diximus Deuteron. III. verſ. 25. Ponitur hic terminus aquilonaris terræ promiſſæ, ut Deuteron. xi. verſ. 24. USQUE AD FLUVIUM MAGNUM EUPHRATEN. Hebr. *& uſque ad flumen grande, flumen Euphratis*. Fuit terminus orientalis terræ promiſſæ. Vide Geneſ. xv. verſ. 18. & Deuter. xi. verſ. 24. Quidam Euphratem hic ſimul cum Libano conſtitui terminum aquilonarem exiſtimant, Libanum propiorem, Euphratem ulteriorem; limitem autem orientalem eſſe Iordanem; ſed hic non exprimi, quod ex eo ubi tunc Iſraelitæ conſiſtebant, tres alios terminos Ioſue Deus oſtenderet. Euphratem *magnum* vocat, quo etiam nomine eum Poetæ inſigniunt. Virgilius IV. Georgicorum:

.... *Cæſar dum magnus ad altum*
Fulminat Euphratem....

Lucanus Lib. III.

.... *Cum Tigride magnus*
Euphrates....

OMNIS TERRA HETHAEORUM. Hos plerique putant tractum orientalem promiſſæ terræ incoluiſſe. Alii volunt loca quæ circa Beerſebeam ſunt, quæ surſum porriguntur, & late circum Hebronem iacent, inhabitaviſſe, ut colligitur e Geneſ. XXIII. verſ. 2. 3. & ſequentibus, & Geneſ. xxv. verſ. 9. & 10. Gen. XXVI. verſ. 34. Geneſ. XXVII. verſ. 46. Nec deſunt qui ad occaſum Chananææ verſus mare mediterraneum ſedes habuiſſe confirment. Sed cur eorum tantum hic mentio? Plerique aſſerunt nomine Hethæorum ſynecdochice intelligi ſex alias præcipuas gentes Chananææ terræ, quæ infra numerantur cap. III. verſ. 10. ut ſæpe in Scriptura nomine unius ex iis gentibus, aliæ omnes inſinuantur. Aliqui, quod cum incolerent tractum orientalem regionis, adiungi deſcriptioni termini orientalis: unde accuſandi caſu vertunt, *Uſque ad fluvium magnum, fluvium Euphratem, totam terram Chitthæorum*: quæ ab illa parte incumbebat. Alii iungunt ſequentibus, *Tota terra Chitthæorum, uſque ad mare magnum, ad ſolis occaſum*: & hos ſolum nominari, quod illi habitaverint in occaſu. Nonnulli, quod ii præ ceteris eſſent fortiſſimi, in quibus erant gigantes, cap. XIII, verſ. 29. & 34. de quibus expugnandis magis quam de aliis diffidere poterant Iſraelitæ: quare oportuit de his ſingulariter Ioſue confirmari. USQUE AD MARE MAGNUM. Mediterraneum, ſeu AEgyptiacum, aut Phœnicium. Tacitus Hiſtor. V. proprie *Iudaicum mare* appellat. Vide de his terminis terræ promiſſæ, Num. XXXIV. verſ. 2. & ſeqq. Deuter. I. verſ. 7. & cap. XI. verſ. 24. Tacitus Iudaicæ terræ, id eſt Chananææ terminos ita deſcribit: *Terra, fineſque, qua ad orientem vergunt, Arabia terminantur; a meridie, AEgyptus obiacet; ab occaſu Phœnices & mare; ſeptemtrionem a latere Syriæ longe proſpectant*. Vide Plinium Lib. V. cap. XIII. & XIV. Ptolemæum Lib. V. cap. XVI.

V. 5. NULLUS POTERIT VOBIS RESISTERE. Hebr. *Non ſtatuet ſe ſe quiſquam faciebus veſtris*: vel *non poterit conſiſtere quiſquam ante faciem tuam*; quaſi dicat: Nullus hoſtium veſtrum conſpectum feret. NON DIMITTAM. Hebr. *Non remittere faciam te*; id eſt, non permittam te animo concidere, ac viribus remiſſum, languidum, ac debilem eſſe; non ſinam te animo & robore deſtitui. Hanc enim interdum eſſe vim verbi רפה *rapha*, in Hiphil, exemplis annotavimus in Deuteron. IV. verſ. 31.

V. 6. CONFORTARE, ET ESTO ROBUSTUS. Hebr. *Obtine, apprehende te, obfirmare, roborare; & ſurrige, prævale, erigere, erecto animo eſto, ſtrenuus eſto*. Sic verſ. ſeqq. 7. 8. & 9. Eiſdem verbis compellavit Moſes Ioſue Deuter. XXXI. verſ. 7. & 23. & David filium ſuum Salomonem I. Paralip. XXVIII. verſ. 20.

V. 7. UT CUSTODIAS, ET FACIAS. Hebr. *Ad obſervare, ad facere*; vel *ad obſervandum, ad faciendum*; id eſt, ut cum omni ſtudio, diligentia, ſolicitudine cures facere. Hanc enim eſſe vim huius phraſis, quæ ſæpe occurrit in Scriptura, iam notavimus Deuteron. XVIII. verſ. 1. Quidam, *Ad obſervandum faciendo*: hypallage; id eſt, ut cum obſervantia facias prorſus: ſic verſ. 8. Alii, *Ut obſerves facere*, vel *agere*. QUAM PRAECEPIT TIBI MOYSES, &c. nimirum Num. XXVII. verſ. 23. & Deuteron. XXXI. verſ. 14. Quidam notant, illud *tibi*, ſignificare quod cum lex univerſe ad omnes pertineat, tamen ſciant Principes ad ipſos potiſſimum ſpectare, qui lex viva ſunt in

po-

Digitized by Google

populo, ut iuſtitia, probitate, integritate aliis præeant. NE DECLINES AB EA. Hebr. pronomen eſt maſculeum, *ab eo*: nec ad legem referri poſſe videtur, quæ eſt feminea. Quidam ſubaudiunt, *ab eo libro regis*. Alii, legi pronomen maſculeum tributum volunt, propter virilem & maſculam legis vim. Nonnulli notant eas enallages generum uſitatas in Scriptura ritu Hebraico: quod eſt veriſſimum. Nec deſunt qui, *Ab eo*, exponant ſcilicet Moſe legislatore, metonymice, id eſt ab eo quod præcepit Moſes. UT INTELLIGAS CUNCTA QUAE AGIS. De notione verbi שכל *ſacal* cum Scin ſiniſtro, præſertim in Hiphil, ut hic ponitur, egimus plenius Gen. III. verſ. 6. Hic diverſe convertunt. 1. *Ut proſpere agas in omnibus ad quæ perrexeris*: 2. *Ut ſis felix quocumque perrexeris*: 3. *Ut prudens ſis in omni eo in quo verſaris*: 4. *Ut prudenter agas in omnibus in quibus incedis*: 5. *Ut ſecunderis quocumque iveris*: 6. *Ut feliciter agas in omnibus quæ inſtituis*. Verbum omnia iſta complectitur, *Ut intelligenter, prudenter, conſiderate, accurate, graviter, ſtrenue agas*; vel *ut proſpere, feliciter, fortunate agas*, quod qui prudenter, & ſtrenue agunt, proſperos ſucceſſus habeant, & vota ſua ſecundent. Ex verbo: *Propterea intelligere facies in omni quo ambulabis*; id eſt, conſilia, & actiones tuas ſapienter, ac feliciter inſtitues. Sic verſ. 8.

V. 8. VOLUMEN LEGIS HUIUS: de quo Deuteron. XXXI. verſ. 9. Vide de hoc verſu Deuteron. XVII. verſ. 18. 19. Tantopere ingis & aſſidua meditatio legis divinæ principi præcipitur.

V. 9. ECCE PRAECIPIO TIBI. Hebr. *An non præcepi tibi?* Interrogandi hic modus magnam affirmandi vim continet, & vehementiſſimam affirmationem efficit. Sic infra cap. X. verſ. 13. Geneſ. XIII. verſ. 9. Geneſ. XX. verſ. 5. Exodi XXIV. verſ. 12. Iudicum IV. verſ. 6. Ruth II. 8. I. Samuel. XX. verſ. 37. & cap. XXIII. verſ. 19. & Pſalm. LIII. verſ. 2. & alibi ſæpe. Quidam Hebræorum notant, potius hortantis & excitantis orationem eſſe quam interrogantis. Alii, acrem, vehementemque inſtigationem & exhortationem includere volunt. Plerique exponunt: *Nonne præcepi tibi?* per Moſen ſcilicet, Deuter. I. verſ. 38. & cap. III. verſ. 28. & cap. XXXI. verſ. 7. & 23. ſed potius videtur his verbis Dominus reſpexiſſe ad ea quæ paulo ante verſ. 6. & 7. dixerat, *Obtine, & ſurrige*. NOLI METUERE. De ſignificatu verbi ערץ *gharatz* egimus Deuter. VII. verſ. 21. Ei quidem hæc omnia ſubſunt: *Non prævaleberis; non paveſces, expaveſces; non abſterreberis; non violentaberis; non vi impelleris; non quateſies; non labefactaberis*. Hoc, & ſequenti verbo חתת *chatat*, *conſternari*, aiunt ſignificari hic vehementiſſimo metu percelli, atque adeo conſternari, frangique animo. Vide Deuteron. VII. verſ. 21. QUONIAM TECUM EST DOMINUS. Notant hoc verſu Deum confirmare Ioſuam a vocatione divina primum; deinde vero a præſentia Dei efficaciſſima.

V. 11. CIBARIA. צידה *tzedah*, proprie *venationem*; tranſlate, *eſcam, cibum, annonam, victum, viaticum, commeatum*; ut Geneſ. XLII. verſ. 25. Plerique intelligunt alia cibaria, ſeu opſonia, præter manna, quod eis pene viloſcebat. Nonnulli ita accipiunt: Si quid vobis præter cibum ad iter eſt neceſſarium, illud iam parate. Man enim nondum ceſſaverat.

V. 13. DEDIT VOBIS REQUIEM. מניח *meniach*, participium Hiphil, *requieſcere, conſedere, pauſare faciens, dans quietem vobis*. Putant Chriſtum Matth. XI. verſ. 28. uſum hoc verbo, quod Interpres ita tranſtulit: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego refocillabo*, ſive *recreabo vos*, ubi Græce eſt ἀναπαύσω, ſicut mox ſequitur: *Et invenietis requiem animabus veſtris*. Aiunt enim proprium id verbum eſſe eius qui laboravit, & fatigatus eſt, & poſtea requie refocillatur & recreatur. Sic verſ. 15. Quidam exponunt: *Quietem largitur vobis*, id eſt quietis locum, eumque ſecuriſſimum ex promiſſione ipſius, atque potentia; adeo ut nihil ſit vobis de familiis, & rebus veſtris laborandum, ſi certa fide, & animo ei obſequamini. Vide Exodi XXXIV. verſ. 24. & Deuteron. XXXIII. verſ. 21.

V. 14. TRANSITE ARMATI. Hebr. *tranſibitis* חמשים *chamuſchim*. Vim huius vocis excuſſam dedimus Exodi XIII. verſ. 18. varie hic reddunt. 1. *Tranſibitis accincti armis*: 2. *Tranſibitis balteis militaribus ſuccincti*: 3. *Tranſibitis quini, quintati*; ut quinque ſimul ordine militari incederent: 4. *Tranſite militari ordine*: 5. *Tranſibitis in primipilari ordine*. ANTE FRATRES VE-

STROS. Hebr. *ad facies fratrum*: bifariam poteſt intelligi, vel quod ii præcederent fratres ſuos in prima acie, tamquam propugnatores & anteſignani: quod videtur ſenſiſſe Noſter, præſertim cap. IV. verſ. 12. vel quod illud, *ad facies fratrum ſuorum*, idem ſit quod *in conſpectu fratrum ſuorum*, *coram fratribus ſuis*; ut ſe illis ſocios & commilitones in expeditionibus adiungerent, ſuo tamen loco, & ordine in exercitu, qui præſcribitur Numer. II. & X. ut illud לפני *liphne*, non locum anteriorem, ſed præſentiam ſignificet; quod plerique exiſtimant: quod rectius videtur, nec puto ab hoc ſenſu alienum eſſe Noſtrum, ut cap. IV. verſ. 12. annotabimus. OMNES FORTES MANU. Hebr. *omnes viri*, *heroes prævalidi*, *virtutis*, *ſtrenuitatis*, *roboris*. Quidam hic vertunt, *potentes fortitudine*: alii, *valentes robore*: nonnulli, *viri ſucceſſus*; id eſt, de quorum virtute omnis proſper ſucceſſus ſperari poſſit: aliqui, *viri exercitus*, חיל *chail* enim ſæpe pro exercitu ponitur; id eſt, *viri militares*, videlicet fortes viri, & ad bellum gerendum idonei. Dictio *omnes*, non ſignificat omnes ſtrenuos harum duarum tribuum, & dimidiæ, reliquos Iſraelitas ad bellum comitatos, ut aperte videbimus cap. IV. verſ. 12. ſed nullos, niſi ſtrenuos in eam expeditionem profectos; id eſt, omnes qui tum fratribus ſuis ſe ſocios adiunxerunt, fuiſſe viros fortiſſimos. Vide Num. XXXII. verſ. 17. Quos hic vocat Ioſue *viros ſtrenuitatis*, Deuter. III. verſ. 18. appellat Moſes *filios ſtrenuitatis*, id eſt ſtrenuiſſimos. Vide infra cap. X. verſ. 7.

V. 15. CONTRA SOLIS ORTUM. Notant id dictum propter regionem Galaaditidem orientalem, quam dedit Moſeh Machiro filio Manaſſeh Numeror. XXXII. verſ. 40.

V. 16. RESPONDERUNTQUE: non tantum duæ illæ tribus cum dimidia, ſed omnes tribus ad ſuperiora mandata.

V. 17. TANTUM SIT DOMINUS DEUS TUUS TECUM. Particulam רק *rak*, *tantummodo*, quidam exceptivam eſſe volunt; quaſi dicant: Deferemus quidem tibi omne obſequium, quale Moſi præſtitimus, modo ſi tuum imperium a Deo dirigatur, ut Moſis: obediemus tibi, ea conditione ſi Deus tuum imperium approbaverit, & foverit. Nonnulli reſtipulationem eſſe volunt; ac ſi dicant: Videto ut tibi Deus adſit, ſicut Moſi; & tu ab eo non recedas, ſicut Moſes non receſſit ab eo. Alii רק *rak*, votum & acclamationem continere exiſtimant, ac læti animi expreſſam erga principem affectionem: qualia vota fieri ſolent a populis cum ſuis principibus imperia deferunt; ac ſi dicant: Ceterum optamus ut Deus tibi adſit, ut Moſi, & res tuas ſecundet, ſicut Moſis. Vide verſ. 18.

V. 18. QUI CONTRADIXERIT ORI TUO. De ſignificatione verbi מרה *marah* egimus Geneſ. XXVI. verſ. 35. & Numer. XXVII. verſ. 14. Varie convertunt. I. *Quicumque rebellaverit ori tuo*, id eſt præſtituto tuo: nempe, quiſquis defectionis a te ullius auctor fuerit, aut etiam perduellionis, ſeu infidelitatis: quemadmodum exponunt ſequentia. II. *Omnis vir, qui amaricare fecerit*, vel *qui amaritudine affecerit os tuum*. Hiſpanice, *Os deguſtare*, *diere deſguſto a vueſtra boca*. Melius, *Os amargare*. III. *Omnis vir qui exacerbabit os tuum*. IV. *Omnis vir qui inobediens, immorigerus fuerit ori tuo*. V. *Omnis vir qui mutabit os tuum*; id eſt, quicumque invertet imperium aut mandatum oris tui, vel verbum tuum, aliter dicendo, aut faciendo, quam tu præceperis, aut dixeris. MORIATUR. יומת *iumath*, futurum Hophal, proprie *mori fiet*, *interficietur*, *perimetur*, *morti tradetur*, *morte afficietur*, *plectetur*, *morte multabitur ſententia iudicum*. Vide Exodi XXXI. 14. TU TANTUM CONFORTARE, &c. Hebr. *Tantummodo robuſtus, & ſtrenuus eſto*. Nonnulli Hebr. רק *rak*, hic exceptivum eſſe volunt; quaſi dicant: Parentes erimus imperio tuo; ſi tu tamen in eo adminiſtrando ſis fortis, & firmus. Alii votum, aut hortationem ad principem eſſe malunt; quaſi dicant: Ceterum tu ſtrenuum & invictum te præbe, ut ſub tuo imperio tuti agamus.

MENOCHII.

Verſ. 1. ET FACTUM EST POST MORTEM MOYSI: poſt funebrem ſcilicet eius luctum, qui totos triginta dies tenuit, Deuteronom. XXXIV. 8. Salianus tamen id contigiſſe putat dum adhuc iuſta perſolverentur Moyſi, quia ex textu videtur celeritas indicari, cui obſtat tri-

triginta dierum mora. SERVI DOMINI. Fuit Moſes Dei ſervus, quia tota vita ſua Deo ſervivit, omneſque ſuas actiones, ſtudia, & cogitationes ad illius cultum & voluntatem contulit. MINISTRUM MOYSI: qui familiæ Moſis præpoſitus fuerat, qui in ſacris precibus illi aderat, qui numquam ab illius latere diſcedebat, omnes eius obſervans nutus, ut quæ iuberet, effecta daret.

V. 3. OMNEM LOCUM QUEM CALCAVERIT VESTIGIUM PEDIS VESTRI, VOBIS TRADAM. Vide dicta Deuteronom. XI. verſ. 4.

V. 4. A DESERTO ET LIBANO, &c. deſcribit fines terræ promiſſæ, de quibus vide dicta Deuter. I. verſ. 7.

V. 5. NULLUS POTERIT VOBIS RESISTERE: ita reſiſtere, ut victoriam ferat. SICUT FUI CUM MOYSE, ITA ERO TECUM, quo ad gratiam, & auxilium; quo ad familiaritatem vero, inferiore quodam modo. Nam Deuter. XXXIV. 10. dicitur: *Non ſurrexit ultra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem, &c.*

V. 7. NE DECLINES AB EA AD DEXTERAM, VEL AD SINISTRAM. Phraſis in Scripturis frequens, qua quicumque deflexus ſignificatur a lege divina. UT INTELLIGAS CUNCTA QUAE AGIS. Chald. & Rabbini vertunt: *Ut proſpere agas in cunctis quæ agis*. Sed Hebræum verbum etiam valet prudentem eſſe, beneque rem intelligere. Sane plurimum luminis a ſacris litteris, & divina lege, prudentia mutuatur.

V. 8. NON RECEDET VOLUMEN LEGIS HUIUS AB ORE TUO. Os & faciem ſignificare poteſt, & eam partem quæ eſt loquendi inſtrumentum. Volumen ergo legis frequentiſſime præ oculis haberе iubetur Ioſue, & quæ in illo continentur, corde meditari, & ore loqui. MEDITABERIS IN EO DIEBUS AC NOCTIBUS. Sanctorum virorum iugis exercitatio hæc eſt, de quibus David Pſal. I. 2. *In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte.* UT CUSTODIAS, ET FACIAS OMNIA QUAE SCRIPTA SUNT IN EO: hic enim finis eſt meditationis. *Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur*: ad Roman. II. 13. TUNC DIRIGES VIAM TUAM: feliciter, & proſpere tibi fluent omnia. Sic meditanti in lege divina eadem promittitur proſperitas. *Et erit tamquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo: & folia eius non defluent: & omnia quæcumque faciet, proſperabuntur.* Pſal. I. 3. & 4. ET INTELLIGES EAM. Vide dicta num. 7.

V. 9. ECCE PRAECIPIO TIBI. Verti poteſt, *Numquid non præcipio tibi?* quæ interrogatio magnam vim habet; quaſi dicat: Aſpice quiſnam ſit qui bono, & alacri animo te eſſe iubet. NOLI METUERE, ET NOLI TIMERE, &c. Hoc illud eſt quod apud Iſaiam legimus cap. XLI. 10. *Ne timeas, quia ego tecum ſum: ne declines, quia ego Deus tuus. Confortavi te, & auxiliatus ſum tibi, & ſuſcepit te dextera iuſti mei.*

V. 11. PRAEPARATE VOBIS CIBARIA. Manna adhuc depluebat ſingulis diebus: iubentur ergo copioſius illud colligere, uſitataque tunſione, & coctione præparare.

V. 13. MEMENTOTE SERMONIS, &c. Revocat Ioſue in memoriam Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſe, quibus conditionibus terram trans Iordanem poſſederint, non quod eorum voluntati diffideret, ſed quia etiam ſponte currentes incitare conſultum eſt: nam licet *fervens & fremens* equus *ſorbeat terram*, tamen *ubi audiverit buccinam, dicit, Vah.* Iob XXXIX. 24. & 25.

V. 14. TRANSITE ARMATI ANTE FRATRES VESTROS, in prima acie, primoque loco in viis, ac præliis, OMNES FORTES MANU, &c. relictis tamen domi iis qui ad civitatum, regioniſque cuſtodiam neceſſarii erant.

V. 15. CONTRA SOLIS ORTUM, orientem verſus.

V. 17. TANTUM SIT DOMINUS DEUS TUUS TECUM, SICUT FUIT CUM MOYSE. Duplex eſſe poteſt ſententia. Prima exceptiva: In omnibus obediemus, modo tu Deo conſentanea, & legi præcipias. Secunda verior, optativa, ſeu votiva: Utinam tibi Dominus adſit, ut adfuit Moyſi.

V. 18. QUI CONTRADIXERIT ORI TUO.... MORIATUR. Deus in rebelles ſolebat animadvertere: adhuc tamen ſibi

hanc legem dicunt, ut qui obedire detrectaverint, morte plectantur.

TIRINI.

Verſ. I. **A**D IOSUE FILIUM NUN. De nomine hoc ipſi per Moyſen impoſito, vel potius immutato, dixi Numeror. XIII. verſu 17. Ubi & expoſui quomodo Ioſue typus fuerit Chriſti, non modo nomine ſuo, ſed & rebus in bello præclare geſtis. In hoc vero libro, ex tranſitu Iordanis, ex Chananæorum ſubverſione, ex plurimis, ſtupendiſque prodigiis, ex diſtributione terræ populo iam victori, longe id clarius, certiuſque innoteſcet. Scripſit autem hunc librum veriſimilius ipſemet Ioſue, ſi pauculas exceperis lineas cap. X. verſ. 13. de *Libro iuſtorum*, qui poſterior eſt temporibus Davidis, cuius, uti & Saulis, & Ionathæ *a* in eo fit mentio; & cap. XV. verſ. 16. de *Axa* filia Caleb, & cap. XIX. verſ. 47. de *Leſem* expugnata, quæ contigerunt poſt mortem *b* Ioſue; & capite ultimo a verſ. 29. uſque ad finem, de morte Ioſue: nam hæc vel ab Eleazaro Pontifice, ut volunt Thalmudici, vel ab Eſdra, ut alii, adiecta fuerunt: ut etiam Pentateucho quædam poſt mortem Moyſis inſerta hinc inde fuiſſe, dixi in fine ultimi capitis Deuteronomii. Ita *c* Iunilius, Dorotheus, Vatablus, Abulenſis, Driedo, Pineda, & Hebræi. Quin & cap. ult. verſ. 26. diſerte dicitur Ioſue ſcripſiſſe *omnia verba hæc in volumine legis Domini*, hoc eſt in codice qui in arca erat, & legem Domini a Moyſe conſcriptam complectebatur. Denique, occaſione huius libri ab ipſomet Ioſue conſcripti, dicit Eccleſiaſticus cap. XLVI. verſ. 1. Ioſue ſucceſſorem fuiſſe Moyſi *in Prophetiis*, ut eſt in Græco. *In Prophetiis*, id eſt in ſanctis Scripturis concinnandis, & non ore ſolo, ſed & calamo exprimendis, poſteriſque tradendis.

V. 4. A DESERTO ET LIBANO. Termini hic deſcribuntur terræ promiſſæ: de quibus egi Deuteron. I. verſ. 7.

V. II. POST DIEM TERTIUM TRANSIBITIS IORDANEM. Petes: Quomodo id ſubſiſtit, cum capite demum ſequenti ſint miſſi exploratores in Iericho, & hi triduo latitarint in montibus; & poſt reditum illorum hæſerint adhuc tres dies Hæbrei apud Iordanem, ut dicitur cap. III. verſ. I. Reſpondeo: Hæc per hyſteronproteron hic dicuntur anticipative: nam miſſio exploratorum, adeoque totum caput II. præponi debet huic Ioſue præcepto per caſtra divulgato: ita ut tres dies, quorum hic fit mentio, ſint iidem cum illis tribus diebus qui habentur cap. III. verſ. I. Ita Abulenſis, & alii Doctores.

(*a*) II. Reg. I. verſ. 18.
(*b*) Ut patet ex Iudicum cap. I. & XVIII.
(*c*) Iun. Lib. I. de Partibus div. legis, cap. VIII. Doroth. in Synopſi. Driedo Lib. I. cap. III. Pineda Præfat. III. in Iob.

GORDONI.

Verſ. I. **E**T FACTUM EST POST MORTEM MOYSI SERVI DOMINI, UT LOQUERETUR DOMINUS AD IOSUE, &c. Deus locutus legitur per Angelos, ut Abrahamo; per ſomnia, ut S. Ioſepho; & in vigilia, ut Moſi: quo poſteriori modo nunc agere putatur Deus cum Ioſue, ut colligi ſatis poteſt ex cap. V. verſ. 13. idque per Angelum. Particula ו, Hebræorum idiotiſmo, eleganter poni ſolet initio librorum, immo & capitum. Porro ſicut Moſes ſervus Dei honorifico nomine hic deſignatur; ita Ioſue miniſter Moſis vocatur, ut poſtea Eliſeus apud Eliam, & apud Prophetas, Prophetarum filii, & miniſtri. En interim Moſen mortuum, contra eos qui translatum fingunt.

V. 3. OMNEM LOCUM QUEM CALCAVERIT VESTIGIUM PEDIS VESTRI, &c. Intellige omnem locum intra fines terræ promiſſæ calcatum; non, ut dicunt Rabbini, terram omnem quam calcabit Iudæus. Nec verum eſt, Salomonem orbis evaſiſſe dominum.

V. 4. A DESERTO ET LIBANO. Chananæa, ut hic accipitur, & terra promiſſa ab oriente habet Syriam; a meridie Pharan, & Ægyptum; ab occidente mediterraneum mare; a ſeptemtrione Libanum. Regio fertilis imprimis, & Patriarcharum ſedibus nobilis. Vide de his terminis Exod. XXIII. verſ. 31. & hic Abulenſem. Atque hi ſunt ad quatuor mundi plagas notabiles termini univerſe definiti. De ſpecialiore definitione terminorum, plura Geographi, & Serrar. cap. I. quæſt. VII. Hinc eſt, quod termini iſti nunc contractiores, nunc productiores traduntur. Vide Adri-

che-

chomii tabulas Geographicas, libro de hac re integro, & alias quas hic habes: item Num. cap. XXXIV. & hic infra cap. XIII. ex profeſſo.

V. 5. En præſidium divinum contra hoſtes, his qui Deo obtemperant: nec; cauſam iuſtorum caſui committit Deus.

V. 7. UT INTELLIGAS. שכל, hinc תשכיל, *ut prudenter agas*, & proſpere. Interim ipſi Ioſue, & populo commendatur legis obſervatio, hic, & verſ. 8. *Meditaberis die ac nocte*. Hæc docent legem Dei debere eſſe cariſſimam. Sic Proverb. VII. ut pupilla oculi.

V. 10. HI PRINCIPES POPULI. Qui annuntiant tranſitum, ſunt proceres, iudices, & tribuum capita.

V. 11. POST DIEM TERTIUM, &c. Vide Deuter. cap. XXXIV. verſ. 1. unde colliges hanc denuntiationem hic narrari per anticipationem: prius enim miſſi ſunt exploratores; & poſt horum reditum, ſtatuitur triduum.

V. 18. MORIATUR, iudice auctore; qui rebellis fuerit.

EX EIUSDEM AUCTARIO:

V. 11. PRAEPARATE VOBIS CIBARIA, &c. Manna adhuc more ſolito deſcendebat: iubentur ergo in diem tertium parare cibaria.

V. 14. TRANSITE .... ANTE FRATRES VESTROS, in prima acie, relictis tamen qui urbes cuſtodirent.

V. 15. CONTRA SOLIS ORTUM; contra orientem.

V. 17. TANTUM SIT. Optantium vox eſt, non exceptiva.

CAPUT II.

Miſſi exploratores in urbem Iericho, a Rahab meretrice, promiſſa illi miſericordia, a morte liberantur.

1. MIſit igitur Ioſue filius Nun de Setim duos viros exploratores
in abſcondito: & dixit eis: Ite, & conſiderate terram, ur-
bemque Iericho. (*a*) Qui pergentes ingreſſi ſunt domum
mulieris meretricis, nomine Rahab, & quieverunt apud
eam. 2. Nuntiatumque eſt regi Iericho, & dictum: Ecce
viri ingreſſi ſunt huc per noctem de filiis Iſrael, ut explo-
rarent terram. 3. Miſitque rex Iericho ad Rahab dicens:
Educ viros qui venerunt ad te, & ingreſſi ſunt domum tuam: exploratores quip-
pe ſunt, & omnem terram conſiderare venerunt. 4. (*b*) Tollenſque mulier vi-
ros, abſcondit, & ait: Fateor, venerunt ad me, ſed neſciebam unde eſſent:
5. cumque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, neſcio quo ab-
ierunt: perſequimini cito, & comprehendetis eos. 6. Ipſa autem fecit aſcendere
viros in ſolarium domus ſuæ, operuitque eos ſtipula lini, quæ ibi erat. 7. Hi
autem qui miſſi fuerant, ſecuti ſunt eos per viam quæ ducit ad vadum Iorda-
nis: illiſque egreſſis ſtatim porta clauſa eſt. 8. Necdum obdormierant qui late-
bant, & ecce mulier aſcendit ad eos, & ait: 9. Novi quod Dominus tradide-
rit vobis terram: etenim irruit in nos terror veſter, & elanguerunt omnes ha-
bitatores terræ. 10. Audivimus quod (*c*) ſiccaverit Dominus aquas maris rubri
ad veſtrum introitum, quando egreſſi eſtis ex AEgypto: (*d*) & quæ feceritis
duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Iordanem, Sehon, & Og, quos
interfeciſtis. 11. Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor noſtrum, nec
reman-

remanſit in nobis ſpiritus ad introitum veſtrum: Dominus enim Deus veſter, ipſe eſt Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum. 12. (*e*) Nunc ergo iurate mihi per Dominum, ut quomodo ego miſericordiam feci vobiſcum, ita & vos faciatis cum domo patris mei: detiſque mihi verum ſignum, 13. ut ſalvetis patrem meum & matrem, fratres ac ſorores meas, & omnia quæ illorum ſunt, & eruatis animas noſtras a morte. 14. Qui reſponderunt ei: Anima noſtra ſit pro vobis in mortem, ſi tamen non prodideris nos: cumque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te miſericordiam & veritatem. 15. Demiſit ergo eos per funem de feneſtra: domus enim eius hærebat muro. 16. Dixitque ad eos: Ad montana conſcendite, ne forte occurrant vobis revertentes: ibique latitate tribus diebus, donec redeant, & ſic ibitis per viam veſtram. 17. Qui dixerunt ad eam: Innoxii erimus a iuramento hoc, quo adiuraſti nos: 18. ſi ingredientibus nobis terram, *ſignum fuerit funiculus iſte coccineus, & ligaveris eum in feneſtra, per quam demiſiſti nos: & patrem tuum ac matrem, fratreſque & omnem cognationem tuam, congregaveris in domum tuam. 19. Qui oſtium domus tuæ egreſſus fuerit, * ſanguis ipſius erit in caput eius, * & nos erimus alieni. Cunctorum autem ſanguis, qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput noſtrum, ſi eos aliquis tetigerit. 20. Quod ſi nos prodere volueris, & ſermonem iſtum proferre in medium, erimus mundi ab hoc iuramento, quo adiuraſti nos. 21. Et illa reſpondit: Sicut locuti eſtis, ita fiat. Demittenſque eos ut pergerent, appendit funiculum coccineum in feneſtra. 22. Illi vero ambulantes pervenerunt ad montana, & manſerunt ibi tres dies, donec reverterentur qui fuerant perſecuti: quærentes enim per omnem viam, non repererunt eos. 23. Quibus urbem ingreſſis, reverſi ſunt, & deſcenderunt exploratores de monte: &, tranſmiſſo Iordane, venerunt ad Ioſue filium Nun, narraveruntque ei omnia quæ acciderant ſibi, 24. atque dixerunt: Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus noſtras, & timore proſtrati ſunt cuncti habitatores eius.

(*a*) Hebr. XI. 31. Iacob. II. 25. (*b*) Inſr. VI. 17. (*c*) Exod. XIV. 21. (*d*) Num. XXI. 24. (*e*) Inſ. VI. 22.

B R U G E N S I S.

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 18. *Signum fuerit funiculus iſte coccineus.* Nequaquam addenda negatio eſt, negativa, *Signum non fuerit*.

V. 19. *Sanguis ipſius erit in caput eius.* Addunt quidam, *Reus ſibi erit*, quæ LXXII. ſenum interpretatio eſt, noſtræ coniuncta. Sequitur: *Et nos erimus alieni*. Alii pro *alieni* ſcribunt *innoxii*, explicandi cauſa.

C O M M E N T A R I A.

S A.

Verſ. 1. MISIT IGITUR; pro, miſerat autem. SETIM. Locus eſt in campeſtribus Moab prope Iordanem. IN ABSCONDITO, id clam populo. MERETRICIS. Chald. *cauponariæ*. QUI FUERUNT, id eſt manſerunt. Hebr. & Chald. *cubuerunt*.

V. 4. TOLLENSQUE MULIER VIROS, ABSCONDIT, &c. Id prius fecerat quam nuntii a Rege veniſſent.

V. 5. PORTA, ſcilicet urbis.

V. 6. FECIT, pro fecerat. SOLARIUM, id eſt tectum, ſcilicet planum erat more Palæſtinæ. STIPULA, id eſt calamis, ſeu culmis.

V. 9. ELANGUERUNT. Hebr. *Li-*

que-

Digitized by Google

quefacti ſunt. Chald. *Fracti ſunt*.

V. 11. Elanguit. Hebr. & Chald. *Liquefactum eſt*.

V. 12. Misericordiam, id eſt beneficium. Chald. *bonitatem*. Verum ſic etiam LXX. At Hebr. & Chald. *veritatis*, id eſt verum.

V. 14. In mortem; quaſi dicant: Pereamus, niſi fecerimus. Veritatem, ſcilicet promiſſum implentes.

V. 16. Revertentes. Hebr. Chald. & LXX. *perſequentes*, ſeu *qui vos ſunt perſecuti*, ut infra vertit Interpres.

V. 17. Innoxii, ſcilicet quia ſervabimus.

V. 19. Sanguis ipsius erit in caput eius; id eſt, erit ſibi ipſi cauſa mortis. LXX. *Reus ſibi ipſi erit*. Chald. *Culpa necis eius in caput ipſius*. Alieni, ſcilicet a culpa. Hebr. Chald. & LXX. *innoxii*. Redundabit; quaſi dicant: Nos erimus rei homicidii. LXX. *Nos rei erimus*. Chald. *Culpa necis eius in caput noſtrum*.

V. 20. Mundi, id eſt immunes; quaſi dicant: Non tenebimur iuramento.

E S T I I.

Verſ. 1. Ingressi sunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab. Alii ex Hebræo vertunt, vocantque *cauponariam*. Et vox Hebræa ambigua eſt: nam vel deducitur a voce quæ frumenti ſpeciem certam ſignificat, & tunc mulierem cibariam, id eſt cauponariam, ſignificat; vel a voce quæ ſignificat fornicari, & ita ſignificat meretricem. Rectius autem vertitur meretrix quam cauponaria, quia ſic Apoſtolus ad Hebræos cap. XI. & Iacobus cap. II. poſuerunt, & Septuaginta expreſſe habent πόρνην, quod tantum meretricem ſignificat. Pagninus tamen vertit *cauponam*, Arias *meritoriam*. Eadem vox eſt Iudicum cap. XI. in hiſtoria Iephte, ubi Arias quidem ſimiliter vertit *meritoriam*, ſed Pagninus *meretricem*. Veriſimile eſt Rahab, & cauponariam, & meretricem fuiſſe. Nam apud gentiles, quibus ſimplex fornicatio non reputabatur peccatum, mulieres exercentes cauponariam, ſimul etiam ex proſtitutione corporis quæſtum faciebant. Vide noſtrum Commentarium ad Hebræos cap. XI. & Iacobi cap. II.

V. 11. Dominus enim Deus vester, ipse est Deus in caelo sursum, et in terra deorsum. Ecce fidem huius mulieris non immerito commendatam ab Apoſtolo ad Hebræos cap. XI. Nec tamen ſola fide iuſtificatam fuiſſe, ſed etiam ex operibus, recte oſtendit Iacobus cap. II. 25. nempe quia nuntios populi Dei ſuſcepit, & alia via tutos dimiſit. Idem dicit & Paulus ad Hebræos XI. 31. cum addit: *Excipiens exploratores cum pace*.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. Misit; pro, miſerat: ſcilicet antequam populo eſſet denuntiata profectio, ut conſtare poſſit, poſt dies tres a denuntiatione Iordanem tranſmiſſum. Aut denuntiatio in ſuperiori capite per anticipationem eſt poſita. De Setim. Nomen loci in campeſtribus Moab prope Iordanem. In abscondito. Miſit Ioſue exploratores clam reliquo populo, vel qui ſilentio & occulte explorarent terram. Qui ... ingressi sunt domum mulieris meretricis, ſeu *cauponariæ*, ſic reddit Chald. id ſequuntur Hebræi. Ioſephus Lib. V. cap. I. id Græce dicit, certe ſic vertit Interpres Gallicus. Sane nec eam *meretricem* vocat, & domum eius *diverſorium* appellat. Sic Greg. Nazianzenus Orat. De pauperum cura. Si opponas, ad Hebr. 11. verſ. 21. & Iacob. 11. verſ. 15. Græce Rahab πόρνην, Latine *meretricem* dici; licebit reſpondere, eas voces a prima inſtitutione non deduci a quæſtu turpi, ſed abuſu loquentium factum, ut ſic accipiantur modo.

V. 3. Considerare venerunt. Hebraica vox חפר *haphar* primum ſignificat *fodere*; ſed quoniam qui explorant, cuncta rimantur, & vertunt, ſignificat etiam *explorare*, quod Noſter *conſiderare* dixit.

V. 4. Tollensque mulier. Heb. *Tulit*; protulerat, *viros*. Abscondit. Hebr. *abſcondit eum*; pro, eos abſconderat: vel *eum*, pro quemque eorum: & fortaſſis ſeorſum poſuit utrumque.

V. 6. In solarium. Hebr. *in tectum*; ſed tecta erant plana more Palæſtinæ, quæ vocantur *ſolaria*. Operuit-

que

QUE EOS STIPULA LINI. Bene redditur ſententia. Sed Hebr. eſt: *Et abſcondit eos in linis ligni ordinatis, & in tecto.* Meſluerant linum, & manipulos ſiccabat in tecto priuſquam macerarentur, quos *ligna* vocat. Ergo inter eos manipulos ſignificat abſconditos, quam vocem expreſſit Ioſeph. V. Antiq. cap. 1. ſpeculatores manipulis contexiſſe dicens. Sed conſtructio eſt Hebr. inverſa, *in linis ligni*, pro *in ligno lini*, quod Hieronymus dixit *ſtipulam lini*;

V. 7. PORTA CLAUSA EST, ſcilicet urbis, ne fugerent exploratores, ſi in urbe manſiſſent, aut quia nox erat.

V. 9. ELANGUERUNT, Hebr. *Liquefacti ſunt*, ſcilicet habitatores terræ. Inſtantis ruinæ ſignum.

V. 13. UT SALVETIS. Hebr. *Et ſalvetis*. Sed ſæpe *&* in Sacris ponitur pro *ut*.

V. 14. ANIMA NOSTRA SIT PRO VOBIS; id eſt, etiam cum vitæ periculo eripietis vos, cum urbs capietur. SI TAMEN NON PRODIDERIS, Hebr. *Non prodideritis*, ſcilicet tu, & tui cognati.

V. 16. NE FORTE OCCURRANT VOBIS REVERTENTES. Hebr. *perſequentes:* ſic Sept. & Chald. Ergo ite ad montes: ſic Rahab ad exploratores; illi contra.

V. 17. INNOXII ERIMUS A IURAMENTO; quaſi dicant: Ut innoxii ſimus, ut impleamus quod promiſimus, ſi funiculum iſtum ligaveris, nos ea religione liberabimur, faciemus quod petis. E tuis nemo egrediatur, alioqui,

V. 19. ALIENI. Innoxii & alieni a culpa erimus, ſi quis e tuis egreſſus domo occidetur. SI EOS ALIQUIS TETIGERIT, Hebr. *Si manus fuerit in eum*, ſcilicet qui domi manſerit, nos rei erimus. Si tamen nos prodideris.

V. 20. ERIMUS MUNDI, id eſt immunes: non tenebimur iuramento.

MALVENDAE.

Verſ. 1. MISIT IGITUR IOSUE, &c. Ingens hic pugna Explanatorum, quando Ioſue miſerit hos exploratores: immenſum eſſet in re abſtruſa omnium opiniones excutere: ea iam habetur frequentior expoſitio, miſſos exploratores ante promulgatam per ſtatores præparationem, ſupra cap. 1. verſ. 11. Quidam annotant, hyperbaton eſſe perpetuum toto hoc capite, cuiuſmodi annotavimus Gen. XI. verſ. 1. quæ enim hoc capite narrantur a Ioſue, antequam edictum de parando viatico promulgaret, fuiſſe geſta, arguere evidentiſſime verſus decimiſexti, & vigeſimiſecundi cum verſu ſecundo capitis tertii comparationem: unde per pluſquam perfectum vertunt: *Miſerat autem prius Iehoſuah, &c.* Atque hæc quidem voluntate divina geſta fuiſſe, eventus oſtendit. Voluit enim Deus per Rahabæ relationem Iſraelitis, ad eos confirmandos, innoteſcere populi præſentem conſtitutionem, ut Iudic. VII. per ſomnii narrationem Gedeonis animus confirmatus dicitur; & Ionathanis per vocationem ludicram, I. Samuel. XIV. DE SETIM. De hoc loco egimus Numer. XXXIII. verſ. 49. Fuit poſtrema Iſraelitarum manſio, ubi tunc Ioſue caſtra habebat, dictus *Abel Schittim*, id eſt *luctus*, vel *planities Schittim*: diſtabat a Iordane 60. ſtadiis, ut auctor eſt Ioſephus Lib. V. Antiquit. cap. 1. EXPLORATORES. מרגלים *meraggelim*, ſi ex vi verbi exprimas, ſonat *pedantes*, *pedatores*, qui pedibus terras, ac regiones luſtrantes, diſſimulato habitu, munita, & infirma urbium, ac locorum numerum, vires, conſilia hoſtium, ac eorum arcana occulte rimantur ac perveſtigant, ut ad eos deferant a quibus miſſi ſunt. Hos Latini *exploratores*, *ſpeculatores* vocant; Hiſpani *eſpias*. Vide Geneſ. XLII. verſ. 9. Feſtus: *Explorare antiquos pro exclamare uſos; ſed poſtea proſpicere, & certum cognoſcere cœpit ſignificare. Itaque ſpeculator ab exploratore hoc diſtat, quod ſpeculator hoſtilia ſilentio perſpicit; explorator pacata clamore cognoſcit*. IN ABSCONDITO. Biſariam intelligi poteſt. I. Clam Iſraelitis; id eſt, non communicato conſilio cum populo, ut in aliis exploratoribus factum fuerat, Numer. verſ. 3. II. clam Chananæis, ut quam maxime occulte, & abſcondite explorarent terram, ne ab hoſtibus deprehenderetur. Utrumque ego accidiſſe non dubito. Sed vocem חרש *chereſch* mirum quam varie & Hebræi, & noſtri diſtrahant. I. *cogitationem*, *machinationem*; id eſt, ut explorarent conſilia, & conatus hoſtium. II. *fabriliter*, ut ſe fabros, aut figulos ſimularent, aliqua eiuſmodi artis in-

Digitized by Google

inſtrumenta ferentes, quo hoſtes fallerent. III. *ſurditate*, id eſt ſine ullo ſtrepitu (Hiſpanice, *A la ſorda*) vel ut ſe ſurdos, & infantes oſtentarent, ut magis hoſtes laterent. IV. *aratione:* nimirum miſit eos ſpecie agreſtium, ſeu ruſticorum ſuburbanorum. V. *ceſſatione, ceſſanter, ſilenter, tacite, ſecreto, clam, occulte*; id eſt, qui explorarent quam occultiſſime, ne eos perſentiſcerent incolæ regionis. VI. Quidam vertunt, *attentione:* ut attentiſſime terram inſpicerent. Verbum חרש *charaſch*, a quo nomen חרש *chereſch*, omnia illa ſignificata complectitur. CONSIDERATE TERRAM, URBEMQUE IERICHO. Quidam vim huius locutionis eam eſſe volunt, explorate terram, ſed præcipue ipſam Iericho: quia in capienda ea urbe, quæ valida, & opulenta erat, ac prima occurrebat, magnum momentum vertebatur rei bene gerundæ, ac obtinendæ totius terræ promiſſæ. Eiuſmodi phraſis eſt III. Regum XI. verſ. 1. *Salomon amabat multas feminas alienigenas, & filiam Pharaonis:* II. Reg. XXII. verſ. 1. *Liberavit Davidem Dominus de manu omnium hoſtium ipſius, & de manu Saulis:* & II. Samuel. II. verſ. 30. *Deſiderabantur e ſervis Davidis novemdecim viri, & Haſael.* Poſſit quoque *&* eſſe expoſitiva particula, pro id eſt: *Conſiderate terram, &*, id eſt *Iericho*, nempe ſitum urbis, & agrum. Aliqui. *Conſiderate terram*, capiunt de explorando proximorum locorum ſitu ad caſtra metanda, & tuto deducendum exercitum.

Iericho. Urbs quondam opulentiſſima in tribu Beniamin. Quidam dictam volunt, quod forma, & ſitu lunam referret; vel quod poſitu ſpeciem præ ſe ferret lunæ naſcentis, ſeu ſe curvantis in cornua: quod Hiſpanice dicimus *forma de media luna*. Nam Strabo, ut mox videbimus, planitiem illam Ierichuntinam in ſpeciem theatri declinare prodit. Alii a רוח *ruach*, vel ריח *riach*, *ſpiratione, odore, fragantia*, potius appellatam exiſtimant, quod in ea regione balſamum, roſæ, flores, & alia eiuſmodi ſuaviſſimum odorem ſpirantia feliciſſime provenirent. Plinius Lib. XII. cap. XXV. *Sed omnibus odoribus præfertur balſamum:* uni terrarum Iericho conceſſum, ut infra videbimus. Strabo Lib. XVI. pag. 763. *Hierichus eſt planities montibus circumdata, quæ in theatri ſpeciem ad ipſam alicubi declinat. Ibi eſt palmetum, cui immixtæ ſunt etiam aliæ ſtirpes hortenſes: locus ferax, palmis abundans, ſpatio ſtadiorum centum totus irriguus eſt, & habitationibus plenus. Ibi & regia eſt, & balſami paradiſus, quæ planta aromatica eſt fruticoſa, cytiſo, & terebintho perſimilis: huius corticem ſcindentes, ſuccum in vaſis ſuſcipiunt, tenaci lacti perſimilem: ſuſceptus autem in conchis coagulatur: capitis dolores, & ſuffuſiones oculorum incipientes, & hebetudinem viſus mirifice ſanat: quare in pretio eſt, eo præſertim quod hic ſolum naſcitur. Palmetum, quod palmam caryotam fert, alibi nullum eſt, excepto Babylonio, & ulterioribus orientem verſus. Maximus quidem ex eis proventus eſt. Quin etiam xylobalſamo pro aromate utuntur.* Ioſephus Lib. V. Belli cap. VIII. *Hierichunti in planitie ſitæ nudus mons ac ſterilis imminet, idemque longiſſimus: a ſeptentrionali enim regione uſque ad Scythopolitanos agros; a meridiana vero uſque ad terram Sodomiticam, & Aſphaltitis lacus terminos extenditur: totus autem aſper eſt, & quod nihil gignat, non habitatur. Æſtatiſque tempore illa planities ardore ſolis incenditur, & vitioſo opprimitur aeris tractu, omnibus circum aridis præter Iordanem: unde evenit ut palmæ quæ in ripis ſunt, magis floreant, & fertiliores ſint; minus autem, quæ longe remotæ ſunt. Ad ripam vero Iericho largiſſimus fons eſt, rigandiſque arvis uberrimus, iuxta veterem ſcaturiens civitatem, quam Ieſus Nave filius Hebræorum ductor, primam in Chananæorum terra bello poſſederat. Denique rigationis eius tanta potentia eſt, ut ſi attigerit modo terram, ſapidior ſit, aquis diu perſeverantibus: unde eo, quæ largius abutuntur, exiguum emolumentum habent; quæ vero parcius, plurimum. Amplius tamen quam ceteri fontes ſpatium rigat, & ſeptuaginta quidem ſtadiis longam, viginti autem latam planitiem permeat. Optimos autem in ea paradiſos ac denſiſſimos educat, palmarumque irriguarum genera, tam ſapore quam nominibus varia: quarum pinguiſſimæ calcibus preſſæ plurimum mellis emittunt, non multum alio melle deterius: quamquam & mellis altrix eſt illa regio, & opobalſami ferax, qui omnium cariſſimus eſt fructus ibi naſcentium: itemque cyprum, & myrobalanum gignit: ut qui divinum eſſe illum tractum dixerit, non erraverit: ubi & larga, & optima generantur*

quæ ſunt cariſſima. Sed neque in aliis ei fructibus aliqua facile toto orbe regio certaverit: adeo multiplicatum, quod ſatum eſt, reddit. Cuius rei cauſa mihi videtur eſſe aquarum vis læta, & aeris calor: cum hic provocet, quæ nata fuerint, atque diffundat; liquor autem firmis ſingula radicibus ſtringat, vireſque ſuggerat æſtivo tempore: quo ſic peruſta eſt illa regio, ut nihil facile procedat, ac pullulet: aqua tamen ſi ante ſolis ortum hauriatur, auræ ſpiritu refrigeſcit, naturamque contrariam aeri ſumit: hieme vero contepeſcit, eaque merſis mitiſſima efficitur. Tanta eſt autem cæli temperies, ut quo tempore in alia Iudææ regione ningit, lino illic tantum indigenæ veſtiantur. Diſtat autem ab Ieroſolymis centum quinquaginta ſtadiis; & ab Iordane ſtadiis ſexaginta: totumque habet ab Ieroſolymis ſpatium deſertum atque ſaxoſum; ad Iordanem vero & lacum Aſphaltiten licet humilius, æque tamen incultum, ac ſterile. Sed de Iericho quam ſit fortunatiſſima, ſatis dictum eſt. Hactenus Ioſephus vernaculus locorum inſpector. Eadem ex ipſo deſcripſit S. Beda de Locis Sanctis, cap. x. ex Lib. XIV. Antiquit. cap. VII. *Apud Hierichuntem, ubi palmeta ſunt præſtantiſſima, & opobalſamum provenit inter unguenta præcipuum, inciſis acuto ſcrupo fruticibus, ſucci in modum ſcatens.* Sed & Diodorus Siculus Lib. II. num. 93. *Palmetis tamen ea regio ferax eſt, quantum eius a benignis amnibus, & fontibus irriguis interſulcatur. Ibi in convalle quadam balſamum, quod vocant, gignitur: unde luculentum ipſis vectigal accedit, propterea quod nuſquam alibi in orbe terrarum hæc ſtirps inveniatur, quæ præclarum quoque ad pharmaca medicis uſum præſtat.* Tacitus Hiſtor. V. *Exuberant fruges noſtrum ad morem: præterque eas balſamum, & palmæ: palmetis proceritas & decor: balſamum modica arbor: ut quiſque ramus intumuit, ſi vim ferri adhibeas, pavent venæ: fragmine lapidis, aut teſta aperiuntur: humor in uſu medentium eſt.* Iuſtinus Lib. XXXVI. Hiſtoriarum: *Opes genti Iudæorum ex vectigalibus opobalſami crevere, quod in his tantum regionibus gignitur. Eſt namque vallis, quæ continuis montibus, velut muro quodam cincta, ad inſtar* hortorum *clauditur: ſpatium loci ducenta millia iugera, nomine Iericho dicitur. In ea valle ſilva eſt & ubertate, & amænitate inſignis. Siquidem palmeto, & opobalſamo diſtinguitur. Arbores opobalſami formam ſimilem piceis arboribus habent, niſi quod ſunt humiles magis, & in vinearum morem excoluntur. Hæ certo tempore anni balſamum ſudant. Sed non minor loci eius opacitatis quam ubertatis admiratio eſt: quippe cum toto orbe regionis eius ardentiſſimus ſol ſit, ibi tepidi aeris naturalis quædam ac perpetua opacitas eſt.* Plinius Lib. V. cap. XIV. *Hierichuntem palmetis conſitam, fontibus irriguam:* & Lib. XII. cap. XXV. *Sed omnibus odoribus præfertur balſamum, uni terrarum Iudææ conceſſum, quondam in duobus tantum hortis, utroque regio, altero iugerum xx. non amplius, altero pauciorum. Oſtendere arbuſculam hanc urbi Imperatores Veſpaſiani.* Sequitur multa de balſamo prodere. Theophraſtus huc reſpexit Lib. IX. Hiſtoriæ Plantarum, cap. VI. *Balſamum in valle Syriæ provenit.* Solinus cap. XXXVIII. *Iudææ caput fuit Ieroſolyma, ſed exciſa eſt. Succeſſit Hierichus, & hæc deſiit, Artaxerxis bello ſubacta. In hac terra tantum balſamum naſcitur:* & poſt alia: *Verum inclytis nemoribus adhuc durat decus, luciſque palmarum eminentiſſimis nihil vel ævo, vel bello derogatum.*

Ceterum balſamum, quod uni tantum Iudææ, id eſt agro Iericunthino, tribuere Diodorus, Strabo, Plinius, Solinus, Tacitus, Iuſtinus, Dioſcorides, Claudianus, & alii etiam AEgypto conceſſere: & Brocardus in deſcriptione Terræ Sanctæ ad finem ſcribit, ſe in AEgypto inter Heliopolim & Babylonem balſami hortum vidiſſe. Strabo Lib. XVI. & Pauſanias in Bæoticis, etiam Arabiæ. At de his exquirendi non hic locus.

Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Iericho urbs, quam Iordane tranſgreſſo ſubvertit Ieſus, rege illius interfecto: pro qua extruxit aliam Ozam de Bethel ex tribu Ephraim* (III. Regum XVI. verſ. 34.) *quam Dominus noſter atque Salvator ſua præſentia illuſtrare dignatus eſt. Sed & hæc eo tempore quo Ieruſalem oppugnabatur a Romanis, propter perfidiam civium capta, atque deſtructa eſt; pro qua tertia ædificata eſt, quæ uſque hodie permanet: & oſtenduntur utriuſque urbis veſtigia uſque ad præſentem diem.* S. Beda de Locis Sanctis cap. x. *Iericho ab AElia orientem verſus, novemdecim mille paſſibus abeſt, qua tertio ad ſo-*

lum

Digitized by Google

lum deſtructa, ſola domus Rahab ob ſignum fidei remanet: eius enim adhuc parietes ſine culmine durant: & infra: *Urbs ipſa condita in campo, cui ſupereminet & nudus gignentium: ægrum enim & ieiunum ſolum, & ideo deſertum ab incolis*. Brocardus: *A Galgala per unam leucam, contra orientem eſt ſita Iericho, civitas olim famoſa, nunc autem habet octo domos, vix nomen villæ ſortita*. Alter Brocardus de monte Sion: *De Galgalis ad unam leucam eſt Ierícho civitas quondam nobilis: nunc ita vilis, ut nec veſtigium ſit, quod ibi civitas fuerit*: & poſtea: *Iuxta Ierícho palmæ & calamellæ eriguntur de fonte Heliſei*. Calamellas forſitan intelligit Cannas ſacchari, quas Hiſpanice *Canamieles* vocamus, de quibus plura Iacobus Vitriacus in Hiſtoria Ieroſolymitana, cap. LIII. qui plurimas, & præſtantiſſimas ibi provenire ſcribit. Alter deſcriptor Terræ Sanctæ Anſelmus Minorita: *Iericho autem fuit civitas nobilis; hodie autem non meretur dici villa, habens paucas caſas: ubi tamen eſt adhuc domus Zacchæi. Et eſt adhuc locus quadratus ad modum clauſtri, quamvis murus iam vetuſtate deſtruitur*. Atque ii tres, ceterique ſacri Topographi conſentiunt, Iericho diſtaſſe a Iordane duabus, & a lacu Aſphaltite tribus leucis. Ab Ieruſalem vero diſtare decem paraſangis, id eſt leucis noſtratibus, Hebræi tradunt: recentiores intervallum ſex, aut ſeptem tantum leucarum interiiciunt: quæ eſt fere ſententia Ioſephi, qui ponit 150. ſtadia. Iericho abundare palmetis, unde dicta ſit *civitas palmarum*, Deuteron. XXXIV. verſ. 3. annotavimus: roſarum quoque fuiſſe feracem Eccleſiaſticus affirmavit cap. XXIV. verſ. 18. MULIERIS MERETRICIS. De voce זונה *zonah* diſſeruimus Levit. XXI. verſ. 7. Quidam aiunt, proprie eſſe eam quæ proſtat, ſeu ſe proſtituit, aut publicat, mercedis, ſeu merendi cauſa, id eſt quæ meret; vel operis, ut lotrices, & id genus; vel inſtructis opſoniis, ut cauponariæ & tabernariæ; aut corpore, ut laſcivientes & petulantes feminæ, quæ ſe viris proſtituunt, & corpus inter viros vulgant, quas Latini vocant *meretrices*, a merendo, ſcilicet corpore, *ſcorta*, *proſtibula*, ſeu *proſtibulas*, *proſedas*, *alicarias*, *lupas*, *limaces*, *nonarias*. Ergo *zonah* reddunt *lotricem*, *cauponariam*, *tabernariam*, *hoſpitam*, *ſtabulariam*, *cauponam*, *publicam*, *publicanam*, *quæſtuariam*, *mercenariam*, *meritoriam*, *meretricem*. Iam diſquirunt, an Rahab vere corpus vulgaret: num tabernaria tantum & hoſpita fuerit. Nos eorum ſententiam aptiorem ducimus, qui Rahab utrumque fuiſſe autumant: nam id genus mulierum, quæ cauponariam exercent, ſimul etiam corpore merere ſolent. Conſtantinus: *Vulgatæ ſunt pudicitiæ, quæ in cauponis ſerviunt*: Lege, *Quæ adulterium*, C. ad leg. Iuliam de Adulteriis. Ut merito Hebraicum vocabulum utramque notionem complectatur. Unde quidam utrumque hic coniungunt, *mulieris meretricis cauponæ*: alii, *cauponæ meritoriæ*. Qui זונה *zonah* contendunt non poſſe ſignificare *cauponam*, quaſi *cibatricem*, ex vicinia verbi זון *zun*, & ex derivatis eiuſdem verbi, vel זנה *zanah*, minimum Hebraiſmi guſtum habere videntur. זונה *zonah* pro *caupona*, *hoſpita*, quaſi *cibatrice*, & *alimentaria*, derivant a זון *zun* Chaldaico *alere*; vel a זן *zan*, *ſpecies*, quaſi diverſas ſpecies ciborum vendentem: pro *ſcorto* vero ſeu *meretrice*, a זנה *zanah*. Sed vicinæ & affines ſunt radices. *Cauponam*, ſeu *hoſpitam* hic interpretantur Chaldæi Paraphraſtæ; Rabbini, Ionah, Scelomoh, Kimchi, & plerique alii; Lyranus, Sanctes, Vatablus, Leo Iudas, Immanuel Tremellius, & Iunius, Avenarius, Montanus, Schindlerus, Victor Palma, Buxtorfius, Matthæus Galenus, & plures alii: nec ab ea ſententia abludunt Caietanus, Forſterus, Clarius, Mercerus, Genebrardus, & alii: neque obſtat vox *πόρνη*, qua utuntur Interpretes Epiſtolæ ad Hebræos, & Iacobus Apoſtolus: nam *πόρνη* eſſe quoque *hoſpitatricem*, a verbo *πέρνω*, id eſt *vendo*, Victor Palma demonſtrat. Ioſephus Rahabæ domum *diverſorium* appellat. NOMINE RAHAB. Hebr. רחב *Rachab*, a dilatatione, ſeu relaxatione dicitur, vel *platea*, fortaſſe ſic appellata, quod laxæ & diſſolutæ vitæ eſſet: & quod Hiſpanice dicimus *Muger de plaça*.

V. 2. UT EXPLORARENT TERRAM. חפר *chaphar* in Kal proprie eſt *fodere*, *infodere*, *perfodere*: inde tranſlate dici annotant de intenta animi, & oculorum infoſſione, id eſt intentione, perſcrutatione, perveſtigatione, exploratione. Unde hic reddunt, *ad perſcrutandum*, *explorandum*, *per-*

C 2 ve-

veſtigandum, perrimandum terram. Et Hiſpanice verbo fodiendi, & cavandi utimur, pro perſcrutari, eruere, inquirere. Sic verſ. 3.

V. 4. TOLLENSQUE MULIER VIROS, ABSCONDIT. Hebr. *Et accepit mulier duos viros, & abſcondit eum*. Quidam vertunt: *Et acceperat mulier duos viros, & abſconderat*: & intelligunt, nimirum antequam a Rege miſſi ſatellites ad domum eius perveniſſent, nempe quod rumor iam ſparſus eſſet, Regi nuntiatum fuiſſe exploratores Iſraelitarum in urbe latitare; & iſtud reſciviſſet, aut audiſſet mulier: nam difficile eſt præſentibus iam domi regiis miniſtris, potuiſſe mulierem viros occultare; niſi id tribuamus divinæ providentiæ, & ſedulitati mulieris. Fortaſſe de adventantibus iam iam in domum ſuam ſatellitibus admonita, feſtine eos abſcondit.

Abſcondit. Hebr. *Et abſcondit eum*. Mira enallage numeri: *Et accepit mulier duos viros, & abſcondit eum*. Quidam diſtributive exponunt: Et abſcondit unumquemque, utrumque. Alii eo loquendi modo exiſtimant indicari, mulierem unumquemque ex eis ſeorſim, & ſeparatim abdidiſſe, ut facilius laterent. Ego ea enallage, feſtinationem, & trepidationem, ſeu potius induſtriam, & ſolertiam mulieris innui puto, quæ celeriter, apte, & quam potuit occulte utrumque abſconderit.

FATEOR, VENERUNT AD ME, SED NESCIEBAM UNDE ESSENT. Haud abſurde nonnulli exiſtimant, haud fuiſſe mentitam Rahabam: potuerunt enim alii apud Rahabam, puta cauponam meritoriam, divertiſſe, de quibus illa intellexerit in ſuo reſponſo; prout opus eſt divinæ providentiæ, alios hoſpites receptos indicari ex veritate; & alios ex fide, & caritate diſſimulari. Nam fide Rahab exploratores accepit cum pace, Hebr. xi. verſ. 31. & dimiſit via altera, Iacobi ii. verſ. 25. Ceterum receptior iam ſententia eſt, mentitam Rahabam, ſed mendacio levi, minuto, veniabili officio; de quo idem iudicandum quod de mendacio AEgyptiarum obſtetricum, Exodi i. verſ. 19.

V. 5. CUMQUE PORTA CLAUDERETUR IN TENEBRIS. Hebr. *Et fuit porta ad claudendum in obſcuritate*. Quidam: *Cumque claudenda eſſet porta tenebris*; id eſt, quod nox iam atra eſſet: vel *cum proximum eſſet ut porta clauderetur, tenebris ſe iam intendentibus*. Chaldæus: *Et fuit tempus claudendæ portæ*; id eſt, in quo claudi ſolet porta. Alii: *Cumque iam tenebreſceret, claudendaque iam eſſet porta*. Plerique hanc portam, urbis intelligunt. Alii portam domus Rahab, ſeu eius diverſorii meritorii; quaſi dicat, quod ſub noctem paulo antequam clauderetur porta tabernæ meritoriæ, ſeu hoſpitii, viri illi egreſſi domo ipſius fuerint.

V. 6. STIPULA LINI. Hebr. *in linis ligni*, vel *arboris*, volunt eſſe hypallagem, pro in lignis, culmis, calamis, cauliculis, lini. Sed puto dici *lina ligni*, quod eſſent lina adhuc lignoſa, & cruda, in calamis, & cauliculis, nondum ſtuppario malleo excuſſis ſtipulis, nempe faſces manuales linorum ſiccandæ ad ſolem. Addit Forſterus: *Fortaſſe illud eſt linum de quo Plinius Lib. XIX. cap. i. in hæc verba ſcribit: Superior pars AEgypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui goſſipion vocant, plures xylon, & ideo lina inde facta xylina, &c.* id eſt lina lignea, ſeu lignoſa. Vide Com. in Exod. xxv. verſ. 4. Coniecturam Forſteri æmulatus eſt Maſius. Ergo volunt, *lina ligni* eſſe lina xylina, ſeu goſſipion, quod eſt frutex, ſeu arbuſcula: nos vocamus *algodon*, ſeu *coton*. Hiſpanicus Interpres, *En linos de arbol*; vel *entre unos taſcos de lino*. QUAE IBI ERAT. Hebr. *ordinatis ei ſuper tectum*. Quidam: *Quæ diſpoſita habebat ſuper ſolarium*; vel *quæ erant ipſi diſpoſita ſuper tectum*; aut *quæ erant ſtructa ei ſub tecto*, vel *a ſe ſub tecto*. Illuſtrant hunc locum verba Plinii Lib. XIX. cap. i. de lino: *Tum evulſum, & in faſciculos manuales colligatum, ſiccatur in ſole pendens converſis ſuperne radicibus uno die, mox quinque aliis in contrarium inter ſe verſis faſcium cacuminibus, ut ſemen in medium cadat.*

V. 7. HI AUTEM QUI MISSI FUERANT, &c. Hunc verſum nos ad verbum ex Hebræo reddimus (*Et viri perſecuti fuerunt poſt eos viam Iarden ſuper tranſitus*.) Alii in hunc modum: *Quamobrem virorum illorum*, nempe civium Iericuntis, alii *perſecuti fuerant eos via ad Iordanem per vada ſingula*; alii *autem portam clauſerant*, nimirum urbis, ne ſi in urbe eſſent exploratores, elaberentur poſt-

ea,

ea, cum egreſſi eſſent qui perſequebantur illos. AD VADUM IORDANIS. Hebræa vox pluralis, *tranſitus*, ſeu *traiectus* proprie ſignificat, ſive ii pedibus, aut vadis, ſive cymbis aut naviculis eſſent. Plures fuiſſe ex plurali ipſa voce colligi poſſe videtur. ILLISQUE EGRESSIS, STATIM PORTA CLAUSA EST. Hebr. *Et portam clauſerunt poſteaquam egreſſi ſunt perſequentes poſt eos*. Nonnulli Hebræorum intelligunt, Rahabæ familiares & domeſticos clauſiſſe portas tabernæ meritoriæ poſteaquam ſatellites regii inde ad inſequendos exploratores exierunt. Plerique alii de porta urbis accipiunt, ut indicet magnam cuſtodiam adhibitam in obſerandis portis civitatis hoſte in proximo ſedente, ut non niſi ad emittendos perſequentes apertæ ſint, illiſque emiſſis ſtatim clauſæ. Nonnulli, ut paulo ante vidimus, clauſas putant tunc, ne, ſi in urbe eſſent exploratores, elaberentur. Quidam notant, adiectum id, ut intelligeremus cur neceſſe fuerit Rahabam exploratores per feneſtram dimittere: nihil enim id opus fuiſſet, ſi tota nocte patuiſſent fores urbis. *Statim*. Hebr. *poſt ſecundum quod egreſſi ſunt*. Inuſitatus loquendi modus, quem varie elucidant: 1. *paulo poſtquam egreſſi ſunt*; 2. *quamprimum egreſsi ſunt*; 3. *poſtea, cum egreſsi iam eſſent*; 4. *poſt quemadmodum egreſsi ſunt*.

V. 8. NECDUM OBDORMIERANT QUI LATEBANT. Hebr. *Antequam autem dormirent*. Alii: *Cumque iſti nondum dormirent*. Quidam: *Porro antequam quieti ſe dediſſent viri illi*. Omnes fere intelligunt ſermonem hic eſse de exploratoribus, qui metu regiæ inquiſitionis anxii, eventum rei expectabant vigiles. Quidam tamen reddunt: *Illi autem nondum cubaverant*, id eſt cives Ierichuntini, qui nondum a murmure, & tumultu perquirendi exploratores ceſſaverant. Hunc ſenſum reſpuit Noſter, & cordatus quiſque. ASCENDIT AD EOS. Hebr. *Aſcendit ſuper eos*. Notant hoc genus loquendi curam, ſtudium, ſolicitudinem feminæ de illis intento animo cogitantis ſignificare.

V. 9. NOVI QUOD DOMINUS TRADIDERIT VOBIS TERRAM, &c. Hoc, & ſequentibus verſibus exprimit Rahab fidem ſuam divinitus inſpiratam, quam Paulus Hebræorum XI. verſ. 31. mirifice prædicavit: quæ quidem primum ex auditu hominum, ſed potiſſimum ex Spiritus ſancti impulſu eius cordi infuſa fuit: unde IHUH, verum & ſempiternum Deum & appellat, & invocat, eumque confitetur. ELANGUERUNT OMNES HABITATORES TERRAE. Hebr. addunt, *a facie veſtra*, id eſt ad veſtrum conſpectum, vel veſtra cauſa, propter præſentiam. Quidam, *metu veſtri*. Sic verſ. 11. & 24.

V. 10. MARIS RUBRI. Hebr. *maris Suph*: de quo cum cura diximus Exodi x. verſ. 19.

V. 14. ANIMA NOSTRA SIT PRO VOBIS IN MORTEM. Formula iuriſiurandi; quaſi dicant: Male diſpereamus, diræ omnes in nos veniant, capitale nobis ſit, exitium in capita noſtra imprecamur; Deus in nos morte vindicet; illum obteſtamur, ut a nobis iuris peierati capitalem pœnam ſumat, ſi vobis promiſſa non præſtiterimus, ſi fidem iuriſiurandi fefellerimus, aut violaverimus. Alii exponunt: Servabimus vos, etiam ſi nobis moriendum fuerit: ſi quis vos interficere voluerit, nos ipſi cum vitæ noſtræ etiam manifeſto periculo pro vobis dimicabimus, propriorum corporum obiectu vitam veſtram tutabimur: quod ſi evenerit, ut quiſpiam e vobis occidatur, capita noſtra ipſi devovemus, & proditionis crimen ultro ſubimus. Quidam reddunt: *Animas noſtras pro vobis morti devovemus*. Alii: *Anima noſtra loco veſtri ad moriendum eſto expoſita*. Non fuit id iuſiurandum, aut promiſſio contra legem Dei, Deuter. VII. verſ. 2. & 3. ibi vide. SI TAMEN NON PRODIDERIS NOS. Hebr. *Si non enuntiaveris verbum noſtrum iſtud*. Quidam vertunt: *Modo non detuleris hanc rem noſtram*. Explicant: Id eſt, id quod tecum pacti ſumus, nempe de teſſera quam dabimus de colligenda tota familia in domo tua, verſ. 18. id enim non prodi debere affirmant: nam ſi id reſcitum foret, ceteri cives ſimilibus uſi fuiſſent ſignis; vel in ædes Rahab irrupſiſſent, ut ſervarentur: nec potuiſſet conſervari Rahab, eiuſque familia. Vide infra verſ. 20. Ego hunc ſenſum numquam probavi. Nonnulli reddunt: *Modo ne prodatis negotium noſtrum*. Alii: *Si non enuntiaveritis ſermonem noſtrum hunc*, nempe quo pollicemur nos ſervaturos te,

&

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

& domum patris tui. Ipſe libentius, & aptius expoſuerim: Dummodo vos, ne metu periculi facti quod nos receperitis pœnitentes, pacta cum Rege ſalute, nos, totumque noſtrum explorationis negotium prodatis; unde & nobis privatim ultimum ſupplicium, & genti noſtræ, cognitis eius conſiliis, grave detrimentum creari poſſet. Nam etſi Ierichuntinus Rex intellexiſſet exploratores Hebræos in urbem ingreſſos, at maximo pretio redemiſſet eos in manus cepiſſe, & ab iis de ſtatu hoſtium plenius cognoviſſe.

V. 15. DOMUS ENIM EIUS HAEREBAT MURO. Id Latinis dicebatur *ſubmænium*, ubi ſub mænibus eſſe ſolebant lupanaria, & meretrices ibi habitantes appellabantur *Submænianæ*, apud Martialem Lib. I. epigrammate XXXV. & Lib. III. epigrammate XXVIII. & Lib. XI. epigr. LXII. & Lib. XII. epigram. XXXII.

V. 16. IBIQUE LATITATE. In verbo נחבתם *nachbethem* deficit, ſeu latet Aleph, ſeu He, radicalis verbi, fortaſſe ut maxime eis mulier latebras commendaret; quaſi dicat: Quam occultiſſime poteritis, latitate.

V. 17. INNOXII ERIMUS, &c. Heb. quidam reddunt: *Nos fidem noſtram liberabimus ab hoc iuramento, quo nos adegiſti*. Alii: *Inſontes erimus ab adiuratione tua hac, qua adiuraſti nos*: nimirum eſſe volumus, cum his duabus conditionibus quæ ſequuntur: Ne quis ſit extra domum; & ne quid reveles, ſeu prodas.

V. 18. FUNICULUS ISTE. תקות *tikuah*, aiunt ſignificare *funiculum*, ſic dictum a verbo קוה *kavah*. quod *expectare*, *applicare animum* ſignificat, quod funiculus alicui rei applicetur: aptius dicitur ab intenſione, quod funiculus intendatur & educatur: nam verbum *Kavah* proprie eſt *intendere in aliquid*. Alii ex ſignificatu Chaldaico, *textum*, *texturam* exponunt. Nec deſunt qui *chordam*; alii *lineam*: quidam volunt eſſe quod Hiſpanice vocamus *cordon*, vel *benda*: nonnulli *fimbriam*: aliqui *collectionem*, *congregationem*, *glomum*: ſic dictum a collectione fili. Quidam putant eſſe multiplex fluum, quale a feminis paratur, antequam in globulos, vel in aliam formam convolvatur: Hiſpanice, *Madexa de hilo*. Recentiores Græcorum Scriptores Theophylactus Simocatta, Nicephorus Calliſtus, Suidas, & alii, *metaxam* appellant, ſericum, quam nos Hiſpani *Madexa de ſeda* appellamus. De metaxa plura annotavimus in Antich. Lib. V. cap. VI. Haud abſurdam eorum coniecturam iudicamus qui eum funiculum non ipſius Rahabæ, ſed exploratorum fuiſſe autumant, qui eum Rahabæ dederint in feneſtra ponendum, quo id, utpote ſuum, & ab ipſis datum ſignum, certius cognoſcerent: fuiſſeque aliquid eiuſmodi, quale milites, exploratores, excubiæque deferre ſolent, pro inſigni, & teſſera, ut illa quæ ex ſerico varii coloris confici ſolent ad modum cingulorum, aut balteorum, quas Hiſpani vocant *bandas*, quibus potiſſimum homines militares uti ſolent. Nam qui aiunt, eumdem funem quo per feneſtram demiſſi ſunt exploratores, ab eiſdem mulieri iuſſum appendi pro ſigno, non admodum mihi probantur: nam ille videtur fuiſſe lineus, aut cannabeus. Equidem vox תקוה *tikuah*, plerumque in Scriptura ſignificat *expectationem*, *ſpem*, *fiduciam*, ut non aliene exiſtiment aliqui huic ſigno id nomen impoſitum metaphorice, quod tota ſpes ac fiducia ſalutis Rahabæ, ſuorumque in eo filo pependerit. Sic verſ. 21. COCCINEUS. De שני *ſchani*, plura diximus in Geneſ. XXXVIII. verſ. 27. & in Exodi XXV. verſ. 4. Hic *ſecundarium*, *iteratum*, *dibaphum*, ſeu *bis tinctum coccineum ſignificat*.

V. 19. SANGUIS IPSIUS ERIT IN CAPUT EIUS; id eſt, erit reus, & cauſa ſuæ mortis, cædeſque eius illi imputabitur: cædis ſuæ cauſa in caput eius recidet: culpa cædis penes eum erit: ſua culpa interficietur. Ita mox. SI EOS ALIQUIS TETIGERIT. Hebr. *Si manus erit in eo*. Quidam: *Si manus fuerit in eum iniecta*. Alii: *Si huic vis inferatur*: vel *ſi quis eum læſerit*. Aliter: *Si plaga illata fuerit ei*. *Manus* pro plaga, ut Exodi XIV. verſ. 31.

V. 21. APPENDIT FUNICULUM COCCINEUM, nimirum poſtea, cum commodum, & neceſſarium viſum eſt.

V. 23. QUAE ACCIDERANT SIBI. Hebr. *invenientia eos*; id eſt, quæ eos invenerant. Sive *evenientia ad eos*, vel *eis*; id eſt, omnia accidentia, ſeu quæcumque eis evenerant, ſeu acciderant.

* Videtur addendum *locus*, ut conſtet ſenſus.

ME-

Digitized by Google

MENOCHII.

Verſ. I. MISIT IGITUR IOSUE.... DUOS VIROS EXPLORATORES. Probabile eſt miſſos fuiſſe, durante adhuc luctu. Vide dicta cap. I. num. I. Olim Moſes Numerorum XIII. miſerat duodecim; ſed tunc omnia pacata erant, ac proinde minor ſuſpicionibus locus: nunc cautius agendum fuit. Duo miſſi, ut ſe conſilio, & mutua ope iuvarent. IN ABSCONDITO: ipſis etiam Iſraelitis ignorantibus: clam populo. CONSIDERATE TERRAM: non Chananæam totam, ſed proxima loca, in quæ populus ingreſſurus erat, ac nominatim Iericho. QUI PERGENTES, &c. Iordanem exploratores vel natatu transierunt, vel vadatione: nam Iordanis vada legimus Iud. III. 28. & cap. XII. 5. & ita fieri potuiſſe indicatur hoc cap. num. 7. cum dicitur: *Per viam quæ ducit ad vadum Iordanis*. Excubias Chananæorum non admodum intentas, facile fefellerunt, nam Ierichuntini in tanta hoſtium propinquitate metu ſoluti agebant, vel potius deſides, ſtulteque ſecuri. INGRESSI SUNT DOMUM MULIERIS MERETRICIS, NOMINE RAHAB. Negant aliqui fuiſſe meretricem, voluntque vocabulum Hebraicum ſignificare *cauponariam*, *hoſpitalariam*, vel, ut loquitur D. Auguſtinus Lib. XVIII. Civitatis cap. XVIII. *ſtabulariam*. Verius eſt fuiſſe meretricem, quod patebit alia loca Scripturæ, in quibus eadem vox occurrit, conſideranti. Hebraica vox eſt זנה *zonach*. ET QUIEVERUNT APUD EAM, manſerunt. LXX. κατέλυσαν, quod apud aliquem divertere, & morari ſignificat. Verti etiam poteſt, *dormierunt*.

V. 2. NUNTIATUMQUE EST REGI, eadem die qua appulerant exploratores, ut vult Serarius, vel ſequenti; ita ut noctem unam in domo Rahab dormierint, die ſequenti urbem luſtrarint, veſperi vero delati ſint, ut vult Caietanus.

V. 4. ABSCONDIT, in ſolario ſcilicet inter lini ſtipulas, ut dicitur num. 6. Solarium eſt ſuprema domus pars, ſoli expoſita: ea in Palæſtina modice declivis erat, ac fere plana, ut ibi ambulare liceret, & ſpatiari, & etiam veſtes ad ſolem expandere, &c. Lini ſtipulæ ſunt linum nondum ſtuppariis malleis ſubactum, & ab aceribus purgatum. Hebræus habet *lignum lini*, Septuaginta λινοκαλάμην dixit, *lini calamos*. NESCIEBAM UNDE ESSENT. Non una in re mentita eſt Rahab; ſed mendacium officioſum fuit, & culpa levis.

V. 6. IN SOLARIUM, &c. De hoc dictum numero præcedenti.

V. 7. PORTA CLAUSA EST, urbis ſcilicet, ne exploratores fugerent, ſi forte alicubi laterent; vel quia nox appetebat.

V. 8. NECDUM OBDORMIERANT, fortaſſe timore diſcuſſo, alioque ſatellitibus digreſſis, ſeſe ad quietem compoſuerant exploratores.

V. 9. NOVI QUOD DOMINUS TRADIDERAT VOBIS TERRAM. Noverat ex admirabilibus rebus quæ de Iſraelitis paſſim ſpargebantur, & illuſtratione divina: eius enim fides commendatur a D. Paulo ad Hebr. XI. 31. IRRUIT IN NOS TERROR VESTER, non naturalis tantum, ſed a Deo etiam immiſſus, quod promiſſum fuerat Levit. XXVI. 36. *Dabo pavorem in cordibus eorum, terrebit eos ſonitus folii volantis, &c.* ELANGUERUNT. Heb. *Liquefacti ſunt*, in modum ſcilicet nivis tabeſcentis, aut ceræ quam ſolvis ignis. LXX. habent verſic. 11. *Mente emoti ſumus*, ἐξέστημεν.

V. 11. DOMINUS ENIM DEUS VESTER, IPSE EST IN CAELO SURSUM, ET IN TERRA DEORSUM: immenſus eſt, omnia pervadit loca, & tam quæ ſurſum ſunt in cælo, quam quæ deorſum in terris, pro arbitratu ſuo moderatur.

V. 12. EGO MISERICORDIAM FECI VOBISCUM. Vox Hebraica חסד *cheſed* in Scripturis latiſſime patet, ut beneficentiam complectatur quæ in alios confertur, ſive meriti ſint, ſive immeriti, ſive miſeri, ſive non miſeri. DETIS MIHI VERUM SIGNUM: quod ubi vobis, veſtriſque monſtravero, vere ac certo tuta ſim ego, meique omnes.

V. 13. SALVETIS. Septuaginta ζωγρήσατε, *vivos capite, vivos ſervate*. ET ERUATIS ANIMAS NOSTRAS A MORTE: communi urbis excidio, & civium cæde eripiatis.

V. 14. ANIMA NOSTRA SIT PRO VOBIS IN MORTEM. Iurandi formula; quaſi dicant: Devovemus vobis animam noſtram ad mortem. Male nos perdat Deus

ſi ſi-

ſi fidem feſellerimus quam vobis damus. SI TAMEN NON PRODIDERIS NOS, ſed ſalvos dimiſeris, & nemini indicaveris nos hic latere, aut ſalvos fore, qui in domum tuam ſe receperint, ne forte nimis multi confluant, & vita indigni. MISERICORDIAM ET VERITATEM, ſincere agendo, & optima fide, & quæ promiſimus, ad unguem effecta dando.

V. 15. DEMISIT ERGO EOS PER FUNEM DE FENESTRA. Vox Hebraica כבל *chebel* ſignificat ſunem, non quemcumque, ſed fortem qui ex pluribus compoſitus eſt. Fuit vero ex ſerico, aut lino coccinei coloris: nam ille idem ſunis quo de feneſtra dimiſſi ſunt exploratores, idem in ſignum relictus, ut domui illi parceretur.

*V.*17. INNOXII ERIMUS: carebimus culpa, & pœnam non merebimur.

V. 18. FUNICULUS ISTE. Funis tenuis ex multis filis tenuibus complicatus, quamvis exilis ſit, ponderi tamen corporis humani ſuſtinendo par eſſe poteſt, ut experientia docet.

V. 19. SANGUIS IPSIUS ERIT IN CAPUT EIUS: ſuo vitio peribit. REDUNDABIT; quaſi dicant: Nos rei erimus homicidii. Chaldæus: *Culpa necis eius in caput noſtrum.*

V. 20. ERIMUS MUNDI, immunes: non tenebimur iuramento.

V. 21. APPENDIT FUNICULUM COCCINEUM IN FENESTRA. Statim appendit, fortaſſe ut videre poſſent exploratores modum quo, dum expugnanda urbs eſſet, penſurus eſſet; ſignumque illud apprime noſſent, nec ullus errori locus in re tanti momenti relinqueretur.

*V.*24. TRADIDIT DOMINUS OMNEM TERRAM HANC IN MANUS NOSTRAS. Quod iam futurum erat quaſi factum narrant, ob ſpem certiſſimam.

TIRINI.

Verſ. 1. MULIERIS MERETRICIS. An ergo proprie dictum ſcortum fuit Rahab? Negant quidam Rabbini, & cum his Lyranus, Vatablus, Pagninus, Arias Montanus, & Titelmanus *a*, qui nomine *meretricis*, *cauponariam*, vel *hoſpitam* intelligunt, quo modo etiam Chaldæus vertit. Ratio horum præcipua eſt, quod ſi ſcortum fuiſſet, numquam eam duxiſſet uxorem Salmon vir ampliſſimus, & tribus Iudæ princeps nobiliſſimus: multo minus voluiſſet Chriſtus *b* ex ea procreari. Sed veriſimilius eſt, fuiſſe publicum ſcortum, & forſan ex iis Sacris ſcortis quæ in honorem deorum, verbi gratia Lunæ, quæ in Iericho maxime colebatur, corporâ ſua proſtituebant, de quibus egi Deuter. XXIII. verſ. 17. Et quomodo alias tuliſſent parentes filiam ſuam adhuc iuvenculam, ſine marito, ſine liberis, ſeorſim extra domum paternam, iuxta urbis portam habitare; niſi & ſibi, & filiæ ſuæ id honorificum putaſſent, utpote in obſequium & cultum magnæ deæ? Quomodo item ſatellites regii tam facile fidem habuerunt verbis Rahab, neque irruperunt vi in domum; niſi quod revererentur illam tamquam ſacram? Ita Serarius, qui plurimis rationibus, & Patrum auctoritatibus id probat. Et certe Hebræum *zonach*, Græcum πόρνη, & Latinum *meretrix*, nonniſi in malam partem pro *ſcorto* ſumi ſolent. Ad factum Salmonis reſpondeo, eiuſmodi ſacra ſcorta non ſolere ex vilioribus eſſe, ſed ſæpe ex nobiliſſima ſtirpe, & opibus, & honore præcelluiſſe. Teſtes ſint Megarenſis illa Nicarete, & Argiva Bibliſtiche, & aliæ apud Athenæum, Villalpandum, & Martinum de Roa *c*. Quidquid vero ſordium ex hoc meretricio in cæca illa gentilitatis nocte contraxit, ſua ad Deum converſione totum eluit; & inſigni ſua in Hebræos exploratores (quorum forſan unus fuit hic Salmon) pietate, obſequio, ac fide, totum principis huius promerita fuit. Quod ſi Abydeni tantopere adlaborarunt ut meretrici, cuius indicio ſervitutem depulerant, gratiam referrent, teſte Athenæo; an mirum videbitur, etiam Iſraelitas, qui non minori a Rahab beneficio affecti fuerant, omni ſtudio conatos eſſe ſe gratos eidem exhibere? Pro Chriſto, reſpondet ſanctus Hieronymus *d*, in genealogia Salvatoris Scripturam non meminiſſe ſanctarum mulierum, ſed ſolum illarum quæ alicuius turpitudinis labe inſignes fuiſſent, verbi gratia Thamar, Rahab, Ruth, & Bethſabee: ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, ſe omnium peccata delere velle demonſtraret. Idem tradunt ſanctus Ambroſius, Chryſoſtomus, Euthymius, & alii.

V. 4.

Digitized by Google

V. 4. Nesciebam unde essent. Ioſeph Abbas apud Caſſianum *e*, Ioannes Calvinus, & David Cytræus volunt, Rahab hic ſæpius mentiri quidem, ſed non peccare: Tremellius, & Iunius Calvini aſſeclæ, ne quidem mentiri illam volunt, ſed quaſi de aliis qui ante ad ſe diverterant, loqui. Verum nimis aperta ſunt hic quatuor illius mendacia, quam ut celari, vel excuſari poſſint; minuta ſunt tamen & venialia, quia officioſa. Ita ſanctus Auguſtinus, Rupertus, *f* Abulenſis, Lyranus, & alii. Nam licet in temporalem perniciem, & proditionem ſuæ gentis mentiretur; tamen quia Dei ſeu revelatione, ſeu inſtinctu ſciebat gentem ſuam a Deo iam proſcriptam, & Hebræis deditam, certoque ab ipſis capiendam, ut patet verſ. 9. & 10. potuit huic Dei decreto cooperari; ac ſaltem ſe, ſuoſque parentes, amicoſque in tuto collocare voluit, fortiſſima fide, ac pietate pro Deo, pro Hebræis, pro parentibus morti ſeſe obiiciens: ad Hebræos XI. verſ. 31. Qua fide, ac pio fortitudinis, caritatis, & obedientiæ opere docet eam ſanctus Iacobus fuiſſe iuſtificatam, cap. II. ſuæ Epiſtolæ verſ. 25. Quomodo vero potuerit uno eodemque opere, qua parte malum fuit, Deum offendere, qua parte bonum, promereri mercedem, oſtendi in ſimili obſtetricum AEgyptiarum facto, Exod. I. verſ. 22.

(*a*) Titelman. in Matth. I. alii in hunc locum.
(*b*) Matth. I. verſ. 5.
(*c*) Athen. Lib. XIII. Villap. in Ezech. XLIII. cap. LXXIX. Martin de Roa Lib. II. Singular. cap. IX. & X. & Lib. III. cap. IX. &c.
(*d*) Hieron. in Matth. I.
(*e*) Caſſian. collat. XVII. cap. XVII.
(*f*) Auguſt. Lib. cont. mendacium, cap. XV. & XVII. Rupert. Lib. I. cap. XI.

G O R D O N I I.

Verſ. 1. EXploratur pars Chananææ proxima Iordani, in qua erat Iericho, quam deſcribit Ioſephus Lib. IV. cap. XXVII. Quando miſſi ſint exploratores, dixi ad cap. XXXIV. Deuteron. Ceterum Setim eſt ultima, & quadrageſima ſecunda manſio Hebræorum, השטים *havittim*. Aliter vocatur Belſetim. Nomina exploratorum non habet textus: de qua re, & aliis in hac hiſtoria quæſtionibus, ſere otioſe divinant quidam Interpretes. Exploratores tranſierunt Iordanem vado, non ponte, aut miraculo: habet enim vadum ex verſ. 7. *Rabab* רחב, ut paſſim docent Patres, non tantum fuit caupona, ſed etiam meretrix: Hebr. זונה, *zona*, *ſcortum*, *caupona*; Septuaginta γυναικὸς πόρνης: cuius fit mentio Matth. I. Nam Chriſtus peccatores redempturus, non abhorruit a parentibus vitio notatis, ex Hieronymo in illum locum.

V. 4. Multa hic quærunt Interpretes de mendacio, an poſſit eſſe licitum. Certe numquam licet mentiri, cum ſit intrinſece malum, ut Theologi ſatis oſtendunt. Vide ſupra Gen. cap. XXVII. & Exod. cap. I.

V. 6. Sciebat Rahab patriam ſuam eſſe a Deo adiudicatam Iſraelitis, & ipſa, quamvis dolens de everſione gentis ſuæ, ſibi conſulit, & conſentit in ſalutem exploratorum. Expende ergo, lector, in hoc mendacio, quantum ſit peccatum, ex his adiunctis, & Theologorum legibus. In solarium. Tecta in Palæſtina erant plana: ibi abſconditi ſunt exploratores ſub manipulis lini recens collectis, & ibi poſitis donec ſiccarentur.

V. 9. Elanguerunt omnes habitatores. Hebr. *Liquefacti ſunt*. Timorem populi ſui declarat, & cauſam memorat. Sed unde novit mulier interitum ſuorum? Dicam, ex revelatione. Et acceſſit etiam magna coniectura ex his quæ narrat ipſa verſ. 10.

V. 10. Sehon et Og. Vide Num. XXXIII. & Deuteron. cap. XX.

V. 11. Ipse est Deus in caelo sursum, & in terra deorsum. Ergo etiam in medio Deus: ergo ubique eſt. Hinc magnificus ſermo de Deo oſtendit (quod plures hic docent) factam revelationem huic mulieri de adiudicata terra Hebræis, ut vel hinc etiam videas eam minus peccaſſe in patriam. Spiritus hic intellige animales quibus ſentimus, movemur, & vivimus.

V. 12. Iurate mihi, &c. Quæſtio, an licite exploratores promittant impunitatem, cum Deus prohibuerit Num. XXXIII. & Deuter. XXX. concedi vitam Chananæis, & aliquot aliis nationibus? Occurrendum eſt, rem pendere ex intentione legiſlatoris, qui potuit voluiſſe ut populi hi delerentur rebelles Deo, & inimici populo electo; non tamen ſi eſſet ex illis qui opti-

me mereretur de populo Dei, & non rebellis divino decreto.

V. 18. Funiculus coccineus. De hoc vide ſupra Exod. xxv. In præſentia funiculus iſte, ſeu vitta coccinea, poteſt videri ipſum mulieris redimiculum rubrum. Septuag. *τὸ κόκκινον*. Heb. *linea corda fili coccinei*.

V. 19. Sanguis eius erit in caput eius; hoc eſt, ſibi erit mortis cauſa. Chald. *culpa necis illius in caput eius*.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 1. In abscondito; hoc eſt, neſcientibus hoc Iſraelitis.

V. 4. Abscondit, in ſolario inter lini ſtipulas, ex verſ. 6.

V. 14. Anima nostra, &c. Iurandi vim habent hæc verba.

V. 21. Probabile eſt ſtatim e feneſtra appenſum fuiſſe ſignum, ut locum, & feneſtram certo cognoſcerent exploratores.

CAPUT III.

Siccatum Dei miraculo Iordanem populus tranſit.

1. IGitur Ioſue de nocte conſurgens movit caſtra: egredienteſque
de Setim, venerunt ad Iordanem ipſe & omnes filii Iſrael,
& morati ſunt ibi tres dies. 2. Quibus evolutis, tranſierunt
præcones per caſtrorum medium, 3. & clamare cœperunt:
Quando videritis arcam fœderis Domini Dei veſtri, & ſa-
cerdotes ſtirpis Leviticæ portantes eam, vos quoque conſur-
gite, & ſequimini præcedentes: 4. ſitque inter vos & arcam
ſpatium cubitorum duum millium: ut procul videre poſſitis, & noſſe per quam
viam ingrediamini: quia prius non ambulaſtis per eam: & cavete ne appropin-
quatis ad arcam. 5. Dixitque Ioſue ad populum: Sanctificamini: cras enim fa-
ciet Dominus inter vos mirabilia. 6. Et ait ad ſacerdotes: Tollite arcam fœde-
ris, & præcedite populum. Qui iuſſa complentes, tulerunt, & ambulaverunt an-
te eos. 7. Dixitque Dominus ad Ioſue: Hodie incipiam exaltare te coram omni
Iſrael: ut ſciant quod (*a*) ſicut cum Moyſe fui, ita & tecum ſim. 8. Tu au-
tem præcipe ſacerdotibus, qui portant arcam fœderis, & dic eis: Cum ingreſſi
fueritis partem aquæ Iordanis, ſtate in ea. 9. Dixitque Ioſue ad filios Iſrael:
Accedite huc, & audite verbum Domini Dei veſtri. 10. Et rurſum: In hoc,
inquit, ſcietis quod Dominus Deus vivens in medio veſtri eſt, & diſperdet in con-
ſpectu veſtro Chananæum & Hethæum, Hevæum & Pherezæum, Gergeſæum quo-
que & Iebuſæum, & Amorrhæum. 11. (*b*) Ecce, arca fœderis Domini omnis ter-
ræ antecedet vos per Iordanem. 12. * Parate duodecim viros de tribubus Iſrael,
ſingulos per ſingulas tribus. 13. Et cum poſuerint veſtigia pedum ſuorum, ſa-
cerdotes * qui portant arcam Domini Dei univerſæ terræ, in aquis Iordanis,
aquæ quæ inferiores ſunt, decurrent atque deficient: quæ autem deſuper veniunt,
in una mole conſiſtent. 14. Igitur egreſſus eſt populus de tabernaculis ſuis, ut
tranſiret Iordanem: & ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pergebant ante
eum. 15. Ingreſſiſque eis Iordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis
(Iordanis autem ripas alvei ſui tempore (*c*) meſſis impleverat) 16. ſteterunt
aquæ deſcendentes in loco uno, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant
pro-

procul, * ab urbe quæ vocatur Adom uſque ad locum Sarthan: quæ autem inferiores erant, in mare ſolitudinis (quod nunc vocatur mortuum) deſcenderunt, uſquequo omnino deficerent. 17. * Populus autem incedebat contra Iericho: & ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini, ſtabant ſuper ſiccam humum in medio Iordanis accincti, omniſque populus per arentem alveum tranſibat.

(*a*) Sup. I. 5. (*b*) Act. VII. 45. (*c*) Eccli. XXIV. 36.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 12. *Parate duodecim viros de tribubus Iſrael*. Non eſt repetenda vox *duodecim*.

V. 13. *Qui portant arcam Domini Dei*. Non addas *fœderis*.

V. 16. *Ab urbe quæ vocatur Adom*. Ita ſcribendum eſt iuxta antiquos libros, vocalibus prima & quarta, *Adom*, non *Adam*, aut *Edom*.

V. 17. *Populus autem incedebat contra Iericho*. Non eſt mutandum nomen urbis *Iericho* in nomen fluvii Iordanem.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. DE NOCTE. Hebr. & LXX. *mane*. Chald. *in aurora*. MOVIT, ſcilicet die ſeptima Martii.

V. 2. PRAECONES. Hebr. & Chald. *præfecti*. LXX. *ſcribæ*.

V. 3. CLAMARE COEPERUNT. Hebr. Chald. & LXX. *Præceperunt populo, dicentes*.

V. 4. INTER VOS, &c. Aug. queſt. III. in Ioſ. *Iam illos nubes deſeruerat*.

V. 5. SANCTIFICAMINI; id eſt, parate vos per ſanctitatem, ſeu ſancte.

V. 7. DIXITQUE; pro, dixerat vero.

V. 12. PARATE, &c. Imperfecta ſententia, cap. ſeq. perficienda.

V. 13. DOMINI DEI. Hebr. & Chal. *Domini dominatoris*.

V. 15. TEMPORE MESSIS. Hebr. *omnibus diebus meſſis*. Chald. *omnibus diebus æſtatis*. LXX. *ut in diebus meſſis*.

V. 16. USQUE AD LOCUM. Hebr. *quæ eſt ex latere*. Chald. *quæ iuxta*. Nota, quod Noſter indicat ſic fuiſſe altas, ut ex urbe Adam conſpici poſſent. LXX. vero, uſque ad Adam receſſiſſe. Chald. autem, dilatatas fuiſſe uſque ad Adam urbem. QUOD NUNC VOCATUR MORTUUM. Hebr. Chald. & LXX. *mare ſalis*.

V. 17. ACCINCTI; quaſi dicant, parati, ſeu expediti.

ESTII.

V. 10. IN HOC SCIETIS .... QUIA DOMINUS DEUS VIVENS IN MEDIO VESTRI EST. Loquitur de miraculo mox futuro, tranſitus per Iordanem. Ex quo colligitur vera miracula in confirmationem erroris fieri non poſſe: alioqui enim non certo ſcirent ex hoc miraculo filii Iſrael Deum in medio ſui eſſe.

V. 15. IORDANIS AUTEM RIPAS ALVEI SUI TEMPORE MESSIS IMPLEVERAT: ſcilicet ut quotannis facere ſolebat, vi quadam occulta naturæ; quod etiam Eccleſiaſticus teſtatur cap. XXIV. his verbis: *Qui multiplicat quaſi Iordanis in tempore meſſis*: quamquam ibi de alio etiam fluvio dicitur: *Sicut Tigris in diebus novorum*. Collige quoque hinc, quod menſe primo meſſis erat in illa regione. Nam proximo capite dicitur, quod decimo die menſis primi populus aſcendit de Iordane: & cap. V. quod populus ſtatim poſt tranſitum Iordanem, celebravit phaſe, ſcilicet *decima quarta menſis primi ad veſperam*. Vide Exodi XIII. ubi primus menſis vocatur quoque menſis novarum frugum.

Digitized by Google

MARIANAE.

verſ. 1. DE NOCTE CONSURGENS MOVIT CASTRA. Hebr. *Mane conſurgens in diluculo moverunt caſtra*. ET MORATI SUNT IBI PER TRES DIES. Iuxta hanc lectionem non potuerunt traiicere Iordanem poſt dies tres a denuntiatione profectionis cap. 1. verſ. 11. Ego dicerem: *Morati ſunt ibi uſque ad diem tertium a denuntiatione*; non quod totos tres dies ibi hæſerint. Hebraica ſic: *Et pernoctaverunt ibi priuſquam transirent*. Ita una tantum nocte eo loco manſerunt. Rurſus ex alio principio: *Et fuit poſt finem trium dierum* (a denuntiatione illa) *transierunt*. Itaque *tres dies* non referantur ad manſionem in eo loco, ſed ad denuntiationem itineris: neque Vulgatæ verba ab hac ſententia diſcrepant.

V. 2. TRANSIERUNT PRAECONES. Vocem *Soterim* cap. 1. verſ. 10. vertit per *principes*, nunc per *præcones*. Quid ſi utrobique *præfectos* dicas?

V. 3. ET CLAMARE COEPERUNT. Hebr. *Et præceperunt populo, dicendo*.

V. 4. SITQUE INTER VOS ET ARCAM SPATIUM. Hebr. *Verumtamen ſit longitudo* (ſeu *ſpatium*) *inter vos & inter illam, quaſi duorum millium cubitorum in menſura*. Vox *in menſura* repetitio eſt longitudinis iam dictæ, ſive ſpatii: aut ſic, *in menſura*, id eſt iuſte. Vide Dei prudentiam, neqne ab arca multum recedere, neque illi appropinquare vult populum propter reverentiam.

V. 5. SANCTIFICAMINI. Hebræus per ſanctificationem intelligit præparationem tantum. Sic Chald. *Præparate vos, videbitis mirabilia*.

V. 8. PARTEM AQUAE IORDANIS. Hebr. *extremum aquæ Iordanis, in Iordane ſtabitis*, pro *ſtate in ea parte* (ut Vulgata) in quam ingrediemini.

V. 13. DECURRENT ATQUE DEFICIENT. Hebr. *Dividentur aquæ deſcendentes deſuper*. Sed *dividi* hic ſumitur pro *deficere*, ſicut & verſ. 16. ubi idem verbum ponitur in hac ſignificatione. Et quidem diviſio in omnibus interitum aſſert: ſic a ſignificatione dividendi ad ſignificationem deficiendi facilis transitus eſt. Chald. *Abſcindentur aquæ*. Ego ſic Hebraica verto: *Dividentur aquæ* (ſeu *deficient*) *deſcendentes* (Hieronymus *inferiores* dixit) *a ſuperioribus, & ſtabunt in cumulum*, ſcilicet ſuperiores: ſic Hebraica cum noſtra verſione conſentiunt, quæ de ſuperioribus tantum aquis videntur loqui.

V. 15. IORDANIS AUTEM RIPAS ALVEI SUI TEMPORE MESSIS IMPLEVERAT. Hebr. *Et Iordanis impleverat* (pro, ſe ſuperſuderat) *ſuper omnes ripas eius* (ſupple, ſicut) *omnibus diebus meſſis*. Ita Iordanis cum Nilo, Tigri, Euphrate, aliiſque multis commune habet, ut in æſtate redundet: magnum naturæ miraculum. Ex Seder Holam dicunt Hebræi Moyſem obiiſſe die ſeptimo menſis Adar, qui reſpondet Februario: & evolutis triginta diebus luctus, continuo Ioſue denuntiaſſe populo profectionem: & poſt dies tres, Niſan die decima (ut cap. IV. verſ. 19. dicitur) traieciſſe Iordanem. Qui ergo id factum tempore meſſis, ut noſtra lectio habet? niſi forte meſſis in illis regionibus citius provenit propter æſtum. Sept. dixerunt, *ut in diebus meſſis*; id eſt, tunc excreviſſe flumen, ut ſolet facere tempore meſſis: quæ lectio placet, & cum Hebraica ſatis conſentit.

V. 16. APPAREBANT PROCUL, AB URBE QUAE VOCATUR ADOM USQUE AD LOCUM SARTHAN. Hebr. *procul valde in Adam urbe, quæ ex latere Sarthan*. Itaque non dicit apparuiſſe, ſed potius intumuiſſe ad eam urbem in eo Iordanis latere ſitam, cui nomen *Sarthan*. Sed ſententia parum diſcrepat. (QUOD NUNC VOCATUR MORTUUM) DESCENDERUNT, ſcilicet aquæ inferiores in illud mare. Hebr. *mare ſalis*, pro ſalſum, ſic dictum, ut a mari Tiberiadis diſcernatur, quod fit ex aquis eiuſdem Iordanis. OMNINO DEFICERENT. Hebr. *Ad mare ſalis conſumptæ ſunt & defecerunt illæ aquæ Iordanis*: pro *defecerunt*, eſt verbum abſcindendi, de quo verſ. 13. eſt dictum. Porro *mare mortuum* vocatur, quia nihil in eo vivum reperitur: Hieron. Ioel 11.

V. 17. STABANT ..... IN MEDIO IORDANIS ACCINCTI. Hebr. *præparando*, ſeu *præparare*: ſed infinitivus ex linguæ proprietate ſumitur pro participio; id eſt, ſtabant præparati, quod Hieronymus dixit *accincti*, ſcilicet ad iter faciendum.

MAL-

Digitized by Google

MALVENDAE.

Verſ. 1. IGITUR IOSUE DE NOCTE CONSURGENS. Hebr. *Et diluculavit Ioſue in diluculo:* nimirum diei noni menſis primi, ſeu Niſan. Tradunt Hebræi, Moſen mortuum fuiſſe ſeptima die menſis Adar; & ſeptima die ſequentis menſis Niſan, nempe in fine triginta dierum luctus Moſis, Dominum allocutum Ioſuam; & eodem die indictam præparationem de tranſmittendo intra triduum Iordane, ſupra cap. I. verſ. II. quinta vero eiuſdem Niſan miſſos fuiſſe exploratores; octava autem ipſos reverſos fuiſſe: ac tandem nona die filios Iſrael profectos a Schittim, deveniſſe ad ripas Iordanis: cumque illic non plus ea nocte mansiſſent, decima illos die transiviſſe Iordanem, ut aperte dicitur infra cap. IV. verſ. 19. EGREDIENTESQUE DE SETIM, VENERUNT AD IORDANEM. Ioſephus: *Ab Abila* (nempe Abel Schittim) *ad Iordanem ſexaginta ſtadia caſtra promovit*. Aberat ergo Abel Schittim, ubi tum caſtra Ioſue habebat, a Iordane duas propemodum leucas. ET MORATI SUNT IBI TRES DIES. Hebr. *Et pernoctaverunt ibi antequam transibunt*. Quidam: *Et pernoctarunt*, vel *manſerunt ibi priuſquam traicerent*. Alii: *Pernoctaruntque ibi, nondum traiecerunt*. Iam fere omnes intelligunt non niſi una nocte pernoctaſſe Iſraelitas ad ripam orientalem Iordanis: illudque Noſtri, *Per tres dies*, commode accipiendum, nimirum poſt indictam præparationem commeatus, ſupra cap. I. verſ. II. ut ſequenti verſu.

V. 2. QUIBUS EVOLUTIS. Hebr. *Et fuit a fine trium dierum*, nempe a promulgato edicto ſeu mandato de præparando commeatu, cap. I. verſ. II. ut omnes iam interpretantur.

V. 3. QUANDO VIDERITIS ARCAM FOEDERIS DOMINI DEI VESTRI, ET SACERDOTES STIRPIS LEVITICAE PORTANTES EAM: ſubaudiendum verbum *Proficiſci*: Cum videritis arcam, & ſacerdotes portantes eam, proficiſci, atque præire. Notant eſſe elegantem ellipſin verbi ex membro proximo, ut Matth. II. verſ. 10. Num. XXII. verſ. 25. & 27.

V. 4. CUBITORUM DUUM MILLIUM. Hebr. addunt, *in menſura*. Quidam exponunt *menſuram* ſacram, vel regiam; ut intelligantur cubiti geometrici menſuræ ſacræ, & regiæ, de quibus III. Reg. VI. verſ. 2. & cap. VII. verſ. 15. quos obſervant communibus & vulgaribus cubitis duplo fuiſſe maiores. Alii reddunt, *Quaſi bis mille cubitorum notæ menſuræ*, id eſt communis, & apud omnes receptæ. Vide Numer. XXXV. verſ. 5. Atqui hoc ſpatio Hebræi definiunt ſabbati iter, de quo Actorum I. verſ. 12. uti nos latius in Antichriſto docuimus Lib. XI. cap. IX. Sed cur voluit Deus tanto intervallo arcam exercitum præcedere? Explanatores plurimas congerunt cauſas, quas apud ipſos vide: nobis ſatis in textu ea explicari videtur, ut præcedens arca, longe ſe, retro procedentibus agminibus dux itineris oſtentaret; tum etiam religionis, & venerationis ergo.

V. 5. DIXITQUE IOSUE AD POPULUM, ſcilicet eodem nono die menſis primi, quo pervenerunt ad Iordanem, pridie quam Iordanem traiicerent. Nam ſubdit: *Cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia*. SANCTIFICAMINI. Quidam reddunt: *Expiate vos; date operam ſanctitati*; id eſt, animis, corporibuſque pure, caſte, religioſe per operum & potentiæ Dei piam, ſanctamque meditationem comparate vos ad traiectionem. Quidam volunt hanc ſanctificationem factam ad præſcriptum illius Exod. XIX. verſ. 10. & 15. ut lavarent veſtimenta ſua, & ab uxoribus abſtinerent; tum etiam forte ut corpora lavarent. Alii reddunt, *Præparate vos*, ut non ad religionem hæc præparatio ſpectet, ſed ad vaſorum, aliorumque neceſſariorum collectionem, ut traiecturi parata, expeditaque omnia habeant. Rectius nonnulli ad utramque, & ad religionem, & ad convaſationem referunt; quaſi dicat: Animo, atque ſtudio omni ad miraculum intenti eſtote, precibus vacate; ſuppellectilem, ſarcinas, vaſa omnia præparate; promptos, agiles, expeditos vos præſtate, ne quid ſit impedimento, quo minus, qua hora Deus volet, traiiciatis. MIRABILIA. נפלאות *niphlaoth* (Hanc vocem elucidavimus Exodi III. verſ. 20.) iſta complectitur, *arduæ, excelſa, ſublimia, abſcondita, velata, ſeparata, ſupra humanum captum, ac vires, miracula*.

V. 6.

Digitized by Google

V. 6. ET AIT AD SACERDOTES, nimirum decimo die eiuſdem menſis, eodem quo tranſmiſerunt Iordanem.

V. 8. CUM INGRESSI FUERITIS PARTEM AQUAE IORDANIS, STATE IN EA. Hebr. *In veniendo vos uſque ad extremitatem aquarum Iarden, in Iarden ſtabitis.* Plerique viri doctiſſimi *extremitatem* iſtam, intelligunt non priorem ipſam ingredientibus, ſed poſteriorem, hoc eſt ulteriorem, adverſam, occiduam Iordanis ripam, toto iam permeato alveo, & emenſa tota fluminis latitudine verſus Iericho: iubentur enim traiicere totam alvei latitudinem, ſed non omnino extra alveum egredi, ſed manere & conſiſtere in poſtrema alvei parte, citra ripam occiduam, & adverſam. Ceterum qui hiſtoriam traiectionis hoc capite, & ſequente, verbis præſertim Hebraicis explicatam attente inſpexerit, veriſimilius reputabit mandari hic ſacerdotibus, ut, quamprimum ad citeriorem, & orientalem Moabiticos campos reſpicientem Iordanis ripam, ipſis priorem, pervenirent, alveum ingreſſi, in primo ſtatim alvei, citerioris ripæ limine conſiſterent. Vide infra verſ 15.

V. 10. IN HOC, INQUIT, SCIETIS. Alii: *In hac re cognoſcetis*, nimirum quam exprimit verſ. 11. & ſequentibus: nempe quod Iordanem ſicco vado vos tranſmittet, eiuſque aquas ſiſtet tamdiu, dum univerſus populus tranſiverit. DISPERDET IN CONSPECTU VESTRO CHANANAEUM, ET HETHAEUM, &c. Paulus Actor. XIII. verſ. 19. *Et deſtruens gentes ſeptem in terra Chanaan*. Septem quoque gentes memorantur Deuter. VII. verſ. 1. at Geneſ. XV. verſ. 19. numerantur decem. Plerique conciliant, in Deuteronomio, & hic numerari tantum gentes quarum poſſeſſiones Ioſue Iſraelitis diſtribuerit in arctiores terminos terræ promiſſæ, id eſt quæ non erant ultra Labo Hamath, ſeu Introitum Hamath; at in laxioribus limitibus ad Euphratem uſque includi decem gentes. At ſi Cinæi ad Amalekitas vel Philiſthæos, & Cenezæi ad Idumæos pertinent, ut Geneſ. XV. verſ. 19. annotavimus; nihil ii commune habent cum terminis ultra Hamatham verſus Euphratem. Vero propenſius fuerit, in Deuteronomio, & Ioſue recenſitas præcipuas & maiores gentes terræ promiſſæ; in Geneſi additas tres minutiores. Non penitus ſpernenda eorum coniectura qui eos, qui Gen. XIV. verſ. 5. Geneſ. XV. verſ. 20. vocantur Raphaim, eſſe eoſmet qui hic, & Deuteron. VII. verſ. 1. dicuntur Hevæi: quamvis Raphaim plurimi gigantes eſſe malint.

V. 11. ECCE ARCA FOEDERIS DOMINI OMNIS TERRAE ANTECEDET VOS. Quia voci הַבְּרִית בְּרִית *berith, fœderis*, affigitur regius accentus Zakeph, qui maxime ſiſtit vocem, ac diſtinguit, nolunt plerique *berith* eſſe in regimine, exponuntque: *Ecce arca fœderis, Dominator univerſæ terræ præit vobis*. Arcam enim ſæpius in Scriptura appellari Deum, quod in ea Deus præſentiam ſuam exhiberet, notant e Num. X. verſ. 35. & 36. & Pſal. CXXXI. verſ. 8. & ſequentibus. Vel *ecce arca fœderis, Dominator univerſæ terræ, qui reſidet in* arca, *antecedet vos*. Alii, propter regimen ſubaudiunt iterum vocem *arcæ*: *Ecce arca fœderis, arca Dominatoris univerſæ terræ tranſit ante vos per Iardenem*. Arca dicitur Dominatoris terræ, quod tam memorabili facto oſtenderit Dominum ſuum imperare univerſæ terræ.

V. 12. PARATE DUODECIM VIROS. Hebr. *Accipite, ſumite vobis duodecim viros*; id eſt, ſeligite ad eum finem qui narratur infra cap. IV. verſ. 2. & ſequentibus. Alii diverſos hos faciunt ab illis cap. IV. verſ. 2. & hos tamquam duces, qui populum traiicientem præcederent, & arcam pone comitarentur, delectos volunt.

V. 13. AQUAE QUAE INFERIORES SUNT, DECURRENT ATQUE DEFICIENT: QUAE AUTEM DESUPER VENIUNT, IN UNA MOLE CONSISTENT. Hebr. *Aquæ Iarden exſcindentur: aquæ deſcendentes de ſuperne, & ſtabunt cumulus unus*. Verbum *exſcindentur* exponunt quidam, *ſcindentur, intercidentur, diſcindentur, diſſecabuntur*: nimirum fiet diſciſſio aquarum, & aquæ ſuperioris alvei deſcendentes ſtabunt cumulo uno; aquæ vero inferioris alvei decurrent in lacum Aſphaltitem, & vada nudabunt. Alii verbum *exſcindentur* ſumunt pro *auferentur, perdentur, abolebuntur, deficient*; id eſt, aquæ inferiores deficient, prono curſu in mare mortuum dilabentur, & vada nuda, totumque inferiorem fluminis alveum ſiccum relinquent; ſuperiores vero deſcendentes, in tumulo uno conſiſtent. Utrumque ſenſum

ſum fert verbum כרת *carath*, eodem ferme recidentem ; ſed hic poſterior firmatur e verſ. 16.

V. 15. IN PARTE AQUAE TINCTIS. Hebr. *Intincti ſunt in extremitate aquarum*. Vides hic nimium aperte ut *extremitas aquarum* intelligatur prioris & cirerioris ripæ ingredientibus Iſraelitis : alioqui ſi de adverſa & occidua extremitate eſſet ſermo, non ſtetiſſent aquæ niſi tranſmiſſis ſacerdotibus in adverſam extremitatem alvei : & ſic oportuiſſet eos cum arca per medias undas traiicere. Vide ſupra verſ. 8. Quamprimum enim ſacerdotes ingreſſi ſunt aquas Iordanis, pedeſque in iis tinxerunt, aquæ inferiores cucurrerunt, & ſuperiores in tumulum conſtitere, & totus alveus, ſeu vadum aquis nudatum fuit. Qui aliter exponunt, vim inferunt ſacris verbis. IORDANIS AUTEM RIPAS ALVEI SUI TEMPORE MESSIS IMPLEVERAT. Non tantum id tunc contigiſſe, ſed quotannis fieri ſolitum, ex fluminis natura apparet, ex I. Paralip. XII. verſ. 15. & Eccleſiaſtici XXIV. verſ. 36. Ariſtæas de LXXII. Interpretibus, ſeu ſi quis alius eſt auctor: *Fluvius iſte Iordanis, perinde ut Nilus, circa tempora meſſis exundans multum terræ irrigat*. Aiunt tunc exundare ſolitum, e viribus Libani ſolutis, & e pluviis ſerotinis, de quibus Deuteron. XI. verſ. 14. Quidam hunc locum reddunt : *Iarden autem erat plenus ultra omnes ripas ſuas toto tempore meſſis*. Alii : *Iordanis autem inundat ſuper totas ripas ſuas per omnes dies meſſis*. Nonnulli : *Eſt autem Iarden plenus, ſuperans omnes ripas ſuas omnibus diebus meſſis*. Aliqui : *Solet enim Iordanis ſuper omnes ripas ſuas cunctis diebus meſſis effundi*. Meſſem hic quidem hordeaceam capiunt, quæ menſe primo, id eſt Niſan, qui partim noſtro Martio, partim Aprili correſpondet, fieri ſolet. S. Auguſtinus quæſt. III. in Ioſue : *Iordanis autem plenus erat per totam crepidinem ſuam, ſicut in diebus meſſis tritici. Hoc incredibile videtur regionibus noſtris : ibi autem, ſicut perhibent qui noverunt, initio veris eſt meſſis*. Et in AEgypto auctor eſt Plin. Lib. XVIII. cap. VIII. meſſem incipere paulo ante Kalend. Aprilis, & peragi Maio. Vide Levit. XXIII. verſ. 10.

V. 16. APPAREBANT PROCUL AB URBE QUAE VOCATUR ADOM USQUE AD LOCUM SARTHAN. Hebr. diverſimode reddunt. I. *Longinquando, elongando, longe, vel procul, abeſſendo valde ab Adam civitate, quæ ad latus Tzarthan*; ut ſit ſenſus: Accumulatæ aquæ inſtar montis elongaverunt ſe retro in longum valde ſpatium, ab urbe Adam, quæ non longe a Sarthan ſita erat, & forte prope utramque erat locus quo tunc Iſraelitæ tranſmittebant : ut terminum tantum a quo, & non ad quem longiſſimi illius aquarum acervi expreſſerit : quo poteſt reduci ſenſus Noſtri. II. *Elongando ſe valde in Adam urbe, quæ* ſita eſt *ad latus Tzarthan* ; id eſt, cumulus ille aquarum elongabat ſe, ſive protendebatur longo admodum tractu, novis continue ſupervenientibus aquis, uſque ad civitatem Adam, quæ erat prope Tzarthan: ut hæ duæ urbes terminus ad quem præfigantur longi illius aquarum agminis in cumulum aggerati. Sic autem illæ aquæ in tumulum erant toto illo tractu exaggeratæ, ut extra ripas a lateribus non defluerent. Aliæ Hebræorum interpretationes frigent. Sacri Topographi divinant in collocandis his urbibus Adam, & Tzarthan, & pro ſuo tantum arbitratu eorum ſitum deſcribunt. Adam fortaſſe non alia videtur ab Adami tribus Naphthali, de qua infra cap. XIX. verſ. 33. quod non probant alii, cum tribus ea ſupra mare Tiberiadis eſſet : quo cumulus iſte aquarum pertingere non poterat. De Sarthan vicina Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis, hæc tantum: *Sarthan, quæ eſt ad radices Iezrael* : Iezraelem vero inter Scythopolim & Legionem fuiſſe iidem Euſebius, & S. Hieronymus docent. Situm Sarthan prope Iezrael, & Bethſan, id eſt Scythopolim, deſcriptum habes III. Reg. IV. verſ. 12. & cap. VII. verſ. 46. Dictam *Tzererath* Iudicum VII. verſ. 22. & *Tzeredathah* mutato Reſch in Daleth ſimillimam litteram, III. Reg. XI. verſ. 26. plerique aſſirmant : ſeu ut II. Paralipom. IV. verſ. 17. dicitur *Tzeredathah*. In tribu Ephraim fuiſſe, atque prope ſtagnum Geneſareth, nonnulli obſervaverunt ; ut ingenti miraculo, arcæ divinæ præſentia aquæ retroactæ ſenſim in tumulum creverint uſque ad Geneſaram lacum ; ſic tamen ut, quamvis alte ſupra riparum crepidines extarent, hinc inde non effluerent, ſed tamquam

gelu

Digitized by Google

gelu concretæ rigerent, & non amplius quam alvei ſui ſpatium occuparent: atque ita fuiſſe unam aquarum molem, non quidem in latum, ſed in longum intra alvei crepidines incluſam, in altum mire exaggeratam, a loco ipſo traiectus uſque ad mare Tiberiadis; quod ſpatium haud levi coniectura aſſequi poſſumus fuiſſe 24. milliarium Italicorum, plus minuſve, aut ſex Hiſpanicarum leucarum: unde non dubium, tantum miraculum plurimos ex circumiectis urbibus teſtes habuiſſe. IN MARE SOLITUDINIS. De voce ערבה *gharabah* diximus Numer. XXII. verſ. 1. Vertunt, *Mare campeſtris regionis*, ſive *arvorum*; id eſt, ubi arva quondam fuerant, & prata amœniſſima. Ante inundationem Pentapolis dicebatur *vallis ſidim*, id eſt *arvorum*, *camporum*, Geneſ. XIV. verſ. 3. quanta fuerit amœnitas, & præſtantia eorum locorum, inſignite deſcribitur Geneſ. XIII. verſ. 10. Alii, *Mare planitiei*, *ſolitudinis*, *deſerti*, Arabiæ. QUOD NUNC VOCATUR MORTUUM. Hanc appellationem Hebræus textus non habet, ſed eſſe antiquiſſimam perinde ac eius cauſas, conſtat. Ariſtoteles Lib. I. Meteorologicorum, cap. III. *Quod ſi in Palæſtina ſit, ut quidam ferunt, lacus eiuſmodi, in quem ſi a quoquam homo vinctus, aut iumentum iniiciatur, per ſumma natat, nec aquis mergitur*, &c. *Aiunt enim adeo amarum, ſalſumque eſſe lacum, ut piſcis nullus innaſcatur*: & Lib. II. de Plantis, cap. II. *Naturaliter in mari mortuo non mergitur animal, neque gignitur*. Diodorus Siculus Lib. II. num. 92. *Aqua grave olens & amara; ut nec piſces, nec aliud familiare aquis animal ibi nutriri queat*. Eadem habet Lib. XIX. num. 724. Plinius Lib. V. cap. XXVI. *Aſphaltites nihil præter bitumen gignit: unde & nomen: nullum corpus animalium* (vivum) *recipit: tauri, camelique fluitant. Inde fama nihil in eo mergi*. Solinus cap. XXXVIII. *Animal non habet: nihil in eo immergi poteſt. Tauri etiam, camelique impune ibi fluitant*. Cornelius Tacitus Hiſtor. V. *Neque vento impellitur, neque piſces, aut ſuetas aquis volucres patitur*. Pauſanias Eliacorum Lib. II. num. 153. *Hoc ipſum mare, quod mortuum dicitur, diverſa admodum natura a ceteris aquis eſt: in eo enim viventia, etiamſi nihil ſe moveant, ſupernatant: inanima vero omnia in ima deſcendunt: eo ſit, ut piſcibus orba ſit palus: e manifeſto enim periculo ſe piſces ad aquas recipiunt naturæ ſuæ congruentes*. Egeſippus Lib. IV. Excidii, cap. XVIII. *Ex Aſphaltite, quæcumque mergenda putaveris viventia, reſilire opinio eſt, & quamvis vehementer alliſa, ſtatim excuti. Aqua ipſa amara eſt & ſterilis, nihil recipiens generis viventium: denique neque piſces, neque aſſuetas aquis, & lætas mergendi uſu patitur aves*. S. Iſidor. XIII. Originum, cap. XIX. *Lacus Aſphaltites, idem & mare mortuum vocatum, propterea quod nihil gignit vivum, nihil recipit ex genere viventium. Nam neque piſces habet, neque aſſuetas aquis, & lætas mergendi uſu patitur aves*. S. Beda Libello de Locis Sanctis, cap. XII. *Mortuum autem mare appellatur, quod nihil recipiat generum viventium, neque piſces, neque aſſuetas aquis aves; tauri, camelique fluitent. Denique ſi Iordanis imbribus * piſces illuc influens rapuerit, ſtatim moriuntur, & pinguibus aquis ſupernatant. Lucernam accenſam ferunt ſupernatare ſine ulla converſione; extincto demergi lumine*. Hoc poſtremum tradunt quoque Egeſippus, & Iſidorus. Sed cum primis Tertullianus in Sidonia:

> *Nec mare vivit ibi, mors eſt maris illa quieti*
> *Quod nullus animat per anhela volumina fluctus,*
> *Quodque nequit proferre aliqua de gurgite gentem*
> *Squamiferam*, &c.

Iacobus Vitriacus Hiſtoriæ Ieroſolymitanæ cap. LIII. *Mare mortuum dicitur plerumque etiam mare diaboli, eo quod nihil vivum in eo generatur, nec aliquid vitam habens in eo ſubmergi poteſt*. Facile ex his diſces cur Mare mortuum appellatum fuerit. Ceterum Hebræa hic, *Mare ſalis*, ponunt: cur autem ita appellatum fuerit, Gen. IV. verſ. 3. explicavimus. USQUEQUO OMNINO DEFICERENT. Hebr. *Conſumptæ ſunt, exciſæ ſunt*. Notus Hebraiſmus, cum duo verba ſine coniunctione ponuntur, alterum eorum adverbiaſcere; pro, penitus, prorſus, omnino exſciſſæ ſunt; id eſt, effluxerunt, & lacu Aſphaltite diſperierunt velociſſime, tamquam ſi repente fuiſſent diſſectæ gladio: ut Iob VI. verſ. 17. hæc metaphora adhibetur.

V. 17. POPULUS AUTEM INCEDEBAT CONTRA IERICHO. Hebr. *Et populus*

pulus

Digitized by Google

pulus transierunt e regione Iericho. Recte quibuſdam annotatum, hanc pericopem adiectam, ut intelligamus, quamvis vada inde a loco traiectus uſque ad Aſphaltitem aquis dilapſis nudata fuiſſent, & totus alveus pertransiri poſſet, toto illo ſpatio, quod a cumulo recedentis aquæ ad mortuum uſque mare patebat; tamen multitudinem omnem non tumultuoſe ac temere, qua cuique lubitum eſſet, verum ſervato ordine transiviſſe, qua arca præceſſerat; & recta contendiſſe Iericho urbem regiam, quam primam Ioſue expugnare cupiebat. Notant quidam; hunc locum, quo traiecerunt filii Iſrael, poſtea ab eventu appellatum *Bethabarah*, id eſt *domum*, vel *locum traiectus*, Ioan. 1. verſ. 28. ubi Ioannes baptizabat: nam baptizaſſe Ioannem eo loco, eccleſia, vel ſacellum in honorem Ioannis ibidem extructum teſtatur, cuius meminere duo Brocardi Monachi, & Anſelmus Minorita, & plerique alii deſcriptores terræ ſanctæ. Quidam in Ioan. 1. verſ. 28. non *Bethabarah*, ſed *Bethania* legendum contendunt, quæ Hebraice potuit ſcribi cum Aleph, & ſic *locum naviculæ*, ſeu *cymbæ*, aut *ſcaphæ* ſignificat, quod ibi navicula eſſet, aut linter ad traiiciendum: & potuit etiam cum Ghain, & tunc *locum depreſſionis* deſignat: nam nec deſunt qui tradant, eam Iordanis partem quæ Ierichunta e regione ſpectabat, ceteris ampliorem, atque profundiorem fuiſſe. Nec piam eorum coniecturam reſpuerim qui obſervarunt, divino factum conſilio, ut locus ubi primum ſacer baptiſmus a Chriſto inſtitutus eſt, tam celebri miraculo transitus Iſraelitarum adumbraretur. Sed de Bethabarah, aut Bethania aſſatim tibi ſuppeditabunt Evangeliorum Explanatores. IN MEDIO IORDANIS. Fortaſſe iam a prima alvei ripa, quam cum primum attigerant, aquæ ceſſerant, ſacerdotes in medium alvei proceſſerant, ibique ſteterant immoti, quouſque omnis populus transiret. Alii, *In medio Iordanis*, interpretantur *in alveo*, vel *intra alveum Iordanis*: voluntque ſacerdotes intra ipſum alveum iuxta ripam adverſam inſtitiſſe, neque in eam conſcendiſſe, priuſquam multitudo univerſa evaſiſſet in Chananæam. Sed prior ſenſus eſt rectior. Vide ſupra verſ. 8. & 15. Plerique, *Intra alveum*, quocumque tandem loco ſubſtiterint. ACCINCTI. הכן *bachen*, formam habet infinitivi Hiphil. Hebræi, & plerique noſtrorum notant ſumi pro participio paſſivo, cui omnia illa ſubſint, *conſtituti*, *ſtatuti*, *parati*, *firmi*, *ſtabiles*, *conſtantes*, *recte diſpoſiti*, *instructi*, *ordinati*, *præparati*: intelligo, induti, & ornati ſacro ſolemnique apparatu pontificali, auguſta, & venerabili ſpecie, tanti miraculi quaſi adminiſtri, & vades: vel *recti*, *firmi*, *conſtantes*; id eſt, ſtabant fixi, firmique, & certa ſtabilique ratione diſpoſitis pedibus nixi, intento animo, & propoſito ex alveo non recedendi, quouſque omnis populus traiiceret. Alii הכן *bachen* pro adverbio accipiunt, exponuntque, *Sic*; quæ particula magnam vim habet, ut Latinum *Sic*: Ioan. IV. verſ. 6. *Sedebat ſic ſuper fontem*: id eſt, ſicut erant; ut cœperant, ut primum conſtiterant. Vel *recte*, *firmiter*, fixo pede, ſtabili veſtigio, immoto niſu, vel ex induſtria, data opera, ſtudioſe in alveo ſubſtiterant, expectantes ut omnis populus tranſmearet. Plerique, *parando*, *apparando*, *præparando*, nimirum ſua, & arcæ præſentia, multitudini commodam traiectionem, animando populum, & ſecurum eum reddendo ad traiiciendum: ſua enim illa mora aquas deſcendentes refrenabant: vel *diſponendo*, *inſtruendo*, *ordinando*, videlicet populum, ut compoſite, & ordinate transiret, admonendo eum, ut compoſitis & inſtructis paſſibus pie ac religioſe tantum miraculum venerarentur.

* Videtur addendum *auctus*.

MENOCHII.

V. 1. DE NOCTE CONSURGENS. Nox hic eſt antelucanum tempus, quod noctis quidem extremum eſt, ſed tenebricoſum adhuc, & admodum matutinum: hoc enim eſt quod LXX. vertere ſolent ὀρθρίζειν, & Lucæ XXI. 38. dicitur *manicare*. DE SETIM. Aberat Iordanis 60. ſtadiis a Setim: octo ſtadia unum milliare Italicum conficiunt. MORATI SUNT IBI TRES DIES. *Ibi*, id eſt in Setim, & Iordanis ripa: nam ad Iordanem una tantum nocte manſiſſe, ea ſcilicet quæ conſecuta eſt diem qua eo appulerant, patet ex textu Hebræo, in quo ſic habemus: *Venerunt ad Iordanem ipſi*,

& omnes filii Iſrael, & pernoctarunt ibi antequam tranſirent, & factum eſt a fine trium dierum, & tranſierunt præcones, &c. Ita Serarius, Maſius, Caietanus, & alii.

V. 2. Quibus evolutis, in utroque ſcilicet loco, & poſt eorum dierum promulgationem cap. I. factam. Precones. Eadem vox, quæ cap. I. num. 10. redditur *principes populi*, hic vertitur *præcones*. LXX. habent γραμματεῖς, *ſcribæ*.

V. 3. Sacerdotes stirpis Leviticae portantes eam. Ordinarie arcam ferebant levitæ, ex lege Levitici Num. IV. 15. poterant tamen, ſi vellent, ferre ſacerdotes. Id quater factum reperitur in Scriptura. I. hoc cap. III. infra cap. VI. I. Par. XV. & II. Reg. XV. 29. Sequimini praecedentes, eos ſcilicet qui arcam præferebant.

V. 4 Spatium cubitorum duum millium. Servando quidem diligenter quantum potuit, diſtantiam, morali tamen modo; alioqui nimium fuiſſent anxii in ea metienda: & in Heb. eſt, ut etiam in Chald. *circiter duo millia cubitorum*.

V. 5. Sanctificamini: parate vos per ſanctitatem, ſeu ſancte: forta ſe etiam ſignificatur, ut purificent ſe, veſtes lavent, ab uxoribus abſtineant: hunc enim ſanctificationis modum præſcriptum videmus, cum in monte Sina lex promulgata eſt Exodi XIX. 10. & 15. Cras enim faciet Dominus mirabilia inter vos, ſiſtendo lapſum fluminis, &c.

V. 6. Tollite arcam. Ioſue ſacerdotibus imperat, quia ſpiritu prophetiæ agebatur, & quia a Deo expreſſe, ut ita faceret, iubebatur: legimus enim num. 8. *Tu autem præcipe ſacerdotibus*, &c.

V. 7. Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel. Nihil enim adhuc, quod ſupra naturæ ordinem admodum videretur, per ipſum fecerat Dominus, facturus deinceps.

V. 8. Cum ingressi fueritis partem aquae Iordanis, state in ea. Partem Iordanis intelligit medium, ipſum medium fluvii alveum. Vide cap. IV. num. 10.

V. 9. Accedite huc. Videtur tunc Ioſue in medio caſtrorum fuiſſe, ibique populi concionem convocaſſe.

V. 10. Dominus Deus vivens. Vita ex actione, ac motu potiſſimum agnoſcitur: dicitur ergo Deus vivens, quia ſua efficientia omnia moderatur, & gubernat; & potiſſimum quia cultorum ſuorum neceſſitatibus adeſt, illiſque opem fert. In medio vestri est: vobis adeſt ut auxiliator.

V. 12. Parate duodecim viros. Hi duodecim iidem ſunt cum iis de quibus initio ſequentis capitis, ad hoc delecti ut lapides ex Iordanis alveo tollant. Alii probabiliter putant delectos eſſe, ut ſacerdotes portantes arcam comitarentur. Ita Caietanus, & Magalianus.

V. 13. Sacerdotes qui portant arcam. Sacerdotes, quia ex alia ſtirpe quam Aaronica eſſe non poterant, tunc ad ſummum fuiſſe circiter viginti quatuor putat Serarius hic. Duo ſatis erant ad ferendam arcam, & probabile in hoc tranſitu Iordanis Eleazarum fuiſſe, & Ithamar, Aaronis filios, vel Eleazarum, & Phinees eius filium.

V. 15. Tempore messis, *triticeæ*, ut habent Septuaginta, quæ non, ut apud nos, menſe Iunio fit in Palæſtina, ſed Aprili exeunte, aut Maio ineunte. Vide Plin. Lib. XVIII. cap. XVIII. hoc de AEgypto affirmantem. Iordanis autem ripas alvei ... impleverat. Imbres rari in Palæſtina duobus tamen anni temporibus decidebant, tempore ſcilicet ſementis, quam temporaneam pluviam Scriptura appellat, & circa tempus meſſis, quam vocat ſerotinam. Serotinæ ergo pluviæ aquis turgebat Iordanis. Alia etiam cauſa fluminis incrementi afferri poteſt, quod vere ſolvantur nives Libani, ex quo fluit Iordanis.

V. 16. Apparebant procul. Aquæ ſe porrigebant a traiectionis loco uſque Adom, & tumor ille inſtar montis habebat, ac proinde a longe aſpiciebatur. Vel ſenſus eſt: Aquæ ita intumuerunt ut ex urbe Adom, & Sarthan cumuli illi videri poſſent. Ab urbe quae vocatur Adom. Hanc urbem collocat Adrichomius in tribu Ruben, non procul ab orientali Iordanis ripa paulum ultra torrentis Carith, auſtraliorem in Iordanem influxum. Maſius Tiberiadis ſtagno vicinam eſſe ait. Sarthan. Adrichomius inter urbem iam dictam, & inter Bathabaram ponit. Maſius longe ſuperius Aquilonem verſus. Mare solitudinis. Hebr. *mare ſalis*. Dicitur etiam mare mortuum, quod aqua in eo ſit craſſa, & iners.

Num.

Num. xxxiv. appellatur *mare ſalſiſſimum*. A noſtro Interprete hic bene dicitur *mare ſolitudinis*, quia circumiacens terra ſterilis, graveolens, & viroſa eſt, ideoque deſerta, & ſolitaria.

V. 17. SUPER SICCAM HUMUM. Vel enim Iordanis alveus arenoſus, & glarea plenus erat, ideoque ſtatim poſt aquarum defluxum aridus; vel divina virtute factum eſt ut plane ſiccaretur, & facilis tranſitus abſque pedum inquinatione Iſraelitis pateret. ACCINCTI, parati, expediti. OMNISQUE POPULUS PER ARENTEM ALVEUM TRANSIBAT. Magna diei pars tranſeundo abſumpta eſt, præſertim cum maxima fuerit multitudo Iſraelitarum, & proſelytorum, & lapides bis duodeni, alii excipiendi, alii ſtatuendi in fluminis alveo. Serarius putat una aut altera poſt meridiem hora tranſitum abſolutum fuiſſe.

TIRINI.

Verſ. 4. SITQUE INTER VOS ET ARCAM SPATIUM CUBITORUM DUUM MILLIUM, ſeu pedum trium millium. Hoc ſpatium erat *iter ſabbati*, Act. 1. inquit Ioſephus, Clemens Alexandrinus *a*, Oecumenius, Theophylactus, & ex his Suidas.

Petes: Cur tantum voluit Deus intereſſe ſpatium ſeu intervallum? Reſpondeo. Primo, ut honos ipſi arcæ, ſacerdotibuſque ipſius baiulis a populo maior eſſet. Secundo, ut Deus, qui per arcam deſignabatur, omnibus palam faceret, ſua ſolius potentia ſiccari Iordanis alveum, & ingreſſum in Palæſtinam patefieri; ſe nullius egere auxilio, aut præſentia; nullum quoque timere mortalium, etſi ſolus præcederet, &c. Tertio, ut Hebræi viam qua gradiendum eſſet, viderent eminus, non ſimpliciter, ſed cum admiratione, animorum exultatione, divinæque maieſtatis veneratione, & de prædicatione. Quarto, ne quis laicorum ſe ſacerdotalibus officiis ullo modo iungeret. Quinto allegorice, ut ſignificaret quam procul a Chriſti per arcam deſignati perfectione ac præſtantia nos homuli & peccatores abſimus.

Petes ſecundo, an columnam nubis non amplius habuerint itineris ſui ducem? Reſpondeo cum Auguſtino, Abulenſi, Hugone, Caietano, & Serario, non amplius habuiſſe; ſed illam quaſi iam perfunctam officio ſuo, quo in invio deſerto deſervierat Hebræis, ipſos ad Iordanem deſeruiſſe. Myſtice, in veri Ioſue ſeu Ieſu Chriſti principatu nulla amplius eſt nubes, nulla caligo.

V. 5. SANCTIFICAMINI. Exterius lotione veſtium, & ſecubitu ab uxoribus: hunc enim ſanctificationis externum ritum præſcripſerat illis Deus Exod. xix. verſ. 10. & 15. interius vero firma fide, certaque ſpe obtinendorum a Deo quæ ipſe promiſerat. Hanc enim rationem cur ſanctificari eos velit, dat continuo Ioſue: CRAS ENIM, inquit, FACIET DOMINUS INTER VOS MIRABILIA.

V. 15. IORDANIS RIPAS ALVEI SUI IMPLEVERAT TEMPORE MESSIS; puta hordeaceæ iam matureſcentis: erat enim iam decimus dies Niſan, qui noſtro fere Martio reſpondet, cum Iordanem tranſirent *b* Hebræi.

Nota. Sicut Nilus, & Tigris, ita etiam Iordanis exundare ſolet, ut dicitur Gen. xiii. verſ. 10. Et hic quidem menſe Martio, ob nives quæ ſub id tempus e vicinis montibus liquatæ defluunt. Elegit vero Deus traiectui Hebræorum tempus iſtud exundationis, ut tanto maius & patentius eſſet miraculum. *Steterunt* ergo *aquæ* Iordanis quæ a capite fontis defluxerant, *in loco uno*, ſeu tumulo uno, puta a *Bethabara*, id eſt a domo, ſeu loco traiectus Hebræorum, uſque ad urbem *Adom* (Hebraice *Adam*) *quæ eſt a latere Sarthan*; hoc eſt, ex eodem ſita eſt Iordanis latere urbs ignota *Adam*, ex quo notior *Sarthan*; puta circa mare Tiberiadis, ſeu ad lacum Genezareth. Intumuit ergo, & immotus ſtetit Iordanis fere a mari mortuo, uſque ad mare Galilææ, hoc eſt per viginti circiter milliaria: *retento impetu aquarum*, inquit Theodoretus, *inſtar montis intumeſcentium*; *quia terminum ponebat aquis ipſe aquarum opifex*, *qui quovis adamantino muro fortius ipſas retinebat*.

Nota. Hoc eodem loco, quo Hebræi tranſierunt ſicco veſtigio Iordanem, baptizavit poſtea Ioannes, puta in *Bethabara*, Ioan. 1. verſ. 28. ſic enim ibi, pro *Bethania* legendum volunt Chryſoſtomus, Epiphanius *d*, Theophylactus, OEcumenius, & plures alii. Scilicet, ut quo loco bapti-

priſmus prodigioſo Hebræorum tranſitu primum fuerat adumbratus, eodem quoque perficeretur a S. Ioanne, & Chriſto. Ideoque multi quoque Chriſtiani, teſte S. Hieronymo, (e) voluerunt poſtea eodem in loco ſacris baptiſmi aquis renaſci. De mari mortuo, de mari Galilææ, ſeu Tiberiadis, ſeu ſtagno Genezareth, vide quæ dixi Gen. XIX. & Num. XXXIV.

(a) Ioſeph. Lib. XX. Antiquit. cap. VI. Clem. Lib. V. Stromat.
(b) Ioſue IV. verſ. 19.
(c) Theod. quæſt. I.
(d) Epiph. hæreſi XXXV.
(e) Hieron. in Locis Heb.

GORDONI.

Verſ. I. IOSUE DE NOCTE CONSURGENS, &c. בבקר *baboker, mane*: certe in aurora, ſeu confinio noctis. Unde Latinus Interpres vertit, *De nocte*. Notavi autem cap. ult. Deuteron. hunc tranſitum incidiſſe in diem decimum menſis primi. En iam ſolitas noctes, ceſſante nube, poſt mortem Moſis. EGREDIENSQUE DE SETIM, &c. De hoc loco, & ſtatione iam dixi cap. II. verſ. I.

V. 5. SANCTIFICAMINI: CRAS ENIM FACIET DOMINUS .... MIRABILIA. Hæc ergo dicta ſunt nono die primi menſis, ut notavi: nam in diem decimum incidit tranſitus, ex cap. IV. verſ. 19. *Sanctificamini*, inquit Ioſue; hoc eſt, deſtinate vos ritu ſolito ad cultum Dei: viſuri cras eſtis Dei in ſtupendo miraculo maieſtatem.

V. 8. PRAECIPE SACERDOTIBUS, QUI PORTANT ARCAM FOEDERIS, &c. Levitarum erat portare arcam, Num. IV. hic tamen adhibentur ſacerdotes ob rei magnitudinem.

V. 10. IN HOC SCIETIS, &c. Docet Ioſue populum ex hoc miraculo ſperare victoriam contra Chananæos. De hac aquarum diviſione lege Ioſephum Lib. V. Antiquit.

V. 15. IORDANIS AUTEM RIPAS SUI ALVEI TEMPORE MESSIS IMPLEVERAT. De hoc fluvio dixi Num. cap. XXXIV. Huius tranſitus tempus erat meſſis hordeaceæ, nimirum, ut dixi, die decimo primi menſis.

V. 16. MARE MORTUUM. Intumeſcebant aquæ inter oppida Adom (Septuaginta *Adami urbem*) & Sarthan. Pars inferior devolvebatur in mare mortuum, quod ſalſiſſimum vocatur Num. XXXIV. olim dum ſtaret Pentapolis, vallem Sodomorum irrigabat Iordanis. Vide Gen. XIII. Multa de diviſione Iordanis Ioſephus Lib. V. Antiquit.

V. 17. Ter diviſus miraculo Iordanis: hic quidem ſemel, & IV. Reg. II. tum ab Elia, tum ab Eliſeo. Quotannis tempore meſſis inundatio aquarum Iordanis proveniebat ex liquefactis Libani nivibus.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. I. SETIM diſtabat a Iordane. Poſt moram trium dierum venitur ad Iordanem, nono die menſis primi.

V. 3. SACERDOTES. Levitarum erat portare arcam; aliquando tamen id faciebant ſacerdotes, quamvis raro.

V. 5. MIRABILIA: quia ſiſtet aquas fluminis.

V. 15. IMPLEVERAT, forte ſolutis nivibus Libani.

V. 17. Magna pars diei in tranſitu conſumpta eſt.

CA-

C A P U T IV.

Duodecim lapides de Iordane ſiccato ad poſterorum memoriam colliguntur, aliique duodecim in ipſo Iordanis alveo ſtatuuntur.

1 QUibus tranſgreſſis, dixit Dominus ad Ioſue: 2. Elige duo-
decim viros ſingulos per ſingulas tribus: 3. & præcipe eis,
ut tollant de medio Iordanis alveo, ubi ſteterunt pedes ſa-
cerdotum, duodecim duriſſimos lapides, quos ponetis in lo-
co caſtrorum, ubi fixeritis hac nocte tentoria. 4. Vocavit-
que Ioſue duodecim viros, quos elegerat de filiis Iſrael, ſin-
gulos de ſingulis tribubus, 5. & ait ad eos: Ite ante arcam
Domini Dei veſtri ad Iordanis medium, & portate inde ſinguli ſingulos lapides
in humeris veſtris, iuxta numerum filiorum Iſrael, 6. ut ſit ſignum inter vos:
& quando interrogaverint vos filii veſtri cras, dicentes: Quid ſibi volunt iſti la-
pides? 7. reſpondebitis eis: Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domi-
ni, cum tranſiret eum: idcirco poſiti ſunt lapides iſti in monumentum filiorum
Iſrael uſque in æternum. 8. Fecerunt ergo filii Iſrael ſicut præcepit eis Ioſue, por-
tantes de medio Iordanis alveo duodecim lapides, ut Dominus ei imperarat,
iuxta numerum filiorum Iſrael, uſque ad locum in quo caſtrametati ſunt, ibi-
que poſuerunt eos. 9. Alios quoque duodecim lapides poſuit Ioſue in medio Ior-
danis alveo, ubi ſteterunt ſacerdotes, qui portabant * arcam fœderis: & ſunt ibi
uſque in præſentem diem. 10. Sacerdotes autem, qui portabant arcam, ſtabant
in Iordanis medio, donec omnia complerentur, quæ Ioſue, ut loqueretur ad po-
pulum, præceperat Dominus, & dixerat ei Moyſes. Feſtinavitque populus, &
tranſiit. 11. Cumque tranſiſſent omnes, tranſivit & arca Domini, * ſacerdoteſque
pergebant ante populum. 12. Filii quoque Ruben, & Gad, & dimidia tribus
Manaſſe, * armati præcedebant filios Iſrael, (a) ſicut eis præceperat Moyſes:
13. & quadraginta pugnatorum millia per turmas, & cuneos, incedebant per plana
atque campeſtria urbis Iericho. 14. In die illo magnificavit Dominus Ioſue co-
ram omni Iſrael, ut timerent eum, ſicut timuerant Moyſen, * dum adviveret.
15. Dixitque ad eum: 16. Præcipe ſacerdotibus, qui portant arcam fœderis, ut
aſcendant de Iordane. 17. Qui præcepit eis, dicens: Aſcendite de Iordane.
18. Cumque aſcendiſſent portantes arcam fœderis Domini, & ſiccam humum
calcare cœpiſſent, reverſæ ſunt aquæ in alveum ſuum, & fluebant ſicut ante
conſueverant. 19. Populus autem aſcendit de Iordane, decimo die menſis pri-
mi, & caſtrametati ſunt in Galgalis contra orientalem plagam urbis Iericho.
20. Duodecim quoque lapides, quos de Iordanis alveo ſumpſerant, poſuit Ioſue
in Galgalis, 21. & dixit ad filios Iſrael: Quando interrogaverint filii veſtri cras
patres ſuos, & dixerint eis: Quid ſibi volunt lapides iſti? 22. docebitis eos, at-
que dicetis: Per arentem alveum tranſivit Iſrael Iordanem iſtum, * 23. ſiccante
Domino Deo veſtro aquas eius, in conſpectu veſtro, donec traſiretis: 24. (b) ſicut fe-
cerat prius in mari rubro, quod ſiccavit donec tranſiremus: 25. ut diſcant omnes

ter-

Digitized by Google

terrarum populi fortiſſimam Domini manum, ut & vos timeatis Dominum Deum veſtrum omni tempore.

(*a*) Num. xxxii. 28. (*b*) Exod. xiv. 21.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 9. *Arcam fœderis*. Non adiicias *Domini*.

V. 11. *Sacerdoteſque pergebant*. Antiqui libri habent *ſacerdoteſque*, non *ſacerdotes quoque*.

V. 12. *Armati præcedebant filios Iſrael*. Non eſt huius loci, quod alii adiiciunt, *fratres ſuos*.

V. 14. *Dum adviveret*. Ita legunt Sixtina Biblia ex antiquis codicibus, unam vocem *adviveret*, pro duabus *adhuc viveret*.

V. 23. *Siccante Domino Deo veſtro aquas eius in conſpectu veſtro, donec tranſiretis*. Secundæ perſonæ non ſunt mutandæ in primas, *noſtro*, *noſtro*, *tranſiremus*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. DIXIT; pro, dixerat vero. Nota, quod hæc uſque ad *vocavitque*, per parentheſin legenda.

V. 4. VOCAVITQUE; pro, tunc vocavit.

V. 6. SIGNUM, ſcilicet rei factæ hoc loco. CRAS, id eſt futuro tempore: ſic infra.

V. 9. IN MEDIO, id eſt intra: ſic infra.

V. 10. ET DIXERAT EI MOYSES, ſcilicet ut populum inſtrueret.

V. 13. QUADRAGINTA PUGNATORUM MILLIA ... INCEDEBANT, ſcilicet ex iis qui proxime dicti ſunt.

V. 19. MENSIS, ſcilicet Niſan, qui reſpondet noſtro Martio, quamquam interdum etiam Aprili. CONTRA, pro ad.

ESTII.

Verſ. 9. ALIOS QUOQUE DUODECIM LAPIDES POSUIT IOSUE IN MEDIO IORDANIS ALVEO. Quæritur quid opus fuerit præter duodecim lapides repoſitos in loco caſtrorum, etiam hos erigere in ipſo Iordane? Quod ad litteram attinet, voluit Ioſue apud poſteros relinqui multiplicem memoriam beneficiorum Dei patribus exhibitorum. Et propterea intelligendum eſt, quod lapides iſti in Iordane erecti tam magni erant, ut ſuper aquas extarent. Nam alioqui pro ſigno eſſe non poterant, ſi conſpici non poſſent.

Myſtice autem ſignificantur duo Teſtamenta. Nam duodecim lapides priores repoſiti ſunt in Galgalis, ubi populus circumciſus eſt, quo ſignificatur vetus Teſtamentum. Circumciſio enim ſignum eſt fœderis inter Deum & populum veterem. Poſteriores autem lapides in Iordane poſiti ſunt, in quo Chriſtus baptizatus eſt, & proinde baptiſmum ſignificat, qui ſignum eſt, & ſacramentum novæ legis. Igitur duodecim lapides priores ponuntur in loco circumciſionis, ut teſtes veteris Teſtamenti, & ſignificant duodecim patriarchas; poſteriores vero duodecim lapides ponuntur in loco baptiſmi, ut teſtes novi Teſtamenti, & ſignificant duodecim Apoſtolos, novi Teſtamenti præcones.

MARIANAE.

Verſ. 1. DIXIT DOMINUS; pro, dixerat Dominus. Iam enim cap. III. verſ. 12. Ioſue præcepit, ut illi duodecim viri, de quibus agit, ſeligerentur; atque adeo Dominus dixerat illi. Porro a verbo *dixit*, uſque ad vocem *tentoria*, per parentheſin legatur.

V. 4. DUODECIM DURISSIMOS LAPIDES, ſcilicet tollant ii viri ad id ſelecti. Hebr. *Præparare duodecim lapides*; ſed infinitivus eſt loco participii *præparatos*. Sed qui-

Digitized by Google

quidam id conſtruunt cum voce præcedenti, *Ubi ſteterunt pedes ſacerdotum præparatorum*: ſic Pagninus. Alii cum ſequenti voce *lapides*; quaſi dicat: Tollite paratos lapides, id eſt obvios, qui in flumine iacent: ſic ſept. *ἑτοίμους*: idque placet.

V. 6. ET QUANDO INTERROGAVERINT VOS FILII VESTRI CRAS, id eſt in poſterum, futuro tempore, quando interrogaverint vos. Sic etiam verſ. 21. *Qui ſibi volunt lapides iſti?* Reſpondebitis.

V. 7. DEFECERUNT. Hebr. *Exciſæ*, vel *diviſæ ſunt aquæ Iordanis*. Sed vox Hebraica, *deficere* etiam ſignificat, ut paulo ante dictum eſt.

V. 9. ALIOS QUOQUE DUODECIM LAPIDES POSUIT. Hebr. *erexit*: ſic verſ. 20. ſed הקים *hekim* bene reddi poteſt per *ſtatuit*, *poſuit*. Sacerdotes ſtabant in flumine, donec

V. 10. OMNIA COMPLERENTUR, QUAE IOSUE, UT LOQUERETUR AD POPULUM, PRAECEPERAT DOMINUS; quaſi dicat: Donec complerentur verba Ioſue: ſed per *verba* intellige quæ fieri mandavit, non quæ docuit. Tunc enim novæ doctrinæ tempus non erat.

V. 18. FLUEBANT SICUT ANTEA CONSUEVERANT, ſcilicet aquæ Iordanis. Hebr. *Abierunt ſicut heri & nudius tertius ſuper omnes ripas ſuas*. Hieronymus ſententiam expreſſit.

V. 19. POPULUS AUTEM ASCENDIT DE IORDANE DECIMO DIE MENSIS PRIMI. Sic omnes. Porro menſis primus Niſan eſt. Unus Gotth. *decimo menſe die primo menſis* habet, vitioſe hauddubium. CONTRA ORIENTALEM Hebr. *in fine* (pro, in plaga, in latere) *orientis Iericho*: vel *contra*, pro ad, orientalem plagam urbis Iericho caſtrametati ſunt.

V. 23. SICCANTE DOMINO DEO VESTRO AQUAS EIUS IN CONSPECTU VESTRO, ſcilicet populus Iordanem tranſiit. Sept. *noſtro* poſuerunt priori loco. poſteriori *in conſpectu eorum*. Porro verbum *ſiccavit* Hebr. eſt in coniugatione Hiphil, ut oſtendat magnopere ſiccaſſe: ea eſt enim vis eius coniugationis. Sic quidam Hebræus ait.

MALVENDAE.

Verſ. 1. QUIEUS TRANSGRESSIS, DIXIT DOMINUS AD IOSUE. Plerique ab his verbis, *Dixit Dominus ad Ioſue*, uſque ad integrum verſum 3. incluſive, hyperbaton eſſe volunt, ut infra verſ. 12. quod huic libro admodum familiare eſſe obſervant, illudque parentheſi includunt, hoc modo: *Fuit autem, cum abſolverent tota gens traiicere Iordanem (quia edixerat Iehova Iehoſuæ, dicendo*, & cetera quæ ſequuntur uſque ad verſ. 4. deinde ſequatur verſ. 4. *Ut vocaret Ioſue duodecim illos viros, quos ſtiterat e filiis Iſrael*, &c. ut tota parentheſis, ſeu hyperbaton referendum ſit ad ea quæ poſita ſunt ſupra cap. III. verſ. 12. Alii, bis idem præceptum exiſtimant, ibi, & hic. Nonnulli, ibi eſſe prolepſim; hic ſuo loco mandari. Quidam ibi rem ſuo in loco, & ordine narratam, hic iterum narrari paulo fuſius & explicatius, & nova mandata addi. Aliqui tamen diverſos ſtatunnt hos duodecim viros ab illis cap. III. verſ. 12. illos quidem delectos principes, ac duces tribuum, qui populum in traiectione antecederent; hos vero robore & viribus modo præſtantes, ut grandes lapides e fluminis alveo tollere, & per aliquot milliaria ferre poſſent. Quam expoſitionem quanto magis conſidero, aptius mihi cum verbis ſacris contextus Hebraici, & noſtri Vulgati convenire videtur.

V. 3. DUODECIM DURISSIMOS LAPIDES. Hebr. *apparare duodecim lapides*: infinitivus הכין *hachin*, idem qui ſupra cap. III. verſ. 17. Quidam pro participio paſſivo accipiunt, & ad ſacerdotes referunt: *Ubi ſteterunt pedes ſacerdotum præparatorum, duodecim lapides*. Explicavimus ſupra, quomodo dicti ſint ſacerdotes ſtetiſſe in flumine parati. Alii pro participio activo ſumunt, & ad ſacerdotes etiam referunt, *ſacerdotum parantium*; id eſt, qui parabant multitudini commodam traiectionem. Nonnulli pedibus ſacerdotum tribuunt: *Ubi ſtant ſacerdotum pedes firmi, parati, fixi, ſtabiles*. Satius eſt retinere infinitivum, hoc ſenſu: *Tollite vobis de hinc, de medio Iordanis alveo, de loco ubi ſteterunt pedes ſacerdotum, ad præparare*, vel *parare, duodecim lapides*; id eſt, tolli-

te

Digitized by Google

te duodecim lapides ad præparare, vel præparandum eos; videlicet in eum uſum qui ponitur infra verſ. 20. Hiſpanice ſignificanter diceremus: *Tollite de loco ubi ſtant pedes ſacerdotum apparare, apariar, aparejar, duodecim lapides*. Poſſet verbum הכין *Bachin*, pro participio paſſivo captum, ad lapides referri, *paratos, apparatos, duodecim lapides*, id eſt aptos, idoneos fini deſtinato. Noſter ad ſenſum, *fortiſſimos* dixit: & proprie *firmos*, vel *firmatos*, *conſtantes*, *ſtabiles*, id eſt ſolidos, duros. Poſſis vertere *inſtructos*, *ordinatos*, *diſpoſitos*. Forte ut æquali, & recto ordine eos poſitos avellerent; ut ſolent in vadis fluminum ordine lapides conſtitui per intervalla, ut commodus traiectus ſit. S. Beda Libello de Locis Sanctis, cap. x. *Duodecim lapides, quos Ioſue de Iordane tolli præceperat, in Eccleſia Galgalis facta, altrinſecus iuxta parietes eiuſdem iacent: vix ſinguli nunc duobus viris elevabiles, quorum unus, neſcio quo caſu, fractus, ſed ferro mediante recontunctus eſt*. UBI FIXERITIS HAC NOCTE TENTORIA. Hebr. *Quo pernoctabitis in eo, nocte*. Quidam exponunt, *nocte* videlicet ſequenti: nam cum veriſimile ſit magnam diei partem in traiectu tantæ multitudinis conſumptam, difficile videtur reliqua parte diei potuiſse eos conficere 44. vel 50. ut vult Ioſephus, ſtadia uſque ad Galgalam, ubi pernoctaverunt. Sed potior eſt Noſtri auctoritas, eadem nocte quæ proxime ſecuta eſt tranſitum, caſtrametatos in Galgala: quod etiam Leo Iudas, Tremellius, & Iunius, ac Interpres Hiſpanicus ſequuntur.

V. 4. QUOS ELEGERAT. Eſt hic etiam verbum הכין *hechin*, ac diverſimode reddunt: *Quos paravit, præparavit, conſtituit, decrevit, ordinavit, diſpoſuit, ſtitit*.

V. 7. USQUE IN AETERNUM. S. Auguſtinus quæſt. IV. *Quoniam æternum aliquid ſignificabant ii lapides, cum ipſi æterni non eſſent. Vel uſque in ſæculum, quod non eſt conſequens, ut intelligatur æternum*. Sed vide Commen. in Geneſ. XVII. verſ. 8.

V. 9. ALIOS QUOQUE DUOCECIM LAPIDES POSUIT IOSUE IN MEDIO IORDANIS ALVEO. Facile crediderim ingentes aliquos lapides fuiſse iſtos inſtar pilarum, quos in fundo fluminis defigi curaverit Ioſue, qui facile vim aquarum ſuſtinerent, & capitibus ſuper aquas extarent, præſertim humiliore alveo, incedente flumine. ET SUNT IBI USQUE IN PRAESENTEM DIEM. Plerique hanc pericopem exiſtimant non a Ioſue poſitam, ſed a Samuele, vel Eſdra, qui libros veteris Teſtamenti concinnavit: non enim Ioſue de eo quod ipſe ſtatuiſset, ita loqui poterat ut diceret, ſtetiſse ad præſentem diem. Id ego non inficior, ut alias in Geneſi obſervavi de Libris Moſaicis. Sed cum Ioſue ſpiritu divino ſuum librum conſcriberet, potuit de longiſſimo poſt tempore vaticinari. Ad hæc circiter vitæ ſuæ extremum condens hunc librum poſt ſeptemdecim annos ab hoc facto, haud abſurde dicere potuit, *Uſque in præſentem diem*. Quidam Hebraiſmum eſse volunt, *Uſque in hanc diem*, id eſt immutabili, & perpetuo ſtatuto, ſive in perpetuum. S. Auguſtinus, Lib. VI. Locutionum in Ioſue, hanc phraſim in Scripturis frequentem, interpretatur de his rebus quæ non ita conſtitutæ ſunt ut poſtea mutentur ab iis qui conſtituerunt; quaſi dicat, deinceps, impoſterum, in futurum, in perpetuum, ſtatuto immobili, & perpetuo. Sic infra cap. v. verſ. 9.

Diſquirunt aliqui, quamdiu in Iordanis alveo ii lapides manſerint. Nonnulli aiunt manſiſſe uſque ad tempora Ioannis Baptiſtæ: atque de iis eum intellexiſſe, cum in Iordane baptizans diceret, Matth. III. verſ. 9. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis*, ſcilicet Iehoſuanis, *ſuſcitare filios Abrahæ*. Id quod putarunt Remigius Monachus, Petrus Comeſtor, Iacobus Vitriacus, Anſelmus, Albertus Magnus, Lyranus, Toſtatus. Mirum viros cordatos eiuſmodi ineptiis commotos! In Prato ſpirituali Ioannis Moſchi, cap. XI. hæc leguntur: *Abbas Hagiodulus, cum tranſiret iuxta Iordanis ripas, ſecum animo & cogitatione volvebat, quid actum fuiſſet de lapidibus iniectis a Ieſu Nave; pro iis quos inde ſuſtulerat. Cumque iſta cogitaret, confeſtim hinc & hinc diviſæ ſunt aquæ. Tunc vidit illos duodecim lapides: proſtratuſque humi, gratias egit*. Verum hæc æſtimet quiſque ut libuerit.

V. 10. ET DIXERAT EI MOYSES. Hebr. *iuxta omnia quæ præceperat Moſeh ipſi Iehoſuæ*. Nihil ullibi legitur Moſes mandaſſe Iehoſuæ de ratione traiectus, aut de lapidibus duodecim aſportandis,

aliſ-

Digitized by Google

aliiſque duodecim defigendis. Quidam generalia tantum mandata, & monita de obtemperando, & fidendo divinis verbis intelligunt, quibus Moſes ſub vitæ finem Iehoſuam inſtruxit Deuteron. III. verſ. 28. Alii, ea præcepta eſſe putant quorum ſumma continetur Numer. XXVII. 21.

*V.*12. ARMATI PRAECEDEBANT FILIOS ISRAEL. Hebr. *quintati*, *ante facies filiorum Iſrael*. Quidam intelligunt, hos præceſſiſſe in primo agmine ante reliquum exercitum; ſed Hebraicum לפני *liphne*, recte plerique accipiunt pro *coram*, *in conſpectu*, *ad facies*, id eſt ſimul cum eis, adiuncti eis comites, ſuo tamen loco, & ordine in exercitu, qui præſcribitur Numer. II. & X. Illud Noſtri, *Præcedebant*, vel eſt incedebant inter fratres ſuos; vel promptitudinem, & alacritatem qua ſociis anteibant, & præcellebant, deſignat. Vide cap. I. verſ. 14. SICUT EIS PRAECEPERAT MOYSES, Num. XXXII.

*V.*13. ET QUADRAGINTA PUGNATORUM MILLIA. Hinc clare liquet non omnes Rubenitas, & Gaditas, & omnem dimidiam tribum Manaſſe profectos cum fratribus ſuis in expeditionem Chananaicam. Nam in poſtremo ſenſu Num. XXVI. nomina ediderunt: Rubenitarum, *quadraginta tria millia*, *ſeptingenti triginta*, verſ. 7. Gaditarum, *quadraginta millia*, *quingenti*, verſ. 18. Manaſſitarum, *quinquaginta duo millia*, *ſeptingenti*, verſ. 34. omnes 136930. bellatores; cum tamen ex tanto numero non iverint niſi 40000. Vide ſup. cap. I. verſ. 14. & Num. XXXII. verſ. 17. PER TURMAS, ET CUNEOS, INCEDEBANT. Hebr. *Extracti*, *expediti*, *militiæ*, *transierunt ad facies* IHUH, *ad bellum*. Quidam: *Succincti militari more tranſierant ante Dominum ad bellum*. Hic perſpicue interpretantur, *ante Dominum*, id eſt in conſpectu Domini, eodem ſenſu quo Geneſ. X. 9. Nemrod dicitur *robuſtus venator coram Domino*, ut inſignis præſtantia roboris, & alacritatis illorum ſociorum commendetur; aut ut ſpectabilis ordo, illuſtris, ſtructaque pulchre acies, qua illi procedebant, deſignetur: quod Noſter explicavit illis verbis, *Per turmas*, *& cuneos*, *incedebant*. Sic illud capiunt II. Samuel. XXI. verſ. 9. *Qui crucifixerunt eos in monte coram Domino*, id eſt illuſtri, excelſo, conſpicuo, ac celebri loco. Neque enim probabile eſt, iſtos ante arcam inceſſiſſe. Alii: *Expediti ad militiam traiecerunt ante Iehovam ad bellum*; id eſt, ante arcam Iehovæ in medio Iardene conſiſtentem, donec omnes militari ordine traieciſſent: ut oſtenditur infra cap. VI. verſ. 12. PER PLANA ATQUE CAMPESTRIA URBIS IERICHO. Recta paraphraſis. Alii, *verſus campos Iericho*: nonnulli, *ad campeſtria Iericho*: aliqui, *ad planitiem Ierichuntis*. De felicitate, & præſtantia camporum Ierichuntis multa annotavimus cap. II. verſ. I. quibus iſta ex Vitriaco addimus: *Fluvius autem Iordanis multas ex ſe præbet commoditates univerſæ regioni: reddit enim hortos irriguos*, *& terram fructiferam*. *Campi autem adiacentes ex calamellorum condenſa multitudine ſtillantes dulcedinem zuccharæ procreant abundantiam*. In hos igitur tam fertiles campos, ut in cupidinem terræ Iſraelitæ magis accenderentur, primum traiecto Iordane inducti fuere.

V. 19. CASTRAMETATI SUNT IN GALGALIS, id eſt in loco qui poſtea ab eventu vocabitur Ghilgal, cap. V. verſ. 9. Hic enim eſt prolepſis; ut apud Virgilium Lib. I. AEneidos:

...... *Lavinaque venit*
Littora ......

CONTRA ORIENTALEM PLAGAM URBIS IERICHO. Heb. *in extremitate ortus Iericho*: quidam, *ad partem orientalem Iericho*: alii, *in ea parte quæ Ierichunti eſt ad orientem*: nonnulli, *in extremo orientis Iericho*, vel *in extremitate orientali Iericho*, id eſt in termino orientali urbis, & ditionis Ierichuntinæ: aliqui, *in extremitate*, *ad orientem Ierichuntis*, id eſt in extrema parte Ghilgal venientibus a Iordane, quæ erat orientalis ipſi urbi Ierichuntinæ. Ioſephus Lib. V. Antiquit. cap. I. *Exercitus autem quinquaginta ſtadia progreſſus*, *ad decimum a Hierichunte ſtadium caſtrametatus eſt*. Vide cap. III. verſ. 8.

V. 20. POSUIT IOSUE IN GALGALIS. Hebr. *Surgere fecit*, *erexit*, *ſtatuit Ioſue in Ghilgal*. Facile ſuſpicamur eos lapides, quemque ſuæ ſubſtructioni impoſitum, tamquam cippos, ſtelas, ſeu pilas, aut columellas, inſtar pyramidum, in loco eminenti & conſpicuo, in monumentum tanti miraculi erectos, & conſtitutos fuiſſe; quod vis, & notatio Hebraici verbi ſignificat. Nec alienum exiſtimamus quod nonnulli obſer-

obſervarunt, poſitos fuiſſe tamquam poſſeſſionis novæ occupatæ ſolemnia quædam auctoramenta. Cuiuſce rei exempla multa habemus in his, qui novum orbem occiduum, quem Colonium dicimus, Imperio Hiſpanico adiecerunt: cum primum enim aliquam regionem aperirent, extructo aliquo lapideo monumento (*Padron* Hiſpanice vocamus) adiuncto etiam elogio, per quos, & cuius auſpiciis regio occupata fuerit, regionis poſſeſſionem aucupari, idque poſteritatis memoriæ conſecrare conſueverunt.

V. 23. IN CONSPECTU VESTRO. Hebr. *a facie veſtra*. Quidam, *veſtri cauſa*, vel *propter vos*, id eſt qui immorigeris parentibus veſtris ſucceſſiſtis ex inſtitutione Dei, Numer. xiv.

V. 24. QUOD SICCAVIT. Heb. *Quod exſiccavit a facie noſtra*, vel *propter nos*; id eſt, propter me, & Calebum, & parentes veſtros, qui omnes occubuerunt in deſerto indignatione Dei.

V. 25. UT ET VOS TIMEATIS DOMINUM. Exponunt: Id eſt ac non reſiliatis a reverentia & obſequio ipſius, ut fecerunt maiores veſtri. Conſtantiam animi, ac promptitudinem certiſſimam obtemperandi Deo perpetuo, quam ipſi præſtare ſemper debeant, præteritum quod eſt Hebraice, *Et timuiſtis*, ſatis demonſtrat.

MENOCHII.

Verſ. 2. SINGULOS PER SINGULAS TRIBUS: etiam unus ex tribu Levi electus, & pariter unus ex tribu Ioſeph, quæ bipartita in tribus duas, Manaſſe, & Ephraim, atque ita duodecimum numerum non exceſſerunt.

V. 3. DURISSIMOS LAPIDES. Rabbini etiam maximos fuiſſe fabulantur. Certum eſt, non maiores fuiſſe quam quos viri ſinguli abſportare inde uſque ad Galgala poſſent. Duriſſimi eliguntur lapides, quia conſtituendi in ſignum æternum poſteris erant, atque ideo eius generis quærendi qui non facile vetuſtate ſolverentur.

V. 6. SIGNUM, rei hoc loco geſtæ. CRAS, futuro tempore.

V. 9. DUODECIM LAPIDES POSUIT IN MEDIO IORDANIS ALVEO, non coacervatos, aut in aræ formam, ſed ſingulos per ſe, ut etiam factum a Moſe Exodi xxiv. 4. ſic enim magis apparebat duodecim tribuum diſtinctio. USQUE IN PRAESENTEM DIEM. Ex hoc loco aliqui colligunt Ioſue non eſſe huius Libri ſcriptorem. Sed ut bene dicatur uſque in præſentem diem, ſatis eſt ſi aliquo tempore poſt lapides erectos Ioſue hiſtoriam ſuam ſcripſerit.

V. 10. STABANT IN IORDANIS MEDIO. Probabile eſt ſtetiſſe facie verſus auſtrum converſa, hoc eſt verſus inferiorum aquarum fugam: ſic enim faciem ad populum tranſeuntem vertebant, eique animum præſentia ſua addebant, & aquas a tergo impendentes, Domini præſentia ſecuri, deſpiciebant. ET DIXERAT EI MOYSES, eo modo, & ea obedientia, & alacritate, quam ſemper ei Moſes præceperat, & commendarat.

V. 11. ANTE POPULUM, vel ſpectante populo, coram populo, vel ante populi agmen, modo ſupra præſcripto; ut ſcilicet bis mille cubitorum ſpatio arcam ſequerentur.

V. 12. SICUT PRAECEPERAT EIS MOYSES, Num. cap. xxxii. 28.

V. 19. POPULUS AUTEM ASCENDIT DE IORDANE. Aſcendentibus de Iordane nulli hoſtes occurrunt: quia, ut dixerat Rahab cap. ii. num. 9. *elanguerant omnes habitatores terræ*. Vide ibi dicta. Probabile eſt in ipſo aditu promiſſæ terræ, eam ſalutaſſe Iſraelitas, & lætitiæ ſigna edidiſſe: quod ſi intrantes domum, eam ſalutare iubet Chriſtus Matth. x. 12. & dicere, *Pax huic domui*; quid ni terram ſanctam, futuram populi ſedem, ſalutaverint, Deoque adorato, precati fuerint ut bene omnia ſuccederent, & eidem pro beneficio gratias egerint. CASTRAMETATI SUNT IN GALGALIS. Hunc locum caſtris figendis elegit Ioſue, vel divino monitu; vel quia licet ulterius eo die progredi potuiſſent, erat tamen prudentiæ militaris ſenſim progredi, ne a tergo hoſtis relinqueretur. Alioqui etiam locus ſalubris erat, & aquis vicinus, & ſilvis, ex quibus ligna peti poterant.

V. 20. DUODECIM QUOQUE LAPIDES ... POSUIT IOSUE IN GALGALIS, non longe a tabernaculo, ſub dio, ut ab omnibus conſpici poſſent, hi etiam lapides ſeorſim ſtatuti, non in acervi formam, aut altaris. Vide dicta num. 9.

V. 25.

Digitized by Google

V. 25. FORTIſſIMAM DOMINI MANUM: potentiam. LXX. δύναμιν.

TIRINI.

V. 10. DONEC OMNIA COMPLERENTUR, &c. Ex his colligitur, ducem Ioſue intra alveum Iordanis iuxta ſacerdotes, & arcam conſtitiſſe; tranſeuntique populo memoriam tum præſentis beneficii, tum præteritorum omnium, unaque legis divinæ cuſtodiam ſerio, & acriter inculcaſſe, iuxta monita Moyſis Deuteron. III. in fine, & IV. initio.

Nota. Arca, quæ Deum deſignabat quaſi regem ſolio ſuo inſidentem, prima omnium tranſitum per Iordanem aperuit, prima ingreſſa eſt; ſed in medio alvei tantiſper immota ſubſtitit, humeris innixa ſacerdotum, quo ad omnis populus cum omnibus proſelytis, & advenis (qui pluſquam tricena hominum millia conſtabant) cum gregibus, & impedimentis omnibus in adverſam ripam evaſiſſet. Tum rurſus ultra ripam populum ad bis mille cubitos præceſſit, & ducem viæ ſe præbuit uſque in Galgalam.

Allegorice hæc Chriſto omnia, & ſacro baptiſmi, & pœnitentiæ lavacro; quin & morti hominis chriſtiani pulchre applicant Origenes *a*, Hieronymus, Rupertus, Theodoretus. Nempe ſi Deo nos regenti, probanti, manuducenti obſequentes fuerimus, ſi magno animo, ſi generoſa conſtantia ad finem uſque ei ſervierimus; etſi millenis cingamur hoſtibus, ipſe tutos nos & illæſos non modo per aquas, ſed & per aera in cælum rapiet, per medias flammas in beatorum regionem tranſvehet.

Nota ſecundo, quam facile, quam promptè pareant creaturæ omnes nutui creatoris ſui. Ut Gnydem fluvium ſiccaret Cyrus *b*; ut Euphratem *c* Semiramis, & rurſus idem Cyrus, & tertio Alexander Magnus ſiccatum penetrarent, quot opus habuerunt cuniculis? quot foſſis, & rivis? quot machinis? quot manibus? quot menſibus? Deus vix quarta diei unius parte, nemine manum, nemine machinam ullam admovente, ſine foſſis, ſine mœandris, ſine cuniculis, ſolo verbo & imperio ſuo ſiſtit aquas Iordanis, exſiccat alveum, traducit innumeras Hebræorum copias, & in conſpectu innumerabilium hoſtium incolumes ſtatuit & intactas. Quin nec in gratiam ſolum tanti, tamque copioſi exercitus, tam ſtupendo prodigio ſiſtit, fixitque aquas has Dominus; ſed, quod magis ſtupeas, etiam in unius Eliæ gratiam, & rurſus in unius Eliſei, IV. Reg. II. verſ. 8. & 14. idem miraculum ſolo Eliani pallii alliſu in eodem Iordane repetit: repetetque iterum in fluvio magno Euphrate ſub tempora Antichriſti, Apocal. XVI. verſ. 12.

(*a*) Origen. homil. III. & IV.
(*b*) Herodotus Lib. I. & Freculphus Lexovienſis, & Seneca L. III. de Ira cap. XXI.
(*c*) Iulius Frontinus Lib. III. cap. IV. Curtius Lib. V.

GORDONI.

V. 1. TRanſitus iſte, & ingreſſus in terram promiſſionis iam ſuam accepit chronologiam ad cap. XXXIV. Deuteron. & hic paulo ante notavi diem decimum menſis primi. Mihi vero eſt annus mundi 2524. eſt ab exodo annus quadrageſimus; ſed vide unde numeres exitum. Ex cap. XIV. Num. hinc ad templum Salomonis numero annos quadringentos, quadraginta. Ioſue nunc eſt annorum octoginta quatuor. Exiſtimo in hunc eumdem mundi annum incidiſſe initium Troiæ.

V. 2. ELIGE DUODECIM VIROS, &c. Caſtra poſt tranſitum ponuntur in Galgalis: prima manſio eſt. Hæc duodecim virorum ſecunda electio eſt, & diverſa ab illa de qua cap. III. verſ. 12. Nam ibi comites ſunt ſacerdotum; hic erigunt lapides. Galgala in agro Ierichuntino ad orientem.

V. 7. IN MONUMENTUM USQUE IN AETERNUM. Monumentum a monendo aliqui dictum volunt, μνῆμα, μνημεῖον: monet rerum præteritarum, ut ſepulcra, tituli, ſtatuæ.

V. 9. ALIOS QUOQUE DUODECIM LAPIDES. Itaque tum extra aquas, ex verſ. 2. in Galgalis; tum intra eas, hoc verſ. 9. eriguntur lapides duodecim in medio Iordanis alveo. Hi magni fuerunt, & ita compacti, & compoſiti, ut apparerent viatoribus, & vi fluminis non moverentur loco. Adhuc hodie apparent hi in Iordane lapides.

V. 10. FESTINAVITQUE POPULUS

Digitized by Google

Feſtinatio hæc ſpeciem habet miraculi: nam numerabantur ſexcenta millia præter feminas, & parvulos; & tamen eodem die ventum eſt in Galgala, agrum Iericho, duabus ſcilicet eo die confectis leucis: atque eo ordine, ut antecederent quadraginta millia armatorum inſtructa acie; in ſecundo ordine arca; in tertio erat reliquus populus. Reſtabat a Galgalis uſque Iericho milliare unum, ex Ioſepho, aut leuca, ex Brochardo.

V. 23. SICCANTE DOMINO, &c. Notant Hebræi, verbum *Siccavit*, hic poni in Hiphil, הוביש *hobiw*, *ſiccari fecit*, rad. יבש; ut ex vi huius coniugationis oſtendatur plurimum fuiſſe ſiccatum alveum.

CAPUT V.

Terrentur Chananæi: circumciſio fit in Galgalis, & Phaſe celebratur: deficit manna ubi de fructibus terræ edunt, & Angelus Domini Ioſue apparet.

1. Poſtquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui
habitabant trans Iordanem ad occidentalem plagam, & cuncti
reges Chanaan, † qui propinqua poſſidebant magni maris lo-
ca, quod ſiccaſſet Dominus fluenta Iordanis coram filiis Iſ-
rael donec tranſirent, diſſolutum eſt cor eorum, & non re-
manſit in eis ſpiritus, timentium introitum filiorum Iſrael.
2. Eo tempore ait Dominus ad Ioſue: Fac tibi cultros la-
pideos, & circumcide ſecundo filios Iſrael. 3. * Fecit quod iuſſerat Dominus, &
circumcidit filios Iſrael in colle præputiorum. 4. Hæc autem cauſa eſt ſecundæ
circumciſionis: Omnis populus, qui egreſſus eſt de AEgypto generis maſculini,
univerſi bellatores viri, mortui ſunt in deſerto per longiſſimos viæ circuitus, 5.
qui omnes circumciſi erant. Populus autem qui natus eſt in deſerto, 6. per qua-
draginta annos itineris latiſſimæ ſolitudinis, incircumciſus fuit: donec conſume-
rentur qui non audierant vocem Domini, & quibus ante iuraverat * ut non
oſtenderet eis terram lacte & melle manantem. 7. Horum filii in locum ſucceſ-
ſerunt patrum, & circumciſi ſunt a Ioſue: quia ſicut nati fuerant, in præputio
erant, nec eos in via aliquis circumciderat. 8. Poſtquam autem omnes circum-
ciſi ſunt, manſerunt in eodem caſtrorum loco, donec ſanarentur. 9. Dixitque
Dominus ad Ioſue: Hodie abſtuli opprobrium AEgypti a vobis. Vocatumque
eſt nomen loci illius Galgala, uſque in præſentem diem. 10. Manſeruntque filii
Iſrael in Galgalis, & fecerunt Phaſe, quartadecima die menſis ad veſperum, in
campeſtribus Iericho: 11. & comederunt de frugibus terræ die altero, azymos
panes, & polentam eiuſdem anni. 12. Defecitque manna poſtquam comederunt
de frugibus terræ, nec uſi ſunt ultra cibo illo filii Iſrael, ſed comederunt de fru-
gibus præſentis anni terræ Chanaan. 13. Cum autem eſſet Ioſue in agro urbis
Iericho, levavit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, evaginatum tenentem
gladium, perrexitque ad eum, & ait: Noſter es, an adverſariorum? 14. Qui
reſpondit: Nequaquam: ſed ſum princeps exercitus Domini, & nunc venio.
15. Cecidit Ioſue pronus in terram. Et adorans ait: Quid Dominus meus lo-
quitur ad ſervum ſuum? 16. (*a*) Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus

tuis:

Google

tuis: locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt. Fecitque Ioſue ut ſibi fuerat imperatum.

(a) Exod. III. 5. Actor. VII. 33.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 3. *Fecit quod iuſſerat Dominus*. Non addas coniunctionem *fecitque*, aut *fecit quoque*.

V. 6. *Ut non oſtenderet eis terram*. Non eſt omittenda negatio.

Lectionum Varietas.

V. 1. *Qui propinqua poſſidebant magni maris locas*. Si non eſt legendus dadi caſus *magno mari*, at eſt intelligendus.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 2. LAPIDEOS. Chald. *acutos*. SECUNDO, ſcilicet poſt factam in AEgypto. Auguſt. quæſt. VI. in Ioſ. ait: *Secundo, reſpectu populi, in quo multi non circumciſi*.

V. 3. COLLE PRAEPUTIORUM. Sic dictus eſt locus poſtea ob hanc circumciſionem.

V. 9. OPPROBRIUM, ſcilicet præputium: vel *opprobrium*, quod dicebant, Deum eductos ex AEgypro non poſſe introducere in terram promiſſam. GALGALA, id eſt *ablatio*: ſcilicet quia dictum, *Abſtuli*, &c.

V. 11. ALTERO, id eſt poſtridie paſchæ: ſcilicet poſtquam obtuliſſent primitias Domino. POLENTAM, id eſt grana toſta. EIUSDEM ANNI. Hebr. Chald. & LXX. *eadem die*.

V. 15. LOQUITUR; id eſt, loqui vult.

V. 16. SANCTUS, ſcilicet ob meam præſentiam.

E S T I I.

Verſ. 1. ET CUNCTI REGES CHANAAN. Septuaginta habent, *reges Phœniciæ*. Sed id mirum non eſt: nam & mulier quæ Marci VII. vocatur Syrophœniſſa, a Matthæo cap. XV. appellatur Chananæa.

V. 2. AIT DOMINUS AD IOSUE: FAC TIBI CULTROS LAPIDEOS. Hebraice eſt, *cultros acierum*, id eſt cultros acutos: & Chaldæus ſimiliter exponit novaculas acutas. Septuaginta vertunt *cultros petrinos*, ſeu lapideos. Id autem etſi ab Hebræo diſcrepet; tamen & in Scriptura fundamentum habet, & magnum myſterium continet. Quantum ad prius, legimus Exod. IV. quod cum Angelus Domini Moyſem interficere vellet in via, tulerit ilico Sephora acutiſſimam petram, & circumciderit carnem præputii filii ſui. Utrum autem Iſraelitæ ex more uſi ſint cultello lapideo, an ferreo, non ſatis conſtat: hodie dicuntur uti ferreo. Quod autem ita verterunt Septuaginta, non eſt purandum carere myſterio. Nam per cultros petrinos, quibus dicitur facta circumciſio, ſignificatur illa petra de qua Apoſtolus I. Corinth. X. *Petra autem erat Chriſtus*, per quem fit in nobis circumciſio, non carnis, ſed quæ per eam ſignificatur, circumciſio cordis. Arias vertit *petraceum*. Sane & Indi occidentales nuper inventi arte acuunt petras, ut ſcindant inſtar acuti ferri. ET CIRCUMCIDE FILIOS ISRAEL. Non eaſdem perſonas ſecundo, ſed ut eſſet hæc ſecunda circumciſio ſolemnis populi, ab ea quæ facta fuerat in AEgypto, ut contextus aperte docet. Intermiſſa autem fuerat circumciſio in deſerto: nempe quia numquam certi erant quamdiu in aliquo loco conſiſterent; dolor autem circumciſionis requirebat certorum dierum quietem. Ceterum recte ne, an ſecus tanto tempore fuerit intermiſſa circumciſio, & utrum omnes illi qui per id tempus non circumciſi diſceſſerunt, perierint, vide Noſtra in IV. ad I. diſt.

Verſ. 9. HODIE ABSTULI OPPROBRIUM AEGYPTI A VOBIS. Opprobrium appellat præputiatum eſſe: quod licet etiam aliis gentibus eſſet commune, tamen ſpecialiter Scriptura vocat opprobrium

Digitized by Google

brium AEgyptiorum; tum quia Idumæi, & vicini ex poſteris Abrahæ veriſimiliter putantur etiam fuiſſe circumciſi; tum quia ſpecialiter Iſraelitarum patres verſati inter AEgyptios, opprobrii proverbium hoc inter ſuos reliquerant.

Verſ. 12. DEFECITQUE MANNA POSTQUAM COMEDERUNT DE FRUCIBUS TERRÆ. Myſtice ſignificatur per allegoriam quidem, poſtquam per Chriſtum introducta eſt lex nova, ceſſare figuras & umbras veteris teſtamenti; per anagogiam vero, quando, Chriſto ductore, pervenerimus in patriam cæleſtem, terramque viventium, per terram promiſſionis ſignificatam, ceſſaturum manna, quo in deſerto huius peregrinationis reficimur, nempe eximium, ſcilicet Eucharistiæ ſacramentum, prædicationem verbi, ceteraque ſacramenta, & ſubſidia novæ legis. Significatur ergo etiam ad litteram filios Iſrael aliquid melius adeptos, quando deficiente manna, cœperunt veſci bonis terræ. Non ergo verum videtur, quod proprie loquendo manna continebat in ſe omnem ſaporis ſuavitatem, & quod cuique convertebatur ad ſaporem quemcumque volebat; ſed hæc dicta eſſe eo ſenſu quem reperies ſuo loco Sap. cap XVI.

V. 13. & 14. NOSTER ES, AN ADVERSARIORUM? QUI RESPONDIT: NEQUAQUAM; ſubaudi, ſum adverſariorum: SED SUM PRINCEPS EXERCITUS DOMINI. Hunc fuiſſe Michaelem Archangelum populi Iſraelitici principem, & cuſtodem, plane credibile eſt. Ille enim Dan. cap. X. & XII. expreſſe Princeps illius populi vocatur. Vide etiam de ea re Annotat. Exodi cap. XXIII.

V. 16. SOLVE, INQUIT, CALCEAMENTUM TUUM DE PEDIBUS TUIS. Vide ſimilem locum Exodi III.

MARIANAE.

Verſ. 1 TRANS IORDANEM AD OCCIDENTALEM PLAGAM, ſcilicet qui habitabant reges, timuerunt. Hebr. *in tranſitum Iordanis*. Et ut intelligas de qua ripa Iordanis agat, ſcilicet occidua, addit *mare* (pro, ad mare) & per *mare* intelligit occaſum. Quod ſi noſtram verſionem ſequimur, *trans Iordanem*, intellige non comparatione Ieroſolymæ, ſed deſerti unde veniebant: idque explicat quod additur, *Ad occidentalem plagam*. MAGNI MARIS. Hebr. non eſt *magni*; ſed Hieronymus addidit, quoniam de illo ſermo erat. Et poſſet etiam dicere pro illis verbis, *Chananæi qui ad mare*, ut eſt Hebr. poſſet, inquam, vertere, *Chananæi qui ad occaſum*, uti vertunt alii. TIMENTIUM INTROITUM FILIORUM ISRAEL. Hebr. *Non erat in eis ultra ſpiritus a facie filiorum Iſrael*, id eſt propter filios Iſrael. Itaque voces, *timentium, & introitum*, Hieronymus addidit.

V. 2. FAC TIBI; pro, para tibi: & proxime, FECIT QUOD; pro, paravit quod: ſic Hebræus quidam. CULTROS LAPIDEOS. Chald. & Hebræi *cultros acutos*; ſed vox צרים *zurim*, *petras*, etiam ſignificat: & ſic Hieronymus, & Sep. aliique acceperunt. Gladiis lapideis in circumciſione uſos Iudæos veriſimile eſt, quod non hic ſolum indicatur, ſed etiam Exod. IV. verſ. 25. Verum ex Iuſtino contra Tryphonem colligitur, vulgo Iudæos ferro circumcidi conſueviſſe: ſicque hodie fit. CIRCUMCIDE SECUNDO. Hoc intellige comparatione circumciſionis ab Abraham factæ: nam his tantum vicibus populariter ſunt circumciſi, aliis temporibus privatim circumcidebantur quiſque domi ſuæ. Hebræi Iudæos a Moyſe publice circumciſos aiunt, cum eos ex AEgypto eduxit. Unde id colligunt?

V. 3. CIRCUMCIDIT FILIOS ISRAEL IN COLLE PRAEPUTIORUM. Id nomen collis ab hoc tempore, hacque circumciſione in ipſo facta accepit. Porro *præputium* Hebraice vocatur omne quod redundat in quaque re, & reiici debet: ſic Hebræus.

V. 4. HAEC AUTEM CAUSA EST SECUNDAE CIRCUMCISIONIS. Hebr. *Et hoc verbum quod* (pro, cur) *Ioſue circumcidit cunctum populum*. Sed *verbum* pro ratione, pro cauſa ſumitur hic, ut Noſter poſuit.

V. 8. MANSERUNT IN EODEM CASTRORUM LOCO. Hebr. *Manſerunt ſub ſe*, id eſt in ſuo loco, *in caſtris*. Ego dicerem, *Manſerunt apud ſe ipſos*; ut *ſub* ponatur pro *apud*.

V. 9. DIXITQUE DOMINUS..... HODIE ABSTULI OPPROBRIUM AEGYPTI, id eſt præputia, cum quibus ab

AEgy-

Digitized by Google

AEgypto quidam egreſſi erant. Vel quoniam AEgyptii putabant non ingreſſuros Iſraelitas umquam terram promiſſam. Galgala. Ea vox deducitur a *galal*, quod *revolvere*, & *auferre* ſignificat, ab ablatione eius opprobrii ſic dicta.

Verſ. 10. Quartadecima die menſis; ſupple, primi: cuius die decima dixerat cap. IV. verſ. 19. transiiſſe Iordanem.

V. 11. De frugibus terrae die altero, ſcilicet die quinta decima. Sic Paſcha celebrarunt cum manna ſine diei 14. aut potius quoniam a veſpera dies inchoabant, die 15. celebrarunt Paſcha cum frugibus terræ. Polentam. Hebr. vox *kalui* ſignificat *grana viridia*, ſed *igne toſta*. Eiusdem anni. Hebr. *in corpore diei huius*; id eſt, ipſa die quinta decima comederunt ea grana, ſeu polentam,

V. 13. Cum autem esset Iosue in agro urbis Iericho. Hebr. *in Iericho*; ſed bene ſupplet Hieronymus *in agro*. Quidam Hebræus explicat, cum Ioſue eſſet in Iericho; id eſt, mente verſaret quomodo eam impugnaturus eſſet, viſo Angelo,

V. 15. Cecidit ..... pronus in terram. Hebr. *ad facies ſuas in terram*. Sed ſententia exprimitur.

V. 16. Solve... calceamentum... locus enim in quo stas, sanctus est. Hebr. *ſanctitas*, pro *ſanctus:* ſcilicet ob meam præſentiam.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Omnes reges Amorrhaeorum, &c. Notant his duobus nominibus, Amorrhæorum, & Chananæorum, qui erant nobiliores, univerſe comprehendi ſeptem illas gentes terræ promiſſæ, expreſſas ſupra cap. III. verſ. 10. & Amorrhæos quidem intelligi, eos omnes qui a terminis meridionalibus uſque ad ſeptemtrionales eiuſdem terræ in longum, propius in Iordanem incumbebant; Chananæos vero dici eos qui intra eoſdem terminos verſus mare mediterraneum habitabant, atque uſque ad Phœniciam pertingebant: unde in Evangeliis mulier Chananæa, etiam Syrophœniſſa vocatur. Amorrhæi erant orientaliores, Chananæi occidentaliores. Trans Iordanem. Iam hic, *trans*, intelligitur *citra*, reſpectu tranſiti Iordanis ab Iſraelitis: nam alii erant Amorrhæi ultra Iordanem, quos cum eorum regibus Sehon, & Og iam Iſraelitæ debellaverant. Quidam reddunt, *in tranſitu Iordanis*; id eſt, qui habitabant in iis locis quæ erant poſt transitum Iordanem ab Hebræis. Alii, *in latere Iarden:* ſic ſumi volunt עבר *gbeber*, Exodi XXV. verſ. 37. Ad occidentalem plagam. Hebr. *ad mare*. Sic alibi ſæpe in Scriptura mare pro occidente, quod mare magnum ſeu mediterraneum eſſet ad occidentem Chananææ. Vide Geneſ. XII. verſ. 18.

V. 2. Cultros lapideos. Hebr. *gladios petrarum*. צרים *tzrim* nonnulli, *acutos*, acie inſigni, & acuta præditos interpretantur: ex verbo, *gladios acierum:* qua ratione vocem צור *tzur*, vel צור *tzor* capi volunt Pſalm. LXXXVIII. 44. *Faciem gladii eius*. Putantque eos gladios revera non fuiſſe petrinos, aut ſaxeos, ſeu ſiliceos, ſed ferreos, aut chalybeos, nempe novaculas acutiſſimas: vocari vero gladios, vel cultros petrarum, ſeu lapidum, quod quam primum ex cote ſublati eſſent, acutiſſima acie contracta, uti Hiſpanice dicimus, *Navaia quitada de la piedra*. Ergo hic, *cultros acutiſſimos*, vel *acutos* reddunt Hæbrei fere omnes ſecuti Chaldæum Paraphraſten, e recentioribus Lyranus, Caietanus, Sanctes, Forſterus, Vatablus, Leo Iudas, Iſidorus Clarius, Immanuel, & Iunius, Marinus, Avenarius, Buxtorfius, Montanus, Hiſpanicus Interpres. Et quidem Forſterus ita vertit: *Fac tibi cultros petrarum, id eſt cultros acierum, ſeu in petra acutos, cultros cotium, ſeu ſilicum:* ſicut *Pſal.* LXXXVIII. Sed hos Ioſue cultros fuiſſe lapideos, ſeu ſiliceos, aut ſaxeos, & LXX. & Noſter, & quique præſtantiſſimi Hebræorum affirmant. Hodie Hebr. in circumciſionibus utuntur quidem novaculis chalybeis, ſed quarum capuli ſeu manubria ſint lapidea. Diſquirunt aliqui, an neceſſario in circumciſione adhibendi eſſent cultri lapidei. Negant permulti, & ferreis, aut quacumque idonea materia fieri potuiſse confirmant. Sed ſi lapidei neceſsarii non erant, curlapideos ſingulariter imperat Deus Iehoſuæ, cum ferrei, aut chalybei, ſeu ærei facilius, & promptius tantæ multitudinis parari potuiſſent, quam lapidei? Fortaſse ex lapide AEthio-

AEthiopio, quo ſolebant AEgyptii exentera tores ilia cadaverum conſcindere, auctore Herodoto Lib. II. num. 36. Quam apte, facile, ſalubriter lapide, ſeu ſilice acuto circumciſio fieri poſset, abunde docuimus in IV. Exodi verſ. 25. ET CIRCUMCIDE. Hebr. ישוב מול *ieſchub mol*. שוב *ſchub* poteſt eſse imperativus, *Et revertere circumcide*. Et poteſt eſse infinitivus, *Et reverti*, vel *revertendo circumcide*. Iam non ſemel annotavimus, *ſchub*, *reverti*, cum conſtruitur cum alio verbo ſequenti, tunc adverbiaſcere, & idem eſse quod *rurſus*, *iterum*, *denuo*. Vide in Geneſ. XXVI. verſ. 18. Ita hic: *Et revertere circumcide*; id eſt, rurſus, iterum, denuo circumcide. Quidam vertunt: *Et iterando circumcide*. Alii: *Et effice denuo ut circumcidantur*. Nonnulli: *Et convertere, circumcide*; id eſt, te totum verte, & adhibe ad circumcidendum. Aliqui: *Et redi, circumcide*: vel *& repetens circumcide*. SECUNDO. Ingens hic pugna Explanatorum in elucidanda vocula שינח *ſchenith*, quæ eſt feminea, ſed verbo iuncta adverbiaſcit, *ſecunda vice*, pro *ſecundo*, *iterum*. Exponunt. I. Circumcide filios Iſrael non omnes ſimul, ſed primum unam partem, ſecundo aliam partem. Ordinemque verborum hunc eſse volunt: *Revertere ſecundo, & circumcide filios Iſrael*: ne ſcilicet tanta multitudo tota ſimul affecta dolore vulneris eſset (Hiſpanice, *Circumcidalos a todos no de una vez, ſino en dos vezes.*) II. Quidam volunt, vocem *ſchenith* ſignificare diligentiam, ſtudium, aſſiduitatem, ut ſemel & iterum, ac repetito percurrantur caſtra, & circumciſio omni ſtudio & diligentia fiat, ut nemo incircumciſus relinquatur. III. Iam illa receptior habetur intelligentia: Semel ac primum univerſus populus Dei, nedum quiſque privatim, ſed publice, ſolemniterque omnis in univerſum circumciſus fuit per Abraham, Gen. XVII. deinde vero nulla alia facta fuit publica & ſolemnis circumciſio populi Dei, niſi hæc a Ioſue populariter celebrata; quæ propterea recte dicitur *ſecunda*. Nam illa Sichemitarum, non fuit populi Dei, ſed externorum; nec amore religionis, ſed veluti civilis, & utrimque doloſa. Quidam reddunt: *Et ſecundo repetens circumcide filios Iſraelis*; id eſt, rem ſemel ab Abrahamo obſervatam, ac deinde in deſerto, præſertim a reditu exploratorum neglectam, rurſus in uſum revocans. IV. *Circumcide ſecundo*, id eſt iterum, rurſus; quaſi dicat: Circumciſionis ritum tanto temporis intervallo intermiſſum, ac pene obliteratum, iterum, denuo, rurſus, reſtitue, inſtaura, reduc, revoca, renova, repete, itera. Aliæ explanationes iſtas non æquant.

V. 3. IN COLLE PRAEPUTIORUM. Prolepſis ab hoc eventu præſenti in poſterum nomen accepit, quod præputia Iſraelitarum circumciſorum ſint ibi relicta.

V. 4. MORTUI SUNT IN DESERTO, nimirum omnes viri bellatores a viginti annis & ſupra, qui egreſſi ſunt de AEgypto: nempe qui cum egrederentur de AEgypto, erant iam nati annos viginti & ſupra, & bello apti, Numer. XIV. verſ. 29. Quidam notant eſſe hic noema graviſſimum; quaſi dicat: Summi peccatores & rebelles in Deum fuerant, ideoque damnati a Deo ſuæ rebellionis nomine.

V. 5. Hunc verſum nos in Translatione noſtra verbatim expreſſimus (*Quia circumciſi fuerunt omnis populus exeuntes: & omnem populum natos in deſerto, in via, in exire eos de AEgypto, non circumciderunt.*) Alii ſic: *Nam fuerant quidem circumciſi omnes, quotquot erant egreſſi: verum nullum eorum qui nati fuerant in deſerto, in itinere, inter proficiſcendum ab AEgypto, circumciderant.* Quidam: *Cum autem circumciſi fuiſſent totus iſte populus, qui exierant: totum populum hunc tamen qui nati fuerant in deſerto, in ipſo itinere, in proficiſcendo, vel poſtquam exiviſſent de AEgypto, non circumciderant.* Hic iam magna exoritur quæſtio, an circumciſio cum culpa, an citra culpam illis quadraginta annis ab Iſraelitis omiſſa fuerit. Cum culpa plerique volunt. S. Auguſt. quæſt. VI. in Ioſue: *Filios genuerunt in deſerto, & contempſerunt eos circumcidere, quod inobedientes erant legi Dei.* Unde hunc verſum ita exponunt: Id eſt, quamvis divinæ gratiæ, & æterni fœderis ſigillo, nempe circumciſione obſignati fuiſſent omnes qui ex AEgypto egreſſi fuerant, ut ſe, & ſuos poſteros ſemen Abrahæ eſſe cognoſcerent, profiterenturque; tamen filios ſuos in deſerto natos non circumciderant, quaſi fœdus Dei a ſe, & poſteris ſuis abiicientes, ut homines immorigeri, quos faſtidiverat Deus; præſertim poſt reditum exploratorum, Numer. XIV. Mirantur alii cur neque Moſes, ne-

que

Digitized by Google

que Deus tantum ſcelus in Iſraelitis umquam nec punierint, nec arguerint; cum tamen minora alia ſæpius exagitaverint: proinde exiſtimant, bonis & iuſtis de cauſis toto illo tempore circumciſionem omiſſam citra culpam; quarum eam potiſſimum laudant, quod cum ſtationum, & profectionum tempus ſemper iis eſſet incertum, a motu nubis pendens, maximo periculo fuiſſet infantibus circumciſis loco moveri: cum dolor circumciſionis ſoleat eſſe graviſſimus die præſertim tertio, ut in facto Sichemitarum apparet, Geneſ. xxxiv. verſ. 25. & circumciſis neceſſe ſit, etiam robuſtis, ob vulnus, aliquot diebus uno loco ſubſiſtere, ut e verſ. 8. manifeſtum eſt. Vide infra verſ. 9.

V. 6. Ut non ostenderet eis terram lacte et melle manantem. Integram clauſulam Noſter omiſit, forte quia non neceſſariam putavit, alibi ſæpius repetitam: quam Hebræa interſerunt: *Ut non oſtenderet eis terram, quam iuravit* IHUH *patribus eorum, ſe daturum nobis, terram fluentem lacte & melle*. Illud *nobis*, exponunt, id eſt mihi, Calebo, Eleazaro, & ſemini illorum ſuperſtiti, ex decreto Dei.

V. 7. Horum filii in locum successerunt patrum: puta in ſancto fœdere, ut Deus pronuntiaverat Num. xiv. verſ. 31.

V. 8. Donec sanarentur. Hebr. *uſque ad vivere eos*, vel *eorum*. Quidam, *donec reviviſcerent*; id eſt, donec ſanitatem reciperent, ſeu convaleſcerent. Ita accipitur verbum *vivendi* Iſaiæ xxxviii. verſ. 21. & IV. Regum xx. verſ. 7.

V. 9. Hodie abstuli opprobrium AEgypti a vobis. Hebr. *Hodie devolvi opprobrium AEgypti de ſuper vos*, id eſt abſtuli: vos opprobrio, & ignominia AEgypti liberavi. Sic Pſalm. cxviii. verſ. 22. a verbo חרף *charaph* eſt חרפה *cherphah*, proprie *probrum*, *oppobrium*, *improperium*, *vituperium*, *dedecus*, *convicium*, *ignominia*, *turpitudo*, *contumelia*, *deformatio dehoneſtamentum*, *infamia*. Sed iſtud probrum AEgypti, mirum quam varie Explanatores elucident. Quidam *probrum AEgypti*, præputium intelligunt, in qua ſignificatione vocem *probri* capiunt Gen. xxxiv. verſ. 14. Verum AEgyptiorum probrum non erat præputium, cum & ipſi etiam circumciderentur, nec eſſent præputiati, ut ex Herodoto, Diodoro Siculo, Ioſepho, oſtendimus in Gen. xvii. verſ. 23. Nec AEgyptiacum ſervitium, aut commercium impedimento Hebræis fuit quo minus omnes circumciderentur, ut verſ. 5. dicitur. Alii *opprobrium AEgypti*, exponunt convicia, & probra quæ AEgyptii iaciebant in Iſraelitas, Deum eduxiſſe eos malo animo de AEgypto, ut eos omnes conſumeret in deſerto Exodi xxxii. verſ. 12. quod eorum opprobrium totis illis quadraginta annis magis auctum eſt; cum ſcirent, omnes bellatores, Ioſue & Caleb exceptis, qui egreſſi fuerant de AEgypto, in deſertis periiſſe, nec in terram ipſis a Deo promiſſam introductos. Ceterum Ioſue cum eorum filios circumcidiſſet, & in fœdus Dei adſciviſſet, atque in promiſſam terram induxiſſet; tunc Deum abſtuliſſe opprobrium & convicia AEgyptiorum ab Iſraelitis, exolvendo fidem ſuam, ſufficiendo filios in parentum locum, divino fœdere eos ſibi annectendo, atque in poſſeſſionem terræ re ipſa introducendo. Iunius, & Tremellius ita exponunt: *Opprobrium AEgypti, id eſt ex AEgypto hauſtum, AEgyptiis, non Iſraelitis dignum: nam etſi non datum eſt illis, quod cupiebant, ut redirent in AEgyptum, Numeror. xiv. 4. animo nihilominus AEgyptum ſpirabant, quod vel ex circumciſionis neglectu declararunt. Hæc ergo apertiſſima eſt, veriſſimaque ratio, cur ætas iſta circumciſione caruerit, nimirum probroſiſſima parentum pervicacia. Nam quod alii continuas profectiones in cauſa fuiſſe putant, probare non poſſumus: præſertim cum anni quamplurimi uno in loco conſumpti ſint, Deuteron. 1. verſ. 46. & 11. verſ.* 14. Ego facilius crediderim circumciſionem ab Iſraelitis citra culpam in deſerto illis quadraginta annis prætermiſſam. Vide ſupra verſ. 5. Ceterum AEgyptiorum opprobrium ſeu probrum paſſive potius intellexerim, mores, vitia, pravas conſuetudines, quas Hebræi ab AEgyptiis imbiberant, & in filios propagaverant, & præſertim innatam illam cupidinem redeundi in AEgyptum, & fruendi illius terræ bonis, cum meliora & præſtantiora eſſent bona terræ promiſſæ; quaſi dicat: Nunc novo circumciſionis fœdere mihi devinctos, & iam in promiſſa terræ poſſeſſionem inductos, volo vos exuere pravos mores, ritus, conſuetudines AEgy-

Digitized by Google

pti, & totum deſiderium terræ illius, quod erat veſtrum ſummum probrum, ac dedecus. VOCATUMQUE EST. Hebr. *Et vocavit*, ſcilicet vel Ioſue, vel Deus, vel ille qui loco nomen impoſuit. Aut paſſive more Hebraico: *Et vocatum fuit*. GALGALA. Hebr. *Ghilghal*, id eſt *devolutio*: nimirum propter devolutum, vel evolutum ibi ab Iſraelitis probrum. Ghilgal decem ſtadia ab oriente Ierichunte abeſse Ioſephus prodit. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Galgal locus eſt iuxta Iericho, ad orientalem plagam antiquæ Hierichus cis Iordanem. Cecidit autem in ſortem tribus Iudæ, & oſtenditur uſque hodie locus deſertus in ſecundo Hierichus milliario ab illius regionis mortalibus miro cultu habitus.* Uterque Brocardus a Galgala ad Iericho unam leucam ſtatuunt. Anſelmus Minorita, & alii, duo milliaria. Quidam *gyrum*, vel *rotam* (Hiſpanice *la rueda*) interpretantur.

V. 11. DE FRUGIBUS TERRAE. עבור *ghabur* exponunt, *frumentum præteriti anni*, a tranſeundo, *fructum*, *annonam*, *proventum*, *fruges hornas*, vel *bihornas*. Ex verbo, *tranſitum terræ*. Hiſpanice, *lo que paſſava en la tierra*, id eſt præſentes fruges pro tempore. ET POLENTAM. קלין *kaliu*, *toſtum*, *torrefactum*, *uſtulatum*. Quidam reddunt, *ſpicam toſtam*, e Levit. II. verſ. 14. & Levit. XXIII. verſ. 14. Vide ibi. EIUSDEM ANNI. Hebr. *in eſſe diei ipſius*; vel *in ſubſtantia*, *robore*, *corpore*, *proprietate diei iſtius*; ſive eo ipſomet die, hoc ipſomet die iſto, videlicet a lege præſcripto, qui erat altero die ſabbati poſt peſach, nempe XVI. die menſis Niſan, ſeu primi ſacri, ut clare colligitur e Levitic. XXIII. verſ. 10. Num. XXIV. 15.

V. 13. IN AGRO URBIS IERICHO. Hebr. *in Iericho*, id eſt in planitie, ſeu agro Ierichuntino. Alii, *ad Ierichuntem*, ſive *apud Ierichuntem*. S. Auguſt. quæſt. VII. *Erat autem Ieſus in Iericho, non utique in ipſa civitate, cuius muri nondum ceciderant, quod mox futurum erat; ſed in agro ad eam pertinente.* VIRUM STANTEM: vel Angelum quempiam, vel ipſum Iehovah, ſeu Filium Dei, forma & ſpecie viri. Nam ita Iehovah appellari videtur ſequenti cap. verſ. 2. EVAGINATUM TENENTEM GLADIUM, nimirum ſymbolo, & habitu ducis, qui iamque accinctus eſſet ad exercenda iudicia Dei, & ad confirmandum Iehoſuam, eique præeundum, cum in expugnatione Ierichuntis, tum in reliqua Chananæa debellanda. Id ergo divinam opem præſentem deſignabat.

V. 14. SUM PRINCEPS EXERCITUS DOMINI. Si is intelligatur Filius Dei, eſt revera Princeps Angelorum, & populi Dei, ad quem proprie is principatus pertineat. ET NUNC VENIO. Hebr. *veni*. Notant hanc locutionem indicare præſentiſſimam, & ſingulariſſimam opem, atque ad rem magnam ſe veniſſe, ut Daniel. X. verſ. 11. & 14. & Daniel. IX. verſ. 22. & 23.

V. 16. SOLVE, INQUIT, CALCEAMENTUM, &c. Rationem huius religioſi ritus elucidavimus Exod. III. verſ. 5. Mirum quod in curam non egerit Explanatores, quod Moſi dicatur plurali numero, *Extrahe calceamenta tua de ſuper pedes tuos*; & Ioſue, ſingulariter, *Extrahe calceamentum tuum de ſuper pede tuo*. Sed eiuſmodi enallages numerorum ſatis ſunt frequentes in ſacris libris. Niſi quis malit ad deſignandam maiorem venerationem debitam divinæ præſentiæ in rubo; cum Ioſue forſan Angelus apparuerit: vel quod ibi inerat duplex religio, & præſentiæ Dei, & miraculi ardentis & inconſumpti rubi; hic tantum ſimplex apparitio.

MENOCHII.

Verſ. 2. FAC TIBI CULTROS LAPIDEOS. Nunc quidem lapideis cultris facta eſt circumciſio, ut diſerte habemus in textu: alioqui etiam ferreis aut chalybeis fieri poterat. ET CIRCUMCIDE. Non ipſemet circumcidit: qui enim potuiſſet tantam multitudinem? nec etiam fuit neceſſe adhibere ſacerdotes, aut levitas. Circumcidebant ergo omnes quotquot in AEgypto olim fuerant circumciſi: & probabile ipſum Ioſue aliquos circumcidiſſe, ut etiam Eleazarum, domeſticos nimirum: quod fecerat Abraham Geneſ. XVII. 23. qui *circumcidit Iſmael filium ſuum, & omnes vernaculos domus ſuæ*, &c. CIRCUMCIDE SECUNDO FILIOS ISRAEL. Senſus eſt: Revoca conſuetudinem circumcidendi, longo tempore in deſerto intermiſſam.

V. 3. IN COLLE PRAEPUTIORUM, loco

Digitized by Google

loco ſic poſtea dicto ob hanc circumciſionem, vel potius quod illuc proiecta ſint, & ſepulta præputia, &c.

V. 5. POPULUS AUTEM. Omiſſa eſt in deſerto circumciſio, ne infantibus recens circumciſis motu crearetur vitæ periculum. Fieri enim poterat, ut repente ſe commoveret nubes, & ſtatio mutanda eſſet.

V. 6. INCIRCUMCISUS FUIT: DONEC CONSUMERENTUR QUI, &c. Hæc fuit occaſio intermittendæ circumciſionis, quod ſcilicet Dominus in deſerto populum detineret, donec omnes qui non audierant vocem Domini, &c. conſumerentur: cauſa vero quam proxime aſſignavi num. 5.

V. 9. OPPROBRIUM, ſcilicet præputium: probroſum enim erat apud Hebræos, ſi quis aut eſſet incircumciſus, aut diceretur. Vel *opprobrium*, quod dicebant Deum eductos ex AEgypto non poſſe, aut nolle introducere in terram promiſſam. Huc ſpectat illud Exod. XXXII. 12. *Callide eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret e terra*: & fortaſſe ideo AEgypti opprobrium dicitur, quod AEgyptii, qui cum Iſraelitis erant, tam longæ peregrinationis per deſertum pertæſi, aut clam, aut etiam palam Iudæis opprobrarent. GALGALA, dicitur a גלל *galal*, quod *volvere, devolvere*, ac *removere* ſignificat, ita ut Galgal ſit locus devolutionis, ablationis, & remotionis, præputii nimirum, aut opprobrii AEgyptiorum iuxta expoſitionem allatam.

V. 10. FECERUNT PHASE, Paſcha ſcilicet, quod ab eius ſolemnitate inſtituta tertium fuit. Primum enim actum eſt in AEgypto Exodi XII. ſecundum in deſerto Sinai anno ſecundo exitus ex AEgypto Numer. IX. 2. & ſequentibus; ſecutis vero peregrinationis annis in deſerto omiſſum eſt.

V. 11. POLENTAM, &c. far, ſive hordeum toſtum, ex ſpicis eo anno collectis.

V. 12. DEFECITQUE MANNA, imber ille mannæ defecit, quia iam ex terræ frugibus ciborum copia ſuppetebat.

V. 13. VIDIT VIRUM STANTEM, &c. Angelum, quem aliqui Gabrielem putant; plures vero Michaelem, qui princeps exercitus Domini dicitur apud Danielem cap. x. 13. TENENTEM GLADIUM, quia belli cum Chananæis inchoandi a Deo nuntius veniebat, & adiutor. NOSTER ES, AN ADVERSARIORUM? id eſt, Iudæus ne es, an Chananæus?

V. 14. NUNC VENIO, ut ſcilicet novo, & ſingulari modo te, tuoſque adiuvem, ut per ſolitudinem iuvi, & in tranſitu Iordanis.

V. 15. CECIDIT IOSUE, &c. demiſit ſe pronum in terram, ut Angelo exhiberet reverentiam. LOQUITUR: loqui vult, mandare vult.

V. 16. SOLVE CALCEAMENTUM, in perſonæ quam alloquebatur, & loci in quo ſtabat, reverentiam.

TIRINI.

Verſ. 2. FAC TIBI CULTROS LAPIDEOS. Hebraice, & Chaldaice, *cultros valde acutos*: neque vero neceſſum erat adhiberi ſemper lapideos cultros, ut dixi Geneſ. XVII. ET CIRCUMCIDE SECUNDO FILIOS ISRAEL; id eſt, inſtaura morem circumcidendi, primo inchoatum a patribus veſtris, & continuatum perpetuo a poſteris uſque ad egreſſum ex AEgypto, ſed iam per quadraginta annos intermiſſum. Neque enim potuerant natos in deſerto circumcidere propter evidens mortis periculum, cum nullam haberent uſpiam certam quietem, ſed ad omnem columnæ motum vaſa colligere, & ſubito caſtra movere deberent. Id vero iis qui forte tunc recens circumciſi fuiſſent, vitæ periculum maximum creaſſet. Ita S. Thomas, Abulenſis, Maſius, Pererius *a*, Serarius. Ad primum vero ingreſſum terræ promiſſæ voluit Deus omnes circumcidi, ut ſic pio hoc ritu inchoarent poſſeſſionem terræ illius. Secundo, ut poſſent ſtatim comedere paſcha, cui præfixus erat dies decimuſquartus ad veſperam, ſeu occaſum ſolis iam iam imminens. Tertio, ut hac via tolleretur a Iudæis opprobrium AEgypti, ſeu gentilium, id eſt præputium, quod magno ſuo probro ex AEgypto plerique ſecum detulerant, ſcilicet qui ſub ultima tempora cum in dies urgeretur egreſſus, in AEgypto nati fuerant: reliqui qui in deſerto nati, quia ratione eiuſdem egreſſus ex AEgypto, & perpetui itineris ad hæc uſque tempora continuati, circumcidi non potuerant, eodem quoque AEgypti probro dicebantur onerati. Iam vero hoc probro remoto ab illis, ſeu revoluto, per

Digitized by Google

circumciſionem, nomen inde loco inditum Galgala a galal, ſeu gilgal, quod revolvere, ſeu removere ſignificat. Cetera quæ ſpectant ritum circumciſionis, eiuſque myſteria, & cauſas, & effectus, explicui Geneſ. XVII. quæ vero ſolemnitatem paſchæ, Exodi XII. & Deuteron. XVI. denique de manna, quod iam demum poſt tranſitum Iordanis defeciſſe dicitur, fuſe egi Exodi XVI.

V. 13. & 14. NOSTER ES, AN ADVERSARIORUM? hoc eſt, an e noſtris es caſtris, an de numero es Chananæorum? Hinc apte reſpondet, NEQUAQUAM; quaſi dicat: De neutro ſum grege: SED SUM PRINCEPS EXERCITUS DOMINI; id eſt, ſum Michael princeps Synagogæ, ut dicitur Danielis x. verſ. 21. & cap. XII. verſ. 1. Ita Theodoretus, Pantaleon, Lyranus, Caietanus, Viegas, Villalpandus, Schererus *b*, Serarius. ET NUNC VENIO, ſcilicet iuſſu & miſſu Dei, ut ſingulari præſentia mea, licet inviſibili, vobis perpetuo adſim adverſus hoſtes veſtros; quaſi dicat: Ne metuatis, bello non interero tantum, ſed & præero: me duce, terrebuntur, fugabuntur, proſternentur hoſtes omnes: hic gladius quem diſtrictum teneo, certiſſimam vobis opem, hoſtibus extremam afferet perniciem.

V. 16. SOLVE ergo CALCEAMENTUM TUUM DE PEDIBUS TUIS, ut Deo, cuius ego perſonam refero, debitam reverentiam exhibeas. De quo vide Exodi III. verſ. 5.

(*a*) S. Thom. III. Par. quæſt. LXX. art. 4. Abulenſ. quæſt. XX. LVII. LIX. Pererius in Geneſ. &c.

(*b*) Theod. quæſt. IV. Pantaleon orat. in S. Michael. Viegas in Apoc. XII. Villalp. in Ezech. XL. cap. VII. Scher. conc. II. de S. Michaele.

GORDONI.

Verſ. 1. REGES AMORRHAEORUM, qui habitabant trans Iordanem, & ad occidentalem plagam (de his enim Amorrhæis nunc loquitur) correpti ſunt timore: nam Amorrhæi qui erant ex altera parte ſub regibus Sehon, & Og, iam erant devicti a Moſe, & data eorum terra tribubus Ruben, & Gad. Chanaan vero hic complectitur etiam Philiſtinos.

V. 2. FAC TIBI CULTROS LAPIDEOS. Heb. *cultros acierum*, ſeu *petrarum*, צרים: nam צור *tzur* petram etiam ſignificat, aut cultri aciem. Non ergo male aliqui intelligunt cultros acutos, ſeu novaculam; alii petram, ſeu petrinum cultrum: res eſt in opinione utrimque probabili. Ab hac circumciſione Iudæi a Romanis vocati ſunt Apellæ, ſeu ſine pelle, utpote abſciſſa. Ceterum de circumciſione vide Exod. IV. & Gen. XVII. ubi datum eſt hoc præceptum circumciſionis, quod obligabat octavo die, & non antea. Si prius moreretur puer, ſufficiebat proteſtatio fidei Chriſti futuri. In deſerto ob labores itineris, & alia, Deus non exegit circumciſionem: & præſertim quia debebant eſſe parati ad iter, quoties nubes moneret.

V. 6. QUIBUS ANTE IURAVERAT, &c. Non tamen Deus pactum violavit, quibus iuravit fore ut introducerentur in terram promiſſionis: immo etiam aſſeruit fore ut non introducerentur, nempe Num. cap. XIV. quando populus murmuravit. Utraque enim aſſertio vera eſt, ſuppoſitis conditionibus, quibus illæ nitebantur: nempe ſi fecerit, vel non fecerit quod proponebatur a Deo. Quare non pugnant duæ editiones vulgatæ: antiquior, ſcilicet confirmata per Concilium Tridentinum, ubi hæc verba leguntur ſub affirmatione, *Ut oſtenderet eis terram*; & nunc recentior approbata per Sixtum V. ubi ſub negatione eſt, *Ut non oſtenderet eis terram*.

V. 8. POSTQUAM AUTEM CIRCUMCISI SUNT, &c. Quamvis adhuc lex circumciſionis ante obtentam quietem nondum communiter obligaret, donec victo hoſte, arca quietem, & locum inveniret, ut colligitur ex Deuteron. XII. & Exod. XXIV. tamen quia in Galgalis parabatur phaſe, recte præmittitur circumciſio, ſine qua non patebat aditus ad phaſe; & quia Deus hanc ſpecialem, & ſecundam circumciſionem imperavit, verſ. 2.

V. 9. GALGALA. Situm loci iam dedi. Hic Saul unctus eſt a Samuele; hic Amalec occiſus a Saule I. Reg XV. Ioſephus Galgala *libertatem* interpretatur: Heb. *Guilgal*: alii *revolutionem*: hinc בגלגל *bagalgal in orbe*, vel *ſphæra*.

V. 10. ET FECERUNT PHASE. Primum Phaſe in AEgypto; alterum in Sina, Num. IX. tertium in Galgalis. Vide ritum ſupra, Exod. XI. & XII. De variis Iudæorum feſtis dixi Levit. XXIII. Deficiſ-

manna.

Digitized by Google

manna ipſo die ſolemnitatis azymorum.

V. 13. IN AGRO URBIS IERICHO. Ita noſter Interpres. In Hebræo eſt, *in Iericho*, ביריחו *bericho*; ſed idem eſt ſenſus, quamvis Septuaginta ſequantur lectionem Hebraicam. Vir hic Angelus eſt, nempe princeps exercituum Domini, ut habet textus; ac proinde qui populo huic præſidebat. Conſtat autem ex Daniel. x. hunc eſſe Michaelem Archangelum, datum poſtea cuſtodem Eccleſiæ Chriſtianæ.

CAPUT VI.

Poſt varios ſeptem dierum circuitus, Iericho capta funditus deletur, ſervata Rahab cum ſuis; reædificatori urbis maledicitur.

1. IEricho autem clauſa erat atque munita, timore filiorum Iſ-
rael, & nullus egredi audebat, aut ingredi. 2. Dixitque Do-
minus ad Ioſue: * Ecce dedi in manu tua Iericho, & re-
gem eius, omneſque fortes viros. 3. Circuite urbem cuncti bel-
latores ſemel per diem: ſic facietis ſex diebus. 4. Septimo autem
die ſacerdotes tollant ſeptem buccinas, quarum uſus eſt in iubi-
læo, & præcedant arcam fœderis: ſeptieſque circuibitis civita-
tem, & ſacerdotes clangent buccinis. 5. Cumque inſonuerit vox tubæ longior atque
conciſior, & in auribus veſtris increpuerit, conclamabit omnis populus vocifera-
tione maxima, & muri funditus corruent civitatis, ingredienturque ſinguli per lo-
cum contra quem ſteterint. 6. Vocavit ergo Ioſue filius Nun ſacerdotes, & di-
xit ad eos: Tollite arcam fœderis: & ſeptem alii ſacerdotes tollant ſeptem iubi-
læorum buccinas, & incedant ante arcam Domini. 7. Ad populum quoque ait:
Ite, & circuite civitatem, armati, præcedentes arcam Domini. 8. Cumque Io-
ſue verba finiſſet, & ſeptem ſacerdotes ſeptem buccinis clangerent ante arcam
fœderis Domini, 9. omniſque præcederet armatus exercitus, reliquum vulgus ar-
cam ſequebatur, ac buccinis omnia concrepabant. 10. Præceperat autem Ioſue
populo, dicens: Non clamabitis, nec audietur vox veſtra, neque ullus ſermo
ex ore veſtro egredietur: donec veniat dies in quo dicam vobis: Clamate, &
vociferamini. 11. Circuivit ergo arca Domini civitatem ſemel per diem, & re-
verſa in caſtra, manſit ibi. 12. Igitur Ioſue de nocte conſurgente, tulerunt ſa-
cerdotes arcam Domini, 13. & ſeptem ex eis ſeptem buccinas, quarum in iubi-
læo uſus eſt: præcedebantque arcam Domini ambulantes atque clangentes: &
armatus populus ibat ante eos, vulgus autem reliquum ſequebatur arcam, &
buccinis perſonabat. 14. Circuieruntque civitatem ſecundo die ſemel, & reverſi
ſunt in caſtra. Sic fecerunt ſex diebus. 15. Die autem ſeptimo, diluculo conſur-
gentes, circuierunt urbem, ſicut diſpoſitum erat, ſepties. 16. Cumque ſeptimo
circuitu clangerent buccinis ſacerdotes, dixit Ioſue ad omnem Iſrael: Vocifera-
mini: tradidit enim vobis Dominus civitatem: 17. ſitque civitas hæc anathema:
& omnia quæ in ea ſunt, Domino: ſola Rahab meretrix vivat, cum univerſis
qui cum ea in domo ſunt: (*a*) abſcondit enim nuntios quos direximus. 18. Vos
autem cavete, ne de his, quæ præcepta ſunt, quippiam contingatis, & ſitis præ-
varicationis rei, & omnia caſtra Iſrael ſub peccato ſint atque turbentur. 19.

Quid-

Quidquid autem auri & argenti fuerit, & vaſorum æneorum ac ferri, Domino conſecretur, repoſitum in theſauris eius. 20. (*b*) Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, poſtquam in aures multitudinis vox ſonituſque increpuit, muri illico corruerunt: & aſcendit unuſquiſque per locum, qui contra ſe erat: (*c*) ceperuntque civitatem, 21. & interfecerunt omnia quæ erant in ea, a viro uſque ad mulierem, ab infante uſque ad ſenem. Boves quoque & oves & aſinos in ore gladii percuſſerunt. 22. Duobus autem viris, (*d*) qui exploratores miſſi fuerant, dixit Ioſue: Ingredimini domum mulieris meretricis, & producite eam, & omnia quæ illius ſunt, ſicut illi iuramento firmaſtis. 23. (*e*) Ingreſſique iuvenes, eduxerunt Rahab, & parentes eius, fratres quoque, & cunctam ſupellectilem, ac cognationem illius, & extra caſtra Iſrael manere fecerunt. 24. (*f*) Urbem autem, * & omnia quæ erant in ea, ſuccenderunt: abſque auro & argento, & vaſis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini conſecrarunt. 25. Rahab vero meretricem, & domum patris eius, & omnia quæ habebat, fecit Ioſue vivere, & habitaverunt in medio Iſrael uſque in præſentem diem: eo quod abſconderit nuntios, quos miſerat ut explorarent Iericho. In tempore illo imprecatus eſt Ioſue, dicens: 26. (*g*) Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitaverit & ædificaverit civitatem Iericho. In primogenito ſuo fundamenta illius iaciat, & in noviſſimo liberorum ponat portas eius. 27. Fuit ergo Dominus cum Ioſue, & nomen eius vulgatum eſt in omni terra.

(*a*) Sup. ii. 4. Hebr. xi. 31. (*b*) Hebr. xi. 30. (*c*) II. Mach. xii. 15. (*d*) Sup. ii. 1. 14. (*e*) Hebr. xi. 31. (*f*) Infra viii. 2. (*g*) III. Reg. xvi. 34.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 2. *Ecce dedi in manu tua Iericho*. Antiqui libri legunt ſextum caſum, non quartum *manus tuas*.

V. 24. *Et omnia quæ erant in ea*. Pro *erant* alii habent *fuerunt*, alii *inventa ſunt*: nam huiuſmodi aliquid Hebraice ſubaudiendum relinquitur.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 4. Buccinas, ſcilicet *ex cornibus arietis*, ut eſt Hebr. & Chald.

V. 5. Longior atque concisior. Hebr. & Chald. ſolum eſt *longior*, ſeu *protractior*: verum id quando fit, ſubinde conciditur ſonus, ſeu interrumpitur. Funditus. Hebr. *ſubtus ſe*: ſcilicet abſorpti a terra.

V. 6. Iubilaeorum. Hebr. & Chald. *arietinas*, ſcilicet ex cornibus arietum factas: ſic & inf. Quidam tamen corneas concedunt, arietinas fuiſſe negant, nec id Hebr. verbum ſignificare.

V. 8. Clangerent. Id poſtea factum.

V. 9. Buccinis, ſcilicet ſacerdotum.

V. 12. De nocte. Hebr. Chald. & LXX. *mane*.

V. 13. Personabat, ſcilicet via, vel campus, quotidie.

V. 17. Anathema; quaſi dicat: Prorſus deleatur. Domino, id eſt ad honorem Domini; vel quaſi dicat: Conſecretur Domino. Chald. *ante Dominum*.

V. 20. Vociferante; id eſt, poſtquam audita vox præcipiens, de qua ſupra, & ſonitus buccinarum, ut ſtatim dicitur. Corruerunt, ſcilicet abſorpti in terram, ſecundum Hebr. & Chald.

V. 24.

Digitized by Google

V. 24. Ferro, pro ferreis.

V. 25. Vivere, id eſt ſervari.

V. 26. Primogenito, ſcilicet mortuo. Noviſſimo. ſcilicet mortuo; quaſi dicat: Moriantur ei filii omnes antequam abſolvat. Vide III. Reg. xvi.

ESTII.

Verſ. 2. Dixitque Dominus ad Iosue, ſcilicet per Angelum principem exercitus Domini: continuata eſt enim narratio cum fine capitis præcedentis.

V. 5. Et muri funditus corruent civitatis. Heb. *Et cadet murus civitatis ſub ſe*; quaſi dicat: Abſorbebitur a terra; ita ut mænibus ſolo æquatis, ſine impedimento poſſitis prorumpere in civitatem. Hoc enim ſequitur: Ingredienturque singuli per locum contra quem steterint: quod & factum narratur verſ. 20.

V. 9. Reliquum vulgus arcam sequebatur. Heb. *Et colluvies ibat poſt arcam Domini*, id eſt extremum agmen. quod erat tribus Dan. Ita hoc explicat Scholion Vatabli ex Num. x.

V. 14. & 15. Sic fecerunt sex diebus. Die autem septimo, &c. In his diebus etiam ſabbatum haud dubie comprehendebatur. Nec tamen propterea diſpenſationem ſabbati hic factam oportet. Non enim hoc erat ex operibus in ſabbato prohibitis; tum quia non erat niſi circuitus civitatis; tum quia opus erat directe ordinatum ad Dei virtutem in ſubverſione illius civitatis declarandam.

V. 26. Maledictus.... qui suscitaverit et aedificaverit civitatem Iericho. Hæc verba Ioſue non tantum imprecatoria ſunt, ſed etiam prophetica, quibus prædicitur quid eventurum ſit illi qui Iericho reædificaret. Impletum eſt autem tempore Achab regis, ut habetur III. Reg. xvi.

MARIANAE.

Verſ. 1. Iericho autem clausa erat atque munita. Hebr. *Claudens*, ſcilicet ſuos, *& clauſa*, ſcilicet erat. Timore filiorum Israel: Hebr. *a facie*: id eſt propter filios Iſrael.

V. 2. Ecce. Hebr. *vide*; ſed tantumdem id eſt. In manu tua: non *in manus tuas*, ut quidam codices habent: ſcilicet dedi Iericho.

V. 4. Sacerdotes tollant septem buccinas, quarum usus est in iubilaeo. Vocem Hebraicam יובלים *iobelim*, Chald. & Hebræi putant ſignificare *arietes*; quaſi dicat, ſeptem buccinas arietinas. Sept. & Hieron. pro *iubilæis* accepere. Sub iudice lis eſt. Vox Hebr. utrumque ſignificat.

V. 5. Atque concisior. Id non eſt Hebraice, niſi quod quando ſonus tubæ producitur, conciditur etiam ſæpe: ideo id Hieronymus addidit. Et muri funditus corruent. Hebr. *Et cadet murus civitatis ſub ſe*. Hieronymus pro *ſub ſe*, vertit *funditus*. Quid ſi vertas, *Nullo impellente a ſe cadet*. Chald. *Cadet murus abſorptus a terra*; quaſi dicat: Deſident muri, ſubtus terra dehiſcente. Contra quem. E regione cuius ſteterint, per eum locum aſcendent, ſive ingredientur in urbem ſinguli milites.

V. 7. Circuite civitatem, armati, praecedentes arcam Domini. Hos Hebræi dicunt fuiſſe Rubenitas, Aſeritas, & dimidiam tribum Manaſſe. Nempe ſuperius illis iuſſum erat ut armati præcederent fratres ſuos.

V. 9. Reliquum vulgus arcam sequebatur. Hebr. *Et colligens ibat poſt arcam*. Hoc Hieronymus intellexit de populi multitudine. Chald. & Hebræi de tribu Dan, qui claudebat totum agmen, & colligebat reliquas copias: Num. x. verſ. 15.

V. 12. Igitur Iosue de nocte consurgente. Hebr. *Mane ſurrexit Ioſue in diluculo*: & ſic vertit ipſe Hieronymus verſ. 15. ubi eſt idem verbum Hebr. *diluculo conſurgentes*.

V. 15. Circuierunt urbem, sicut dispositum erat. Hebr. *ſecundum iudicium hoc*. Sed *iudicium* ſumitur pro diſpoſitione, ſtatuto, & more.

V. 17. Sitque civitas haec anathema. חרם *herem* vox Hebr. quam Græce *anathema* vertunt, ſignificat, rem quæ ita Deo dicatur, penitus exſcindi debere.

V. 18. Vos autem cavete, ne de his quae praecepta sunt,

QUI-

Digitized by Google

QUIPPIAM CONTINGATIS. Hebr. *Vos cuſtodite ab anathemate, ne anathematizetis* (ſcilicet vos ipſos, aut caſtra) *& tollatis ex anathemate, & ponatis caſtra Iſrael in anathema, & turbetis illa*. Sententia in Vulgata redditur. Occiderunt homines, pecudes, iumenta.

V. 21. IN ORE GLADII. Aciem gladii vocat *os*, quia devorat, cum occidit.

V. 24. ET OMNIA QUAE ERANT IN EA. Hebr. *Omnia quæ in ea*; ſupple, erant. Sic Gotth. & Rom. AC FERRO. Poteſt etiam verti *ferreis*, ſcilicet vaſis; quæ cum auro, & argento, & ære intulerunt in ærarium.

V. 25. FECIT IOSUE VIVERE, id eſt conſervavit. Quidam ad victum referunt: Dedit unde viverent: non vitam tantum, ſed alimenta tribuit Rahab, & domeſticis. IMPRECATUS EST. Hebr. *Adiuravit*, ne ſcilicet quis Iericho reædificaret.

V. 26. IN PRIMOGENITO SUO. Hoc eſt, moriatur maior filius, cum cœperit opus, & minimus cum finierit: omnes filii pereant. Id accidit Hieli III. Regum XVI. verſ. 34. qui Iericho inſtauravit contra hanc comminationem.

MALVENDAE.

Verſ. I. CLAUSA ERAT ATQUE MUNITA. Hebr. ſunt duo participia eiuſdem verbi: primum activum coniugationis Kal, סוגרת *ſogcreth*, *claudens*; poſterius paſſivum formulæ Phiel, מסגרת *meſagereth*, *valide concluſa*. Varie reddunt. I. *Clauſibilis*, *& clauſa*. II. *Concludebat*, *& concluſa erat*. III. *Clauſa erat diligentiſſime*. Nam geminatio, eiuſdem verbi id plane ſignificare videtur. IV. *Clauſa, probe, inquam, clauſa erat*. V. *Claudens viros ſuos, & clauſa a facie filiorum Iſraelis*. VI, metonymice: *Cives autem Iericbuntis occluſerant eam, & occluſam continebant*. VII. *Clauſa, & concluſa*, id eſt intus, & foris clauſa, interius, & exterius concluſa vectibus, peſſulis, & ſeris omnium generum quam fortiſſimis. Chaldæus: *Clauſa foribus ferreis, & roborata vectibus chalybcis*. Hiſpanice, *Cerrada, y recerrada*, id eſt multipliciter, & valide clauſa. Hiſpanica Translatio, *Cerrada, y bien cerrada*. Plerique exponunt: *Claudens* incolas, ne exirent; *& clauſa* hoſtibus, ne intrarent. Unde exegetice ſubdit: *Et nullus egredi audebat, aut ingredi*. Quidam explicant: Clauſa portis, & concluſa obſidione Iſraelitarum. Haud inepte, primum participium *claudens* ad ſeras retulerim, ſecundum *concluſa* ad peſſulos, vectes, obices, & nova addita munimenta portis firmandis; quaſi dicat, nedum ſeris clauſa, ſed validis repagulis munita. Sed Noſtri ſenſum omnibus aliis prætulerim, quod Iericho non ſolum portis obſerata, ſed muris, machinis bellicis, robore militum, validis propugnaculis tota egregie munita eſſet. TIMORE FILIORUM ISRAEL. Hebr. *a facie filiorum Iſrael*. Quidam, *propter præſentiam filiorum Iſrael*. Alii, *cauſa filiorum Iſrael*, vel *propter filios Iſrael*. Nonnulli, *ante conſpectum filiorum Iſrael*, vel *ante filios Iſrael*: ne videlicet illi poſſent ingredi. Plerique cum Noſtro, *metu filiorum Iſrael*. Aliqui hæc verba ſignificare volunt, iam tunc caſtra prope Iericho admota, & urbem obſidione cinctam.

V. 2. DIXITQUE DOMINUS AD IOSUE. Recte putant, eummet qui ſuperiore cap. verſ. 13. *vir*, & verſ. 14. & 15. *princeps militiæ* dicitur, nunc appellari IHUH. Nam alioqui, ſi non eſt idem illemet; ille ſane nulla peculiaria mandata de rebus inſtantibus Iehoſuæ dediſſet. OMNESQUE FORTES VIROS. *Viros virtutis*. Quidam, *fortes virtutis*; id eſt, virtute bellica illuſtriſſimos: alii, *viros fortiſſimos*: nonnulli, *valentes robore*: aliqui, *potentes exercitus*, ſive *copiarum*. Quia Hebr. nulla interponitur coniunctio, appoſitive quidam exponunt, *Iericho & regem eius, viros fortes*; id eſt, qui cives Ierichuntini, & rex eius viri ſunt fortes, & valentes robore: ut hic *Iericho* non pro urbe, ſed pro civitate, id eſt civibus, capiatur. Sed plura ſunt in Scripturis aſyntheta. Unde Hiſpanicus Interpres, *Con ſus varones de guerra*. Sic cap. I. verſ. 14. & cap. VIII. verſ. 3.

V. 4. SEPTEM BUCCINAS, QUARUM USUS EST IN IUBILAEO. Hebr. *ſeptem tubas Iobelim*. Quidam reddunt, *buccinas arietum*, ſive *arietinas*: nimirum ex cornu arietino excavatas. Alii, *buccinas iubilorum*; id eſt, quæ ederent ſonitum ſeu clangorem, productiorem, & intenſiorem, quem iubilum apte ex Hebraica voce Iobel

bel

Digitized by Google

bel poſſumus appellare. Noſter, *buccinas iubilæorum*; id eſt, quibus clangere ſolebant initio anni iubilæi, cum eum proclamabant. Vide de Iobel plura a nobis annotata in Exodum cap. XIX. verſ. 13. & Levit. XXV. verſ. 9. & 10. Sic infra verſ. 5. 6. 8. 13.

V. 5. CUMQUE INSONUERIT VOX TUBAE LONGIOR ATQUE CONCISIOR. Hic perſpicue Noſter nomen יובל *iobel* vertit, *Vox longior atque conciſior*. Et proculdubio ſignificatum *iobel*, cum verbo מ׳שך *maſchach* coniunxit: nam Hebr. eſt, *in protrahendo cornu iobel*; id eſt, cum inſonuerit vox cornu, ſeu tubæ, longior, atque conciſior, ſeu protactior, aut productior. Vide Exodi XIX. verſ. 13. nam ſunt eadem fere verba. Quod ait *cornu*, id eſt tuba, buccina. Varro Lib. IV. de Lingua Latina cap. XXIV. *Cornua, quod ea, quæ nunc ſunt ex ære, tunc fiebant ex bubalo cornu*. Vegetius Lib. III. cap. V. *Cornu, quod ex uris agreſtibus, argento nexum, temperato arte ſpiritu, quem canentis flatus emittit, auditur*. Virgilius initio VIII. AEneidos:

....Et rauco ſtrepuerunt cornua cantu.

Et VII.

AEreaque aſſenſu conſpirant cornua rauco.

Varie hunc locum reddunt. I. *Cum autem protrahent ſonitum cornu arietino*. II. *Et cum prolixi erunt cornu iubili*. III. *Et quando productiore ſono inflabunt cornu iubili*. IV. *Cumque cornu arietino ſonum intenderint*, vel *accenderint*, ſive *prolixius clanxerint*. V. *Cum tractim ſonabitur cornu arietino*. CONCLAMABIT. Hebr. *vociferabunt*. De verbo ריע *riagh* diximus Num. X. 7. Proprie eſſe aiunt, *voce plena, ac læta perſonare, ſive id fiat inſtrumento oris, ſive tubæ aut buccinæ*: per *tarantarizare*, Ennianum verbum, quidam apte exprimunt: voce conſona, aliqui exiſtimant, verbum Latinum *triumphare*, inde ex Hebr. *riach* mutuatum, in quantum eſt vocis, non, ut nunc Latini eo abutuntur, pro triumphum agere de reportata victoria, exhibere ſpectaculum, & pompam victoriæ. Hic quidam vertunt, *Ululabunt*; alii, *Triumphabunt*; nonnulli, *Claſſicum canent*; aliqui, *Fragore perſonabunt*. Sic verſ. 10. VOCIFERATIONE MAXIMA. Vim vocis תרועה *terughah*, quas eſt ab eodem verbo ריע *riagh*, elucidavimus Exod. XXXII. verſ. 17. & Levit. XXIII. verſ. 24. Hic convertunt, *ululatu magno*; alii, *triumpho magno*; nonnulli, *claſſico magno*; quidam, *fragore magno*: nos, *taratantarizatione grandi*. ET MURI FUNDITUS CORRUENT. Hebr. *Et cadet murus urbis ſub ſe*. Quidam exponunt, In loco ſuo. Alii: *Deſedet, terra ſubtus murum dehiſcente*; id eſt, magno miraculo abſorbebitur a terra, ut non ſit impedimento collapſus ipſis invadentibus. Ita nonnulli Hebræorum, & noſtrorum. Aliqui, *ſubtus ſe*; id eſt, cadet in foſſam, ut invadentibus repleta foſſa commodum præbeat ingreſſum. Sed nullus melius Noſtro: *Cadet murus ſubtus ſe*, id eſt a fundamentis, *funditus*. Sic verſ. 20.

V. 6. VOCAVIT ERGO IOSUE FILIUS NUN SACERDOTES. Hebr. *Et vocavit Iehoſuagh ad ſacerdotes*. Nonnulli reddunt: *Et clamavit ... ad ſacerdotes*. Forſan eis edixit voce præconis.

V. 7. AD POPULUM QUOQUE AIT. ויאמרו *vaiiomeru*, *& dixerunt*: ita Hebraica ſcribuntur; Hebræi tamen ויומר *vaiiomer* legunt, putantque poſtremum Vau redundare, & eſſe paragogicum: *Et dixit*. Nec inepte quidam exponunt: *Et dixerunt*, videlicet Ioſue, & ſacerdotes ad populum. Alii: *Et dixerunt populo*, nempe moderatores, & ſtatores populi, quos Hebraicus contextus ſolet appellare *Schoterim*, ex mandato nimirum quod Deus Iehoſuæ dederat ſupra verſ. 3. Sic enim civilis ratio poſtulabat, ut oſtenditur ſupra cap. III. verſ. 2. & 3.

V. 9. OMNISQUE PRAECEDERET ARMATUS EXERCITUS. Hebr. *Et extractus, expeditus, armatusquiſque ibat ante ſacerdotes*. Intelligunt hic חלוץ *chalutz*, *extractum*, ut etiam verſ. 7. Rubenitas, Gaditas, & dimidiam tribum Manaſſe, qui peculiari appellatione *extracti* dicuntur Num. XXXII. verſ. 17. 20. 21. 27. 29. 30. 32. & ſupra cap. IV. verſ. 12. quod ex numeroſa illorum multitudine, quadraginta millia præſtantiora extracta, ſelectaque fuerint, ut fratres ſuos comitarentur in bello Chananaico: vide cap. IV. verſ. 13. vel quod ex regione ſua nihil præter arma ferrent, armati, & expediti omnino. Hos volunt anteceſſiſſe arcam. Alii exiſtimant ſervatum hic omnino ordinem illum proficiſcendi exercitus, quem Deus

præſtituerat Num. x. nimirum in prima acie præcedebant Iudæi, Iſſacharini, & Zebulonitæ. Hos ſequebantur Levitæ Gerſonitæ, & Meraritæ, portantes apparatum ſacri tabernaculi. In ſecunda acie ibant Rubenitæ, Simeonitæ, & Gaditæ. Iſtos inſequebantur Levitæ Cahatitæ cum arca. Poſt arcam incedebant in tertia acie Ephraimitæ, Manaſſitæ, & Beniaminitæ. Ultimum agmen claudebant Danitæ, Aſeritæ, & Nephthalitæ. Ergo hic accinctum, ſeu extractum accipiunt Iudæos, Iſſacharianos, & Zebulonitas, qui in prima acie ante arcam progrediebantur armati. Alii tamen putant, *extractum* hic eſſe universe quotquot ex quavis tribu armis accincti, & inſtructi eſſent: hoſque omnes armatos inceſſiſſe ante arcam; inermes vero, ſeu reliquum vulgus pone arcam ſecutos fuiſſe. Quæ videtur ſententia Noſtri, & multorum: & omnino ceteris præferenda. Quidam hic reddunt: *Et primipilaris ordo præcedebat ſacerdotes*. Sic infra verſ. 13. RELIQUUM VULGUS ARCAM SEQUEBATUR. Hebr. *Et congregans*, ſive *collector pergebat poſt arcam*. De voce מאסף *meaſſeph* diximus Num. x. verſ. 25. Quidam reddunt. *Qui agmen cogebat*, vel *claudebat*. Alii *poſtrema coercens*: ut loquitur Virgilius IX. AEneidos. Plerique, *ultimum agmen*, vel *extrema acies*. Intelligi volunt Danitas, Aſeritas, & Nephthalitas, qui poſtremam exercitus, caſtrorumque aciem claudebant: eo enim nomine appellatur hæc acies Num. x. verſ. 25. Alii nominaliter ſubſtantive intelligunt, *collectionem colluviem* reliquam exercitus inermem; ut Noſter cum LXX. Sic verſ. 13. Quidam vertunt: *Et aggregator ibat poſt arcam*; id eſt, Ioſue aggregator, & dux virorum bellatorum ſequebatur arcam. AC BUCCINIS OMNIA CONCREPABANT. Hebr. *eundo, & concrepando buccinis*. Ambiguum eſt, & poteſt accipi de toto exercitu, vel extremo agmine, quod buccinis perſtreperet (nam quamvis Ioſue verſ. ſequenti interdicat vociferationem, clamores, voces; nihil tamen de cantu tubarum) quod ſecuti videntur LXX. & Noſter: vel tantum de ſacerdotibus, ſiquidem iis ſingulariter imperatum fuerat ut tubis canerent: quo etiam verba Noſtri reduci queant. Quem ſenſum plerique magis probant, unde reddunt: *Denique extrema acies ſequebatur arcam, pergentibus ſacerdotibus, & clangentibus buccinis illis*. Sic verſ. 13.

V. 15. DILUCULO CONSURGENTES. Hebr. *Et manicaverunt*, vel *diluculaverunt, iuxta aſcendere auroram*. Duplicem ſenſum hæc verba ferunt, iuxta ſubduci, tolli, auferri, evaneſcere, finiri, auroram, id eſt abeunte aurora, poſt auroram: vide Geneſ. XVII. verſ. 22. vel exoriente, incipiente, aperiente ſe aurora. Quomodo accipiendum, incertum; ſed parum intereſt. Quidam vertunt, *Cum aurora exoriretur*: alii, *oboriente crepuſculo*. SICUT DISPOSITUM ERAT. Hebr. *ſecundum, iuxta, iudicium iſtud*. Varie reddunt: *Iuxta hunc morem; ad iſtum modum; eadem ratione; ut conſtitutum erat; ſicut ratio iſta*; id eſt, ſolito more aliarum gyrationum.

V. 16. CUMQUE SEPTIMO CIRCUITU CLANGERENT BUCCINIS. Recte quibuſdam annotatum, hunc verſiculum tantum continere mandatum, & apparatum canendi, & vociferandi; executionem vero, ac rem deſcribi verſ. 20. Ergo quod ait, *Cum ſeptimo circuitu clangerent buccinis*; id eſt, cum ſeptimo die circuitio ſeptima adornaretur, iamque ſacerdotes buccinas inflare pararent: tunc Ioſuam edixiſſe populo, ut ſimul atque audirent buccinarum clangorem, ipſi pariter vociferarentur. Nam alioqui concrepantibus iam buccinis, ægre & dari, & accipi potuiſſent mandata de vociferando, de conſervanda Rahaba, de anathemate urbis, &c. quæ verſ. 17. 18. & 19. exprimuntur.

V. 17. SITQUE CIVITAS HAEC ANATHEMA. De voce חרם *cherem*, deque modo devovendi, ſeu devotandi urbes, vide Exodi XXII. verſ. 20. Levitici XXVII. verſ. 21. & 29. Num. XXI. verſ. 2. Deuteronom. XIII. verſ. 15. 16. & 17. *Cherem* proprie eſt *res internecioni, & excidio devota, devotio, devotum, devotorium, devotatio, devotamentum, exciſio, pernicies, abolitio, deſtructio, vaſtatio, perditio, proſcriptio*. SOLA RAHAB MERETRIX VIVAT. Valerius Maximus Lib. V. cap. 11. *Cum a Fulvio Capua obſideretur, Cluvia Facula meretrix captis militibus Romanorum alimenta ſubminiſtrare non deſtitit. Urbe illa oppreſſa, ſenatus huic & libertatem, & bona reſtituit: & ſi quid amplius*

præ-

præmii petiſſet, libenter ſe daturum aſſeveravit. ABSCONDIT ENIM NUNTIOS. Verbum החבאתה *hechbeatah* eſt præteritum Hiphil cum duplici nota feminea, Thau, & He; & deſignat ſtrenuam, & induſtriam operam mulieris in occultando legatos: unde quidam vertunt: *Quia fideliter abſcondit legatos illos*. QUOS DIREXIMUS. Hebr. *miſimus*. Pluraliter loqui volunt Ioſue honoris cauſa, ut de ſe loqui ſolent principes. Alii, *quos miſimus*, ego cum primoribus, clam populo, ſupra cap. II. verſ. I.

V. 18. VOS AUTEM CAVETE, NE DE HIS QUAE PRAECEPTA SUNT, QUIPPIAM CONTINGATIS, ET SITIS PRAEVARICATIONIS REI. Heb. *Et tantum vos cavete ab anathemate, ne forte anathematizetis, & accipiatis de anathemate*. Plerique Hebræorum illud, *Ne anathematizetis*, exponunt: Id eſt, ne rapite, vel attingite quidquam de anathemate: nam exegetice ſtatim ſubdit: *Ne accipiatis de anathemate*. Alii vero paſſive interpretantur: *Ne fiatis anathema*, aut *ne devoveatis vos ipſos*: ne ſitis rei anathematis, ne crimen anathematis ſubeatis, ob quod proſcribendi ſitis. Quidam contra vim formulæ Hiphil, reddunt: *Ne anathematizemini*; id eſt, ne devoveamini internecioni, ne exſcindamini. Iam varie locum Interpretes convertunt. I. *Verumtamen vos cavete ab anathemate, ne forte contingatis aliquid de anathemate, tollatiſque de anathemate*. II. *Et tantum vos cavete ab anathemate, ne forte anathematizetis; hoc eſt, accipiatis de anathemate*. III. *Verumtamen vos cavete ab anathemate, ne forte vaſtantes capiatis de anathemate*. Illud פן-תחרימו *pen-tacharimu*, *ne quando anathematizabitis*, capiunt pro *ne quando vaſtabitis, excidetis, deſtruetis urbem, capiatis de anathemate*. IV. *Verumtamen vos tantum ſervate vos ab anathemate, ne efficiatis vos anathema, accipientes de ipſo anathemate*: exponuntque: *Servate vos*; id eſt, & vos ipſos ſinguli, & alii alios. Vide cap. VII. verſ. I. *Ne efficiatis vos anathema*; id eſt, eidem exitio vos obnoxios reddatis. Sic Deuteron. VII. verſ. 26.

V. 19. REPOSITUM IN THESAURIS EIUS. Hebr. *In theſaurum* IHUH *veniet*. Chaldæus: *In theſaurum domus ſacrarii Domini inferantur*, id eſt in tentorium conventus, ubi etiam manubiæ Madianitarum Iehovæ aſſervabantur, Num. XXXI. verſ. 54.

V. 20. ET CLANGENTIBUS TUBIS, nempe ſacerdotum. Totus hic ſeptem dierum apparatus clangentium tubarum iubilæorum, promiſſionem præſentis opis divinæ continebat, Num. X. verſ. 9. *Et cum veneritis in bellum in terra veſtra, contra coarctatorem coarctantem vos, taratantarizabitis in tubis, & memoria erit veſtri coram* IHUH: *& ſervabimini ab inimicis veſtris*. Et vero moris fuit antiqui, ut ad ululatum exercitus, tubarumque ſonitum urbes exſcinderentur. Virgilius in excidio Troiæ Lib. II. AEneidos:

Exoritur clamorque virum, clangorque tubarum.

Ubi Servius: *Illud ſane ſciendum eſt, quia morem tetigit expugnationis. Plerumque enim ad tubam evertunt civitates: ſicut Albam Tullus Hoſtilius iuſſit everti*. Atqui de hac Albæ ad tubæ ſonum everſione putant Ennium Lib. II. Annalium illum verſum ceciniſſe:

At tuba terribili ſonitu taratantara dixit.

V. 22. DIXIT IOSUE. Quidam per plusquam perfectum reddunt, *Dixerat*, ſcilicet inter alia mandata ante ultimam circuitionem, verſ. 17. Non enim credibile eſt, inquiunt, Ioſuam, capta iam urbe, graſſanteque promiſcua omnium cæde, ſed mature cum alia moneret, quæ verſ. 17. ſunt expoſita, ſimul iſta edixiſſe. Sed nihil neceſſe, cum Rahab, & tota domus eius ſigno coccineæ metaxæ ſervata inter promiſcuam cædem, peracta internecione, e domo ſua cum ſuis, ante incendium, extra caſtra educi ab duobus exploratoribus recte potuerit.

V. 23. EXTRA CASTRA ISRAEL MANERE FECERUNT. Proculdubio ob religionem, quia caſtra ob arcam, & divinam præſentiam ſancta erant, & oportebat tantiſper extra cœtum eccleſiæ gentiles illos manere, dum initiarentur, expiarentur, purgarentur, circumciſione, catechiſmo, aliiſque ſacris ritibus imbuerentur, ac ſolemniter in populum Dei reciperentur, ut Num. XXXI. verſ. 19. Vide infra verſ. 25.

V. 25. ET HABITAVERUNT IN MEDIO ISRAEL. Hebr. *Et habitavit, manſit*, Rahab ſcilicet, &c. & nupſit, ut ſe-

re omnes affirmant, Salmoni filio Nahaſonis principi in tribu Iudæ. Matth. 1. verſ. 5. USQUE IN PRAESENTEM DIEM, id eſt deinceps, poſtea, in perpetum, ſtatuto perpetuo & immutabili. Vide S. Auguſtinum Locutionum in Ioſue Lib. VI. & quæ ſupra notavimus cap. IV. verſ. 9. IMPRECATUS EST IOSUE. Hebr. *Iurare fecit*, vel *coniuravit*; *adiuravit*, ſcilicet filios Iſrael. Quidam: *Adiuratione execratus eſt*. Proculdubio fuit iuramentum execratorium, ſeu imprecatorium.

V. 26. CORAM DOMINO, id eſt a Domino, vel decreto Domini. Alii: Hoc eſt, ut ego tamquam Domini miniſter & præco, ipſo præſente, denuntio: quo ultore & vindice periurii ratum, firmum, fixumque eſto. SUSCITAVERIT. Videtur Noſter legiſſe יקים *iakim*, *ſurgere faciet*, *excitabit*, *ſtatuet*; at exemplaria conſtanter nunc habent יקום *iakum*, *ſurget*, *ſtabit*. Quidam exponunt: Id eſt, naſcetur, exorietur, aut olim futurus eſt: ut apud Virgilium Ecloga. IV.

.. *& toto ſurgens gens aurea mundo*.

Alii: Id eſt, operam dabit, ſtudebit, conabitur ut ædificet, inſtauret. AEDIFICAVERIT CIVITATEM IERICHO. Simile quid de everſa a Scipione Carthagine cenſuiſſe Senatum, ſcribit Appianus in Punicis, pag. 84. *Interdixeruntque Patres, ne quis ibi habitet: additis etiam diris devotionibus, ſi quis contra faciat: præſertim ſi quis Byrſam, Megaraque condat de novo*. Zonaras Tomo II. Annalium: *Carthago funditus everſa eſt, & eius ſolum diris imprecationibus obſtrictum, ne quis in eo umquam habitaret*. Alio quoque ritu urbes olim evertebantur, ut iis everſis aratrum imprimeretur. Servius in illud IV. AEneidos, *Aut littus arandum*, inquit: *Videtur illud attingere moris antiqui, quod cum conderetur nova civitas, tauro & vacca, ita ut vacca eſſet interior, a magiſtratu muri deſignarentur. Nam ideo ad exaugurandas vel diruendas civitates aratrum adhibitum, ut eodem ritu quo condita, ſubvertatur. Horatius*:

... Imprimeretque muris.
Hoſtile aratrum ....

Vide ipſum Servium in illud AEneidos V.

.... Urbem deſignat aratro.

Locus Horatii eſt Lib. I. Carminum ode XVI.

.... & altis urbibus ultimæ
Stetere cauſæ, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens:

Lucanus VII. Pharſaliæ:

Sarmaticumque premat ſuccinctus conſul aratrum.

Et Iuriſconſultus lege XXI. D. Quib. Mod. uſusfr. ait: *Civitatem eſſe deſiviſſe eam, cui aratrum inductum ſit, ut paſſa eſt Carthago. Et capitale eſt in illo ſolo vel caſam, aut humile ſuperficium ſtruere*. Seneca Lib. I. de Clementia, cap. XXVI. *Aratrum vetuſtis urbibus inducere*. Vide Cælium Rhodiginum Lib. XXVI. Lectionum Antiquarum, cap. V. IN PRIMOGENITO SUO FUNDAMENTA ILLIUS IACIET, ET IN NOVISSIMO, &c. Senſus perſpicuus eſt: Quicumque ullo umquam tempore urbem Iericho inſtaurare aggreſſus fuerit, id ei ſtet omnium filiorum ſuorum exitio; ſicut operis auſpicium ſit ipſi mors primogeniti ſui: inter ædificandum vero intereant ceteri omnes intermedii; & ipſa operis poſtrema manu, cum fores urbi impoſuerit, natu minimus filiorum ipſius extinguatur. Quidam reddunt: *Pretio primogeniti ſui fundet eam, & pretio minimi ſui ſtatuat fores eius*. Huius execrationis effectum vide III. Regum XVI. verſ. 34. in Hiel de Bethel. Noluit quidem Deus inſtaurari Iericho; ſed inſtauratam non adeo reſpuit, quin ea commodam hominibus habitationem præbuerit: quam etiam ſua præſentia honoraverint ſancti Prophetę Elias, Eliſeus, & ipſe etiam Chriſtus Dominus.

MENOCHII.

Verſ. 1. IERICHO AUTEM CLAUSA ERAT ATQUE MUNITA. Chald. *Erat Iericho foribus occluſa ferreis, & æneis obſerata vectibus*. ET NULLUS EGREDI AUDEBAT, AUT INGREDI: quod non ſolum ſignificat urbis portas fuiſſe clauſas, ſed excubitores etiam & cuſtodes additos.

V. 2. DIXITQUE DOMINUS AD IOSUE. Angelus, qui illi apparuerant cap. 6. num. 31.

V. 4. SACERDOTES TOLLANT SEPTEM BUCCINAS. Erant hæ ſeptem ſacerdo-

dorum tubæ ex earum genere, quarum uſus erat in annorum iubilæorum indi-ctione Levit. xxv. 9. nam hic in Hebræo vocantur tubæ יובלים *iobelim*, & LXX. vocant *ἱερὰς σάλπιγγας*, *ſacras tubas*, quod tempore ſacro iubilæi eas inflarent ſacerdotes. Quo ad materiam, ex cornu arietis erant. PRAECEDANT ARCAM FOEDERIS. Iidem ſacerdotes qui in Iordanis tranſmiſſione arcam tulerant, videntur hic arcam circa Iericho tuliſſe: neque enim cauſa ulla eſt cur aut pauciores, aut plures, aut alios eſſe dicamus. Fuerunt ergo Eleazar, & Ithamar, aut huius loco Phinees. SACERDOTES CLANGENT BUCCINIS. Voluit Dominus clangi buccinis, ut oſtenderet bellum hoc Iſraelitis triſtitiæ nihil, gaudii vero plurimum allaturum. II. vult clangi ut in iubilæo, quia ut eo tempore omnes redibant ad poſſeſſionem ſuam, ita nunc illi ad promiſſam terram.

V. 5. CONCISIOR. Sonus conciſus eſt, cum morula aliqua interrumpitur, ac repetitur. In Hebræo, & Chaldæo ſolum eſt, *protractior*, aut *longior*; verum id, quando fit, ſubinde conciditur ſonus, ſeu interrumpitur. CONCLAMABIT OMNIS POPULUS, ad terrendos hoſtes, ad incitandos Iſraelitas, ad invocandum etiam Deum, & in lætitiæ argumentum.

V. 9. RELIQUUM VULGUS ARCAM SEQUEBATUR, viri, mulieres, iuvenes, ſenes; AEgyptii etiam proſelyti turbæ immixti.

V. 12. DE NOCTE CONSURGENS, ſummo mane.

V. 15. CIRCUIERUNT URBEM SEPTIES. Circuitiones omnes tredecim fuerunt, non, ut quidam Rabbinus computat, quatuordecim.

V. 17. SIT CIVITAS HAEC ANATHEMA. Quæ de anathematiſmo urbis, & Rahab conſervatione hic dicuntur, primum populo mandata, & explicata fuiſſe probabile eſt, nunc autem in memoriam tantum revocata. Iubetur autem civitas eſſe anathema, hoc eſt funditus deleri. DOMINO, ad honorem Domini; vel quaſi dicat, Conſecretur Domino. Chal. *ante Dominum*.

V. 18. CAVETE... NE QUIPPIAM CONTINGATIS. Omnia enim abolenda, ædes incendendæ, homines cuiuſvis ætatis, aut ſexus occidendi, domui tantum Rahab parcendum, metalla vero, & metallica ſervanda, & in Domini ærarium inferenda. CASTRA..... SUB PECCATO SINT: peccati pœnam luant.

V. 20. MURI CORRUERUNT, in Heb. ſupra num. 4. eſt, *Cadet murus urbis ſub ſe*: inde putant Rabbini, terra dehiſcente muros deſcendiſſe, & illa voragine integros conditos fuiſſe. Fabulæ. Cecidit murus, ut habet Vulgatus noſter, LXX. & recepta opinio. Hebræi textus ſententia eſt, mœnia in eodem quo ſtabant loco ruiſſe, & ſuper ſe procidiſſe.

V. 21. INTERFECERUNT OMNIA; Heb. *Anathema fecerunt*. A VIRO USQUE AD MULIEREM, &c. Vide dicta Deut. xx. 14. Parcendum ordinarie mulieribus, ſenibus, infantibus, cum hi reſiſtere non poſſint. Deus tamen, qui vitæ, & mortis dominus, aliter fieri iuſſerat: itaque hoc caſu locum habet quod dicitur Pſalm. XXXVIII. 9. *Beatus qui tenebit*, & *allidet parvulos tuos ad petram*.

V. 23. EXTRA CASTRA ISRAEL MANERE FECERUNT, dum urbs incenditur, & illi in caſtris tentorium parātur; vel probabilius, dum a priſtino gentilitatis ritu, & contagio una cum ſuis expiatur.

V. 24. ABSQUE AURO ET ARGENTO, &c. Servatum aurum, argentum, metalla fortaſſe in templi olim fabricandi impenſas.

V. 25. FECIT VIVERE, ſervavit.

V. 26. IN PRIMOGENITO SUO FUNDAMENTA ILLIUS IACIAT, &c. Sententia eſt: In urbis huius reſtauratorem animadvertet Deus hac pœna, ut omnes eius emoriantur liberi, primogenitus quidem cum iacere cœperit fundamenta; in aliis deinceps partibus alii; in ultima vero, id eſt in portis ſtatuendis, ultimus, ſeu natu minimus. Harum poſtea dirarum vim expertus eſt Hiel de Bethel, ut habemus III. Reg. XVI. 34.

T I R I N I.

Verſ. 3. SIC FACIETIS SEX DIEBUS. In ſpeciem oppugnationis, ſed umbratilem, iubentur per ſex dies quotidie ſemel circuire Iericho, & buccinis clangere tum ſacerdotes, tum reliquus

liquus populus, ut dicitur verſ. 9. ſed ſeptimo die iubentur ſepties circuire, & clangere. Cauſæ fuerunt: prima, ut ſic fides Hebræorum exerceretur, ad Hebræos XI. verſ. 30. ſecunda, ut pateret, non humana arte, vel armis, ſed unius Dei nutu ac potentia urbem expugnari; tertia, ut ſignificaretur, iam tempus iubilæi inſtare, quo Chananæa ab iniquis poſſeſſoribus ad verum dominum transferretur, & melioribus colonis traderetur. Hinc tempore iubilæi buccinis clangere iubentur. Ita Abulenſis, Maſius, Arias. Erant hæ buccinæ partim argenteæ, ut patet Numeror. XVI. verſ. 2. partim corneæ, & quidem arietinæ, ut dixi Levit. XXIII.

Allegorice, quomodo mundum expugnarint Apoſtoli Chriſti; & tropologice, quomodo nos eumdem expugnare, nobiſque ſubiicere debeamus, explicat fuſe S. Auguſtinus *a*, & Serarius: qui idem docet, hanc ſeptem dierum circuitionem inchoatam fuiſſe poſtridie octavæ paſchæ, feria prima; & ſabbato proximo captam urbem, ſed ſequenti demum die igne ſuccenſam.

Notant Eſpencæus, & Lipſius *b*, ſimili fere modo, cum Robertus Francorum rex Avallonem obſideret, ipſeque precibus ut plurimum vacaret, & cum ſacerdotibus pſalleret, urbis muros ſponte ſua ſubito corruiſſe, & regiis aditum undique pandiſſe.

V. 17. SIT CIVITAS HAEC ANATHEMA. Primo, ut has urbium primitias Deo darent; ſecundo, ut in prima urbe exemplum aliis ſtatuerent, terrorem incuterent, ad deditionem, & ad pœnitentiam provocarent; tertio, & primario, quia ſic Deus per Angelum fieri iuſſerat, conformiter iis quæ habentur Deuteron. XIII. verſ. 16. Unde III. Regum XVI. in fine Deo tamquam auctori adſcribitur. De modo huius anathematis vide quæ dixi Levit. XXVII.

V. 26. IN PRIMOGENITO SUO FUNDAMENTA IACIAT. Id eſt, quiſquis inſtaurare voluerit Iericho, ille maximum natu liberorum ſuorum perdet cum fundamenta iaciet urbis; in progreſſu vero ædificii ceteros paulatim omnes: ita ut minimum omnium perdat cum iam abſoluto opere portas urbis locabit. Ita ad litteram evenit inobedienti Hiel, III. Regum XVI. in fine. Nempe, voluit Deus, in ruderibus & buſto Iericho æternum exſtare monumentum divinæ potentiæ, & vindictæ in impios, & maxime in idololatras, & benignitatis in pios. Ita Rabbi Moſes, Maſius, Arias.

Allegorice, Eucherius, Angelomus, & Origenes extremam mundi conflagrationem hic deſignari notant: Serarius, quam deteſtabilia peccata ſint quæ pœnis tantis in hoc etiam ſæculo punit Deus, alioqui benigniſſimus.

(*a*) S. Auguſt. ſerm. CVI. del Temp. & epiſt. CXIX.
(*b*) Eſpencæus tractatu de Euchariſt. Lipſius in Exempl. polit. cap. II.

GORDONI.

Verſ. 3. PUtant aliqui, primo azymorum die cœptas circuitiones, & ſeptimum diem (quo factæ ſunt ſeptem circuitiones) fuiſſe ſabbatum, quo die corruiſſe putantur muri. Exercitatio quidem bellica, quamvis laborioſa, non prohibetur ne fiat ſabbato; & tunc præſertim Deo omnia regente. Mora circuitionum putatur data ad pœnitentiam.

V. 6. IUBILAEORUM BUCCINAS. Buccinæ hic ſunt quarum deſtinatus fuit uſus iubilæo, nempe quas Moſes dolaverat in deſerto ad iubilæi celebritatem, poſt ingreſſum in terram promiſſam.

V. 17. SITQUE CIVITAS HAEC ANATHEMA, &c. De vario anathemate dictum ſæpe. Vide Levit. cap. ult. item Num. cap. XVIII. & XXI. Rahab ſervatur ob datam fidem, & promeritam, poſitamque operam ad Dei conſilium promovendum.

V. 25. HABITAVERUNT IN MEDIO ISRAEL, hoc eſt inter Hebræos, cum magna omnium benevolentie, & ſalvo totius familiæ, & bonorum ſuorum iure. Hebr. בקרב *bekereu*, ut poſtea Sunamitis illa ad Eliſeum... *In medio populi ego habito*. Idiotiſmus Hebr. eſt קרב *kereu*, *medium*, *intimum*, *propinquum*. Poſtea Rahab nupſit Salmoni, ut dicam Ruth cap. II.

V. 26. MALEDICTUS CORAM DOMINO; hoc eſt, qui urbem Dei iuſſu everſam reſtituerit, det pœnas temeritatis. Propheta eſt hac in parte Ioſue: & incidit hæc eius imprecatio in Hiel tempore

pore Achab Regis Iſrael, ut habetur III. Reg. xvi. verſ. 34. *Imprecari* Græce ἀράομαι.

V. 26. IN PRIMOGENITO SUO FUNDAMENTA ILLIUS IACIAT; hoc eſt, iaciat ille fundamentum in mortem primogeniti ſui. Orbitatem liberorum prædicit, & prophetat. Vide III. Reg. xvi.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 4. De his tubis vide Levit. xv. 9.

V. 5. VOX TUBAE CONCISIOR. Sonus conciſus, per morulam interruptus.

V. 12. DE NOCTE: omnino mane.

V. 15. Circuitiones omnino tredecim.

V. 18. Omnes occidendi, ædes incendendæ.

CAPUT VII.

Explorata Hai cedit populus Iſrael hoſtibus propter furtum de anathemate Iericho; quapropter poſt Ioſue lamentationem, miſſa ſorte Achan lapidatur iuſſu Domini.

1. FIlii (*a*) autem Iſrael prævaricati ſunt mandatum, & uſurpaverunt de anathemate. (*b*) Nam Achan filius Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Iuda, tulit aliquid de anathemate: iratuſque eſt Dominus contra filios Iſrael.
2. Cumque mitteret Ioſue de Iericho viros contra Hai, quæ eſt iuxta Bethaven, ad orientalem plagam oppidi Bethel, dixit eis: Aſcendite, & explorate terram. Qui præcepta complentes exploraverunt Hai.
3. Et reverſi dixerunt ei: Non aſcendat omnis populus, ſed duo vel tria millia virorum pergant, & deleant civitatem: quare omnis populus fruſtra vexabitur contra hoſtes pauciſſimos?
4. Aſcenderunt ergo tria millia pugnatorum. Qui ſtatim terga vertentes,
5. percuſſi ſunt a viris urbis Hai, & corruerunt ex eis triginta ſex homines: perſecutique ſunt eos adverſarii de porta uſque ad Sabarim, & ceciderunt per prona fugientes: pertimuitque cor populi, & inſtar aquæ liquefactum eſt.
6. Ioſue vero ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini uſque ad veſperam, tam ipſe quam omnes ſenes Iſrael: miſeruntque pulverem ſuper capita ſua,
7. & dixit Ioſue: Heu Domine Deus, quid voluiſti traducere populum iſtum Iordanem fluvium, ut traderes nos in manus Amorrhæi, & perderes? utinam ut cœpimus, manſiſſemus trans Iordanem.
8. Mi Domine Deus quid dicam, videns Iſraelem hoſtibus ſuis terga vertentem?
9. Audient Chananæi, & omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen noſtrum de terra: & quid facies magno nomini tuo?
10. Dixitque Dominus ad Ioſue: Surge, cur iaces pronus in terra?
11. Peccavit Iſrael, & prævaricatus eſt pactum meum: tuleruntque de anathemate, & furati ſunt atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua.
12. Nec poterit Iſrael ſtare ante hoſtes ſuos, eoſque fugiet: quia pollutus eſt anathemate. Non ero ultra vobiſcum, donec conteratis eum qui huius ſceleris reus eſt.
13. Surge, ſanctifica populum, & dic eis: (*c*) Sanctificamini in craſtinum; hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael: Anathema in medio tui eſt Iſrael: non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc contamina-

taminatus eſt ſcelere. 14. Accedetiſque mane ſinguli per tribus veſtras: & quam-
cumque tribum ſors invenerit, accedet per cognationes ſuas, & cognatio per do-
mos, domuſque per viros. 15. Et quicumque ille in hoc ſacinore fuerit depre-
henſus, comburetur igni cum omni ſubſtantia ſua: quoniam prævaricatus eſt pa-
ctum Domini, & fecit nefas in Iſrael. 16. Surgens itaque Ioſue mane, applicuit
Iſrael per tribus ſuas, & inventa eſt tribus Iuda. 17. Quæ cum iuxta familias
ſuas eſſet oblata, inventa eſt familia Zare. † Illam quoque per domos offerens,
reperit Zabdi: 18. cuius domum in ſingulos dividens viros, invenit Achan filium
Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Iuda. 19. Et ait Ioſue ad Achan: Fili
mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi quid fece-
ris, ne abſcondas. 20. Reſponditque Achan Ioſue, & dixit ei: Vere ego pec-
cavi Domino Deo Iſrael, & ſic & ſic feci. 21. Vidi enim inter ſpolia pallium
coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quin-
quaginta ſiclorum: & concupiſcens abſtuli, & abſcondi in terra contra medium
tabernaculi mei, argentumque foſſa humo operui. 22. Miſit ergo Ioſue miniſtros:
qui currentes ad tabernaculum illius, repererunt cuncta abſcondita in eodem lo-
co, & argentum ſimul. 23. Auferenteſque de tentorio tulerunt ea ad Ioſue, &
ad omnes filios Iſrael, proieceruntque ante Dominum. 24. (*d*) Tollens itaque
Ioſue Achan filium Zare, argentumque & pallium, & auream regulam, filios
quoque & filias eius, boves & aſinos, & oves, ipſumque tabernaculum, & cun-
ctam ſupellectilem: (& omnis Iſrael cum eo) duxerunt eos ad Vallem A-
chor: 25. ubi dixit Ioſue: Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac.
Lapidavitque eum omnis Iſrael: & cuncta quæ illius erant, igne conſumpta ſunt.
26. Congregaveruntque ſuper eum (*d*) acervum magnum lapidum, qui permanet uſ-
que in præſentem diem. Et averſus eſt furor Domini ab eis. Vocatumque eſt
nomen loci illius, Vallis Achor, uſque hodie.

(*a*) Infr. XXII. 20. (*b*) I. Paralip. II. 7. (*c*) Levit. XX. 8. Sup. III. 5. Numer. XI. 18. I. Reg. XVI. 5. (*d*) II. Reg. XVIII. 17.

B R U G E N S I S

LECTIONUM VARIETAS.

V. 17. *Illam quoque per domos offerens*. Multa bona manuſcripta, pro *domos* ſcribunt *viros*, conſentanee Hebræo.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. ANATHEMATE; id eſt, quod deſtruendum erat in Dei honorem, aut ei conſecrandum.

V. 2. HAI. Hæc erat Amorrhæorum; altera autem fuit Ammonitarum.

V. 5. SABARIM, id eſt *confractiones*: ſcilicet quia ibi confractus exercitus. Chal. & LXX. *Uſque dum contererent*, ſeu *confringerent eos*.

V. 7. HEU, Hebr. *Ahah*. UTINAM, UT COEPIMUS, MANSISSEMUS, &c. Chald. & LXX. *Utinam manſiſſemus, & habitaſſemus trans Iordanem*.

V. 9. NOMINI TUO; quaſi dicat: Conſule famæ tuæ. Dicent enim gentes, te non ſervare promiſſa, nec eſſe potentem.

V. 11. VASA; quaſi dicat, cum ſupellectili ſua.

V. 12. EUM QUI HUIUS SCELERIS REUS EST. Hebr. Chald. & LXX. *anathema*: ſic & infra.

V. 13.

Digitized by Google

V. 13. SANCTIFICA, id eſt præpara. ANATHEMA, id eſt aliquid de anathemate, ſeu qui violati anathematis reus eſt. Talem enim Scriptura vocat *anathema*, ut patet ſup. & inf. atque hinc ſumptum videtur quod in uſu eſt Eccleſiæ, ut excommunicatus *anathema* dicatur, quaſi exciſus, ſeu dignus excindi.

V. 16. APPLICUIT; id eſt, accedere fecit ante arcam fœderis.

V. 19. DA GLORIAM... DEO, ſcilicet confitendo; vel quaſi dicat: Ad gloriam Dei dic veritatem.

V. 20. DOMINO, id eſt contra Dominum: ſic Pſalm. L. *Tibi ſoli peccavi*.

V. 21. COCCINEUM. Hebr. & Chald. *Babylonicum*. LXX. *varium*. REGULAM, id eſt laminam, ſeu virgulam. Hebr. Chald. & LXX. *linguam*. CONTRA MEDIUM, id eſt in medio.

V. 23. DOMINUM, id eſt arcam Domini.

V. 24. ACHOR, id eſt *turbationis*, ſcilicet de qua ſtatim.

V. 25. CONSUMPTA, ſcilicet poſt lapidationem. Hieron. I. contra Pelag. ait, cum eo combuſta etiam pecora, & liberos: & quidem Hebr. id indicant, ſcilicet omnia lapidata, & conſumpta.

ESTII.

Verſ. 1. FILII AUTEM ISRAEL PRAEVARICATI SUNT MANDATUM... NAM ACHAN FILIUS CHARMI. Enallage eſt numeri, ſicut ibi de Herode: *Mortui ſunt enim*. Vel ſenſus eſt: *Filii Iſrael*; id eſt, ex filiis Iſrael, Achan cum ſuis: veriſimile eſt enim etiam domeſticos eius fuiſſe participes ſceleris, eo quod non videatur Achan ſolus ſine ope aliorum omnia illa potuiſſe congerere quæ Scriptura commemorat. Interim & illi triginta ſex viri quoque propter hanc prævaricationem corruerunt. De quo quærit Auguſtinus quomodo iuſte unius peccatum in aliis vindicetur, cum in lege dictum ſit Deuter. XXIV. nec patres pro filiis, nec filios pro parentum peccatis eſſe puniendos. Et reſpondet Auguſtinus, legem illam hominibus datam eſſe, quibus proinde prohibetur, ne ipſi alterum pro altero puniant, ſed unumquemque iudicent ſecundum propria merita. Unde, inquit, ſi Achan ab aliquo homine deprehenſus fuiſſet, & ad iudicium Ioſue adductus, nequaquam putandum eſt, quod Ioſue vel pro illo, vel cum illo quemquam alium qui ſocietate facti non teneretur, fuiſſet puniturus. Dei autem iudicia non ſunt eiuſmodi, qui viſibiles pœnas etiam tum iuſte diſpenſat, quando aliorum peccata in aliis ulciſcitur; maxime quod vniverſum humanum genus propter tranſgreſſionem primorum parentum, morti, & afflictionibus huius vitæ apud iuſtum iudicem ſemper ſit obnoxium.

V. 7. & 9. UTINAM, UT COEPIMUS, MANSISSEMUS TRANS IORDANEM. Hoc non dixit Ioſue per incredulitatem promiſſorum Dei, ſicut murmuratores aliquoties in deſerto, dicentes: *Utinam manſiſſemus in Ægypto*: ſed ſignificat quid pro tempore melius eſſe iudicaverit: nec ideo diffidit promiſſis Dei, quia ſciebat quod Deus etiam paucis tantum ſervatis, in reliquis poſſit implere ſua promiſſa. Ideo & perſiſtit orare dicens: ET QUID FACIES MAGNO NOMINI TUO? quaſi dicat: Ita futurum alioqui eſt, ut nomen tuum inter gentes blaſphemetur, dum dicent: Ecce non potuit præſtare Deus ille ſua promiſſa. Et nota, ſanctos in ſuis orationibus in primis ante oculos habere glorificationem nominis divini.

V. 15. COMBURETUR IGNI CUM OMNI SUBSTANTIA SUA. At infra dicitur: *Lapidabitque eum omnis Iſrael*. Ut hæc concilientur, ſciendum eſt, quod poſtquam lapidatus fuit, deinde combuſtus eſt, id eſt combuſtum cadaver eius, cum omnibus quæ ipſius fuerant. Quod & ſentit Hieronymus Lib. I. contra Pelagian. cap. XII.

At dice. Si Achan lapidatus ſuit, filii autem eius, & filias vivæ combuſtæ (hoc enim Scriptura ſignificare videtur, enumerans filios, & filias inter ea quæ combuſta ſunt) ergo graviori ſupplicio illi perierunt quam pater. Reſpondendum apparet ex Hebræo textu, omnes ſuiſſe lapidatos, ac poſtea ſimul igne conſumptos, & redactos in cineres. Sic enim habetur in Hebr. *Et lapidaverunt eum omnis Iſrael lapidibus, & combuſſerunt eos igni, & lapidaverunt eos lapidibus, & erexerunt ſuper eum acervum lapidum*. Ubi illud ſecundum, pluraliter dictum, *Et lapidaverunt*

tor, ſimiliter omnino videtur accipiendum ſicut prius, nempe quod & filios lapidaverunt lapidibus ſicut patrem, antequam comburerentur.

V. 19. DA GLORIAM DOMINO DEO ISRAEL; quaſi dicat: Agnoſce peccatum tuum, & iuſtum Dei iudicium, qui peccatum tuum ſatis iam prodidit, & dic: *Iuſtus es Domine*. Similis locus eſt Ioan. cap. IX.

MARIANAE.

Verſ. 2. CONTRA HAI, QUAE EST IUXTA BETHAVEN, ſcilicet miſit Ioſue viros. Hebr. *quæ eſt cum Bethaven*; ſed *cum* ſumitur pro *iuxta*: atque ita Sept. & Chald. vertunt. Et quidem duo oppida dicta ſunt *Hai*; alterum in Ammonitis erat, hoc in Amorrhæis, quod validius fuiſſe videtur. DIXIT EIS... EXPLORATE TERRAM. Hebr. *Pedibus ambulate terram*. Sed & *explorare* idem verbum ſignificat quoniam id pedibus fit.

V. 3. DIXERUNT: NON ASCENDAT OMNIS POPULUS. SED DUO, VEL TRIA MILLIA VIRORUM PERGANT. Hebr. *ſicut duo millia, aut ſicut tria millia*. Et vide prudentiam ducis Ioſue, quod tutius erat, tria millia mittit.

V. 5. Percuſſerunt eos qui miſſi fuerant, DE PORTA, ſcilicet urbis Hai. Heb. *ante portam*. USQUE AD SABARIM: nomen loci. Significat autem *Sabarim*, *confractiones*: ſic Sept. & Chald. vertunt: *Perſecuti ſunt eos ante portam, quo ad contriverunt*, vel *confregerunt eos*. Fortaſſis ab hac clade locus ille id nomen accepit. PER PRONA FUGIENTES, percuſſerunt eos in deſcenſu. Quid Ioſue?

V. 7. UTINAM, UT COEPIMUS, &c. Hebr. *Utinam voluiſſemus, & manſiſſemus trans Iordanem*; quaſi dicat: Utinam ea nobis mens fuiſſet manendi iis locis. יאל *iaal*, *velle* ſignificat: ſic Hebræi exponunt.

V. 9. QUID FACIES MAGNO NOMINI TUO? quaſi dicat: Videris, o Deus, negligere quid de te fama loquatur. Si nos negligis, nomen tuum certe reſpice. Dicent te non potuiſſe dare terram promiſſam. Reſpondet Deus:

V. 11. ISRAEL... PRAEVARICATUS EST PACTUM MEUM. Hebr. *Tranſierunt fœdus meum*: ubi notat Hebræus, *tranſire fœdus*, eſſe *violare illud*; at *tranſire in fœdere*, eſſe *illud ſancire*, Deuteron. XXIX. verſ. 12. INTER VASA: intra ſupellectilem abſconderunt furtum.

Verſ. 12. NEC POTERIT ISRAEL STARE ANTE HOSTES..... DONEC CONTERATIS EUM QUI HUIUS SCELERIS REUS EST. Hebr. *donec diſperdatis anathema*, ſcilicet quod *in medio veſtri*, ſcilicet eſt. Vocat *anathema* qui id ſcelus fecit, quod repetit verſ. 13.

V. 13. SURGE; id eſt, ſolicite fac quod mando, ſatage. SANCTIFICA POPULUM. Nulla tunc erat ſanctificatio; ſed ſanctificandi vox ſæpe ſumitur in ſignificatione præparandi. Præpara, mone populum.

V. 14. QUAMCUMQUE TRIBUM SORS INVENERIT. Hebr. *Quam Deus acceperit*; ſupple, ſorte miſſa.

V. 16. IOSUE MANE APPLICUIT ISRAEL: nimirum ad ſanctuarium, vel arcam congregavit. Invenit ſors Achan: cui Ioſue:

V. 19. DA GLORIAM DOMINO. Heb. *Pone gloriam*. Sed *pone* ſumitur pro *da*; id eſt, fatere peccatum in laudem Dei. Reſpondet:

V. 21. VIDI... PALLIUM COCCINEUM. Hebr. *pallium Sinhar*. Sed *Sinhar* eſt *Babylon*: ſic Chald. *pallium Babylonicum*, Septuag. *varium*. Hebræus explicat, pallium pelliceum ex Sinhar, id eſt Babylone. REGULAMQUE AUREAM: Hebr. *linguam auream*, ſcilicet, ut Hebræus explicat, virgam auream, ſed linguæ ſimilitudine. ABSCONDI.... CONTRA MEDIUM TABERNACULI MEI. Hebr. *In medio tabernaculi mei abſcondi*.

V. 24. DUXERUNT EOS AD VALLEM ACHOR, ſcilicet Achan, & ſuos. Hebr. *Aſcendere fecerunt eos vallem Achor*. Sed quomodo in vallem aſcenſus? Hebræus putat ſupplenda quædam: Aſcendere fecerunt in montem, & demiſerunt eos in vallem. Breviſſime totum explicatur per *duxerunt*, ut Noſter.

V. 26. VALLIS ACHOR, id eſt *turbatio*, ab ea ſic dicta, cuius ille Achan extitit cauſa facto furto, occultatis ſpoliis.

MALVENDAE.

Verſ. 1. PRAEVARICATI SUNT MANDATUM. Notionem ver-

Digitized by Google

verbi מעל *maghal* expendimus Levit. v. verſ. 15. Aliqui hic vertunt: *Maleficium admiſerunt filii Iſrael maleficio admiſſo*. Alii: *Contemptim neglexerunt filii Iſrael contemptu negligentiæ*. Quidam exponunt: Igitur totus populus peccato unius hominis tamquam membri ad univerſitatem pertinentis, reus effectus eſt contagione peccati; quia neque Hacanem ſervaverunt a peccato, neque ſe a contagione peccati, & reatu, quem Deus prædixerat ſupra cap. vi. verſ. 18. Alii ſynecdochen eſſe volunt: *Prævaricati ſunt filii Iſrael*, id eſt ſolus Hacan: ut Matthæi xxvi. verſ. 8. *Indignati ſunt diſcipuli*, id eſt unus Iudas, ut exponitur Ioan. xii. verſ. 4. Alioqui occultum peccatum, de quo nullus ſciebat, non videtur aut culpæ, aut pœnæ reatum in univerſum populum inducere potuiſſe. Equidem dum in populo aliquod crimen contra publicam honeſtatem committitur, dum auctor criminis non detegitur, aut non punitur, univerſitas ipſa in crimine cenſetur. ET USURPAVERUNT DE ANATHEMATE. Hoc ex LXX. acceptum. Hebr. tantum, *In anathemate: Et prævaricati ſunt in anathemate*, id eſt in ſcelere ipſo ſacrilegii, rapientes de anathemate. Alii, *contra anathema*; hoc eſt, contra legem de anathemate conſtitutam cap. vi. verſ. 18. IRATUSQUE EST DOMINUS CONTRA FILIOS ISRAEL. Hebr. *Iratuſque eſt furor* IHUH *contra filios Iſrael*. Quidam exponunt, ut peccati nimirum affines, & contagionis reos, quod paulo antea notabamus. Sed prudenter alii, occultas has eſſe rationes divinorum iudiciorum reputant, uno peccante alios plecti, quæ nobis potius admirandæ quam reprobandæ, aut imitandæ ſunt. Vide infra verſ. 25.

V. 2. CONTRA HAI. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Hai vero vix parvæ ruinæ reſident, & locus tantummodo monſtratur*; & poſtea: *Hai iuxta Bethaven, & Bethel, quam expugnavit Ieſus, rege illius interfecto: & habitavit in illa quondam citra Iordanem Amorrhæus: nunc deſertus tantum oſtenditur locus*. Brocardus: *A Galgala tres numerantur leucæ, ſimiliter a fonte Eliſei contra aquilonem a latere ſeptemtrionali montis Quarentanæ, ad civitatem Hai, quam expugnavit Ioſue*. QUAE EST IUXTA BETHAVEN, AD ORIENTALEM PLAGAM OPPIDI BETHEL. De Bethel, & Bethaven diximus plura in Gen. xxviii. verſ. 19. Hebræi, Euſebius, & S. Hieronymus, aliique plerique arbitrati ſunt unum & eumdem locum, ſeu oppidum fuiſſe Beth-el, & Beth-aven: quod a Iacob indigitatum Beth-el, id eſt *domus Dei*: poſtea quod ibi Ieroboam erexerit vitulos aureos, a Prophetis per antitheſim appellatum ſit *Beth-aven*, id eſt *domus iniquitatis, ſeu idoli*. Ceterum diſtincta, ſed proxima loca fuiſſe, multi ex iſto verſ. 2. ſtatuunt; ſed tamen ex vicino loco illud nomen Beth-aven ipſi Beth-el impoſitum propter ſcelus Ieroboam. Brocardus: *Ab Hai fere una leuca contra aquilonem eſt Beth-el civitas*. Hai fuiſſe orientalem ipſi Beth-el, ut hic dicitur, affirmatur quoque Geneſ. xii. verſ. 8. & infra cap. viii. verſ. 9. 12. Etymon nominis *Ghai* eſt vel quod in tumulo, ſeu loco editiore ſita eſſet, e verſ. 5. vel quod in tumulum, ſeu cumulum, & deſolationem redacta fuerit ab Iſraelitis, infra cap. viii. verſ. 28. quaſi præſagio nomen ei inditum fuerit.

V. 5. USQUE AD SABARIM. שבר *Schabar*, vocem Hebraicam quidam pro appellativa capiunt, *uſque ad fractos*, vel *fractiones*; id eſt, quouſque frangerent, & diſſiparent exercitum. Alii proprium eſſe loci nomen volunt, ſed ab eo eventu dictum, quod ibi acies Iſraelitarum fracta fuerit. Hiſpanice *Rota*, unde in Luſitania, *Aliuba rota*. Sed mirum a tam parva clade triginta ſex tantum virorum, inſigni nomine eum locum potuiſſe nobilitari. Vero propenſius cum aliis exiſtimo, nomen loco inde factum, quod ibi mons frangeretur, aut vallicula aliqua, ſeu ſalebris, aut anfractibus interciperetur. Unde recte quis hic reddat, *Uſque ad anfractus*.

V. 6. MISERUNTQUE PULVEREM SUPER CAPITA SUA, videlicet more lugentium, ut I. Samuel. iv. verſ. 12. & alibi ſepius: quem morem Gentes quoque imitatas conſtat. Homerus ſub initium Lib. XVIII. Iliados, de Achille lugente Patroclum:

> .... *hunc vero doloris nebula obtexit nigra:*
> *Ambabus autem manibus capiens pulverem atrum.*

Fudit ſuper caput, gratioſam autem deturpabat faciem:
Divinæ autem tunicæ niger circumhæſit cinis:
Ipſe vero in pulveribus magnus late extenſus
Iatebat, chariſque manibus comam deturpabat evellens.

Virgilius XII. AEneidos:

....it ſciſſa veſte Latinus,
Canitiem immundo perfuſam pulvere turpans.

Verum de utroque more diſcindendi veſtes, & capita cinere conſpergendi apud Hebræos, aliaſque gentes uſurpato, plura exempla collecta habes apud Petrum Fabrum Lib. II. Semeſtrium, cap. x.

V. 7. UTINAM UT COEPIMUS, &c. Verbi יאל *iaal* ſignificatum excuſſimus Geneſ. XVIII. verſ. 27. Varie hic reddunt. 1. *Et utinam voluiſſemus, & manſiſſemus trans Iarden*: 2. *Et utinam acquieviſſemus*, vel *contenti fuiſſemus, manſiſſemuſque cis Iordanem*: 3. *At utinam voluiſſemus morari trans Iordanem*: 4. *Et utinam placuiſſet nobis habitare trans Iordanem*: 5. *Et o ſi libuiſſet nobis manere cis Iordanem*! Nos: *Et o ſi reſolviſſemus habitare trans Iordanem*: vel *& utinam auſi fuiſſemus, tentaviſſemus, aggreſſi fuiſſemus manere ultra Iordanem, trans Iordanem*. Hebr. *in trans*, vel *in tranſitu, Iordanis*. Si עבר *gheber* hic pro *cis*, *citra*, capitur, ſenſus eſt: Utinam traiecto Iordane ſtatim in proxima terra manſiſſemus, nec ultra progreſſi fuiſſemus! & hunc ſenſum iuvabit ſi reddamus, *in tranſitu, in traiectu*. Si vero *gheber* ſumatur pro *trans*, *ultra*, optat Ioſue manſiſſe ultra Iordanem, uti manſerunt Rubenitæ, Gaditæ, & dimidia tribus Manaſſe. Et hic ſenſus præſtat: & mirum eos qui hunc ſequuntur, transferre, *cis Iordanem*, cum Ioſue in Hierichunte exiſtens de Baſanitide, & Galaaditide regione non potuerit dicere, *cis Iordanem*.

V. 8. MI DOMINE. Hebr. *in me Domine*. Hanc loquendi formulam expoſitam habes Geneſ. XLIII. verſ. 20. & Exodi IV. verſ. 10.

V. 11. PRAEVARICATUS EST PACTUM MEUM. Exponunt: Id eſt, obedientiam quam promiſerant in fœdere, non præſtiterunt, Exodi XIX. verſ. 8. & cap. XXIV. 7. ſynecdoche. TULERUNTQUE DE ANATHEMATE, id eſt de rebus comburendis, & internecioni, ſeu excidio tradendis, e cap. VI. verſ. 21. & 24. nempe pallium coccineum, infra verſ. 21. ET FURATI SUNT, videlicet de rebus ſervandis IHUH: de quibus cap. VI. verſ. 19. & 24. nimirum ducentos ſiclos argenti, & linguam auream, infra verſ. 21. ATQUE MENTITI: nimirum non afferendo in theſaurum IHUH, quod a ſingulis afferendum erat, ſupra cap. VI. verſ. 19. & 24. ſed occulte deſodiendo in tentorio, infra verſ. 21. Alii ſuſpicantur, univerſe interrogatos an aliquid ſuſtuliſſent, reſpondiſſe omnes, & ipſum Hacanem, ſe nihil accepiſſe. ABSCONDERUNT INTER VASA SUA. Explicant: Id eſt, tam perdendas res, quam Deo deſtinatas, rebus propriis commiſcuerunt, in peccato perſiſtentes; quare ſe, & ſua eodem anathemate obligarent.

V. 12. QUIA POLLUTUS EST ANATHEMATE. Hebr. *Quia fuerunt anathemati*, ſive *in anathema*, vel *in anathemate*, id eſt anathematis contagione involuti. DONEC CONTERATIS EUM QUI HUIUS SCELERIS REUS EST. Hebr. *Et non aboleveritis anathema de intimo veſtri*. Alii: *Si non amoveritis ipſum anathema e medio veſtri*. Nonnulli: *Niſi perdatis, diſperdatis, hoc anathema e medio veſtri*. Quidam exponunt: Niſi auferatis hoc ſacrilegium, auctore eius exciſſo, & devoto. Alii: *Niſi perdatis anathema hoc*; id eſt, cum res anathemati, & exitio devotas prius, tum eas quæ contagionem eiuſdem criminis hauſerunt, nempe familiam Hacanis cum rebus ad eum pertinentibus. Sic verſ. 13.

V. 13. SURGE. Hæc formula hanc vim Hebræis habet, Eia, agedum, rumpe moras, hoc age, ut alibi paſſim. SANCTIFICAMINI. Hoc verbum eodem modo capiendum quo ſupra cap. III. verſ. 5. Quidam vertunt: *Comparate vos ad ſanctitatem*; id eſt, abluite veſtes, abſtinete ab uxoribus, animo, & corpore caſtimoniam, & devotionem exhibete, & parate vos ad divinum examen. Aliqui: *Expiate vos; luſtrate vos*: quod caſtra ſcelere anathematis polluta eſſent. Nonnulli: *Convocamini; convenite*: in ea notione verbum *ſanctificandi* ſumunt, ut populus publice convocetur, & ab aliis operibus ſemotus, huic uni, Dei ſubeundo iudicio, rite ac ſancte

ſancte conveniat: conventus enim publici non niſi certis ritibus & cæremoniis, ante Dei tabernaculum pie & religioſe inſtituebantur.

V. 14. Et quamcumque tribum sors invenerit. Sortibus iactis detectum Hacanis ſacrilegium, nedum Noſter, ſed & Ioſephus etiam affirmavit. Plerique has ſortes volunt intelligi ipſum oraculum Urim & Thummim, de quo diximus Exodi xxviii. verſ. 30. quod & tribum, & familiam, & domum, & Hacanem maniſeſto demonſtraverit: nam Hebraice habetur, *Et erit tribus quam capiet* Ihuh, vel *quam prehendet, apprehendet, deprehendet* Ihuh; id eſt, quam oſtenderit, & indicaverit. Sed ſi reipſa ſortibus totum negotium peractum, haud dubie non fuere illæ humanæ, ac fortuitæ: nam impium fuiſſet, rem tantam ludibrio fortunæ temere exponere: fuere divinæ, a Deo imperatæ, ac temperatæ, eiuſque auctoritate propoſitæ, atque ordinatæ, ut nemo quantumvis audax adverſus eas obniti, ac tergiverſari poſſet.

V. 15. Comburetur igni. Quidam exponunt: Id eſt, poſtquam ſupplicium lapidationis ſubierit, quod ex lege in plaſphemum, & divini mandati contemptorem conſtitutum eſt, Levit. xxiv. verſ. 14. & Num. xv. verſ. 30. 35. 36. abſumetur, eadem ratione qua perdendæ res, & anathemati devotæ tollendæ ſunt, nimirum incendio, ex lege Deuteron. xiii. verſ. 16. quam utramque legem Iſraelitæ executi ſunt infra verſ. 25. & 26.

V. 19. Da gloriam Domino Deo Israel, et confitere. Hebr. *Pone*, vel *conſtitue gloriam*, *honorem* Ihuh *Deo Iſraelis, & da ei confeſſionem*. Similis locutio eſt Ioan. ix. verſ. 24. *Da gloriam Deo*. Strabus Monachus: *Dare gloriam Deo, eſt veritatem de aliquo, quaſi præſente Deo, dicere*. Ergo *da gloriam Domino*; id eſt, *veritatem confitere*. Quidam hic exponunt: Id eſt, tamquam rem neceſſariam ad tuendam religionem, & verum Dei cultum, fatere peccatum tuum, ut res ablatæ anathemati devoveantur iuxta præceptum Domini, unde omnis honos & gloria Deo reddatur, & voluntas eius impleatur. Qua phraſi in Apocryphis Eſdræ Lib. I. cap. ix. verſ. 7. dicitur: *Vos peccaſtis ductis uxoribus externis, pluſquam antea peccarant Iſraelitæ: iam vero edite hanc, quæſo, confeſſionem, & conſtituite gloriam Domino Deo patrum noſtrorum, ut morem gerentes eius voluntati, diſcedatis a connubio barbararum mulierum*. Aliqui explicant: Id eſt, quandoquidem iam vides Deum iudicem tuum, & accuſatorem eſſe, cuius neque notitiam effugere, neque iudicium declinare potes; age, gloriam cede Domino, quam ſibi te inopinante aſſerit, & vel invito aſſerturus eſſet. Alii notant, eſſe ſolemnem formulam Hebræis, qua olim quis adigebatur ad culpam coram Deo agnoſcendam, veluti ſi dictum fuiſſet: Cogita te coram Deo eſſe, qui rem totam novit. Reverere igitur illius maieſtatem, & hunc illi honorem habe, & palam fateri rem totam malis, quam coram eo mentiri, præſertim tu qui iam convictus, non potes ſubterfugere. Poteſt & hic eſſe ſenſus: Tu iam divino iudicio demonſtratus, effugere iudicium non potes, quod reſtat, eſt ut patienter feras, ac Deum laudes. Sic loqui ſolemus in ſuprema effugii deſperatione. Nec deſunt qui velint, fuiſſe formulam adiurationis, qua ſolebant rei tamquam per Deum adiurati ſolemni ritu de veritate interrogari: ſicut Hiſpanus iudex dicit, *Pone iſtic manum*, Cruce porrecta; & Gallus, *Tolle manum*, quaſi per Deum iuraturus. Et confitere. Hebr. *Et da ei confeſſionem*, ſeu *ede confeſſionem illi*. De voce תודה *todah* diximus Levit. vii. verſ. 12. Quidam vertunt, *gratiarum actionem, laudem, laudationem, celebrationem*. Hinc *Odam* Græcis dictam volunt. Alii notant, id nomen numquam ſignificare laudem, aut gratiarum actionem reſpectu Dei, niſi coniunctam cum confeſſione noſtrorum peccatorum, aut imbecillitatum; vel laudem ex confeſſione divinæ bonitatis, & noſtræ infirmitatis compoſitam, & coagmentatam. Utrumque hic recte complectitur, ſceleris tui confeſſione da laudem Deo, ac ipſum bonum ac iuſtum prædica, te fontem, ac ſceleratum confitere.

V. 21. Pallium coccineum. אדרת שנער *addereth Schingbar*. De voce *addereth* diximus Geneſ. xxv. verſ. 25. Hic omnes *veſtem amplam, magnificam, ſplendidam, glorioſam, pallium, togam, ſtolam, chlamydem, paludamentum* interpretantur. *Schingbar* vero eſſe Babyloniam, vel Singaram, aut Singarenam provinciam Meſopotamiæ,

bellis

bellis Conſtantii Imperatoris cum Perſis claram, Geneſ. x. verſ. 10. annotavimus. Unde hic quidam vertunt, *pallium Babylonicum*; alii, *paludamentum Babylonicum*; nonnulli, *chlamydem*, vel *togam Babylonicam*. Plinius Lib. VIII. cap. XLVIII. *Colores diverſos picturæ intexere Babylon maxime celebravit, & nomen impoſuit. Metellus Scipio tricliniaria Babylonica ſeſtertium octingentis millibus veniiſſe iam tunc poſuit in Capitonis criminibus, quæ Neroni principi quadrageſies ſeſtertio nuper ſtetere*, id eſt centum viginti millibus aureorum. Ergo *Babylonica* dicta, veſtes, ſtragula, vel aulæa pretioſiſſima diverſis coloribus texta. Lucretius Lib. IV.

Cum Babylonica magnifico ſplendore rigantur.

Plautus in Stycho:

Tum Babylonica periſtromata, conſutaque tapetia.

Martialis Lib VIII. epigram. XXVII.

Non ego prætulerim Babylonica picta ſuperbe
Texta, Semiramia quæ variantur acu.

Silius Italicus XIV. Punicorum extremo:

.....Fulvo, certaret ut auro
Veſtis, ſpirantes referens ſub tegmine vultus:
Quæ radio cælat Babylon....

Ioſephus Lib. VII. Belli, cap. XXIV. de Triumpho Iudaico Veſpaſiani: *Et alias quidem veſtes ex rariſſimis generibus purpuræ portari: alias diligentiſſima pictura variatas arte Babylonica*. Plutarchus in Catone maiore: *Stragulam veſtem, quam ex pictis Babylonicam hereditate accepiſſet, ſtatim diſtraxiſſe*. Gloſſæ veteres Bonaventuræ Vulcanii: *Babylonicum*. Ψιλὴ πολύμιτος, id eſt *veſtis polymita*, ſeu variegata. Rurſus: Ψιλὸν, *tenue Babylonicum*. Noſter *pallium coccineum* dixit, quod, ut plerique obſervant, Babylonii, Perſæque, & finitimæ gentes purpura, vel coccino ad magnificentiam, & luxum uti abunde ſolerent. Plutarchus in Alexandro: *Alexander Suſis potitus, ibi etiam purpuræ Hermionicæ, quinque millia talentum narrat inventa, annos ſervatæ decem minus ducentos, quæ florem recentem adhuc & novitium retineret*. Et Babylon purpurata & coccineata meretrix in Apocal. XVII. deſcribitur. Hunc etiam referunt Petronii Arbitri verſum in Satyrico:

Aſſyria concham laudabat miles in unda.

ET DUCENTOS SICLOS ARGENTI. De ſiclo diſſeruimus Geneſ. XXIII. verſ. 16. & Exodi XXX. verſ. 13. Ducenti ſicli argenti, erant centum argenti unciæ, id eſt 800. drachmæ Caſtellanæ, quas vocant *regalia*. REGULAMQUE AUREAM. Non deſunt qui in Noſtro legendum contendant, *linguam*, vel *tegulam auream*: לשון *leſchon* proprie eſt *lingua*. Sed hic metaphorice accipiendum. Aiunt fuiſſe clinodium, ſeu ornamentum ex auro inſtar linguæ formatum. Varie reddunt, *linguam*, *laminam*, *regulam*, *virgam*, *ligulam*, *ſpathulam*, *gladiolum*. Ioſephus *maſſam auri*: quaſi rudis & informis auri fruſtum. Nonnulli *tegulam*. Hiſpanice dicimus, *teios o teiuelos de oro*. Alii, eodem ſignificato, ſed voce Latina, *laterem*. Marcus Varro Lib. III. de Vita populi, apud Nonium Marcellum, cap. XII. numer. 9. *Nam lateres argentei, atque aurei primum conflati, atque in ærarium conditi*. Hiſpanicus Interpres, *un chaton de oro*. Aliqui, *virgam*, ſeu *baculum auri*, id eſt ſceptrum, exponunt. QUINQUAGINTA SICLORUM, id eſt viginti quinque unciarum auri, ſeu ducentorum aureorum Hiſpanicorum. ARGENTUMQUE FOSSA HUMO OPERUI. Hebr. *ſub ea*. Noſter intellexit *ſub ea terra*, quia ſubtus terram defoderat argentum. Alii *ſub ea*, videlicet *ampla*, ſeu *toga*, aut *chlamyde Babylonica*. Nonnulli *ſub ea*, lingua auri. Aliqui *ſub ea*, ſcilicet lingua, ac veſte. Sic verſu ſequente. Quidam notant, non uno, ſed duobus locis occultaſſe Hacanem rapta ex anathemate: veſtem & linguam uno loco, & argentum ſeorſim alio defoſſum in terra.

V. 22. REPERERUNT CUNCTA ABSCONDITA IN EODEM LOCO. Hebr. *Et ecce abſcondita*, vel *occultata in tentorio eius*. Eſt *abſcondita* participium femineum ſingulare. *Et ecce* toga, vel veſtis, ſeu chlamys, *abſcondita erat*. Alii: *Et ecce* veſtis & lingua *abſcondita erat*. Quidam neutraliter exponunt: *Et ecce abſconditum erat*, nempe totum *furtum*.

V. 25. QUIA TURBASTI NOS, EXTURBET TE DOMINUS. Proculdubio alludit ad nomen Ghacan: עכר *ghacar* enim Hebræis eſt *turbare*, *conturbare*, *perturbare*. Et *çhacan* dicitur etiam *çhacar* I. Parali-

ralipom. II. verſ. 7. ubi & nomen, & ratio nominis exponitur: עכר עכר *ghacar ghocer*, *perturbans Iſraelem*, *qui tranſgreſſus fuit in anathemate*. Et ſupra cap. VI. verſ. 18. ad nominis quoque Hacar ſignificationem veluti vaticinio reſpexit Iehoſuagh: *Ne ponatis caſtrametationem Iſraelis in anathema*, *& conturbetis eam*: quod fecit Hacan. Facile crediderim primævum eius nomen fuiſſe *Hacan*, ſed e ſacrilego eius facto mutatum in *Hacar*. LAPIDAVITQUE EUM OMNIS ISRAEL, ET CUNCTA, &c. De morte Hacanis, filiorum, ac filiarum eius, & etiam animalium quæ illius erant, verſ. 24. varie ſentiunt Explanatores: nobis veriſimilius viſum, quod verſ. 15. annotavimus, omnes prius lapidibus obrutos, deinde combuſtos. Et facile eorum ſententiam amplectimur qui aiunt, Hacanem vera illa, & ingenua peccati ſui confeſſione, & præſenti ſupplicio, culpam ſceleris apud Deum, & æternam gehennæ pœnam expiaſſe.

Iam hic vehementer libet admirari occultiſſimas, ſed iuſtiſſimas divinorum iudiciorum rationes in tota hac Hacanis tragœdia. Sane ſeveriſſimum fuit iudicium de Hacane, familia, & ſubſtantia eius, atque de Iſraelitis in Haienſi clade, ſumptum; ſed non iniuſtum, quia imperavit Deus. Imperaſſe quidam annotant: quia damnavit in perſonis contagionem conſcientiæ, in rebus vero, & bonis, contagionis inſtrumenta, & materiam: adeo exoſum eſt peccatum, & inſtrumentum peccati. Iſraelitæ quidem non videntur laboraſſe contagione conſcientiæ; potuerunt tamen laborare negligentia, qui præmoniti ſupra cap. VI. verſ. 18. fortaſſe non omnem adhibuere diligentiam, ne quis aliquid de anathemate ſurriperet. Familia Hacanis in crimine fuiſſe videtur: nam in eodem tentorio exiſtens, cum anathema Hacan in medio tentorii abſconderet, aut defoderet, facile potuit illud ſcire, & ſceleris conſcientia involvi. At fortaſſe fuerunt parvuli in ea, quos iniquum eſt luere parentis pœnas, Deuter. XXIV. verſ. 16. equidem filii, & filiæ dicuntur fuiſſe; parvuli non leguntur. Sed demus fuiſse: aiunt, non luiſſe parentis peccatum, ſed naturæ debitum, quod Deus auctor naturæ repetit quomodo, & quando vult. Fac Iſraelitas, & familiam Hacanis omnino extra culpam fuiſſe, præclare S. Auguſtinus quæſt. VIII. in hunc modum diſſerat: *Deus alto & inviſibili conſilio ſuo novit, quatenus extendat etiam temporalem hominum pœnam, ſalubremque terrorem. Non enim aliquid durum, quantum attinet ad univerſi mundi adminiſtrationem, contingit mortalibus cum moriuntur, quandoque morituri: & tamen apud eos qui talia metuunt, diſciplina ſancitur: ut non ſe ſolum quiſque curet in populo, ſed invicem ſibi adhibeant diligentiam, & tamquam unius corporis, & unius hominis alia pro aliis ſint membra ſolicita. Nec tamen credendum eſt, etiam pœnis, quæ poſt mortem irrogantur, alium pro alio poſſe damnari: ſed in iis tantum rebus hanc irrogari pœnam, quæ finem fuerant habituræ, etiamſi non eo modo finirentur. Simul etiam oſtenditur quantum connexa ſit in populi ſocietate ipſa univerſitas, ut non in ſeipſis ſinguli, ſed etiam tamquam partes in toto exiſtimentur. Per unius igitur peccatum, mortemque paucorum admonitus eſt populus univerſus, tamquam in corpore univerſo quærere quod admiſſum eſt*. At de his Explanatores uberrime.

V. 26. ACERVUM MAGNUM LAPIDUM. Idem factum regi Haienſi, infra cap. VIII. verſ. 29. Abſalomo II. Samuel. XVIII. verſ. 17. & de inſigni Latrone lapidibus obruto cecinit Virgilius:

Monte ſub hoc lapidum tegitur Baliſta ſepultus.

Nimirum monumenta hæc erant, atrociſſima facinora dignis ſuppliciis vindicata fuiſſe. VOCATUMQUE EST NOMEN LOCI ILLIUS. Hebr. *Propterea*, *idcirco*, *vocavit nomen loci ipſius*, nempe vel Ioſue, vel quiſque, aut qui loco nomen impoſuit. Vel *vocatum eſt*, phraſi Hebraica, ut tertia perſona activa, pro imperſonali, ſeu paſſiva ſumatur: ita cap. V. verſ. 9. VALLIS ACHOR, id eſt *vallis turbationis*. Quidam nomen proprium ipſius Hacanis eſſe putant, qui & Hacan, & Hacar, & Hacor hic, & ſupra verſ. 24. ſit appellatus. Hoc eſt, vallis ipſius Hacoris, ubi ipſe ſacrilegus ſit interfectus, qui & ipſe turbaverit Iſraelem, & ipſe exturbatus fuerit infami exitio. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Achor*, *Hebraice dicitur Emek Achor*, *quod interpretatur Vallis tumultus*, *vel turbarum*, *eo quod ibi tumultuatus*, *& turbatus ſit Iſrael*: *in*

qua

qua lapidaverunt quondam Achan propter furtum anathematis. Eſt autem ad ſeptemtrionem Iericho: & uſque hodie a regionis accolis ſic nominatur. Meminit huius Oſee Propheta. Et in littera E: *Emek Achor, quod interpretatur vallis Achor, id eſt tumultus atque turbarum: ibi Achan lapidibus oppreſſus eſt, eo quod quædam de anathemate ſuſtuliſſet. Eſt autem locus iuxta Iericho, haud procul a Galgalis. Male ergo quidam putant, vallem Achor, a nomine eius qui lapidatus eſt, numcupatam, cum ille Achan dictus ſit, & non Achor, vel Achar.* Sed Hacar, & Hacor dictum iam oſtendimus & hic, & ſupra verſ. 25. Brocardus: *A Galgala dimidia leuca contra auſtrum eſt vallis Achor, ubi lapidatus fuit Achan ob furtum anathematis.* Paſcuam, & armentis pinguem celebrat Iſaias cap. LXV. verſ. 10. atqui in iſta valle apparuiſſe primum ſpecimen & primam ſpem opulentiæ & fertilitatis terræ promiſſæ, Iſraelitis primum tranſmiſſo Iordane ingredientibus Chananæam, Oſee II. verſ. 15. dicitur. Quidam putant, vallem Hacor partem fuiſſe illius vallis, ſeu planitiei amœniſſimæ & fertiliſſimæ, agri Ierichuntini, quæ ab Ierichunte continuo tractu ad Sichem uſque procurrit, de cuius bonitate ac præſtantia multa nobis dicta ſupra cap. II. verſ. 1. & cap. IV. verſ. 13. USQUE HODIE. Hebr. *uſque ad diem iſtam.* De hac locutione diximus ſupra cap. IV. verſ. 9. & cap. V. verſ. 9. & cap. VI. verſ. 25.

MENOCHII.

Verſ. 1. ACHAN. LXX. *Achar*, ut etiam in vulgata noſtra appellatur I. Paralip. XXVII. Hebr. עכר *bacar* turbare ſignificat, quam vocem nominis Achan, originem eſſe indicat Ioſue num. 26. FILIUS CHARMI, &c. Achanis accurate deſcribitur genealogia: primo ut diſtingueretur ab aliis, ſi qui forte idem nomen haberent; ſecundo propter eam, quæ poſtea narranda erat, inquiſitionem ſontis, in qua per tribus, familias, domos, & capita ad ipſum ventum eſt; tertio ut parentum memoria aliqua infamiæ nota aſpergatur, ad quos male educati filii nonnulla culpa pertinet; quarto ut augeatur infamia peccantis, qui ex tam illuſtri tribu. TULIT ALIQUID DE ANATHEMATE. Quid hoc fuerit, dicitur infra num. 12.

V. 2. HAI. Oppidulum hoc erat Amorrhæorum; alterum vero eiuſdem nominis Ammonitarum erat, cuius mentio Ierem. XLIX. 3. BETHAVEN: nomen urbis, & deſerti, cuius mentio infra cap. XVIII. 12. BETHEL, ſic dictam ob cauſam quæ Geneſ. XXVIII. 19. habetur: prius dicebatur Luza.

V. 5. USQUE AD SABARIM. *Sabarim* ſignificat fracturas, confractiones, contritiones, ab hoc eventu fortaſſe, ut alibi videmus factum, impoſito nomine. Chald. & LXX. *Uſque dum contererent, ſeu confringerent eos.* INSTAR AQUAE LIQUEFACTUM, quæ ſcilicet facillime cedit, huc, illuc fluctuat; ita qui animo conſternati ſunt, malis cedunt, animo fluctuant.

V. 6. SCIDIT VESTIMENTA SUA: Fuit olim in magni doloris ſignificatione veſtium hæc laceratio peruſitata: paſſim habes exempla in Scriptura Iud. XI. 35. I. Reg. IV. 12. Iob I. 20. I. Mach. II. 14. & alibi. CORAM ARCA DOMINI. Cum Ioſue non eſſet Pontifex, Sancta ſanctorum ingredi non poterat. Oravit ergo pronus ex proximo quo potuit loco, ad locum obverſus ubi erat arca. SENES. Ita vocantur tribuum, & familiarum principes, licet fortaſſe non omnes eſſent ætate ſenes. MISERUNT PULVEREM SUPER CAPITA. Etiam hoc in luctu uſitatum, & alibi huius ritus exempla in Scriptura. Sic Mardochæus Eſther IV. 1. ſcidit veſtimenta, & capiti cineres aſperſit. Uſitata etiam aliis gentibus pulveris hæc inſperſio, & veſtium laceratio. Virg. XII. AEneid.

. . . it ſciſſa veſte Latinus,
Canitiem immundo perfuſam pulvere turpans.

V. 7. UT TRADERES NOS IN MANUS AMORRHAEI. Vel ſenſus eſt permiſſivus; quaſi dicat: Ut ſineres nos in Amorrhæorum manus incidere, ab iiſque perdi. Vel conſecutivus; quaſi dicat: Quia nos trans Iordanem duxiſti, ecce iam evenit ut Amorrhæorum obiiciamur furori, & ab iis cædamur, & pereamus. UTINAM, UT COEPIMUS, MANSISSEMUS TRANS IORDANEM; id eſt,

ut

Digitized by Google

ut aliqui cœperunt ibi trans Iordanem ſedes ſibi quærere. Hoc voto non videtur peccaſſe Ioſue, quia ita ex magno affectu locutus eſt, nec, quaſi inconſulte locutus, eſt a Domino reprehenſus.

V. 8. MI DOMINE. Hebraice, *in me Domine*; quaſi dicat: In me, Domine, oculi, & aures tuæ intentæ ſint, & converſæ. QUID DICAM? Quid cogitabo?

V. 9. QUID FACIES MAGNO NOMINI TUO? quod ab hoſtibus noſtris traducetur, quaſi non potueris tuos ſalvos præſtare, & a periculis eripere.

V. 11. SUNT MENTITI: omnes enim ſpoponderant, ſe nihil ex anathemate ablaturos, cap. VI. num. 18. 19. 20. nunc vero factum ſecus.

V. 12. POLLUTUS EST ANATHEMATE. Heb. *Populus ipſe factus eſt anathema*, ut etiam habent LXX. & ſenſus eſt: Exitio devoti ſunt Iſraelitæ, & digni qui anathematis inſtar e medio penitus tollantur. DONEC CONTERATIS EUM QUI HUIUS SCELERIS REUS EST. Heb. & LXX. *Niſi diſperdideritis anathemate medio veſtri*.

V. 13. SANCTIFICA POPULUM, modo ſupra expoſito cap. III. num. 5. per veſtium ſcilicet lotionem, corporum, animorumque caſtimoniam, & noctis illius ſecubitum.

V. 14. ACCEDETISQUE MANE SINGULI PER TRIBUS. Maſius probabiliter cenſet, pro qualibet tribu earum principes ſtetiſſe, eodemque modo familiarum, ſive gentium capita, tandemque domorum patresfamilias, ultimo loco omnes qui ad eam familiam pertinebant. Probabile etiam eſt totum Iſraelem conveniſſe, ut ſortitioni intereſſet, & divini indicii, & iudicii exitum cerneret.

V. 16. APPLICUIT ISRAEL PER TRIBUS SUAS; fortaſſe inſcriptis earum nominibus in ſchedulis.

V. 18. INVENIT ACHAN. Evenit enim quod Salomon ait in Proverb. cap. XVI. 33. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed a Domino temperantur*.

V. 19. FILI MI. Appellat filium: ſunt enim principes boni ſubditorum ſuorum patres. Sic Abraham divitem illum in infernum demerſum, filium vocat: *Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua*: Luc. XVI. 25. DA GLORIAM DOMINO DEO, &c. Modus Hebræis uſitatus' quo ſolebant rei tamquam per Deum adiurati, ſolemni ritu interrogari, admoniti iis verbis ſtare ſe coram Deo, reverendam ſibi eius eſſe maieſtatem: ne ergo coram illo mentirentur, qui omnia probe ſciret, quaſi iudicantes illum eſſe ignarum humanarum rerum, quæ magna in Deum erat iniuria, hunc potius illi honorem deferrent ut confitenda, illius reverentia, veritate, oſtenderent ſe credere nihil illum ignorare.

V. 20. VERE EGO PECCAVI DOMINO DEO ISRAEL. Singula verba ab animo dolente profecta, ſuam emphaſim habent. DOMINO DEO ISRAEL. Peccavit Domino, id eſt contra Domini præſcriptum, vel ſolo Domino conſcio: quemadmodum & David dicebat, Pſalm. L. 6. *Tibi ſoli peccavi*: quia licet in Uriam peccaſſet, is tamen iniuriæ ſibi illatæ ignarus erat.

V. 21. PALLIUM COCCINEUM VALDE BONUM. Vox Hebraica אדרת *addereth* veſtem non quamcumque, ſed ſortem, ſplendidam, & magnificam ſignificat. Aquila, & Chaldæus habent, *Veſtem Babylonicam*. Porro *Babylon*, ut ait Plin. Lib. VIII. cap. XLVIII. *docuit diverſos colores picturæ intertexere*. DUCENTOS SICLOS ARGENTI. Siclus unus quatuor regalibus Hiſpanicis reſpondet. REGULAMQUE AUREAM, virgulam auream inſtar linguæ, laminam auream. CONTRA MEDIUM, in medio.

V. 23. ANTE DOMINUM, ante arcam Domini.

V. 24. FILIOS QUOQUE ET FILIAS. Probabile hos notaſſe quid pater egiſſet, eoque veluti emolumento inſigni delectatos, & ſic etiam ob propriam noxam interiiſſe, ſi per ætatem, aut ignorantiam facti ſceleris participes non fuerunt ſine culpa, ſed non ſine cauſa, ob crimen ſcilicet patris, occiſi ſunt, ita iubente Deo, qui vitæ, & mortis dominus eſt. BOVES ET ASINOS, &c. quod factum ad ſummam facinoris deteſtationem.

V. 25. QUIA TURBASTI NOS, &c. Alludit ad etymon nominis Achan, de quo dictum ſupra num. 1. LAPIDAVITQUE EUM, &c. & etiam *combuſſit*, ut expreſſe habetur in Hebræo. Serarius putat primo combuſtum, tum in illius cine-

cineres ingeſtos lapides, & acervum illum, de quo num. ſequenti, excitatum. Porro Achan temporario extinctum igne, ab æterno liberatum, cæloque receptum, graves Auctores cenſent.

V. 26. SUPER EUM, ſuper Achan ſolum. VALLIS ACHOR, id eſt *turbationis*.

TIRINI.

Verſ. 9. ET QUID FACIES MAGNO NOMINI TUO? quaſi dicat: Quod nos omnes pereamus, & nomen noſtrum funditus exſtirpetur, cum viles ſimus homunciones, & terræ filii, parvum fortaſſe detrimentum cenſeri poſset, immo nullum, ſi per ſeidipſum ſpectetur; tuum vero nomen, o Deus, quod vere magnum eſt, debita gloria, & honore non celebrari, quin vero contemni, derideri, & exterminari, eiuſmodi eſt, ut damnoſius, exitialius, & luctuoſius eſse nil poſſit: & tamen ita futurum, ſi tua contra nos ira perſtet, noſque, ut iam incipis, metu, fuga, cæde pergas coram Chananæis affligere. Deinde, ſi omnino nos propter ſcelera noſtra punire decreviſti, mille alii modi ad manum tibi ſunt quibus id citra iacturam tui honoris facere poſſis: tuæ ſaltem conſulas gloriæ divinæ, ut fidelis & conſtans habearis in promiſſis tuis de Chananæa nobis donanda. Denique, ſi Hebræos penitus deleas, quæ alia gens colet nomen ſanctum tuum, cum omnes illud ignorent?

V. 14. QUAMCUMQUE TRIBUM SORS INVENERIT. Ex his verbis patet, non ſolum inſtinctu, ſed & iuſsu divino adhibitas hic fuiſse ſortes: quo caſu non licitum modo, ſed & infallibile eſt tale ſcrutinium. Alias, licet ſortes natura ſua malæ, aut vetitæ non ſint, niſi forſan ex fine malo, vel materia, vel forma, vel modo ſuperſtitioſo vitientur; tamen ſemper incertæ, atque fallibiles ſunt. Hinc Iure *a* tam eccleſiaſtico, quam civili prohibentur adhiberi ad exquirenda furta, ſcortationes, vel alia crimina incerto auctore commiſsa; item ad Eccleſiæ Præſules eligendos *b*. Neque enim ulla in ſortibus vis eſt ſeu naturalis, ſeu ſupernaturalis, ad tale quid indicandum. Unde, niſi conſtiterit Deum ſpeciali modo iis ſeſe admiſcere, fruſtra, & vanæ ſunt.

V. 19. FILI MI, DA GLORIAM DEO, ET CONFITERE, &c. Confeſſione peccatorum ab Achano vere Deo gloria tribuitur, primo fatendo, monſtrandoque, eum eſse rerum omnium etiam occultiſſimarum ſcientiſſimum, omnia eius oculis eſse apertiſſima, cuius ſorte ignotum omnibus ſcelus certiſſimo proditum fuerit, ipſeque auctor inter tot myriades unus deprehenſus, & convictus; ſecundo commonſtrando eum eſse iuſtiſſimum, qui non temere, neque abſque cauſa Iſraelitas fœda clade affici paſsus eſset; tertio, eſse ſanctiſſimum, cui res quæcumque dicatæ, non poſſint alio diverti; quarto, eſse potentiſſimum, omnique reverentia digniſſimum, cuius præcepta nemo impune violet; cuius ſententiam, & pœnam nemo ulla vi, arte, fuga, latebra evadere poſſit. Hæc allegorice S. Auguſtinus *c* applicat confeſſioni ſacramentali.

V. 21. PALLIUM COCCINEUM, ſeu purpureum, ABSTULI, &c. Hoc furtum coccini videtur præfiguratum olim fuiſse in ortu Zaræ abavi *d* huius Achan, dum illi iam iam orituro, & e matris utero manum protendenti obſtetrix coccinum alligavit, Geneſis XXXVIII. verſ. 27. quia ſcilicet ex poſteris eius futurus erat hic Achan, abnepos illius, qui coccineam veſtem ſacrilege furaretur, atque ita publici luctus cauſam daret. Ita Rabbi Raſchi, & Serarius.

V. 25. LAPIDAVITQUE EUM OMNIS ISRAEL. Quomodo potuit lapidare, quem verſ. 15. iuſserat Deus comburi? Reſpondet Serarius, prius vivum exuſtum, poſtea in cadaver lapidibus ſævitum. Maſius & lapidatum vivum, & exuſtum vivum arbitratur. *Dum*, inquit, *Achan deducitur, dum rogus ſtruitur, incenditur, conſcenditur, populus placandi Numinis avidus, a iaciendis lapidibus non continuit manus.* ET CUNCTA QUAE ILLIUS ERANT, etiam filii, & filiæ, IGNE CONSUMPTA SUNT, idque ut ſalutari metu caſtra omnia percellerentur, & a ſimili crimine deterrerentur. Deus vero abſolutus eſt dominus vitæ omnium, etiam innocentium, & ſaltem ob culpam originalem omnes debito ſubeundæ ſemel mortis, quocumque tempore, loco & modo placuerit Deo, ſubiecti ſumus. Ita

S. Au-

Digitized by Google

S. Auguſtinus, S. Thomas (e) & alii.

Petes, an damnatus ſit Achan? Dubitat S. Auguſtinus. Affirmat Caſſianus, & Concilium Aquiſgranenſe ſub Pipino. Sed veriſimilius eſt, ſalvatum eſſe, ob inſignem pœnitentiam, & ſceleris humilem confeſſionem, & quia, cum poſſet, occultare ſeſe, & iudicium, pœnamque fugere noluerit. Ita Rabbini omnes, & Caietanus, Toſtatus, Maſius, & Serarius.

(a) Cauſa XXVI. quæſt. V. cap. *Sortes*, & tit. de Sortilegiis.
(b) *In tabulis* cap. *Eccleſia veſtra*. tit. de Sortilegiis.
(c) Aug. orat. in Pſal. XCV.
(d) Ioſue VII. verſ. 1.
(e) S. Aug. quæſt. VIII. S. Thom. II. II. quæſt. CVII. art. 4.

GORDONI.

Verſ. 1. Unius Achani peccatum aſcribitur, quo ad pœnam, toti cœtui. Quanto magis ſi plures peccent?

V. 2. HAI urbs, in colle ſita ad proſpectum Ierichuntinorum patebat inter Iericho & Bethel, non longe a Bethaven. Tempore Hieronymi locus pro urbe monſtrabatur. Ceterum duæ urbes ſunt Bethel, & Bethaven: quamvis aliqui dicant unicam eſſe urbem, & Bethel poſtea vocatam Bethaven ob vitulum aureum Ieroboam filii Nabat; ac ſi dicas, *Domum idoli*. און *on*, *idolum*, *vanitas*. Bethel hæc eſt in ſorte Ephraim, prius Luza dicta, a Iacob vero Bethel, Gen. XXVIII.

V. 5. SABARIM, quibuſdam eſt loci nomen proprium, ad radicem montis: & cum vox Hebr. *Sabarim* ſignificet *fractiones*, forte a clade nomen eſt inditum. En frivola humana conſilia ſine Deo.

V. 6. De veſtium ſciſſione, vide Levit. cap. X. verſ. 6. Pulvis etiam capiti impoſitus, nota eſt doloris ex gravi aliquo infortunio.

V. 9. Orat Ioſue. Vult Deus aliqua nonniſi precibus obtineri. Magna vis orationis, ubi divini nominis honor quæritur. Hoc nomen hic eſt יהוה *nomen magnum*.

V. 12. & 13. SANCTIFICA POPULUM; hoc eſt, convoca, & ſemove ab alio opere, ut vacet huic crimini expiando. Hic, & verſ. 13. anathema vocatur qui ſcelus commiſit.

V. 14. Sortium uſus frequens in veteri teſtamento. Sane tunc licitus eſt cum ſit Deo iubente, ut hic. Theologi ſortem dividunt in diviſoriam, conſultoriam (cum quæritur quid ſit agendum) & divinatoriam: de qua re dixi in opere Theol. Lib. VI. Vide hic, I. Reg. 11. & Ionæ cap. 11.

V. 16. APPLICUIT; hoc eſt, accedere fecit ad arcam.

V. 19. DA GLORIAM DEO: confitere veritatem. Heb. שים נא כבוד *ſim na chavod*, *pone gloriam Deo*: rad. שום *hiphil*, השים *heſim*, *poſuit*.

V. 21. PALLIUM COCCINEUM; regulam auream. Chal. *pallium Babylonicum*, שנער *ſinhhar*, ex Sennar, ſeu Babylone. LXX. habent ψιλὴν ποικίλην, *pallium variegatum*: alii *ſtolam*, & χλαμύδα vocant; at quæ eſt regula aurea: LXX. habent *linguam auream unam*: idem in Hebr. Montanus laminam auream vocat; at Abulen. virgam de auro in modum regulæ. Arias totum furtum æſtimat ad 400. aureos.

V. 24. FILIOS QUOQUE. Vel hi fuerunt ſceleris conſcii, vel adacti ut ſpectarent paternum ſupplicium, ut cum Caietano quidam opinati ſunt. Textus habet, *Omnia quæ illius erant, combuſta: & combuſſerunt*, אתם *othan*, *eos*. LXX. κατέκαυσαν αὐτὰ ἐν πυρὶ: conformior textui ſententia eſt, extinctos fuiſſe liberos.

V. 26. VALLIS ACHOR עכור, *turbationis*. *Turbaſti nos*, inquit Ioſue. Sic loco nomen factum eſt.

V. 25. Iuſſit Deus reum comburi (ut vides verſ. 15.) quomodo ergo lapidatur? (Omitto myſticum ſenſum, quem dat Auguſtinus quæſt. IX. in Ioſue) Achan prius lapidatus eſt, & poſtea combuſtus cum ſubſtantia ſua, quando cadaveris combuſti oſſa acervo lapidum obruta manſerunt.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 11. MENTITI SUNT. Profeſſi enim ſunt omnes ſe nihil accepturos.

V. 21. DUCENTOS SICLOS. Siclus habet quatuor regales. CONTRA MEDIUM, in medio.

V. 26. VALLIS ACHOR, *turbationis*: עכר hhakar, *turbare*: Vide I. Paral. 11. 7.

CAPUT VIII.

Expugnata Hai, rex eius ſuſpenditur, erecto altari lapideo: Deuteronomium ſuper lapides ſcribitur, & populo benedicitur.

1. DIxit autem Dominus ad Ioſue: Ne timeas, neque formides:
tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, & conſur-
gens aſcende in oppidum Hai: ecce tradidi in manu tua re-
gem eius, & populum, urbemque, & terram. 2. Facieſque
urbi Hai, & regi eius, (*a*) ſicut feciſti Iericho, & regi il-
lius: prædam vero, & omnia animantia diripietis vobis:
pone inſidias urbi poſt eam. 3. Surrexitque Ioſue, & omnis
exercitus bellatorum cum eo, ut aſcenderent in Hai: & electa triginta millia
virorum fortium miſit nocte, 4. præcepitque eis, dicens: Ponite inſidias poſt ci-
vitatem: nec longius recedatis: & eritis omnes parati: 5. ego autem, & reli-
qua multitudo quæ mecum eſt, *accedemus ex adverſo contra urbem. Cumque
exierint contra nos, (*b*) ſicut ante fecimus, fugiemus, & terga vertemus: 6. do-
nec perſequentes ab urbe longius protrahantur: putabunt enim nos fugere ſicut
prius. 7. Nobis ergo fugientibus, & illis perſequentibus, conſurgetis de inſidiis,
& vaſtabitis civitatem: tradetque eam Dominus Deus veſter in manus veſtras.
8. Cumque ceperitis, ſuccendite eam, & ſic omnia facietis, ut iuſſi. 9. Dimi-
ſitque eos, & perrexerunt ad locum inſidiarum, ſederuntque inter Bethel & Hai,
ad occidentalem plagam urbis Hai: Ioſue autem nocte illa in medio manſit po-
puli, 10. ſurgenſque diluculo recenſuit ſocios, & aſcendit cum ſenioribus in fron-
te exercitus, vallatus auxilio pugnatorum. 11. Cumque veniſſent & aſcendiſſent
ex adverſo civitatis, ſteterunt ad ſeptemtrionalem urbis plagam, inter quam &
eos erat vallis media. 12. Quinque autem millia viros elegerat, & poſuerat in
inſidiis * inter Bethel & Hai, ex occidentali parte eiuſdem civitatis: 13. omnis
vero reliquus exercitus ad aquilonem aciem dirigebat, ita ut noviſſimi illius mul-
titudinis occidentalem plagam urbis attingerent. Abiit ergo Ioſue nocte illa, &
ſtetit in vallis medio. 14. Quod cum vidiſſet rex Hai, feſtinavit mane, & egreſ-
ſus eſt cum omni exercitu civitatis, direxitque aciem contra deſertum, igno-
rans quod poſt tergum laterent inſidiæ. 15. Ioſue vero & omnis Iſrael ceſſerunt
loco, ſimulantes metum, & fugientes per ſolitudinis viam. 16. At illi vocife-
rantes pariter, & ſe mutuo cohortantes, perſecuti ſunt eos. Cumque receſſiſſent
a civitate, 17. & ne unus quidem in urbe Hai & Bethel remanſiſſet qui non
perſequeretur Iſrael (ſicut eruperant aperta oppida relinquentes) 18. dixit Do-
minus ad Ioſue: Leva clypeum, qui in manu tua eſt, contra urbem Hai, quo-
niam tibi tradam eam. 19. Cumque elevaſſet clypeum ex adverſo civitatis, in-
ſidiæ, quæ latebant, ſurrexerunt confeſtim: & pergentes ad civitatem, ceperunt,
& ſuccenderunt eam. 20. Viri autem civitatis, qui perſequebantur Ioſue, reſpi-
cientes & videntes fumum urbis ad cælum uſque conſcendere, non potuerunt ul-
tra huc illucque diffugere: præſertim cum hi qui ſimulaverant fugam, & tende-
bant

Digitized by Google

bant ad ſolitudinem, contra perſequentes fortiſſime reſtitiſſent. 21. Videnſque Ioſue & omnis Iſrael quod capta eſſet civitas, & fumus urbis aſcenderet, reverſus percuſſit viros Hai. 22. Siquidem & illi qui ceperant & ſuccenderant civitatem, egreſſi ex urbe contra ſuos, medios hoſtium ferire cœperunt. Cum ergo ex utraque parte adverſarii cæderentur, ita ut nullus de tanta multitudine ſalvaretur, 23. regem quoque urbis Hai apprehenderunt viventem, & obtulerunt Ioſue. 24. Igitur omnibus interfectis, qui Iſraelem ad deſerta tendentem fuerant perſecuti, & in eodem loco gladio corruentibus, reverſi filii Iſrael percuſſerunt civitatem. 25. Erant autem qui in eodem die conciderant a viro uſque ad mulierem, duodecim millia hominum, omnes urbis Hai. 26. Ioſue vero non contraxit manum, quam in ſublime porrexerat, tenens clypeum donec interficerentur omnes habitatores Hai. 27. Iumenta autem & prædam civitatis diviſerunt ſibi filii Iſrael, ſicut præceperat Dominus Ioſue. 28. Qui ſuccendit urbem, & fecit eam tumulum ſempiternum: 29. regem quoque eius ſuſpendit in patibulo uſque ad veſperam & ſolis occaſum. Præcepitque Ioſue, & depoſuerunt cadaver eius de cruce: proieceruntque in ipſo introitu civitatis, congeſto ſuper eum magno acervo lapidum, qui permanet uſque in præſentem diem. 30. Tunc ædificavit Ioſue altare Domino Deo Iſrael in monte Hebal: 31. (c) ſicut præceperat Moyſes famulus Domini filiis Iſrael, & ſcriptum eſt in volumine legis Moyſi: Altare vero de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit: & obtulit ſuper eo holocauſta Domino, immolavitque pacificas victimas. 32. Et ſcripſit ſuper lapides Deuteronomium legis Moyſi, quod ille digeſſerat coram filiis Iſrael. 33. Omnis autem populus, & maiores natu, duceſque ac iudices ſtabant ex utraque parte arcæ, in conſpectu ſacerdotum qui portabant arcam fœderis Domini, ut advena ita & indigena. Media pars eorum iuxta montem Garizim, & media iuxta montem Hebal, ſicut præceperat Moyſes famulus Domini. Et primum quidem benedixit populo Iſrael. 34. Poſt hæc legit omnia verba benedictionis, & maledictionis, & cuncta quæ ſcripta erant in legis volumine. 35. Nihil ex his quæ Moyſes iuſſerat, reliquit intactum, ſed univerſa replicavit coram omni multitudine Iſrael, mulieribus ac parvulis & advenis, qui inter eos morabantur.

(a) Sup. VI. 24. (b) Sup. VII. 4. (c) Exod. XX. 25. Deuter. XXVII. 5.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 5. *Accedemus ex adverſo*. Non eſt mutandum *accedemus* compoſitum a *cedo*, in *aſcendemus* compoſitum a *ſcando*.

V. 12. *Inter Bethel & Hai*. Scribendum eſt *Bethel*, quod ſignificat domum Dei, non *Bethaven*, quod domum idoli, ſeu iniquitatis.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 5. ANTE FECIMUS. Hebr. Chald. & LXX. *Ante*, ſeu *prius*; ubi poteſt intelligi, fecimus, vel fecerunt.

V. 12. QUINQUE, &c. ſcilicet præter illos de quibus ſupra: erant enim duplices inſidiæ; vel ex illis 30. millibus iſti ſoli erant poſiti in inſidiis. BETHEL eſt quidem poſtea dicta *Bethaven*, id eſt *domus iniquitatis*, ſeu *idoli*, ob vitulos ibi poſitos a Ieroboam.

V. 13.

V. 13. Noviſſimi.... multitudinis. Hebr. & Chald. *inſidiæ*. Occidentalem: ſcilicet ubi erant illa quinque millia quæ ſe coniunxerant exercitui, ne putarentur ſupereſſe aliæ inſidiæ. Vel reliquum exercitum vocat partem illam ex triginta millibus quæ non erat in inſidiis, ſcilicet 25. millia.

V. 18. Leva, ſcilicet ut ſignum detur inſidiis. Clypeum: ſic & LXX. at Heb. & Chald. *haſtam*: & ſic infra.

V. 22. Contra suos, id eſt verſus ſuos, ſeu obviam ſuis.

V. 32. Deuteronomium, ſcilicet Decalogum, qui habetur in Deuteronomio. Hebr. *duplicationem*, ſeu *duplicatum*; quaſi dicat, exemplum. Vide Deut. xvii. Digeſſerat. Hebr. *ſcripſerat*.

V. 34. Legit; id eſt, curavit legenda per ſacerdotes.

V. 35. Intactum, id eſt non lectum, ut apparet ex Hebr. Chald. & LXX. Morabantur, ſcilicet ad fidem converſi.

ESTII.

Verſ. 2. Pone insidias urbi post eam. Hic locus ſatis oſtendit inſidias in bello quod iuſte geritur, adverſus hoſtes non eſſe illicitas: nam ſi illicitæ eſſent, non eas Deus fieri præciperet. De qua re ita Auguſtinus in quæſtionibus huius Libri: *Cum iuſtum bellum quis ſuſceperit, utrum aperta pugna, an inſidiis vincat, nihil ad iuſtitiam intereſt*.

Si quæras, an igitur fallere liceat hoſtem, & fraude eum circumvenire; reſponderem. Duobus modis aliquem falli contingit. Vel quia falſum ei dicitur, vel ut dum non ſervatur quod promiſſum, vel iuratum eſt. Et hoc modo fallere hoſtem non licet, multo minus quemcumque alium. Ratio manifeſta eſt, quia mendacium, perfidia, periurium, ſemper peccata ſunt. Deinde fallitur hoſtis dum verum occultatur, & conſilia abſconduntur, per quod fit ut adverſarius decipiatur. Atque hic modus deceptionis, vel inſidiarum licitus eſt. Non enim tenetur quiſque ſecreta ſua alteri revelare, multo minus hoſti. Quod ergo legitur Ioſue cum ſuis ſimulaſſe metum, & fugam, non intelligi debet aliqua falſitas in facto; ſed receſſerunt, ſicut ſolent metuentes, & fugientes: ex quo eorum facto decepti ſunt hoſtes, exiſtimantes eos vere metuere, & fugere.

V. 32. Et scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysi. Non ſcripſit totum Librum Deuteronomii: id enim & difficulter ſuper lapides fieri poterat, & minime erat neceſſarium: nam multa in Deuteronomio habentur quæ ad populum non multum pertinent: ſed intelligitur de decalogo repetito Deuteronomii cap. v. Nempe *Deuteronomium* legem ſecundo repetitam ſignificat. Forte etiam inſcriptæ erant benedictiones, & maledictiones: quod illæ vel maxime pertinerent ad populum in officio, & religione continendum.

MARIANAE.

Verſ. 1. Neque formides. Chal. *Neque frangaris*. Sic Hebræi explicant verbum חתת *hathath*. Id Deus dicit Ioſue.

V. 2. Pone insidias. Verti etiam poteſt, *Pone inſidiatorem*, id eſt inſidiatores urbi. Post eam, a tergo eius.

V. 4. Ponite insidias, ſeu inſidiatores. Neque cogites, omnia triginta millia quæ noctu præmiſit Ioſue, fuiſſe poſita in inſidiis: magnus is numerus in eam rem: ſed ex eo numero quinque millia, de quibus verſ. 12.

V. 5. Accedemus: ſic in Gotth. non *aſcendemus*. Sicut ante fecimus. *Fecimus* Hebr. non eſt; ſed illud tantum, *ſicut ante*; & ſuppleri poteſt, tum *fecimus*, tum *fecerunt*, ut eſt in Gotth. nempe ſicut fecerunt illi qui ante fugerunt. Illa tria millia. Terga vertemus,

V. 6. Donec..... ab urbe longius protrahantur. Hebr. *Donec evellamus eos ab urbe*.

V. 7. Et vastabitis civitatem. Hebr. *Expelletis civitatem*, pro habitatores civitatis. Sane *urbs* muros ſignificat, *civitas* habitatores, ut Servius ait III. AEneid. ſic Ioſue.

V. 10. Recensuit socios. Hebr. *Viſitavit populum*. Sed viſitandi vox ſignificat etiam *numerare*: niſi quod brevi eo tempore tanta multitudo qui poterat numera-

mera-

Digitized by Google

merari ? Ergo RECENSUIT , id eſt luſtravit. Copiæ ſteterunt.

V. 12. QUINQUE AUTEM MILLIA VIROS ELEGERAT. Non ſunt novæ inſidiæ, ſed repetitio, & explicatio eius quod dictum eſt verſ. 4. Hebr. *Quaſi quinque millia viros poſuit*. INTER BETHEL ET HAI. Sept. *Bethaven* poſuere. *Bethel* autem dicta eſt etiam *Bethaven*, propter vitulos ibi poſitos; ſed alio tempore.

V. 13. NOVISSIMI ILLIUS MULTITUDINIS. Hebr. vocem עקבו *bakebo*, *calcem eius*, plerique extremam exercitus partem intelligunt, etiam Hebræi. Chald. tamen in ſignificatione ſupplantationis accipiens, per eam vocem intellexit *inſidias*; quaſi dicat : Populus, & exercitus ad ſeptemtrionem erat, at ſupplantatio, ſeu inſidiæ ad occaſum.

V. 14. EXERCITU CIVITATIS. Heb. additur, *Tempore ſtatuto egreſſus eſt rex Hai*.

V. 15. OMNIS ISRAEL CESSERUNT LOCO. Hebr. *percuſſi ſunt*; quaſi dicat : Poſt primos ictus, ſimul atque hoſtes coniecerunt in eos tela, fugerunt. SIMULANTES METUM. Hoc non eſt in Hebræo.

V. 16. AT ILLI VOCIFERANTES. Chald. *ſe congregantes*; ſed vox Hebr. זעק *zahak* utrumque ſignificat : & fortaſſe clamore præconum convocarunt populum, idque Noſter per verbum *vociferantes* indicare voluit.

V. 17. APERTA OPPIDA RELINQUENTES. Hebr. *apertam urbem*: & loquitur de Hai ; ſed Noſter ſingulare pro plurali accepit, *urbem*, pro urbes.

V. 18. DIXIT DOMINUS AD IOSUE : LEVA CLYPEUM. Hebræi, & Chald. *lanceam* dicunt. כידון *cidon*, quæ vox eſt Hebr. *haſtam* putant. Sept. *clypeum*, idem verſ. 26. ſic vertit Latinus Interpres Septuag. nam *γαισὸν*, quod Græce eſt, potius *lanceam* ſignificat, qua voce Virgil. VIII. AEneid. utitur, & Statius VIII. Theb. Theodoretus, hic Ioſephum, & Symmach. vertiſſe *clypeum*, ait. Euſ. Emiſſ. *δόρυ*, id eſt *lanceam*, dixit. Chald. רומחא *rumha*, id eſt *lanceam*, habet.

V. 20. NON POTUERUNT ULTRA HUC ILLUCQUE DIFFUGERE, ſcilicet hoſtes. Hebr. *Et non erant in eis manus ad fugiendum huc & illuc*. Per *manus* Pagn. intelligit *loca*, Hebræus *vires & fortitudinem*; quaſi dicat, viribus concidere. Hoc Hieronymus ſequitur, cum dixit, *Non potuerunt*: ſequitur Chald.

V. 22. Qui urbem ceperant, iverunt CONTRA SUOS, id eſt verſus ſuos. Hebr. *in occurſum eorum*, vel ſuorum, vel hoſtium.

V. 28. TUMULUM SEMPITERNUM, ſcilicet fecit urbem. Hebr. *tumulum ſempiternum uſque ad diem hanc*. Ex hoc loco indicat Hebræus intelligendum quod ſæpe in Pſalmis dicitur, *in æternum & ultra*: nam pro *ultra* Hebr. eſt *uſque*; ſupple, præſentem diem, ut hic dicitur. Quod in ſignificatione æternitatis perfectæ ponitur.

V. 29. REGEM QUOQUE EIUS SUSPENDIT IN PATIBULO. Hebr. *ligno*: fortaſſis per lignum, arborem ſignificat unde illum ſuſpenderunt. Sed Chald. *ſuper crucem* vertit. Sept. *ἐπὶ ξύλου διδύμου*, *in ligno gemino*, ad crucem alludentes ex duobus lignis compactam. SOLIS OCCASUM. Suſpendit eum regem Hai ad id tempus, non ultra, propter præceptum Deut. cap. XXI. verſ. 23. *Non permanebit cadaver in ligno*. ET DEPOSUERUNT CADAVER EIUS DE CRUCE. Hebr. *de ligno*, Chald. *de cruce*, Sept. *de ligno*.

V. 31. SICUT PRAECEPERAT MOYSES: ſcilicet Deuter. XXVII. verſ. 8. eſt id præceptum de altari erigendo.

V. 32. SCRIPSIT SUPER LAPIDES DEUTERONOMIUM. Hebr. *duplicatum*, ſcilicet novum exemplum : nec intelligas totam legem ſcripſiſſe, ſed Decalogum. Simile habes Deuter. XVII. verſ. 18.

V. 35. QUI INTER EOS MORABANTUR, ſcilicet ad fidem converſi advenæ: coram eis etiam Ioſue legit verba maledictionis.

MALVENDAE.

Verſ. 2. PONE INSIDIAS URBI. In bello iuſto licitas eſſe inſidias, ſummo conſenſu Theologi docent. Quo ſpectant ſtratagemata adeo in bellis celebrata, quorum plurima exempla prodiderunt Iulius Frontinus libris quatuor & Polyænus libris octo. S. Auguſtinus, quæſt. X. *Homo iuſtus, cum iuſtum bellum ſuſceperit, utrum aperta pugna, utrum inſidiis vincat, nihil ad iuſtitiam intereſt*. POST EAM. Alii, *a tergo eius*, vel *a poſteriore eius*, id eſt

eſt a parte occidentali urbis, ut exponitur infra verſ. 9. Cum hæc mandata proponebantur, erant caſtra in Ierichunte, vel in Galgala, quibus ex ſitu locorum, Hai erat ad occidentem; & ita occidentalis pars eius erat poſterior, vel a tergo urbis reſpectu Iſraelitarum. Sic verſ. 14.

V. 3. MISIT NOCTE. Hebr. *Et miſit eos nocte*. Aliqui ſynecdochen eſſe volunt, *miſit eos*: non omnes, ſed partem dumtaxat eorum, nempe quinque millia, ex illis triginta millibus ſelectiſſimos, ut verſ. 12. infra dicetur. Sic verſ. 9. infra.

V. 7. ET VASTABITIS CIVITATEM. Verbum ירש *iaraſch*, quod hic in Hiphil ponitur, varie reddunt. I. *Et expelletis habitatores urbis*. II. *Et expelletis civitatem*, id eſt reliquias ipſius civitatis: metonymia, & ſynecdoche. III. *Et occupabitis urbem*. IV. *Et hereditabitis civitatem*. V. *Et exterminio perdetis urbem*: qui eſt potior ſenſus.

V. 10. VALLATUS AUXILIO PUGNATORUM, &c. Hebr. *Et omnis populus belli, qui ad eum, aſcenderunt*, &c. Quidam: *Et omnes ex populo qui bello apti erant, qui ſcilicet cum eo erant, adſcenderunt*, &c. Alii propter accentum Hebraicum nolunt vocem עם *gham*, id eſt *populus*, eſſe in regimine, ſed per ſe cohærere; unde reddunt: *Totus quoque populus, bellum*, ſive *acies, quæ erat cum eo, aſcenderunt*. Nonnulli: *Univerſuſque populus militaris, qui cum eo erat, conſcenderunt*, &c.

V. 12. QUINQUE AUTEM MILLIA, &c. Hebræi, has novas inſidias præter illa triginta millia, verſ. 3. & 9. putant, ut fuerint propiores urbi, ab occidente. Alii, ex illis triginta millibus tantum iſta quinque millia delecta volunt. Vide ſupra verſ. 3.

V. 13. OMNIS VERO RELIQUUS EXERCITUS AD AQUILONEM ACIEM DIRIGEBAT, ITA UT NOVISSIMI ILLIUS MULTITUDINIS OCCIDENTALEM PLAGAM URBIS ATTINGERENT. Hebræa huius hemiſtychii nos in noſtra Translatione verbatim expreſſimus (*Et poſuerunt populus omnem deſidentiam, quæ de aquilone urbi, & calcem eius, de mari urbi.*) Alii diverſimode convertunt. I. *Et poſuerunt ſe propinquiores, ſive propius acceſſit populus, id eſt omnia caſtra quæ erant ab aquilone ipſi civitati; & inſidiæ eius, quæ erant ab occidente ipſi civitati*. II. *Et poſuerunt populum, omnia caſtra quæ ab aquilone, civitati, & finem eius ab occidente civitati*. III. *Iamque diſpoſuerant populum, exercitum univerſum; cum eos qui erant urbi a ſeptemtrione, tum eius inſidias quæ erant urbi a mari*; id eſt, imperator, & ſeniores, ſive tribuni militum iam diſpoſuerant univerſum populum eductum in hanc expeditionem: & alios quidem in caſtris ad aquilonem poſitis; alios vero in inſidiis a tergo urbis, id eſt ab occidente, collocaverant. IV. *Et populi collocarunt omnia caſtra quæ erant ab aquilone, urbi, & inſidias ſuas quæ erant ab occidente, contra urbem*. V. *Admovente itaque populo tota caſtra quæ erant ab aquilone, civitati illi, & extremam partem eorum ab occaſu ipſius civitatis*. VI. *Et impoſuerunt, incumbere fecerunt, populus omnem caſtrametationem, quæ erat ab aquilone urbi; & inſidias ſuas, quæ erant ab occidente*; id eſt, iamque populus perniciem moliebantur, & incumbebant urbi, videlicet cum per caſtra illa ad ſeptemtrionem poſita, tum per inſidias quæ ad occidentem inſederant. Notant verbum שום *ſum*, in ea ſignificatione aliquando reperiri, pro *perniciem moliri, incumbere, invadere*, ut I. Regum xx. verſ. 12. & I. Samuel. xv. verſ. 2. Propius his locis vertas *opponere*, ut hic: *Et oppoſuerunt populus omnem caſtrametationem*, &c. vocem cum affixo עקבו *ghakebo*, plerique *inſidias eius*, quod verbum עקב *ghakab*, *ſupplantare, decipere, circumvenire*, plerumque ſignificet. Alii, *calcem eius, calcaneum eius*, vel *extremum, extremitatem, finem eius*, id eſt extremam patrem caſtrorum, poſtremum agmen. Et ſenſus eſt potior, quod עקב *gbekeb* in ſignificatu *inſidiarum* vix in Scriptura legatur. IN VALLIS MEDIO. Quæ videlicet in medio erat inter Hai & Iſraelitarum exercitum, de qua ſupra verſ. 11. Inceſſit igitur Ioſue nocte ipſa cum parte exercitus per convallem illam, quæ erat ab oriente verſus aquilonem incumbens ipſi urbi Hai, ut ſe prima luce hoſti oſtentaret, eumque extra urbem proliceret.

V. 14. QUOD CUM VIDISSET REX HAI. Quidam exponunt, ſcilicet Iſraelitas iniquo loco caſtra collocaſſe, nempe

in

in depreſſa valle, hac opportunitate allectus eſt ad irrumpendum. Alii, potius fiducia ſuperioris victoriæ elatum, volunt aggreſſum Iſraelitas. DIREXITQUE ACIEM CONTRA DESERTUM. Hebr. *ad ſtationem verſus campeſtria*. Varie reddunt, & explicant. I. *Ad tempus conſtitutum ante campeſtria*. Hebræorum quidam putant, regem Haienſem obſervaſſe præfixe tempus, & horam præſtitutam, qua antea feliciter pugnaverat, ut pari ſucceſſu nunc vinceret. Alii, ex aſtrologicis obſervationibus captaſſe tempus opportunum rei gerundæ. Sed ſunt iſta futilia. II. *Eo ipſo tempore, ante planitiem*, id eſt ſine dilatione, aut deliberatione, conſiliove capto. III. *Ad adunationem in faciebus planitiei*, id eſt contra exercitum Iſraelitarum adunatum & congregatum in planitie: recta enim verſus illum procedebant. IV. *In conſtitutum locum, ante campeſtrem*; ut poſterius hoc membrum, *ante campeſtrem*, ſit prioris exegeſis. V. *Ad* vel *in teſſaram*, ſeu *ſignum militare, ante planitiem*; quaſi dicat: Dato ſigno e portis erumpendi, procurrebant omnes in prælium adverſus Iſraelitas: ſic vocem מועד *moghed*, ſumi volunt Iudic. xx. verſ. 38. Proprie nos vertimus, *In ſtationem ad facies campeſtris*. Fortaſſe indicat, proceſſiſſe eos uſque ad ſtationem aliquam militarem, ſeu præſidium, ab ipſis certo loco conſtitutum: vel progreſſos *in pugnam ſtatariam*, quam Latini appellant ubi non inſidiis, non furtis, non excurſionibus, non levibus præliis, aut velitationibus; ſed collatis utrimque ſignis, firmo, & ſtabili pede decertatur. CONTRA DESERTUM. ערבה *gharabah, planitiem, campeſtrem*. Quidam exponunt: Id eſt, quæ civitati ad orientem adiacebat, ut ita Iſraelitas a latere aggrederentur, & refugientibus in caſtra iter præciderent. Alii vero hic, *deſertum*, vel *ſolitudinem* interpretantur: id nimirum deſertum, de quo verſu ſequente: quod non placet. Rectius videtur intelligi hic vallem illam quæ a ſeptentrione inter Hai & caſtra Iſraelitica interiacebat, de qua ſupra verſ. 11. & 13. hæc enim hic appellatur planities, ſeu campeſtris.

V. 15. IOSUE VERO, ET OMNIS ISRAEL CESSERUNT LOCO, SIMULANTES METUM. Hebr. *Et percuſſi ſunt Iehoſuagh, & omnis Iſrael a facie eorum*. Varie in eumdem ſenſum alii vertunt. I. *Iehoſuagh vero, & omnis Iſrael ſimularunt ſe cæſos ante illos*. II. *Fingebant autem ſe cædi Iehoſuagh, & omnis Iſrael ab illis*. III. *Tunc finxerunt ſe plaga affici Iehoſuagh, & totus Iſrael ante eos*. IV. *Et prætetulerunt percuſſos*, vel *quaſi eſſent percuſſi ac cæſi, Iehoſuagh, & omnis Iſrael ante eos*; id eſt, oſtenderunt ſe ipſos perinde ac ſi percuſſi, ac cæſi eſſent: finxerunt ſe non poſſe ſuſtinere impetum eorum, ac proinde luxatis ordinibus fugere cœperunt verſus deſertum. V. Quidam reddunt: *Et percuſſi ſunt Iehoſuagh, & omnis Iſrael, a ſe ipſis*; id eſt, ſimularunt ſe cæſos. VI. *Et plagati fuerunt Iehoſuagh, & omnis Iſrael coram eis*. Qualis autem hæc plaga fuerit, non exprimitur; leviſſimi tamen aliqui ictus creduntur attigiſſe Iſraelitas. VII. *Et percuſſi ſunt*; id eſt, ſua ſponte fracti, fuſique ſunt: idque ex ſimulatione factum. VIII. *Et attacti ſunt*, &c. id eſt, quam primum manus conſeruerunt, ad primos ictus, ſtatim Ioſue & univerſus Iſrael terga verterunt. Unde reddi poſſit: *Et pulſi, impulſi, ſunt Iehoſuagh*, &c. Ergo quidam non omnino incruentum Iſraelitis fuiſſe illud fugæ ſtratagema, quin aliquorum terga plecterentur, exiſtimant. Alii totam illam victoriam ſine Iſraelitico ſanguine peractam volunt: quod eſt veriſimilius. PER SOLITUDINIS VIAM. Hebr. *per viam deſerti*: Quidam exponunt: Id eſt, qua reditur Ierichuntem. Sed rectius intelligitur deſertum quod urbi Hai ab aquilone adiacebat, ubi Ioſue caſtrametaverat, ſupra verſ. 11. & 13. nam veriſimile eſt Iſraelitas fugientes, ſua caſtra petiiſſe.

V. 16. AT ILLI VOCIFERANTES PARITER, ET SE MUTUO COHORTANTES. Hebr. *Et conclamati, convocati, exciti ſunt omnis populus, qui in urbe ad perſequendum eos*. Nempe claſſico exciti omnes qui remanſerant bello apti in urbe, ut multiplicatis viribus Iſraelitas fugientes internecione delerent.

V. 18. LEVA CLYPEUM. כידון *cidon*, novies in Scriptura legitur, & ſexies Noſter *clypeum* reddidit: Iob XLI. verſ. 20. *haſtam*; Ieremiæ VI. verſ. 23. & L. verſ. 42. *ſcutum*. Forſterus hæc annotat: *Cidon nomen eſt inſtrumenti militaris, quod alii lan-*

lanceam , *alii haſtam*, *alii telum*, *alii ſcutum*, *alii aliter interpretantur*. Nicolao *Lyrano eſt lamina*, *quæ deſcendit a caſſide*, *procedens in aeutum inter ſcapulas*, *ut protegeret eollum*, *& iuncturam armorum capitis & corporis*: *negatque fuiſſe clypeum*, *aut parmam ex eo nimirum argumento*, *quod armiger Goliath geſtaverit clypeum*. *Ego arbitror fuiſſe ſimile quiddam pilæ*, *ſeu clavæ*, *non quo corpus muniretur*, *ſed quo uſi ſunt capiendo*, *& feriendo*. Deduxit vocem a לכד *lacad*, *capere*. Hic varie convertunt. Ieſus Syracides cap. XLVI. verſ. 3. *rhomphæam* expoſuiſſe videtur, cum de Ioſue ait: *Quam glorioſus factus eſt in extollere manus ſuas*, *& inextendere rhomphæam ſuper urbes*! Neque enim dubitare poſſunt Ieſum ad hunc Ioſue loeum reſpexiſſe. Gellius Lib. X. cap. XXV. *Rhomphæa genus teli eſt Thracæ nationis*, *poſitumque hoc vocabulum in Q. Ennii Annalium* XIV. Quidam *Rhomphæam* aiunt eſſe *frameam*, *iaculum longum*. LXX. כידון *cidon*, *gæſon*, teli Gallici genus, de quo Virgilius VIII. AEneidos:

> .... *duo quiſque Alpina coruſcant*
> *Gæſa manu*, *ſcutis protecti corpora longis*.

Clare *gæſon* a ſcuto diſtinguit Servius: *Gæſa*, *haſtas viriles*: *nam etiam viros fortes Galli gæſos vocant*. Livius Lib. VIII. cap. XVIII. *Qui haſtam tantum*, *gæſaque gererent*. Iulius Pollux Lib. VII. cap. XXXIII. *Haſta ferrea*, *quæ gæſos vocatur*, *& Libyca eſt*. Feſtus: *Gæſum*, *grave iaculum*. Gloſſæ Iſidori: *Gæſum*, *haſta*, *iaculum*, *bolis*. Sine dubio eſt quod Hiſpanice vocamus *chuſo*. Chaldæus Interpres, Hebræi fere omnes, Lyranus, Caietanus, Reuclinus, Sanctes, Vatablus, Clarius, Pomarius, Buxtorfius, Schindlerus, Hiſpanicus Interpres *Cidon haſtam*, vel *lanceam*, ex qua tamen ſignum, ſeu vexillum penderet; perticam oblongam, in cuius ſummitate velum eſſet. Tremellius, & Iunius, *haſtam vexillarem*, ſeu *vexillum*. Putant fuiſſe quaſi ſignum vel teſſeram pugnæ ab imperatore propoſitum, ut olim apud Romanos, & alias gentes. Plutarchus in Q. Fabio Maximo: *Pugnæ ſignum propoſuit*. *Eſt autem tunica coccinea ſuper tabernaculum imperatoris extenſa*. Et in M. Bruto: *Una cum luce propoſitum fuit in Bruti*, *& Caſſi caſtris pugnæ ſignum*, *Puniceatunica*. Cæſar Lib. II. de Bello Gallico: *Cæſari omnia uno tempore erant agenda*: *vexillum proponendum*, *quod erat inſigne*, *cum arma concurri oporteret*. Plutarchus in Philopœmene, de pugna Antigoni cum Cleomene: *Donec a rege ſublata eſſet Punicea veſtis*, *ſuper ſariſſam extenſa*. Et Polybius de eadem pugna Lib. II. *Cum primum rex Puniceum paludamentum attolleret*. Simile quid fuiſſe *Cidon* Ioſue ſuſpicantur. Leo Iudas, *telum*. Montanus, *eurim*: genus haſtæ, ſeu teli miſſilis, quod a ducibus manu geſtabatur, quodque Sabinis populis in uſu fuit, a quo Romulus dictus eſt Quirinus, & Romani Quirites. Feſtus: *Curis eſt Sabine haſta*. *Unde Romulus Quirinus*, *quia eam ferebat*, *eſt dictus*: *& Romani a Quirino Quirites*. Servius in I. AEneidos: *Romulus autem Quirinus ideo dictus*, *quod haſta utebatur*, *quæ Sabinorum lingua curis dieitur*: *telum eſt cum longiore ferro*: *unde & ſecuris*, *quaſi ſemicuris*. Nec abſurde quis exiſtimaverit, *Cidon* eſſe quod Hiſpanice dicimus *gineta*, id eſt pedeſtris contus, vel *baſton de capitan general*. Forſterus, & Mercerus, *clavam*. Marinus, *parmulam*. Avenarius vocis ſimilitudine, *cudonem*: eſt autem *cudo* Latinis, galea ex ferarum tergoribus compacta. Silius XVI. Punicorum:

> *Scipio contorquens haſtam cudone comantes*
> *Disiecit crines* ....

Maſius, & alii Noſtrum ſecuti, *clypeum*. Iam ergo putant, Ioſue haſtam, vel clypeum; ſive in haſta vexillum, aut clypeum extendiſſe. Plerique volunt, ut eo ſigno dato inſidiæ in urbem erumperent: nam a longe in altum elatus aureus umbo quaſi flammas vomebat, perſpicuum inſidiis ſignum. Aliis id non probatur; ſed myſticam & arcanam habere rationem eam clypei, ſeu vexilli extenſionem: nimirum, ut exemplo illo quo Moſes, manibus cum virga in cælum ſublatis, Amalekitas fudit, oſtendit divina ope partam victoriam, Exodi XVII. ita Ioſue extenſione clypei, vel haſtæ confirmaſſe, Deum adeſſe Iſraelitis protectorem, & propugnatorem, qui bellum contra Haienſes conficeret. Nos ſecuti Ieſum Syracidem vertimus, *Extende in rhomphæa*, vel *rhomphæam*. Quidam: *Extende manum tuam cum rhomphæa*. Quid ſit *rhomphæa*, paulo ſuperius diximus: nec deſunt qui *rhomphæam* eſſe velint in

gen-

Digitized by Google

gentem enſem, qui duabus manibus rotatur (Hiſpanice *eſpadon*, *o montante*) qui in capulo crucem habet. Nec abſurde ſuſpicari poſſumus Ioſuam rhomphæam illam a cuſpide, ſeu ab ima parte manu apprehenſam, quaſi crucem quamdam in altum ſuſtuliſſe, cuius ope hoſtes protererentur, inſigni crucis dominicæ myſterio, quæ hoſtes humani generis devicit, exaltata per verum Ieſum Filium Dei. Vel *Extende clypeum*, aut *rhomphæam* (Hiſpanice, *Embraça tu eſcudo*, vel *empuƭia tu eſpada*) quaſi tum primum Ioſue in hoſtes gladium ſtringat, aut clypeum arripiat: quo facto velit Deus ipſi præcipuam victoriæ laudem adſcribere. Sic verſ. 26.

V. 20. NON POTUERUNT ULTRA HUC ILLUCQUE DIFFUGERE. Heb. *Et non fuit*, pro fuerant, *in eis manus ad fugiendum huc, & huc*. Alii: *Et non erant eis loca*, vel *ſpatia ad fugiendum*, &c. Plerique: *Et non fuerunt eis vires*, *facultas*, *ad fugiendum*, &c. quaſi dicat: Animo conſternati, viribus quoque corporis conciderunt, ut eis nec locus, nec animus, nec vires ad fugiendum ſuperfuerint. *Manus*, pro loco, ſpatio; item pro vi, & facultate aliquid agendi paſſim in Scripturis uſurpari, nimis eſt pervagatum.

V. 26. NON CONTRAXIT MANUM: quod fuiſſet ſignum receptus, ut quidam volunt. Alii: Id eſt, impigre, & ſtrenue pugnavit.

V. 28. ET FECIT EAM TUMULUM SEMPITERNUM. Hebr. amplius: *Et poſuit eam tumulum perpetuum*, *deſolationem uſque ad diem iſtam*. Quidam: *Redegitque eam in acervum perpetuum*, *& in ſolitudinem in hunc uſque diem*. Alii: *Effecitque eam cumulo perpetuo vaſtam uſque ad diem hunc*. Nonnulli: *Et diſpoſuit ipſam in tumulum perpetuum*, *in ſolitudinem uſque in diem hunc*. Illud, *Tumulum ſempiternum*, quidam Hiſpanice reddunt, *monton de ſiempre*. Ceterum hic עולם *gholam*, non ſimpliciter *æternum*, aut *perpetuum* ſignificat, ſed longiſſimum tempus: ſiquidem Hai poſtea habitatam a Beniamitis conſtat ex Eſdræ II. verſ. 28. & Nehemiæ XI. verſ. 31.

V. 19. SUSPENDIT IN PATIBULO. Plerique intelligunt hunc regem actum in crucem more Romano: & hic *patibulum*, Romanam crucem quam *immiſſam* dicunt, intelligi: nam quod Noſter modo *patibulum* vocat, ſtatim hoc ipſo verſu *crucem* appellat. Et huc quoque trahunt quod habent LXX. *ſuſpendit in ligno gemino*. *Geminum* enim *lignum* crucem Romanam accipiunt, quæ conſtabat ex gemino ligno, qualis profecto fuit crux Dominica: unde Hebræi vocant eam שתי *ſcheti*, & ערב *ghereb*, id eſt *ſtamen*, & *ſubtegmen*: lignum enim tranſverſum intexitur recto. Alii tamen crucem, qualis Romana immiſſa proprie fuit, tunc ignotam, aut inuſurpatam contendunt; & regem Haienſem ſuſpenſum in furca, aut in arbore, aut alio ligno, ſuffocatione, ſeu ſtrangulatione laquei vitam finiſse exiſtimant; & id genus ſupplicii hic appellari lignum, vel patibulum, aut crucem, generali vocabulo, a cruciando. Hebræi recentiores conſtantes ſunt in hac ſententia, & nonnulli recentiorum: quam nos haud penitus reſpuimus. Vide Deuteron. XXI. verſ. 22. Quo etiam pertinere exiſtimamus *lignum geminum* LXX. ſiquidem *didymon xylon*, nihil aliud eſt quam *furca*. Suidas: *Didymon xylon*, *geminum lignum eſt*, *ea quæ apud Romanos vocatur furca*. *Cum autem Illuſtum ſtupratorem inveniſſet*, *cum in gemino ligno*, *id eſt furca*, *ſuſpendit*. Item: *Quos vivos ex geminis lignis*, *id eſt furcis*, *ſuſpendens*, &c. Et in voce Illuſton: *Cum autem inveniſſet Illuſtum ſtupratorem*, *cum in gemino ligno*, *hoc eſt in furca*, *ſuſpendit*. Et in voce Furca: *Furcæ*, *geminum lignum apud Romanos*. Qui Suidam carpunt, ne ipſi quidem, quid eſset *xylon didymon* ſciverunt. Annotavit iſta loca Suidæ ante me Caſaubonus. His adde, crucem Romanam proprie *immiſſam*, nedum geminis lignis, ſed tribus, vel quatuor lignis conſtitiſse, ut crucem Iaponicam, Ioſephus Scaliger dudum eſt quod clariſſime docuit in Euſebianis, pag. 110. quod non ſunt aſsecuti, qui iuſtos commentarios de cruce condiderunt: & qui Scaligeri obſervationi poſtea obſtiterunt, ne rem quidem intellexiſſe videntur. Hebræa hic habent: *Suſpendit ſuper lignum*, vel *in ligno*. Quidam reddunt: *Suſpendit in arborem*. Simile illi Romano carmini: *I lictor*, *caput obnubito*, *arbori infelici ſuſpendito*. USQUE AD VESPERAM ET SOLIS OCCASUM, nimirum ex lege Deuteronom. XXI. verſ. 23.

ſic infra cap. x. verſ. 26. IN IPSO INTROITU CIVITATIS. Hebr. *ad oſtium, ianuam, fores, portæ urbis*. Fortaſse quia is locus aptior viſus ad extruendum illud monumentum tumuli lapidum, Quidam exponunt; Id eſt in foveam quamdam, quæ erat iuxta portam urbis. Forte in foſſam murorum. Ita intellexere LXX. CONGESTO SUPER EUM MAGNO ACERVO LAPIDUM. Hebr. *Et ſtatuerunt, erexerunt, extruxerunt, ſuper eum acervum lapidum magnum*. Recte notant, his verbis indicari, non temere coniectum, ſen congeſtum ſuper eum acervum inconditum, & confuſum lapidum; ſed cura, & ordine compoſitum tumulum ex lapidibus, & ſtructuram erectam quaſi monumentum poſteritati. Sic de Hacane ſupra cap. VII. verſ. 26,

V. 31. SICUT PRAECEPERAT MOYSES, Deut. XXVII. verſ. 5. SICUT SCRIPTUM EST IN VOLUMINE LEGIS MOYSI, nimirum Exodi XX. verſ. 25. DE LAPIDIBUS IMPOLITIS. Vide Exodi xx. verſ. 25. & Deuter. XXVII. verſ. 6. QUOS FERRUM NON TETIGIT. Vide Exodi xx. verſ. 25. & Deuter. XXVII. verſ. 5.

V. 32. ET SCRIPSIT SUPER LAPIDES. Vide de his Deuteron. XXVII. verſ. 3. & 8. Fuere ii lapides omnino alii ab illis ex quibus altare conſtructum fuit, verſ. 31. unde quidam reddunt: *Et ſcripſit in aliis lapidibus*: nam illi erant rudes & impoliti, ii calce lævigati. Horum numerum Scriptura non exprimit; eum tamen analogice colligunt ex Exodi XXIV. verſ. 4. nimirum pro numero tribuum fuiſſe duodenarium. DEUTERONOMIUM LEGIS. משנה תורה *miſchneh torath*, id eſt *duplicationem, ſecunditatem, iterationem, exemplar legis*. Mirifice variant Explanatores, quodnam fuerit *ſecundarium* illud, ſeu *exemplar legis*, illis in lapidibus exaratum; quorum ſententias non tranſcribo. Quidam ita exponunt, *Exemplar legis*, id eſt decalogi: nam tota lex Moſis qui potuiſſet in lapidibus illis exarari? maxime cum perſpicuam, & diligenter exaratam, legibilemque omnibus ſcripturam, vel cælaturam eſſe oporteret. ut dicitur Deuteron. XXVII. 8. Verum rectius putamus integrum Deuteronomium, id eſt quintum librum legis, in lapididus illis fuiſſe deſcriptum, uti ad Deuteron. XXVII. verſ. 8. annotavimus.

V. 33. OMNIS AUTEM POPULUS, &c. De hoc verſu, & duobus ſequentibus, vide Deuter. XXVII. verſ. 12. & ſeqq. & cap. VIII. ibi enim ponitur mandatum, hic executio mandati.

MENOCHII.

Verſ. 1. NEQUE FORMIDES. Chal. *Neque frangaris*.

V. 4. PONITE INSIDIAS. Non omnia triginta millia quæ noctu præmiſit Ioſue, poſita ſunt in inſidiis, magnus enim is numerus in eam rem; ſed ex eo numero tantum quinque millia, de quibus num. 12.

V. 18. LEVA CLYPEUM, ſuper haſtam videlicet alligatum, ut fieret conſpicuus iis qui erant in inſidiis, iuxta condictum. Non quod qui latebant in inſidiis, viderent clypeum; ſed, ut fieri ſolet, aliqui agebant excubias in edito loco unde ſignum clypeo datum videre poterant, & eos qui latebant in inſidiis, admonere.

V. 20. HI QUI SIMULAVERANT FUGAM, ex quibus nulli deſiderati ſunt.

V. 24. AD DESERTA TENDENTEM, dum ſimulat fugam per viam ſolitudinis, ut dicitur num. 15.

V. 29. SUSPENDIT IN PATIBULO. LXX. lignum hoc patibulare *διδυμον*, ſcilicet *geminum*, appellant, quod crucem ſignificat ex duobus lignis commiſſam. Licet autem admodum infame eſſet hoc crucis ſuſpendium, merito tamen eo multatus rex Hai, quia male acceperat Iſraelitas, & victoria inſolentior factus fuerat, & quia principibus Chananæorum maius debebatur ſupplicium, qui ſuorum ſcelera adeo non vendicabant, ut potius eis pravo exemplo, & peccandi licentia præirent. USQUE AD VESPERAM, ET SOLIS OCCASUM, in quo legem Deut. XXI. 23. ſervavit Ioſue. IN IPSO INTROITU CIVITATIS. LXX. *εἰς τὸν βόθρον*, *in foſſam*, ſuperingeſti vero lapides, ut factum fuerat cum Achan cap. VII. num. 26.

V. 30. IN MONTE HEBAL. Hebal, & Garzim montes prope Sichem ſiti ſunt, quod patet ex Iudic. cap. IX. 7.

V. 31. DE LAPIDIBUS IMPOLITIS. Idem præcipitur Deut. XXVII. 5. Cur vero ad altare adhiberentur lapides

non

non dolati, dixi Exod. xx. 24.

V. 32. Scripsit super lapides Deuteronomium. Pro multitudine rerum deſcribendarum, numerus etiam lapidum acceptus eſt: fortaſſe fuerunt duodecim pro tribuum numero.

V. 33. Omnis autem populus, &c. In ipſa valle ſtabant ex ſacerdotibus aliqui qui arcam fœderis geſtabant, deinde circum hos alii ſacerdotes, ac levitæ omnes, circum hos tertio ſtabant maiores natu, & duces, & Iudices, tandem deinceps tribus omnes aſcendendo verſus montium cacumina. Benedixit populo Israel, vel per ſe ipſum ut Propheta, vel per ſacerdotes.

TIRINI.

Verſ. 18. Leva clypeum. Ita vertunt & LXX. ſed Chaldæus, & recentiores habent *lanceam*, ſeu *haſtam*. Et vero Hebræum *cidon* utrumque ſignificat. Et veroſimile eſt, quod Theodoretus, & Abulenſis recte notarunt, Ioſue clypeum ſuum haſta in altum ſuſtuliſſe, ut ex loco inſidiarum conſpici procul poſſet, ſignumque haberent illi quo monerentur urbem hoſtibus vacuam invadere. Sed non huius ſolius rei ſignum hoc erat. Inſuper denotabat præſentem virtutem, & ultionem divinam; ſicut extenſio virgæ Moyſis in mare rubrum, Exodi xiv. & elevatio manuum in monte adverſus Amalecitas, Exodi xvii. Hinc continuavit Ioſue in altum extollere lanceam, & clypeum ſuum, quouſque Haienſes plane fuſi eſſent, & deleti verſ. 26. ne ſcilicet retrahendo manum, victoriam populi Dei remoraretur, aut præſcinderet.

Allegorice, S. Auguſtinus *a* applicat hæc vero Ieſu Chriſto, qui adverſus Hai, quod vaſtitatem deſignat, id eſt adverſus mundum tyrannide ſatanæ vaſtatum, manus in cruce tamdiu extendit, quo ad omnia ſubiugaſſet. Et eamdem hanc crucem ſuis omnibus aſſeclis, in omni terrarum parte, omni tempore, tamquam certiſſimum clypeum, tutiſſimamque lanceam ſuadet: ea nos tuetur, ea hoſtes omnes conficit, ea victorias omnes parat.

Notat auctor Traditionum Hebraicarum, locum hunc ubi Ioſue clypeum iam extendit in altum, fuiſſe aream in qua nutantem arcam tetigit infelix Oza II. Regum vi. unde I. Paralip. xiii. verſ. 9. vocatur *Area Chidon*.

De benedictione in monte Garizim, & maledictione in monte Hebal, totaque rei hic iam peractæ cæremonia, vide quæ dixi Deuteron. xi. & xxvii.

(*a*) S. Auguſt. ſerm. xciii. de Temp.

GORDONI.

Verſ. 1. & 6. Hiſtoria captæ civitatis eſt ex textu ipſo plana: certum autem eſt, hic inſidias has licitas fuiſſe contra iniuſtos poſſeſſores; & præſertim favente numine, & iubente. Mitius cum hac urbe agitur, dum divitiæ militibus conceduntur.

V. 18. Leva clypeum. Clypeus in haſta ducis ſublatus, ſignum erat latentibus poſt urbem in inſidiis. Qui erant in Bethel non videntur coniunxiſſe copias cum Haitis. Hic locus oſtenditur inter Hai & Bethel, ubi Abraham Gen. xii. veniens in Chanaan, fixit tabernaculum. Bethel vocata eſt Luza.

V. 29. De crucis olim ignominia, & eius inſigni poſt Chriſtum gloria, aliqui integros ſcripſerunt libros. Deponuntur hic corpora, ut erat præſcriptum Deuter. cap. xxi.

V. 30. De hoc altari, & benedictione imperatis a Moſe, vide Deuter. cap. xxvii. Oblata porro ſacrificia ſunt iubente Ioſue: nec dubium quin ipſe quoque materiam præbuerit ſacrificiorum aliquam, ut hic dicitur; at ſacerdotum erat ſacrificare.

V. 30. Aedificavit Iosue altare, ex lapidibus impolitis, ut mandavit Moſes, ne poliendo inducerentur ad ſtatuas quas colerent.

V. 32. Scripsit.. Deuteronomium. משנה *miſne*, *duplicationem*, ſcilicet legis (שנה *duplicare*) exemplar duplicatum: & ſic iterum publicata eſt lex cum ſuis maledictionibus. Ceterum an ſcriptus ſit totus liber Deuteronomii, an pars continens benedictiones, ac maledictiones; an tantum Decalogus, certant Interpretes: de quo dixi Deut. xxvii. verſ. 3. Pro parte Deuteronomii, accipiunt aliqui illam quæ eſt a capite quinto ad medium ſeptimi.

Ex

Digitized by Google

Ex Eiusdem Auctario.

V. 30. Prope Sichem ſunt hi montes Hebal, & Garizim. Vide Iudic. IX. 7.

V. 31. De lapidibus his, vide Exod. XX. 24.

V. 33. Benedixit populo, vel per ſacerdotes, vel per ſe, ut erat Propheta.

CAPUT IX.

Gabaonitæ ſimulatione longi itineris imponentes Ioſue & principibus Iſraelitarum, medio iuramento ſalvantur; inſecuto tamen murmure, perpetuo famulitio aſtringuntur.

1. QUibus auditis, cuncti reges trans Iordanem, qui verſabantur
in montanis & campeſtribus, in maritimis ac littore magni
maris, hi quoque qui habitabant iuxta Libanum, Hethæus
& Amorrhæus, & Chananæus, Pherezæus, & Hevæus, &
Iebuſæus, 2. congregati ſunt pariter, ut pugnarent contra
Ioſue & Iſrael uno animo, eademque ſententia. 3. At hi
qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat
Ioſue, Iericho & Hai: 4. & callide cogitantes, tulerunt ſibi cibaria, ſaccos ve-
teres aſinis imponentes, & utres vinarios ſciſſos atque conſutos, 5. calceamenta-
que perantiqua, quæ ad indicium vetuſtatis pittaciis conſuta erant, induti vete-
ribus veſtimentis: panes quoque, quos portabant ob viaticum, duri erant, & in
fruſta comminuti: 6. perrexeruntque ad Ioſue, qui tunc morabatur in caſtris
Galgalæ, & dixerunt ei, atque ſimul omni Iſraeli: De terra longinqua venimus,
pacem vobiſcum facere cupientes. Reſponderuntque viri Iſrael ad eos, atque di-
xerunt: 7. Ne forte in terra, quæ nobis ſorte debetur, habitetis, & non poſſi-
mus fœdus inire vobiſcum. 8. At illi ad Ioſue, Servi, inquiunt, tui ſumus.
Quibus Ioſue ait: Quinam eſtis vos? * & unde veniſtis? 9. Reſponderunt: De ter-
ra longinqua valde venerunt ſervi tui in nomine Domini Dei tui. Audivimus
enim famam potentiæ eius, cuncta quæ fecit in AEgypto, 10. (a) & duobus
regibus Amorrhæorum quæ fuerunt trans Iordanem, Sehon regi Heſebon, & Og
regi Baſan * qui erat in Aſtaroth: 11. dixeruntque nobis ſeniores, & omnes habi-
tatores terræ noſtræ: Tollite in manibus cibaria ob longiſſimam viam, & occur-
rite eis, & dicite: Servi veſtri ſumus, fœdus inite nobiſcum. 12. En, panes
quando egreſſi ſumus de domibus noſtris, ut veniremus ad vos, calidos ſumpſi-
mus, nunc ſicci facti ſunt, & vetuſtate nimia comminuti: 13. utres vini novos
implevimus, nunc rupti ſunt & ſoluti: veſtes & calceamenta quibus induimur,
& quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita ſunt, & pæne
conſumpta. 14. Suſceperunt igitur de cibariis eorum, & os Domini non interro-
gaverunt. 15. (b) Fecitque Ioſue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus eſt
quod non occiderentur: principes quoque multitudinis iuraverunt eis. 16. Poſt
dies autem tres initi fœderis, audierunt quod in vicino habitarent, & inter eos
futuri eſſent. 17. Moveruntque caſtra filii Iſrael, & venerunt in civitates eorum
die tertio, quarum hæc vocabula ſunt, Gabaon, & Caphira, & Beroth, &
Ca-

Digitized by Google

Cariathiarim. 18. Et non percuſſerunt eos, eo quod iuraſſent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Iſrael. Murmuravit itaque omne vulgus contra principes. 19. Qui reſponderunt eis: Iuravimus illis in nomine Domini Dei Iſrael, & idcirco non poſſumus eos contingere. 20. Sed hoc faciemus eis: Reſerventur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, ſi peieraverimus: 21. ſed ſic vivant, ut in uſus univerſæ multitudinis ligna cædant, aquaſque comportent. Quibus hæc loquentibus: 22. vocavit Gabaonitas Ioſue, & dixit eis: Cur nos decipere fraude voluiſtis, ut diceretis: Procul valde habitamus a vobis, cum in medio noſtri ſitis? 23. Itaque ſub maledictione eritis, & non deficiet de ſtirpe veſtra ligna cædens, aquaſque comportans in domum Dei mei. 24. Qui reſponderunt: Nuntiatum eſt nobis ſervis tuis, quod promiſiſſet Dominus Deus tuus Moyſi ſervo ſuo, ut traderet vobis omnem terram, & diſperderet cunctos habitatores eius. Timuimus igitur valde, & providimus animabus noſtris, veſtro terrore compulſi, & hoc conſilium inivimus. 25. Nunc autem in manu tua ſumus: quod tibi bonum & rectum videtur, fac nobis. 26. Fecit ergo Ioſue ut dixerat, & liberavit eos de manu filiorum Iſrael, ut non occiderentur. 27. Decrevitque in illo die eos eſſe in miniſterio cuncti populi, & altaris Domini, cædentes ligna, & aquas comportantes, uſque in præſens tempus, in loco quem Dominus elegiſſet.

(a) Num. xxi. 24. (b) II. Reg. xxi. 2.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 8. *Et unde veniſtis?* Non eſt mutanda copulativa in disiunctivam *aut*.

V. 10. *Qui erat in Aſtaroth*. Nec hic numerus ſingularis *erat* in pluralem *erant*.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. TRANS IORDANEM, ſcilicet reſpectu terræ Moab. IN MARITIMIS. Id non eſt Hebr. Chald. nec apud Septuaginta.

V. 5. PITTACIIS, id eſt fruſtis corii. IN FRUSTA COMMINUTI. Hebr. *punctati*, ſcilicet mucidi, ſeu corroſi. LXX. *comeſti*: ſic infra.

V. 6. AD EOS. Hebr. *Hivæo*: ſcilicet erant Gabaonitæ Hivæi in ſorte Beniamin.

V. 9. IN NOMINE, id eſt ob famam.

V. 14. DE CIBARIIS, ſcilicet comedentes in ſignum fœderis. OS, id eſt ſententiam.

V. 16. FUTURI ESSENT. Hebr. Chald. & LXX. *habitarent*.

V. 18. IN NOMINE DOMINI DEI. Hebr. *per Dominum Deum*: ſic & infra.

V. 23. SUB MALEDICTIONE. Hebr. Chald. & LXX. *maledicti*, id eſt execrati.

V. 26. UT DIXERAT. Hebr. Chald. & LXX. *ſic*; id eſt, id quod ſequitur.

E S T I I.

Verſ. 5. AD INDICIUM VETUSTATIS PITTACIIS CONSUTA ERANT. Sic Sixtina Biblia per duplex *t*, *pittaciis*: nam antea *pictaciis* legebatur, per *c* ſecundam conſonantem in ſyllaba priori. Et quidem etiam in edicto Theodoriti regis lege 126. fit mentio pictaciorum, per *c* ſecundam conſonantem in ſyllaba prima; ſed in Calepino ex Celſo ſcribitur per duplex *tt*, *pittacium*, ut nunc eſt in Bibliis Sixtinis, & accipitur ibi

ibi pro modico panno. Vide an forte ab hoc vocabulo deductum ſit illud Gallicum, & Italicum pettia, & petiare, & repetiare.

V. 14. ET OS DOMINI NON INTERROGAVERUNT, ſcilicet, ut tenebantur, etiam ipſe Ioſue iuxta expreſſum mandatum Domini, ut patet Numer. cap. XXVII.

V. 21. UT IN USUS UNIVERSAE MULTITUDINIS LIGNA CAEDANT, AQUASQUE COMPORTENT. Late hæc verba patent; ſed Ioſue paulo poſt verſ. 23. ea mitigat dicens: *Et non deficiet de ſtirpe veſtra ligna cedens, aquaſque comportans in domum Dei mei.* Et erat hoc ſimul in uſum univerſæ multitudinis, quod in cultum Dei impendebatur. Et conveniebat illis hæc mitis maledictio (Ioſue enim maledictionem vocat perpetuam ſervitutem) nempe quia venerant hi (ſaltem ut dicebant) *in nomine Dei Iſrael.*

V. 19. IURAVIMUS ILLIS IN NOMINE DOMINI DEI ISRAEL, ET IDCIRCO NON POSSUMUS EOS CONTINGERE. Quæſtio eſt, utrum Ioſue, & principes populi Iſraelitici ita fuerunt obligati iureiurando de Gabaonitis ſervandis, ut retractare illis non liceret; maxime cum fraus & dolus nemini debeant patrocinari? Adde quod iuramentum illud videatur fuiſſe contra præceptum Dei, qui Numer. XXXIII. præceperat omnes illius terræ habitatores interfici. Reſpondeo: Propter reverentiam divini nominis in quo iuraverant, omnino ſervandum erat hoc iuramentum: quia tametſi decepti eſſent a Gabaonitis, mentientibus ſe de longinquo veniſſe, non tamen ſub conditione, ſed ſimpliciter illis iuraverant, nulla conditione interpoſita. Neque fraus illorum eis patrocinata eſt proprie, ſed iuramentum Iſraelitarum. Quod autem ad præceptum illud Dei attinet Num. XXXIII. non debuit illud omnino generaliter accipi (nam & Rahab iam ante ſervata fuerat cum tota familia) ſed ad eos tantum pertinebat qui populo Iſrael repugnarent, vel ſaltem in idolorum cultu permanerent, & Gabaonitæ dixerant ſe venire in nomine Dei Iſrael. Denique ipſe Dominus approbavit ſententiam Ioſue, quia, ut eſt II. Reg. XXI. propter afflictionem Gabaonitis illatam a Saule, famem induxit in terram per tres annos. Atque hæc eſt ſententia D. Auguſtini in Quæſt. huius Libri quæſt. IX. & X.

MARIANAE.

Verſ. 1. TRANS IORDANEM, comparatione Moab, reges illi conſpirant contra Ioſue, qui erant, Iordane tranſmiſſo.

V. 2. UNO ANIMO, EADEMQUE SENTENTIA. Hebr. *uno ore*; pro, uno parique conſenſu, ut pugnarent, congregati ſunt.

V. 4. CALLIDE COGITANTES. Hebr. *Fecerunt etiam ipſi in aſtutia* (ut ſcilicet Ioſue fecit in expugnatione Hai) *& abierunt, & finxerunt ſe legatos, & acceperunt ſaccos veteres.* Agit de aſtu Gabaonitarum.

V. 5. Calcei conſuti PITTACIIS, id eſt centonibus e corio. PANES... DURI ERANT, ET IN FRUSTA COMMINUTI. Hebr. *nikudim*, quod alii *mucidos* vertunt, alii *punctatos*: quod fit, quando præ vetuſtate corruptus eſt panis, & tinea exeſus.. Vel *punctatos*, id eſt varii coloris, viridis, flavi, quod fit in pane mucido: ſicque Geneſ. XXX. verſ. 30. vocantur pecora varii coloris: ſic hic etiam verſ. 12.

V. 6. RESPONDERUNTQUE VIRI ISRAEL AD EOS. Hebr. *Et dixit vir Iſrael* (pro viri Iſrael) *ad Hevæum* (pro Hevæos.) Porro Gabaonitæ ex Hevæis erant, & ex tribu Beniamin.

V. 7. NE FORTE IN TERRA, QUAE NOBIS SORTE DEBETUR. Hebr. *ſorte in medio mei tu habitas*, id eſt in terra mihi data ſorte, id eſt ex Dei voluntate per ſortes cognita: ſed vox *ſorte* Heb. non eſt.

V. 9. IN NOMINE DOMINI DEI TUI. Hebr. *ad nomen Domini*; id eſt, ad famam ſcilicet exciti tanti Dei, venimus ad vos: ſic Gabaonitæ. AUDIVIMUS quæ feciſtis.

V. 10. TRANS IORDANEM: Hebr. *in tranſitu Iordanis*: & *trans* ſumitur comparatione Ieroſolymæ, vel loci ubi tunc erant caſtra. Iſraelitæ

V. 14. SUSCEPERUNT IGITUR DE CIBARIIS, vel argumento amicitiæ, & initi fœderis; aut, quod vero propius, ut viderent, an verum dicerent.

V. 20. RESERVENTUR QUIDEM UT VIVANT. Hebr. *Et vivificando eos*

(pro,

(pro , & hoc faciemus ad vivificandum eos:) *& non erit ſuper nos indignatio , quod iuravimus eis.*

V. 21. SED SIC, &c. Hebr. *Et dixeruntad eos principes: Vivant, & ſint cædentes ligna.*

V. 26. FECIT ERGO IOSUE UT DIXERAT. Hebr. *Et fecit Ioſue ita*, ſcilicet quod dixerat, ut explicuit Hieronymus. LIBERAVIT, ſcilicet Gabaonitas.

MALVENDAE.

Verſ. I. A C LITTORE MAGNI MARIS. חוף *choph* proprie *portum* ſignificat, quaſi *protectorium*, quod eo naves a ventis, & tempeſtatibus protegantur. Alii, Littus exponunt, quod ibi maria ſtringantur, & pectantur. HI QUOQUE QUI HABITABANT IUXTA LIBANUM. Hebr. *e regione Libani*, contra, coram, verſus, circa, ante, Libanum. Exponunt: Id eſt, in toto illo tractu qui adiacet mari mediterraneo, & reſpicit Libanum, qui eſt in parte ſeptemtrionali. Phœniciam intelligi putant, in qua Berytus, Sidon, Sarepta, Tyrus, aliaque oppida, Libano, & Antilibano obiecta ad mare iacent. Quidam reddunt, *Uſque ad regionem ſubiectam Libano.*

V. 2. UNO ANIMO EADEMQUE SENTENTIA. Hebr *ore uno*, id eſt animo, conſenſu, conſpiratione una.

V. 3. IN GABAON. S. Hieronymus ex Euſebio in Locis Hebraicis: *Gabaon, unde Gabaonitæ ſupplices venerunt ad Ieſum: erat olim metropolis civitas & regalis Hevæorum, ceciditque in ſortem tribus Beniamin: & nunc oſtenditur villa eodem nomine in quarto milliario Betbelis contra orientalem plagam, iuxta Remmon, ubi Salomon hoſtiis immolatis, divinum meruit oraculum. Fuit autem & ipſa ſeparata Levitis.* Urbem fuiſſe Hevæorum dicitur infra verſ. 7. & cap. XI. verſ. 16. quamvis II. Samuel. XXI. verſ. 2. Gabaonitæ ex reliquiis Amorrhæorum eſſe dicantur; ſed nomen Amorrhæorum ibi generale eſt ad omnes Chananæos. Situm eius facile colligemus: propinquam fuiſſe Galgalæ infra verſ. 16. affirmatur. Diſtaſſe in orientem a Bethel quatuor milliariis, Euſebius, & S. Hieronymus tradunt. Fuiſſe propinquam Ramæ, & Remmon iidem auctores ſcribunt. Diſſitam per unam leucam a Silo, quæ eſt Rama, Brocardus prodit. Abfuiſſe ab Ieruſalem quinquaginta ſtadiis, Ioſephus ſcribit Lib. VII. Originum, cap. X. at idem Ioſephus Lib. II. Belli cap. XXIII. & Egeſippus Lib. II. Excidii, cap. XIV. quadraginta ſtadiis ſeparatam autumant. Fuiſſe ipſi Ieruſalem ad ſeptemtrionem Vvilhelmus Tyrius affirmat Lib. VIII. Belli Sacri, cap. I. Beniamin Tudelenſis Itinerarii pag. 41. *Veni ad Garaan David dictum oppidum, urbem quamdam magnam, Gibghon, ſive Gabaon dictam, ubi nulli Iudæi ſunt. Inde tribus leucis confectis, Ieroſolymam ingreſſus fui.* In colle ſita fuiſſe videtur, quod nomen ipſum ſonat. Brocardus in monte Silo collocat.

V. 4. ET CALLIDE COGITANTES. Hebr. *Et fecerunt etiam ipſi in aſtutia*; id eſt, egerunt etiam ipſi callide; uſi ſunt etiam ipſi aſtutia. Quidam exponunt, ut & Ioſue aſtu fuerat uſus nuper in expugnatione Hai. Alii reddunt: *Ipſi quoque fieri curaverunt aſtu*; id eſt, ut reliqui omnes Chananæi vitæ ſuæ conſulebant conſpiratione, ſic ipſi hac aſtutia. Nonnulli: *Egerunt & ipſi vafritie quadam.* TULERUNT SIBI CIBARIA. ויצטירו *vaiitztaiaru*, a nomine ציר, *legatos ſe fecerunt, ſimularunt, finxerunt ſe legatos*: vel *præſetulerunt ſe peregre miſſos*. Ita omnes Hebræi, Caietanus, Sanctes, Vatablus, Leo, Iudas, Clarius, Forſterus, Maſius, Mercerus, Marinus, Pomarius, Tremellius & Iunius, Montanus, Avenarius, Schindlerus. Chaldæus Interpres, & Noſter per Daleth ſimillimam litteram legerunt, ויצטדו *vaiitztaiadu*: *Et viaticum, eſcas, commeatum, ſumpſerunt*: quod verbum infra ponitur verſ. 12. Haud aliene hic verterim: *Et ſe ipſos coanguſtarunt, coarctarunt, compreſſerunt*; id eſt, ſpeciem pauperum & quibus rerum anguſtia, & inopia eſſet, utpote e longinqua terra venientibus, induerunt. Hunc ſenſum iuvant ſequentia, & verbi genuina ſignificatio.

V. 5. QUAE AD INDICIUM VETUSTATIS PITTACIIS CONSUTA ERANT. Hebr. pro omnibus una tantum vox eſt מטלאות *metullaoth*, participium paſſivum femineum inflexionis Pihel: quod varie exprimunt. I. *Et reſarta, reſarcita.* II. *Aſſuta*, ſeu *obducta*. III. *Ex variis fruſtis*, ſeu *pittaciis conſuta, compactaque*. Non placet quod quidam reddunt: *Et*

Et quorum ſola fruſtis ſuppacta erant: nam nihil de ſolis Hebraice habetur. IV. *Commaculata*, *maculoſa*. Vide Notas Geneſ. xxx. 32. Hiſpanicus Interpres, *bitados*. Pittacium procul dubio eſt quod Hiſpanice vocamus *Pellaço*, fruſtum, centonem. ET IN FRUSTA COMMINUTI. De voce נקדים *nikkudim* egimus in Geneſ. xxx. 32. Hic cum Chirich ſcribitur, *nikkudim*; & varie exponunt. I. *mucidi*. II. *puncti*, *punctati*. III. *puncturæ*, ſeu *punctaturæ*, vel *punctationes*; hoc eſt, erant panes mucore maculoſi, & multis coloribus tamquam punctis reſperſi, ac varii: eſt enim panis mucidus, albo, viridi, ac nigro colore veluti punctis diſtinctus. IV. *micæ*, id eſt abierat, friatus fuerat, in micas. V. Nonnulli Hebræorum deducunt a יקד *iakad*, redduntque, *uſti*, *inuſti*, id eſt nimis excocti, & exuſti, ut fuerint illi panes, quod vulgo vocamus *biſcoctum*, quos longo itineri, & tempori parare ſolent. Sic ſumi hanc vocem volunt I. Reg. xiv. verſ. 3. Chaldæus hic exponit, *placentas*, ſeu *cruſtula*; quæ punctis etiam ſunt reſperſa. Quidam putant eſſe eas quas Hiſpanice *obleas* vocamus; ſed eæ huic loco non congruunt: potius fuerint quas *tortas ſecas* dicimus, & Valentine *prims*: nempe *tortas*, ſeu *cruſtulas* tenues, & calore ignis ſiccatas; Vide infra verſ. 12.

V. 6. ATQUE SIMUL OMNI ISRAELI. Hebr. *& ad virum Iſraelis*. Quidam exponunt, *ad quemque Iſraelitam*. Alii, *ad præſtantem quemque virum*; vel *ad primores viros Iſraelis*. Quidam exiſtimant Gabaonitas primum per caſtra unumquemque obvium prehenſaſſe, cauſaſque ſui adventus, & votum fœderis explicaſſe: deinde ad Imperatorem adductos, ea de re plenius cum illo egiſſe, verſ. 8.

V. 14. SUSCEPERUNT IGITUR DE CIBARIIS EORUM. Quidam vertunt: *Et acceperunt viri de inſidiis eorum*: quod verbum צוד *tzud*, ſeu צדה *tzadah*, *inſidiari* ſignificat; quaſi dicat: Aſſenſi ſunt, crediderunt aſtui, ſeu inſidiis, & technis eorum. Sed numquam reperitur vox צידה *tzedah* in ſignificatione inſidiarum. Alii reddunt: *Hæc cum accepiſſent viri illi primores, ex viatico eorum*; id eſt, quos ſermones cum admiſiſſent, & probaſſent, adducti ſpecie rerum quas in viaticum ſumpſerunt. Plerique, in ſignum amicitiæ, caritatis, & mutuæ communicationis, ex eorum viatico ſumpſiſſe, & deguſtaſſe volunt, qui mos apud varias gentes eſt receptus. ET OS DOMINI NON INTERROGAVERUNT, nimirum per Sacerdotem ſummum indutum ephod, vel ſacro amiculo cum Urim & Thummim: nam per ea reſpondere ſolebat Deus, ex promiſſione Exod. xxv. 22. & Num. xxvii. 21. Vide ſupra cap. vii. 6.

V. 15. ET INITO FOEDERE POLLICITUS EST QUOD NON OCCIDERENTUR. Hebr. Quidam reddunt: *Et feriit cum eis fœdus, ut ſervaret eos vivos*. Alii; *Et percuſſit ipſis fœdus conſervandi ipſos ſalvos*. Nonnulli: *Pepigitque cum eis fœdus de illis in vita ſervandis*. Nulla addita conditione ad perſonas, bona, vel regionem pertinente, prout cum exteris licebat, qui Chananæi non erant. Vide Deuteron. xx. 10. & II. Samuel. 11. 12. & cap. xxi. 2. Ergo quomodo agendum Iſraelitis eſſet cum urbibus ultro ſe dedentibus, quæ non eſſent ex Chananæis, expreſſe extat mandatum Deuteron. xx. 10. & ita actum hic cum Gabaonitis in fœdere, qui non putabantur ex ſeptem gentibus terræ promiſſæ, ſed exteri extra fines Chananææ eſſe.

V. 17. CAPHIRA. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Chephira vicus ad civitatem pertinens Gabaon, in tribu Beniamin*. Infra cap. xviii. verſ. 26. Vide Eſdræ ii. verſ. 25. & Nehemiæ vii. 29. Hebraice כפיר *cephir*: a leonibus nomen habet, vel quod iis ea regio abundaret, ſeu quod ibi eorum eſſet venatus, aut cuſtodia (Hiſpanice, *Leonera*, *o Leoncilla*) fortaſſe, quod urbs valida eſſet, & viris fortibus munita. BEROTH, ſeu *Beeroth*. באר *beer* nomen dictum a puteis; quod ea urbs ſeu regio puteis abundaret, forſan aquarum calidarum, aut bituminis; quaſi dicat, *Puteoli*. Sic enim vocata quoque eſt urbs Campaniæ. M. Varro Lib. IV. de Lingua Latina, cap. v. *A puteis oppidum Puteoli, quod ſint circa eum locum aquæ frigidæ & calidæ multæ. Niſi a putore potius, quod putidus ſit odoribus ſæpe ex ſulphure & alumine*. Eadem habent Strabo Lib. V. pag. 245. & Feſtus in voce *Puteolos*. CARIATHIARIM. Hebraicarum קרית-ערים *Kiriath-iegharim*, id eſt *Civitas ſilvarum*, vel *ſaltuum*: dicta videtur a monte *Iegharim*, ſeu ſilvarum, quod ſilvoſus eſſet, & mul-

ta

Digitized by Google

ta materia plenus; in quo, vel prope quem ſita fuit, infra cap. xv. verſ. 10. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Cariathiarim, quæ & Cariath-baal, civitas ſaltuum, una de urbibus Gabaonitarum, pertinens ad tribum Iuda, euntibus ab Ælia Dioſpolim in milliario uno*. Plerique putant depravatum eſſe hunc locum: nam multo plus abfuiſſe ab Ieruſalem, Brocardus ita prodit: *A Ieruſalem contra occidentem quatuor ſunt leucæ & dimidia ad Cariathiarim, quæ una fuit de urbibus Gabaonitarum, ubi arca Domini viginti annis manſit poſtquam a Philiſthæorum terra fuit reducta*. Ergo prope hanc urbem, inſignem aliquam ſilvam, variis arboribus nemoroſam, fuiſſe, quæ nomen urbi fecerit, facile credimus.

V. 19. Non possumus eos contingere: nimirum ut eis vitam adimamus, aut vulneremus, vel ſauciemus, percutiamus, aut plagas, ſeu damnum inferamus: ea enim omnia verbum לנגוע *lingoagh* includit. Non ſunt tranſgreſſi Iſraelitæ divinum mandatum ſervando in vita Gabaonitas Hevæos; tametſi ii eſſent ex illis gentibus quas Dominus interneccioni devovendas iuſſerat, Deuteron. xx. verſ. 15. 16. & 17. nam mandatum illud intelligendum erat, quando illæ gentes vel pacem ſanctis conditionibus oblatam repudiaſſent (& forſan Gabaonitæ, ut multi volunt, eiurata ſuperſtitione, in Dei religionem transierunt) vel aliquid iam hoſtile in Iſraelitas molitæ, expectaſſent ut victor exercitus eorum mænibus admoveretur: nam ſi ipſæ pacem petere antevertiſſent, ac ſe ultro dedidiſſent, recte poterat eorum vitæ parci. Vide quæ notavimus in Deuteron. xx. verſ. 16. & 17. Unde quidam ita hic exponunt: *Non poſſumus tangere eos*: quia fidem legitime dedimus: nondum enim ad eorum urbes acceſſeramus, cum illi ſe nobis dederent, & vitam a nobis peterent. Eſt autem mandatum Deuteron. xx. 10. & ſeq. ne poſtquam acceſſerimus ad expugnanda loca a Deo nobis deſtinata, ullos vivere ſinamus: ſed cum ii vitam prius petierint quam eos aggrederemur, non habemus cur illos contra iuramentum noſtrum internecioni devovere debeamus. Eadem ratione vita conceſſa eſt Rahabæ, & toti familiæ paternæ eius, ſupra cap. vi. & eadem ratione reliquias Chananæorum ultro ſe dedentes Salomon tributarias fecit I. Reg. ix. verſ. 21. Contra vero, propter violatum a Saule iuramentum hoc, divinitus fames immittitur, nec ira Dei prius ſedatur, quam de familia Saulis ultio ſumpta ſit, II. Samuel. xx.

V. 20. Si peieraverimus. Hebr. *ſuper iuramentum, quod iuravimus eis*. Quidam, *propter illud iuramentum violatum*, quo *iuravimus eis*; id eſt, quæ indignatio futura eſſet, ſi legitime præſtitum iuramentum violaremus?

V. 21. Sed sic vivant, &c. Hunc verſum Hebraice obſcurum ſane ac difficilem, ex verbo nos reddidimus (*Et dixerunt ad eos principes: Vivent, & fuerunt ſuccidentes lignorum, & haurientes aquarum omni conventui, ſecundum quod locuti fuerunt eis principes*.) Alii diverſe. I. *Dixerunt præterea ad principes illos: Vivant, & cædant ligna, & hauriant aquam toti ſynagogæ, quemadmodum locuti ſunt eis principes*, vel *de eis*. II. *Dixeruntque rurſus ad eos principes: Vivant, & ſint calones, & lixæ pro toto cœtu, quemadmodum locuti ſunt eis principes*. III. *Et addiderunt dicere ad illos principes: Vivant, ſed ſint cæſores lignorum, & hauſtores aquæ toti congregationi: fuerunt itaque cæſores lignorum, & hauſtores aquæ toti congregationi, quemadmodum locuti ſunt eis principes*. IV. *Dicebant, inquam, principes ad illos: Vivant, & ſint cæſores lignorum, & hauſtores aquarum univerſo cœtui, ſicut principes locuti inter ſe fuerant*. V. *Cum ergo dixiſſent eis duces illi, Sinuntor vivere: fuerunt putatores lignorum, & hauſtores aquarum pro toto cœtu, quemadmodum dixerunt ipſis duces*.

Difficultas in contextu Hebraico inde eſt, quod verba illa, *Et dixerunt ad eos principes*, ſunt ambigua, ut ſuppoſitum verbi *dixerunt*, ſit *conventus*, ſeu *cœtus*; & *principes* ſit accuſativus; hoc ſenſu: Et dixerunt cœtus Iſraelitarum ad principes illos. Aut ſuppoſitum verbi *dixerunt*, ſint *principes*, & *ad eos*, id eſt ad Iſraelitas obmurmurantes: Et rurſus dixerunt principes ad eos Iſraelitas quiritantes: qui ſenſus eſt potior.

Deinde illa, *Vivent*, ſeu *vivant*, & *fuerunt cæſores lignorum*, & *hauſtores aquarum*, non videntur inter ſe cohærere. Proinde quidam in ויהיו *vaiihiu*, nolunt

Vau eſſe converſivum futuri in præteritum, ſed retinent futurum: *Vivent, & erunt cæſores lignorum, &c.* Sed cum id ſit contra grammaticos canones, nonnulli Hebræorum, ut ſententia cohæreat, inter *vivant*, & *fuerunt cæſores, &c.* hæc omnia ſubaudienda, & inſerenda volunt, *Vivant, & ſint lignatores, & aquatores totius cœtus*. Et deinceps ſequatur, quod eſt in textu: *Et fuerunt cæſores lignorum, & hauſtores aquarum omni conventui*, &c.

Sed eſt nobis alibi obſervatum, in eiuſmodi locutionibus Hebraicis quando poſt futurum, ſeu imperativum, ſequitur immediate præteritum, præfixa coniunctione *&*, ut hic; tunc *&* poni pro *ut*, & præteritum vim ſubiunctivi habere. *Vivent, & fuerunt cæſores lignorum, &c.* pro *vivent*, ſeu *vivant*, *ut ſint cæſores, &c.* Vel præteritum tunc intendere ſignificatum, & rem ſtabilire, ratamque ac firmam conſtituere: *Vivent, & fuerunt cæſores, &c.* id eſt, adeo certo & conſtanter erunt cæſores, &c. ut exiſtimes eos iam eſſe, vel fuiſſe. Sic infra cap. x. verſ. 4. & Exodi v. verſ. 1. & alibi ſæpe.

Recte annotatum quibuſdam, apte munus lignandi, & aquandi impoſitum fuiſſe Gabaonitis, quod in eorum ditione eſſent duæ illæ urbes, Kiriath-Iegharim, quæ ſilvis & ſaltibus, & multa materia cædua abundabat; & Beeroth, in qua plurimi putei, fontes, ſcaturigines optimarum aquarum eſſent. Illud vero, *Omni conventui*, plerique exponunt, In uſum totius multitudinis: alii, *Pro toto cœtu*, id eſt vice, & loco totius cœtus. Tenebantur Iſraelitæ providere de lignis; & aqua domui Dei, quo onere ſublevati ſunt, ſubeuntibus pro ipſis hoc miniſterium Gabaonitis. Quaſi dicat: Erunt ſervi publici; nomine cœtus populi Dei publicas angarias obeuntes in domo Dei, infra verſ. 23. & Eſdræ VIII. verſ. 20. Non recte quidam putant eiuſmodi miniſtratores Græco vocabulo *parochos* Romanis dictos: nam parochorum munus multo dignius & honoratius erat. Vide Budæum Poſterioribus Annotationibus in Pandectas, pag. 195. Illud multo certius, fuiſſe Gabaonitas eos quos *Nathinæos*, id eſt *deditítios*, ſeu *donatos* Eſdras, & Nehemias frequenter appellant, de quibus dicemus I. Paralip. m. IX. verſ. 2.

Poſteriorem illam clauſulam, *Secundum quod locuti ſunt eis principes*, quidam, ne videatur ſupervacanea, & bis idem dicatur in principio, & in fine verſus, להם *lahem*, *eis*, reciproce accipiunt, id eſt inter ſe apud ſe ipſos, ſecum, ut ſumitur Eccleſ. III. verſ. 18. & alibi ſæpius: *Sicut principes locuti inter ſe fuerant*. Sed nihil neceſſe: nam eiuſmodi repetitiones mirifice ſerviunt ad ſententiæ incrementum; quaſi dicat: Vere, certe, conſtituerunt principes, iterum atque iterum affirmarunt conventui, Gabaonitas futuros calones, & lixas: vel illud *eis* refertur ad Gabaonitas, *eis*, vel *de eis*, Gabaonitis.

V. 23. ITAQUE SUB MALEDICTIONE ERITIS. Hebr. *Et nunc maledicti eſtis*. Exponunt: Nunc cum & ſermone aliorum, & adventu noſtro certius de vobis, & regione veſtra cognovimus, maledicti eſtis; id eſt, deprehendimus vos de numero gentium earum eſſe quibus maledixit Deus, & quarum vitam uſui noſtro, regionem hereditariæ poſſeſſioni noſtræ deſtinavit. ET NON DEFICIET DE STIRPE VESTRA LIGNA CAEDENS, &c. Hebr. amplius: *Et non exſcindetur, deficiet, deerit, de vobis ſervus, & cæſores lignorum, &c.* Quidam vertunt: *Quapropter ne deficiat ex vobis ſervus, & qui putent ligna &c.* id eſt, quia de gente maledicta eſtis, etſi nos fefelliſtis legatione veſtra, tamen non poſſumus quin obſtringamus vos, & addicamus iis ipſis conditionibus, quas lege imperavit Deus, Deuteron. XX. verſ. 10. & 11. Ceterum extremam & infimam in populo calonum, & lixarum fuiſſe ſortem, Moſes quoque ſignificavit Deut. XXIX. verſ. 11. IN DOMUM DEI MEI. Aliqui annotant, Gabaonitas, quamdiu Iſrael fuit in caſtris, fuiſſe univerſo exercitui calones, & lixas: poſtquam vero terram in hereditatem accepit, tunc fuiſse cæſores lignorum, & comportatores aquarum domui Domini, tabernaculo, ſeu templo, e verſ. 27. infra.

V. 24. NUNTIATUM EST NOBIS SERVIS TUIS. Hebr. *Quia nuntiando nuntiatum eſt ſervis tuis*; id eſt, certo nuntiatum eſt, frequentibus, & certiſſimis nuntiis ad nos perlatum eſt.

V. 26. FECIT ERGO IOSUE, UT DIXERAT. Hebr. *Et fecit eis ſic*, כן *cen*: Ratum, ſtabile, firmum, conſtans fecit quod dixerat.

Google

V. 27. Usque in praesens tempus. Hebr. *uſque ad diem iſtam*. Vide de iſta locutione ſupra cap. IV. verſ. *9.* & cap. VI. verſ. 25.

MENOCHII.

Verſ. 1. Trans Iordanem, ſcilicet reſpectu terræ Moab. Magni maris, maris mediterranei. Iuxta Libanum, qui mons eſt in aquilonari parte terræ ſanctæ.

V. 3. Qui habitabant in Gabaon. Quæ, & quanta eſſet civitas Gabaon, & quales habitatores eius, dicitur in ſacro textu cap. x. verſ. 2. Proprie Gabaonitæ erant ex Hevæorum gente. Si tamen Amorrhæorum nomen, ut aliquando fit, generatim ſumatur, ſic Gabaonitæ Amorrhæi dicuntur II. Reg. XXI. 2. ex D. Hier. fuit in tribu Beniamin.

V. 5. Pittaciis. Pittacium apud Celſum Lib. III. cap. x. panniculus eſt qui medicamento illitus, male affectæ parti applicatur. Latius deinde ſumitur pro corii, ut hic, aut alterius materiæ ſegmento. In frusta comminuti. Vox Hebraica ſignificat mucidos, & varii coloris maculis quaſi punctis affectos.

V. 9. In nomine Domini Dei tui, fama mirabilium rerum exciti, quas pro vobis feciſſe dicitur Deus veſter.

V. 14. Susceperunt de cibariis eorum, de pane: ut ſcilicet viderent, num, ſicut legati aiebant, eſſet ille tam aridus, & in micas redactus, aut mucidus, tractarentque manibus, & dentibus etiam fortaſſis explorarent. Alii putant Iſraelitas de cibariis Gabaonitarum in fœderis ſignum comediſſe. Os Domini non interrogaverunt: divinum oraculum non conſuluerunt.

V. 15. Fecitque cum eis Iosue pacem. Fuerant prohibiti Iſraelitæ pacem cum iis populis facere, qui ſedes ipſis a Deo aſſignatas occupabant. Hoc autem ita accipiendum erat, niſi ipſi ſacra Iudæorum ſuſcipere vellent, & bona ſua Hebræis, quibus Dei voluntate debebantur, relinquere: & quidem, quod ad religionem attinet, cum ſe mirabilibus a Deo patratis excitos, & in nomine Domini venire profiterentur, etiam a religione Iſraelitica, ſe non abhorrere ſignificabant: quod vero pertinet ad bona, ſe Iſraelitarum ſervos appellant, & mortem tantum deprecantur. Itaque potuit Ioſue pacem cum Gabaonitis facere.

V. 16. Post dies autem tres, &c. Iam Gabaonitarum fraus retegitur: ex quo apparuit, parum prudenter ſe in hac re geſſiſſe Iſraelitas, ac I. peccatum, quod in re tam gravi Dominum non conſuluerunt. II. quod nimis facile dictis a Gabaonitis crediderunt, & nimis propere negotium confecerunt. III. quod nimium ſua quapiam laude viſi ſunt capi, & oblectari, dum ex tanto intervallo diſſitis regionibus ad ſe legatos deſtinatos audiunt, præſertim tam demiſſe agentes, & pacem poſtulantes. Audierunt quod in vicino habitarent, fortaſſe a frumentatoribus, & pabulatoribus, qui in vicina loca excurrebant, vel ex Rahab meretrice, aut conſanguineis eius.

V. 17. Caphira, et Beroth, et Cariathiarim. Hæ civitates Gabaon ſubiectæ fuiſſe videntur, ut colligitur ex cap. x. num. 2.

V. 18. Eo quod iurassent. Poterant quidem Iſraelitæ datam fidem Gabaonitis non ſervare, quia errore decepti fuerant, nec in pacem cum tam vicinis populis conſenſerant; nihilominus, vel iuramenti reverentia, vel quia ſe teneri eius religione crediderunt, vel quia ut ita facerent inſpiravit, aut iuſſit Deus, recte fidem datam non violarunt.

V. 21. In usum universae multitudinis. Abulenſis putat, etiam ad privatorum uſus Gabaonitas ligna cædere, & comportare debuiſſe, ſaltem uſque ad terræ diviſionem. Alii plures verius ſentiunt, ligna, & aquam eos miniſtraſſe tantum ad publicos uſus tabernaculi, & altaris, cui cum ſerviebant, eccleſiæ ſerviebant, & univerſæ multitudini.

V. 23. Sub maledictione eritis, ſervitutis ſcilicet vili miniſterio addictæ. Non deficiet de stirpe vestra ligna caedens, &c. LXX. habent: *Non deficiet ex vobis ſervus*. Porro lignorum cæſores, & aquarum baiuli, ut extrema, & viliſſima populi portio numerantur Deuter. XXIX. 11. ubi enim dicitur, *Exceptis lignorum cæſoribus*, &c. verti poteſt cum LXX. *uſque ad lignorum* *cæſo-*

Digitized by Google

cæſores, &c. quaſi dicat, a principibus uſque ad viliſſimos.

*V.*27. USQUE IN PRAESENS TEMPUS. An aliquando ſuerint Gabaonitæ obligatione ferendorum lignorum ſoluti, incertum eſt. Olim celebrabant Hebræi feſtum quoddam, quod Xylophoriam vocat Ioſephus Lib. II. Captivit. cap. XXXI. quo populus ſponte ligna offerebat, ne deficerent in uſum altaris; & eiuſdem oblationis lignorum mentio in Nehem. cap. X. num. 34. Quod ad aquas ferendas ſpectat, licet Gabaonitarum labor fortaſſe fuerit imminutus per probaticam piſcinam, & per aquas fontanas, quas in templo aliqui fuiſſe volunt; adhuc tamen ad complendos lateres, & conchas, & alia huiuſmodi, illorum miniſterium opportunum, ac fortaſſe etiam neceſſarium fuit. IN LOCO QUEM DOMINUS ELEGISSET, in quo ſcilicet aut tabernaculum habuiſſet, aut templum.

TIRINI.

Verſ. 3. GABAON. Hæc civitas deſcribitur inf. cap. X. verſ. 2. *Urbs magna erat Gabaon, & una civitatum regalium, & maior oppido Hai, omneſque bellatores eius fortiſſimi*. Addit Hieronymus *a*, fuiſſe metropolim Hebræorum iuxta Rama, in ſorte tribus Beniamin, pro levitis ſeparatam: Ieroſolyma nonniſi 50. ſtadiis, ſeu tribus leucis diſtantem, Ioſephus, & Beniaminus *b*: in Silo monte ſitam fuiſſe Adrichomius, & Burchardus *c* affirmant.

Petes primo, an Iſraelitæ cum Gabaonitis fœdus percutere potuerint? Negat Calvinus, & ex eius aſſeclis Albericus Gentilis *d* Iuriſconſultus, & Abulenſis: quia cum ſeptenis Chananæorum gentibus, e quibus erant Hevæi iſti, vetitum erat inire fœdus, Exodi XXXIV. verſ. 12. Reſpondeo, vetitum non fuiſſe, ſi pacem ab Iſraelitis peterent, ſuamque terram, urbes, & fundos illis tamquam veris a Deo conſtitutis dominis ultro concederent: atqui hæc omnia faciunt hic Gabaonitæ, cum toties ſe profitentur ſervos Iſraelitarum, illis ſupplices fiunt, illorum ſacra ſuſcipiunt, &c. Quin Deuteron. XX. verſ. 10. expreſſe mandat Deus, pacem offerri urbibus priuſquam expugnentur: quod etiam ad Chananæos extendendum fuiſſe fatentur Rabbini, adeoque & ipſe Calvinus & alii. Ita ſanctus Auguſtinus *e*, Lyranus Caietanus, & e Iuriſconſultis Decianus *f*, ex Calviniſtis Tremellius, & Iunius *g*.

Petes ſecundo: Cur ergo hic verſu 14. reprehenduntur, quod os Domini non antea interrogaverint? cur verſ. 18. multitudo contra id factum murmurat? Reſpondeo: Quia, licet fœdus cum illis inire licuerit, nimis temere tamen, & præcipitanter in re tanti momenti, non ſatis excuſſa, & explorata legatorum fide ſe geſſiſſe, & iureiurando obſtrinxiſſe videntur.

Petes tertio, an hoc tale iuramentum obligarit Iſraelitas ad fidem datam Gabaonitis præſtandam? Affirmant Lyranus, Hugo, Dionyſius, Caietanus. Sed Reſpondeo, non obligaſſe; tum quia fraude & dolo extortum fuerat; tum quia erat hic error perſonæ. Putabant enim ſe non cum vicinis Chananæis, ſed cum extraneis, & valde remotis, puta Arabibus, aut Syris, quales illi ſuis *pittaciis*, id eſt fruſtis veſtium conſutis, ſe mentiebantur, fœdus inire & iurare, iiſque ſolis ſe obſtringere intendebant. Ita ſanctus Auguſtinus, Abulenſis, Maſius, Arias, Serarius. Videntur tamen principes verſ. 19. ſibi perſuaſiſſe, teneri ſe hoc * quaſi iuramento. Unde colligas, quanta tunc fuerit nominis divini reverentia, & religio.

Nota tamen, Hebræos, cum fraude cognita primum nihilominus pactum ratum eſſe voluerunt, ut licite poterant, exinceps vere obligatos fuiſſe. Unde & poſtea, cum Saul hoc fœdus violaſſet, graviſſime id ultus eſt Deus II. Reg. XXI.

V. 21. LIGNA CAEDANT, AQUASQUE COMPORTENT. Hæc erat mulcta fraudis Gabaonitarum. Et primo quidem toti populo, totiſque caſtris ligna, & aquas afferre cogebantur etiam facta iam terræ diviſione, unde & a Ioſepho δημόσιοι id eſt *ſervi publici*, ſeu calones vocantur. Sed ſucceſſu temporis, maxime ſub Davide, & Salomone, ſolius tabernaculi, & templi uſibus ſubſerviſſe leguntur: & *Nathinæi h* vocati ſunt, id eſt *donati*, ſcilicet levitis, ut eſſent ipſis quaſi ſubdiaconi. Ita S. Hieronymus, Innocentius, Lyranus, Sigonius, Maſius, Ribera, & Abulenſis;

lenſis; qui etiam hinc conſtare dicit, Gabaonitas circumciſionem, & reliqua ſacra Iudaica ſuſcepiſſe: neque enim potuiſſent alias his templi ſervitiis adhiberi. Conſtat ſecundo illos urbibus ſuis, in quibus uſque ad terræ diviſionem manere permiſſi ſunt, ea peracta eductos, & per varia loca diſtributos fuiſſe, ſaltem tabernaculo propinquiora, e quibus ad ſuam lignationem aquationemque per vices ſtatis temporibus accurrerent. Et ſicut ſacerdotibus, ac levitis erant aſſignata certa iura e quibus ſuſtentarentur, ut dixi Num. XVIII. ita & Gabaonitis de commoda ſuſtentatione proſpectum per principes fuit, forſan ex eleemoſynis, & donariis Sanctuarii, quæ ad id abunde ſufficere poterant. Ita Abulenſis.

(a) Hieron. de Locis Hebraicis.
(b) Ioſeph. Libr. II. Antiquit. cap. XXII. Beniamin in Itinerario.
(c) Adrich. & Burchar. de Terra Sancta.
(d) Gentil. Lib. III. de Bello cap. XIX.
(e) Auguſt. quæſt. XIII. XIV. &c.
(f) Decian. III. conſ. XX.
(g) Trem. & Iunius hic.
(h) I. Eſdr. II. verſ. 43. & I. Paral. IX. verſ. 2.
* *In Editione Pariſ. an. 1643. legitur* quali quali; *at in Lugdun. an. 1723. ut in textu.*

GORDONI.

Verſ. 1. Abrahamo Geneſ. XV. facta eſt promiſſio de terra decem gentium; quas tamen omnes non obtinuerunt Hebræi niſi ſub Davide, & Salomone. Nunc ex his plures conſpirant, ut hic dicitur. & contra quinque ex his regibus pugnatur cap. X. & contra reliquos cap. XI. utrobique victore Ioſue.

V. 2. Nunc plures, nunc pauciores numerantur gentes, quarum terra eſt promiſſa ſemini Abraham; ſive quia interdum præcipuæ recenſentur; ſive quia poſt tempora Abraham aliquæ mutarunt aut nomen (unitæ aliis) aut ſolum. Sic Gergeſæi hoc loco omittuntur.

V. 3. AT HI QUI HABITABANT IN GABAON... CALLIDE COGITANTES, *μετὰ πανουργίας*. Heb. בערמה *bebharma*, *in aſtutia*. Sane alioqui Exod. XXIII. prohibebatur pactum tale: interim fallitur Ioſue non ſine culpa aliqua, dum Deum non conſuluit. Nam non procul Gabaonitæ ab Hieroſolymis abſunt, inquit Ioſephus: erant e loco ubi fuit tribus Beniamin; ſed placuit intelligi legem illam Exodi de obſtinatis. At qua lingua actum eſt? certe Chananæorum lingua pleriſque Hebræis nota erat. Urbs iſta Gabaon deſcribitur hic cap. X. verſ. 2. Gabaoni ſubdita erat Cariathiarim, ut habet textus hic Hebraicus.

V. 17. Extenuat hic dolum, mortis periculum certum.

V. 19. IURAVIMUS ILLIS.] Non moror in quæſtione quænam obligent iuramenta: vide opus Theolog. Lib. VI. Stetit pactum, non ob datam fidem, ſed vel ob iuramentum, & reverentiam divini nominis, vel ob ſcandalum.

V. 23. Hoc decreto Gabaonitæ lignarii, & aquarii conſtituti ſunt, ut militibus, & populo murmuranti fieret ſatis. Cur tarde innotuerit fraus, cauſæ multæ afferri poſſunt. Ceterum SUB MALEDICTIONE, id eſt maledicti, execrati, ERITIS.

V. 27. In loco quem elegit Dominus ad ſacra, ſervient Gabaonitæ. Locus hic nunc eſt in Galgalis; poſtea in Silo, hic cap. XVIII. deinde in Nobe, I. Reg. XXII. poſt hæc Gabaone, II. Paralip. I. verſ. 2. tandem in Bethſames Cariathiarim, I. Reg. VI. poſtremo in templo Salom. immo & Hieroſolymis ante templum tempore Davidis. Vide cap. XVIII. verſ. 1.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 5. PITTACIIS. Hic pittacium accipitur pro ſegmento corii, aut alterius ſimilis materiæ. Apud medicos eſt panillus illitus aliquo medicamento, & applicatus parti male affectæ.

CA-

CAPUT X.

Quinque reges oppugnantes Gabaon, immoto ſole unius diei ſpatio, vincuntur, & ex ſpelunca extracti ſuſpenduntur, plureſque aliæ civitates capiuntur.

1. QUæ cum audiſſet Adoniſedec rex Ieruſalem, quod ſcilicet
cepiſſet Ioſue Hai, & ſubvertiſſet eam (ſicut enim fecerat
Iericho & regi eius, ſic fecit Hai & regi illius) &
quod transfugiſſent Gabaonitæ ad Iſrael, & eſſent fœderati
eorum, 2. timuit valde. Urbs enim magna erat Gabaon,
& una civitatum regalium, & maior oppido Hai,
omneſque bellatores eius fortiſſimi. 3. Miſit ergo Adoni-
ſedec rex Ieruſalem ad Oham regem Hebron, & ad Pharam
regem Ierimoth, ad Iaphia quoque regem Lachis, & ad Dabir regem E-
glon, dicens: 4. Ad me aſcendite, & ferte præſidium, ut expugnemus Ga-
baon, quare transfugerit ad Ioſue, & ad filios Iſrael. 5. Congregati igitur aſcen-
derunt quinque reges Amorrhæorum, rex Ieruſalem, rex Hebron, rex Ierimoth,
rex Lachis, rex Eglon, ſimul cum exercitibus ſuis, & caſtrametati ſunt cir-
ca Gabaon, oppugnantes eam. 6. Habitatores autem Gabaon urbis obſeſſæ mi-
ſerunt ad Ioſue, qui tunc morabatur in caſtris apud Galgalam, & dixerunt ei:
Ne retrahas manus tuas ab auxilio ſervorum tuorum: aſcende cito, & libera
nos, ferque præſidium: convenerunt enim adverſum nos omnes reges Amor-
rhæorum, qui habitant in montanis. 7. Aſcenditque Ioſue de Galgalis, & o-
mnis exercitus bellatorum cum eo, viri fortiſſimi. 8. Dixitque Dominus ad Io-
ſue: Ne timeas eos: in manus enim tuas tradidi illos: nullus ex eis tibi reſiſte-
re poterit. 9. Irruit itaque Ioſue ſuper eos repente, tota nocte aſcendens de Gal-
galis. 10. Et conturbavit eos Dominus a facie Iſrael: contrivitque plaga magna
in Gabaon, ac perſecutus eſt eos per viam aſcenſus Beth-horon, & percuſſit
uſque Azeca & Maceda. 11. Cumque fugerent filios Iſrael, & eſſent in deſcen-
ſu Beth-horon, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cælo uſque ad A-
zeca: & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio per-
cuſſerant filii Iſrael. 12. Tunc locutus eſt Ioſue Domino, in die qua tradidit
Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael, dixitque coram eis: Sol contra Ga-
baon ne movearis, & Luna contra vallem Aialon. 13. Steteruntque (a) Sol &
Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt hoc in
libro iuſtorum? Stetit itaque Sol in medio cæli, & non feſtinavit occumbere
ſpatio unius diei. 14. * Non fuit antea nec poſtea tam longa dies, obediente Do-
mino voci hominis, & pugnante pro Iſrael. 15. Reverſuſque eſt Ioſue cum o-
mni Iſrael in caſtra Galgalæ. 16. Fugerant enim quinque reges, & ſe abſconde-
rant in ſpelunca urbis Maceda. 17. Nuntiatumque eſt Ioſue, quod inventi eſ-
ſent quinque reges latentes in ſpelunca urbis Maceda. 18. Qui præcepit ſociis,
& ait: Volvite ſaxa ingentia ad os ſpeluncæ, & ponite viros induſtrios, qui

clau-

Digitized by Google

clauſos cuſtodiant: 19. vos autem nolite ſtare, ſed perſequimini hoſtes, & extremos quoſque fugientium cædite: nec dimittatis eos urbium ſuarum intrare præſidia, quos tradidit Dominus Deus in manus veſtras. 20. Cæſis ergo adverſariis plaga magna, & uſque ad internecionem pæne conſumptis, hi qui Iſrael effugere potuerunt, ingreſſi ſunt civitates munitas. 21. Reverſuſque eſt omnis exercitus ad Ioſue in Maceda, ubi tunc erant caſtra, ſani & integro numero: nulluſque contra filios Iſrael mutire auſus eſt. 22. Præcepitque Ioſue, dicens: Aperite os ſpeluncæ, & producite ad me quinque reges, qui in ea latitant. 23. Feceruntque miniſtri ut ſibi fuerat imperatum: * & eduxerunt ad eum quinque reges de ſpelunca, regem Ieruſalem, regem Hebron, regem Ierimoth, regem Lachis, regem Eglon. 24. Cumque educti eſſent ad eum, vocavit omnes viros Iſrael, & ait ad principes exercitus qui ſecum erant: Ite, & ponite pedes ſuper colla regum iſtorum. Qui cum perrexiſſent, & ſubiectorum colla pedibus calcarent, 25. rurſum ait ad eos: Nolite timere, nec paveatis, confortamini & eſtote robuſti: ſic enim faciet Dominus cunctis hoſtibus veſtris, adverſum quos dimicatis. 26. Percuſſitque Ioſue, & interfecit eos, atque ſuſpendit ſuper quinque ſtipites: fueruntque ſuſpenſi uſque ad veſperum. 27. (*b*) Cumque occumberet ſol, præcepit ſociis ut deponerent eos de patibulis. Qui depoſitos proiecerunt in ſpeluncam, in qua latuerant, & poſuerunt ſuper os eius ſaxa ingentia, quæ permanent uſque in præſens. 28. Eodem quoque die Macedam cepit Ioſue, & percuſſit eam in ore gladii, regemque illius interfecit, & omnes habitatores eius: non dimiſit in ea ſaltem parvas reliquias. Fecitque regi Maceda, ſicut fecerat regi Iericho. 29. Tranſivit autem cum omni Iſrael de Maceda in Lebna, & pugnabat contra eam: 30. quam tradidit Dominus cum rege ſuo in manus Iſrael: percuſſeruntque urbem in ore gladii, & omnes habitatores eius: non dimiſerunt in ea ullas reliquias. Feceruntque regi Lebna (*c*) ſicut fecerant regi Iericho. 31. De Lebna tranſivit in Lachis cum omni Iſrael: & exercitu per gyrum diſpoſito oppugnabat eam. 32. Tradiditque Dominus Lachis in manus Iſrael, & cepit eam die altero, atque percuſſit in ore gladii, omnemque animam quæ fuerat in ea, ſicut fecerat Lebna. 33. Eo tempore aſcendit Horam rex Gazer, ut auxiliaretur Lachis: quem percuſſit Ioſue cum omni populo eius uſque ad internecionem. 34. Tranſivitque de Lachis in Eglon, & circumdedit, 35. atque expugnavit eam eadem die: percuſſitque in ore gladii omnes animas quæ erant in ea, iuxta omnia quæ fecerat Lachis. 36. Aſcendit quoque cum omni Iſrael de Eglon in Hebron, & pugnavit contra eam: 37. cepit eam, & percuſſit in ore gladii, regem quoque eius, & omnia oppida regionis illius, univerſaſque animas quæ in ea fuerant commoratæ: non reliquit in ea ullas reliquias: ſicut fecerat Eglon, ſic fecit & Hebron, cuncta quæ in ea reperit conſumens gladio. 38. Inde reverſus in Dabir, 39. cepit eam atque vaſtavit: regem quoque eius atque omnia per circuitum oppida percuſſit in ore gladii: non dimiſit in ea ullas reliquias: ſicut fecerat Hebron & Lebna & regibus earum, ſic fecit Dabir & regi illius. 40. Percuſſit itaque Ioſue omnem terram montanam & meridianam atque campeſtrem, & Aſedoth, cum regibus ſuis: non dimiſit in ea ullas reliquias, ſed omne quod ſpirare poterat interfecit, ſicut præceperat ei Dominus Deus Iſrael, 41. a Cadesbarne uſque Gazam. * Omnem terram Goſen uſque Gabaon, 42. univerſoſque reges, & regiones eorum, uno impetu cepit atque vaſtavit: Dominus enim Deus Iſrael pugna-

Google

vit pro eo : 43. Reverſuſque eſt cum omni Iſrael ad locum caſtrorum in Galgala.

(a) Eccli. xlvi. 5. Iſai. xxviii. 21. (b) Deut. xxi. 23. (c) Sup. vi. 2.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 14. *Non fuit antea, nec poſtea tam longa dies*. Retinendum eſt *nec*, pro eo quod plerique habent *&*.

V. 23. *Et eduxerunt ad eum quinque reges*. Legendum eſt *eduxerunt*, non *adduxerunt*, quemadmodum & proxime verſu *educti*, non *adducti*; vocalis inquam ſecunda, non prima.

V. 41. *Omnem terram Goſen uſque Gabaon*. Cave legas Geſſen, quæ eſt terra AEgypti, pro Goſen, quæ eſt urbs Chananææ. Idem uſu venit infra xi. 16.

Lectionum Varietas.

V. 17. *In ſpelunca urbis Maceda*. Multi boni Latini libri cum Hebraicis omittunt voculam *urbis*: quam tamen ſuperiore verſ. 16. Interpres expreſſerat.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 4. QUARE, pro quod, ſeu quia.

Verſ. 8. TRADIDI, pro tradam.

V. 10. A FACIE, id eſt coram.

V. 12. LOCUTUS, ſcilicet orando ne ſol moveretur, &c. SOL. Id qua diei hora dictum, incertum. CONTRA, id eſt e regione; quaſi dicat: Expecta in Gabaon.

V. 13. LIBRO IUSTORUM. Quis hic liber fuerit, incertum. MEDIO CAELI, pro cælo ipſo.

V. 14. TAM LONGA. Iuſtin. in Tryph. ait fuiſse 36. horarum. Chald. 1. Cant. ait, ſtetiſſe ſolem 36. horis: ſcilicet duraſse illum diem 36. horis: ſic enim intelligo. OBEDIENTE DOMINO VOCI. Hebr. Chald. & LXX. *audiente*, ſeu *exaudiente Domino vocem*.

V. 15. REVERSUSQUE: poſtea id factum. Vide finem cap.

V. 20. ISRAEL, pro ab Iſrael.

V. 40. ASEDOTH, id eſt *declivia*. Ita quidam; at videtur nomen regionis proprium.

V. 42. IMPETU, id eſt bello, ſcilicet continuato.

E S T I I.

Verſ. 12. SOL CONTRA GABAON NE MOVEARIS, ET LUNA CONTRA VALLEM AIALON. Non ſunt audiendi hoc loco Hebræorum quidam, qui exiſtimant ſolem, & lunam revera non ſtetiſse, ſed quod viſi fuerint ſtetiſse, ob brevitatem temporis quo Iſraelitæ hoſtes devicerunt; quod quidem alioqui erat negotium multorum dierum. Etenim Hebræorum doctiores, & Chriſtiani omnes Interpretes revera intelligunt ſolem immotum ſtetiſse per integrum diem, & ſimiliter lunam: utpote additur: *Non fuit antea & poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael*: ubi *obediente* idem eſt quod acquieſcente. Vide Dionyſium Carthuſianum de hac ſtatione ſolis, & quomodo comparanda ſit cum prolongatione diei ſub Ezechia, & uter dies fuerit longior.

V. 13. STETERUNTQUE SOL ET LUNA. Sciendum eſt, ad vocem Ioſue ſtetiſse totum curſum cæleſtium corporum, ita ut unius diei ſpatio nulla ſidera loco moverentur, ſed omnia quieſcerent, ſervantia eumdem ad ſe mutuo ſitum. Sed ideo ſolis, & lunæ tantum mentio facta eſt, quia ſol, & luna ſunt duo maiora cæli luminaria omnibus notiſſima; & quia ſtel-

ſtellæ lucente ſole non apparebant. Colligitur autem ex hoc loco falſum eſse, quod tradunt quidam Naturales, nullum fore motum in his inferioribus, ſi cælum non moveretur. Et ſtupendum quidem fuit hoc miraculum; cuius, quod ethnici ſcriptores non monuerint, mirum non eſt: nam, ut Lucentius teſtatur,

Non ſupra bellum Thebanum, & funera Troiæ,
Nil alias alii quicquam cecinere poetæ.

Legitur I. Paral. IV. de quodam, quaſi & ipſe ſtare fecerit ſolem; ſed verba illa viri nomen exprimunt. NONNE SCRIPTUM EST HOC IN LIBRO IUSTORUM? Quis ſit iſte liber ignoratur. Vide Lyranum: ſed nihil certi aut ſolidi adfert. Dicendum arbitror librum intercidiſse, in quo forte continebantur egregia facta præſtantium virorum qui Deo placuiſsent.

MARIANAE.

Verſ, I. ADONISEDEC, id eſt *Dominus iuſtitiæ*; ſic *Melchiſedech* rex eius urbis, id eſt *rex iuſtitiæ*: & fortaſſis ii reges Ieruſalem id cognomen omnes *Iuſtitiæ* præferebant, ut in AEgypto *Pharaones* vocabantur. REX IERUSALEM. Vides ante David eam civitatem ſic dictam, niſi forte poſt Davidis tempora hic liber ſcriptus eſt, non ab ipſo Ioſue. CUM AUDISSET... QUOD CEPISSET IOSUE HAI, ET SUBVERTISSET EAM. Hebr. *deleviſſet*, *anathema feciſſet*: qua forma loquendi ſæpe utitur in hoc capite, ad ſignificandum excidium alicuius loci, aut gentis. QUOD TRANSFUGISSENT GABAONITAE, id eſt pacem ſeciſsent. ET ESSENT FOEDERATI EORUM. Hebr. *Et eſſent in medio eorum*, id eſt relicti in medio terræ Hebræis attributæ,

V. 2. URBS ENIM MAGNA ERAT GABAON, ET UNA CIVITATUM REGALIUM. Hebr. *Quaſi una civitatum regni erat Gabaon*, id eſt præcipua, & numeroſa.

V. 4. EXPUGNEMUS GABAON, QUARE TRANSFUGERIT AD IOSUE. Hebr. *Quia pacem fecit cum Ioſue*, ſcilicet Gabaon, *expugnemus eam*.

V. 6. NE RETRAHAS MANUS TUAS. Hebr. *Ne remittas, relaxes manus tuas a ſervis tuis*. Hieronymus *ab auxilio ſervorum tuorum* dixit eodem ſenſu: ſic Gabaonitæ dicunt ad Ioſue.

V. 7. VIRI FORTISSIMI. Hebr. *Et omnes viri virtutis aſcenderunt cum Ioſue*.

V. 12. SOL CONTRA GABAON NE MOVEARIS, ET LUNA CONTRA VALLEM AIALON. Hebr. *Sol in Gabaon ſile*, vel *expecta*. Gabaon eſt in tribu Beniamin, Aialon in tribu Dan: & videtur id dixiſse ſub noctem, quando utrumque aſtrum ſol, & luna apparebant, & videbantur illis locis incumbere.

V. 13. NONNE SCRIPTUM EST HOC IN LIBRO IUSTORUM? Hebr. *rectitudinis*, pro rectorum. Hic liber aut periit in captivitate, aut eſt liber legis, ut Hebræi putant: quoniam Exod. XXXIV. pollicetur Deus ſe facturum inaudita miracula. De hoc plura Sixtus Senenſ. Biblioth. Lib. II. *Iuſtorum liber*.

V. 14. TAM LONGA DIES. Iuſtinus contra Tryph. ait fuiſse horarum 36. Chal. Cant. I. ait triginta ſex horis ſolem ſtetiſse. Hinc fortaſſis Phaethontis fabula orta eſt, ſolis a ſuo curſu aberrantis, aut ex horologio Ezechiæ, ut alii malunt, decem lineis retracto, IV. Ren. XX. verſ. II.

V. 15. REVERSUSQUE EST IOSUE... IN CASTRA. Hoc per anticipationem dicitur; & idem repetitur in fine capitis, quando peractis quæ ſequuntur, Ioſue rediit.

V. 20. ADVERSARIIS..... PAENE CONSUMPTIS, ſcilicet rediit Ioſue. *Pæne* non eſt in Hebræo: Hieronymus addidit.

V. 27. PROIECERUNT IN SPELUNCAM, ſcilicet eos reges. Longo poſt tempore iis locis monſtrabantur multæ ſpeluncæ, in quas Amorrhæi ſe condiderunt, metu Ioſue: ſic in Palladii Hiſt. cap. CVI. In unam earum proiecerunt quinque regum corpora.

V. 37. CUNCTA QUAE IN EA REPERIT: ſcilicet habitatores, cunctos homines peremit in Hebron.

V. 40. ASEDOTH. Vox hæc Hebraice ſignificat *effuſiones*, nempe loca declivia, in quæ ex montibus aquæ dilabuntur. Hieronymus pro ea voce Numer. XXI. verſ. 15. verſ. 15. vertit *ſcopulos*; at Deut. III. verſ. 17. *radices montis*: hic

reliquit vocem intactam, quaſi nomen loci: idem cap. XII. bis. Verum non erat incongruum, ut quando montana, & plana dixit expugnaſse Ioſue, per hanc vocem *declivia*, & *valles* in quas confluunt aquæ intelligeremus. Regia hic vitioſe legunt *Aſeroth*, ut & Septuaginta.

V. 42. UNO IMPETU. Hebr. *una vice*: ſcilicet bello non intermiſſo vaſtavit hæc omnia Ioſue.

MALVENDAE.

Verſ. I. ADONISEDEC. Hebr. ארוני־צרק *Adoni-Tzedek*, Hebr. ſonat, *ſuſtentator*, *columen*, *dominus*, *herus*, *Iuſtitiæ*. Sic videtur rex iſte ventoſa appellatione ſe ipſum inſignivisse, quaſi iuſtitiæ vindex, & aſſertor, atque antiſtes audiret. Alii volunt Ieruſalem nomen primum fu'iſſe Tzedek, deinde dictam Salem, & poſtremo Ieruſalem: unde reges eius melchi-Tzedech, id eſt rex Tzedek; adoni-Tzedek, dominus Tzedek, inſigni præſagio ſummæ iuſtitiæ executionis in ea peragendæ morte, & ſanguine æterni Filii Dei. REX IERUSALEM. Hic primum occurrit nomen famoſæ, & clariſſimæ omnium urbium quas Scriptura celebrat. Rationem nominis varie, & prolixe plurimi executi ſunt. Breviter nos meliores etymologias explicabimus. I. a ירש *iaraſch*, *hereditavit*, *poſſedit*, & שלם *Schalem*, olim nomine eius, quaſi *poſſeſſa Schalem*; quod eam Iebuſæi tenacius poſſederint, nec inde ab Iſraelitis expelli potuerint, infra cap. XV. verſ. 63. & Iudicum I. verſ. 21. uſque ad tempora Davidis, qui eos eiecit, II. Samuel. V. II. a celebri illo facto Abrahami, Geneſ. XXII. 14. *Et vocavit Abraham nomen loci illius*, IHUH *ireh*, id eſt Dominus videbit: nimirum ex ירה *ireh*, *videbit*, *providebit*, & vetuſtiore appellatione *Schalem*, factum eſt Ieruſalem, id eſt *Videbit*, vel *Videbunt pacem*. Arcano, & myſtico oraculo, ibi viſum iri pacem, & felicitatem generis humani, ac mundi, oeconomia Filii Dei. III. a ראה *raah*, *vidit*, & *Schalem*, quaſi *Viſa pax*; ſeu *viſa*, *conſpicua*, *ſpectabilis*, *ſpecioſa*, *pulchra*, *Schalem*, Pſal. XLVII. verſ. 3. Threnor. II. verſ. 15. Quidam obſervavit, cum duplex eſſet Schalem, altera in campeſtri ſita, altera autem hæc in montibus, omnium oculis expoſita; dictum hanc compoſito nomine *Ieruſalaim*, duali numero; quaſi dicas, duarum Schalaim illam quæ conſpicua eſt: illam vero ſimpliciter Schalem, quæ erat in Samaria, quæ etiam Sichem dicta fuit Geneſ. XXXIII. verſ. 18. Sed tres fuiſſe Sichemas, non eſt dubium, ut etiam in Geneſ. XIV. verſ. 18. annotavimus. IV. a ירא *iara*, *timuit*, & *Schalem*. Notant quidam, quæ prius Schalem vocabatur, terrifico nomine data opera a Iebuſæis dictam poſterius Ieruſalem, quaſi יראו *ieru*, *timete*, *Schalem*, ut vicinis populis terrorem incuterent. Hoc etymon propius exiſtimant: nam illud a *viſione pacis* ductum, longius petitum, ac remotius iudicant: unde Ieruſalem, erit proprie *timete Schalem*; vel *terrifica*, *timenda Schalem*. Hanc urbem prius dictam Schalem non dubitamus, e Pſalmo LXXV. verſ. 3. *Et factus eſt in Schalem locus eius*, & *habitatio eius in Sion*; & e conſenſu omnium: ſed quod in iſta Schalem regnaverit Melchizedek, & non potius in altera Scythopolitana, cum doctiſſimo Hieronymo, & aliis vehementer ambigimus, ut in Geneſ. XIV. verſ. 18. obſervabamus. *Schalem*, *pacem* interpretari diſerte aſſeritur Hebræor. VII. verſ. 2. Hebraica Biblia hanc vocem perpetuo dualiter efferunt *Ieruſcalaim*, Chirik indicante Iod, quod quinque locis expreſſum reperitur, quod nimirum urbs bipartita eſſet. Tacitus in Hiſtoria: *Duos colles in immenſum editos claudebant muri*. Cabbalici ad duplicem Ieruſalem, terreſtrem, & cæleſtem referunt, ut Galat. IV. verſ. 25. & 26. Verum cur dicta ſit Ieruſalem duali numero, plenius explicabimus Iudicum I. verſ. 8. & 21. Chaldæi Paraphraſtæ, LXX. Interpretes, & Noſter, *Ieruſalem* dicunt: & ita veteres ſcripſiſſe, ac pronuntiaſſe, facile eruditi credunt.

Hecatæus Abderita, qui tempore Magni Alexandri vixit, hæc de Ieruſalem, apud Ioſephum Lib. I. in Apionem: *Civitas munitiſſima, habens præcipue circuitum quinquaginta ſtadiorum, in qua commorantur hominum circa centum & quinquaginta millia, nomine Ieroſolyma*. Agatharchides Gnidius apud eumdem Ioſephum: *Qui vocantur Iudæi, habitant omnium munitiſſimam civitatem, quam vocare Ieroſolymam provinciales ſolent*. Strabo Lib. XVI. *Ieroſolyma*

eſt

Digitized by Google

eſt locus ſaxoſus, aquis ipſe quidem abundans, cum regio circum ſterilis ac ſicca ſit, & intra ſexaginta ſtadia etiam ſolum habeat lapidoſum inferne. Plinius Lib. II. cap. XIV. *Ieroſolyma longe clariſſima urbium orientis, non Iudææ modo.* Cornelius Tacitus hiſtoria V. *Sed quia famoſæ urbis ſupremum diem tradituri ſumus, &c.* & poſtea: *Urbem arduam ſitu.*

Deſcripſere Ieruſalem accuratiſſime Ioſephus Lib. VI. Belli, cap. VIII. S. Beda Libello de Locis Sanctis, cap. I. & ſequentibus; Vvilhelmus Tyrius Lib. VIII. Belli ſacri, initio, Iacobus Vitriacus Hiſtoriæ Ieroſolomitanæ, cap. XXXV. & ſequentibus; Beniamin Tudelenſis in ſuo itinerario, pagina 41. & ſequentibus; Brocardus Monachus, alter Brocardus de Monte Sion, Anſelmus Minorita, quos edidit Henricus Caniſius: & recentiorum innumeri. Brocardus: *Ieruſalem poſita eſt in terra montoſa, montes enim ſunt in circuitu eius, habetque in circuitu terram fertilem & bonam, præterquam ad orientem & verſus Iordanem. Diſtat ab Acone triginta ſex leucis, quæ ſcilicet eſt contra aquilonem. A Sebaſte vero ſive Samaria diſtat ſexdecim leucis; a Sichem octo, & a Nazareth viginti ſeptem: & hæc loca omnia ſunt verſus aquilonem. A Ioppe vero diſtat octo leucis, inter occidentem & aquilonem; a Iericho ſeptem, verſus orientem; a Bethlehem duabus; ab Hebron octo: & hæ civitates ſunt ad auſtrum.* Alter Brocardus de Monte Sion, paulo diverſius: *Ieruſalem ſita eſt in terra montuoſa, habens ubique in circuitu terram fertilem & bonam, præterquam in orientem & Iordanem. Diſtat ab Acchon civitate triginta octo leucis, quæ & ipſa contra aquilonem: de Sebaſte ſexdecim leucis: de Sichem tredecim leucis: de Nazareth ſeptemdecim leucis: & hæ omnes contra aquilonem. De Ioppe tredecim leucis:. hæc eſt fere occidentalis, ſed declinat ad aquilonem. De Iericho ſeptem leucis: & hæc eſt orientalis. De Bethlehem tribus leucis: de Thecua quatuor leucis: de Hebron octo: hæ ſunt auſtrales.*

ET ESSENT FOEDERATI EORUM. Hebr. *Et fuerunt in intimo, intraneo, eorum.* Ambiguum eſt ſuppoſitum verbi *fuerunt*. Quidam Gabaonitas faciunt, unde reddunt: *Et agerent inter illos:* ut ſignificetur, Gabaonitas iuris, legumque, ac vitæ totius communione cum Iſraelitis coniunctos fuiſſe: quem ſenſum Noſter expreſſit. Alii Iſraelitas eſſe volunt: unde vertunt: *Et Iſraelitas eſſe in medio ipſorum*, Gabaonitarum; id eſt, veniſse ad urbes eorum, ſupra cap. IX. verſ. 17. & eorum ditionem iam obtinere.

V. 2. TIMUIT VALDE. Hebr. *Et timuerunt valde*, nimirum ipſe rex, & ſui: vel & reges alii vicini, & confœderati.

V. 3. OHAM. Hebr. הוהם *hoham* ſonat *turbatorem, tumultuatorem, terrorem, terrificum, fremitorem*, ſeu *fremebundum*: quod nomen ſibi impoſuerit regulus iſte ad terrorem aliorum. PHARAM. Hebr. פרם *Piram*, aut *Phiram*; quaſi dicas, *Magnificum, auctum*, vel *ferum, onagrum*. IERIMOTH. Hebr. *Iarmuth*, a רמה *ramah* dicta videtur, vel quod in celſo loco ſita eſſet; aut quod malogranatis abundaret; vel quod incolæ aſtu, & fallaciis, aut ſtratagematis pollerent. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Iarimuth, civitas, quam ſubvertit Ieſus in tribu Iuda, quarto diſtans ab Eleutheropoli lapide iuxta villam Eſthabol.* Et paulo inferius: *Iermus in tribu Iuda. Eſt autem uſque hodie villa Iermutha in decimo ab Eleutheropoli lapide aſcendentibus AEliam.* Quidam hanc eamdem eſse cum Iarmuth exiſtimant, & hic in Euſebio numerum eſse depravatum. Eleutheropoleos plurima mentio in eo libello de Locis Hebraicis, a qua plurimorum locorum diſtantiæ tamquam a celebri urbe dimetiuntur: nec tamen ſitus eius ibi explicatur, quod tunc fortaſse notiſſimus fuerit; at nunc incognitus. Ammianus Marcellinus Lib. XIV. cap. XXVI. Eleutheropolim inter egregias Palæſtinæ urbes recenſet. Antonini Itinerarium, a Cæſarea Palæſtinæ ad Eleutheropolim 77. milliaria conſtituit; & a Dioſpoli, quæ eſt Lydda, ad Eleutheropolim 18. milliaria; ab AElia ad Eleutheropolim 20. milliaria ponit; & ab Eleutheropoli ad Aſcalonem 24. milliaria. Cedrenus Annalium pag. 26. diſerte affirmat Eleutheropolim ipſam eſse Hebron, cuius rex hoc verſu dicitur Hoham: equidem diſtantia Eleutheropoleos a Ieruſalem, quam ponit Antoninus, recte Hebroni convenit, nempe 20. milliaria, plus minuſve: nam Euſebius & S. Hieronymus millibus circiter viginti duobus diſtare tradunt; & diſtantia Iar-

muth

muth ab Eleutheropoli apte quoque ipſi Hebroni congruit, nam haud dubie Iarmuth non multum ab Hebrone aberat; at Euſebius, & S. Hieronymus eo in libello palam videntur Hebronem ab Eleutheropoli diſtinguere, cum aiunt: *Iedna in ſexto ab Eleutheropoli lapide pergentibus Chebron*. Puto Ieroſolimæ occidentaliorem fuiſse ipſa Hebrone, verſus Aſcalonem: nam non longe ab Aſcalone diſtaſse ſignificatur in Prato Spirituali Ioannis Moſchi, cap. XXXIX. Verum hæc ſunt nimium obſcura. Eſt autem Eleutheropolis libera civitas; cuius etiam meminere Sozomenus Lib. VI. cap. XXXII. & Lib. VII. cap. XXVIII. Nicephorus Lib. IX. cap. XLV. & Lib. XI. cap. XXXIX. & Lib. XII. cap. XLVIII. & Romanum Martyrologium 17. Decembris: quam epiſcopali ſede inſignem tradunt. ירמות *Iarmuth*, ſonat, *altam*, *ſublimem*. IAPHIA. Deſignat יפיע *Iaphiagh*, *clarum*, *ſplendidum*, *glorioſum*, *maieſtate verendum*. LACHIS. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis. *Lachis in tribu Iuda. Sed & hanc cepit Ieſus, rege eius interfecto. Et nunc eſt villa in ſeptimo milliario ab Eleutheropoli euntibus daromam*, id eſt auſtrum. Brocardus: *A Cariathiarim duabus leucis fere ad occidentem eſt Lachis*. DABIR. דביר *debir* ſignificat *eloquentem*, *facundum*, aut *verboſum*, vel *oraculum*. Forte quod is multa eloquentia, & ſapientia, tamquam oraculum ſe iactaret. EGLON. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Eglon in tribu Iuda, cuius regem nomine Dabir interfecit Ieſus: eſt autem nunc villa prægrandis in duodecimo ab Eleutheropoli milliario contra orientem*. עגלון *Gheglon*: fortaſse ſic dicta, quod plauſtris boum abundaret, aut vitulis plauſtralibus.

V. 5. QUINQUE REGES AMORRHAEORUM. Satis conſtat Ieruſalemitas fuiſse Iebuſæos, & Hebronitas Chethæos; ſed hic generali vocabulo dicuntur Amorrhæi, quod Amorrhæorum gens præ ceteris Chananææ inſignis, ac cis, ultraque Iordanem longe lateque propagata, nomen ſuum interdum aliis gentibus communicare ſoleat. Sic Gabaonitæ II. Samuel. XXI. verſ. 2. dicuntur Amorrhæi, quos certum eſt fuiſse Hevæos.

V. 6. NE RETRAHAS MANUS TUAS A B AUXILIO SERVORUM TUORUM. Verbum רפה *raphah*, poſitum hic in Hiphil, varie reddunt. I. *Ne contrahas manus tuas a ſervis tuis*; id eſt, ne negligas fere opem ſervis tuis. II. *Ne ſinas manus tuas otioſas abeſſe a ſervis tuis*. III. *Ne ceſſare facias*. IV. *Ne relaxes manus tuas*, &c. ET LIBERA NOS. הושיע *hoſchiagh*, *opitulare*, *opem fer*, *ſerva*, *ſalva*. Alludunt ad nomen eius Iehoſuagh, *opitulatorem*, *ſervatorem*. QUI HABITANT IN MONTANIS. Omnes enim illæ quinque civitates, Ieruſalem, Hebron, Ierimuth, Lachis, & Eglon, ſitæ erant in montibus; non in planitie, ut Iericho, & Ghai.

V. 7. ET OMNIS EXERCITUS BELLATORUM CUM EO, VIRI FORTISSIMI. Hebr. *Et omnis populus belli*, vel *pugnæ*, *cum eo*, *& omnes viri virtutis*. Quidam diſtinguunt, ut *populus belli* ſint quique e vulgo pugnaciſſimi, qui viribus & robore pollerent bellico: at viri virtutis, ſint qui non ſolum manu prompti, & animo imperterrito adverſus hoſtes eſſent; ſed etiam conſilio, & induſtria, ac ſedulitate ad res gerendas valerent. חיל *chail*, enim Hebræis, non magis ad corporis vires, quam ad ingenii pertinere: ſæpe enim induſtriam, ac ſedulitatem, ac cum prudentia conſociatam diligentiam ſignificare; & tres ferme virtutes continere, fortitudinem, iuſtitiam, prudentiam: quam frugalitatem definit Cicero Lib. III. Tuſculanarum: unde hic vertunt, *Viri ſtrenui*, *gnavi*, *ſeduli*, *induſtrii*, *frugi*. Sic חיל *cvail* capitur Geneſ. XLVII. 6. Ruth III. verſ. 11. Prov. XII. 4. & XXXI. 10. Aptius alii, *Populus belli*, id eſt bello aptus, *& viri virtutis*, id eſt ſtrenuiſſimus quiſque ac fortiſſimus, viribuſque ac robore valens: unde convertunt, *Potentes viribus*, vel *valentes robore*. Nec deſunt qui, *Viri ſucceſſus*, id eſt de quorum virtute omnis ſucceſſus proſper ſperari poſſet. Vide ſupra cap. 1. verſ. 14.

V. 10. ET CONTURBAVIT EOS DOMINUS. Notant panicum hunc fuiſſe terrorem exercituum, ſed peculiariter a Deo immiſſum. Panicum terrorem deſcribit Polyænus Lib. I. pag. 9. & Lib. IV. pag. 263. & multa eius mentio apud auctores, de quo accurate diſſerit Angelus Politianus I. Centuria Miſcellanea, cap. XXXIII. Quidam: *Et fudit eos Iehovah*, cum gladio Iſraelitarum, cum etiam lapidi-

pidibus grandinis, ut ſequens verſus demonſtrat. BETH-HORON. Duo fuiſſe oppida, *Beth-horon ſuperius*, & *Beth-horon inferius*, e cap. XVI. infra verſ. 3. & 5. & I. Paralipom. VII. verſ. 24. & II. Paralipom. VIII. verſ. 5. conſtat: utrumque deſcribit S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, non longe inter ſe diſſita, prope Emmaus, ſive Nicopolim, quibus Gabaon, & Aialon erant ad dexteram; id eſt, ut quidam volunt, recta venienti Paulæ a Nicopoli in Beth-horon, ad orientem: atque utraque Beth-horon erat Nicopoli ſeptemtrionalis. Nicopolis autem erat ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Ieruſalem, Lucæ XXIV. 13. & quidem ab occidente, ut Brocardus, & alii affirmant. Ex itinere Ceſtii e Lydda Ieroſolymam, videtur Beth-horon occidentalis fuiſse ipſi Gabaon, ita tamen ut nonnihil in aquilonem vergeret. Vide Ioſephum Lib. II. Belli, cap. XXIII. & Hegeſippum Lib. II. Excidii, cap. XIV. Brocardus: *A Ieruſalem duæ ſunt leucæ contra occidentem ad Beth-horon inferius*. Alter Brocardus: *De Ieruſalem quatuor leucas contra aquilonem eſt Silo, ubi primum fuit tabernaculum fœderis multis diebus. Inde ad unam leucam Beth-horon ſuperius ad dexteram viam euntibus iuxta Ieruſalem*. Miror eruditos viros non animadvertiſse, in Antonini Itinerario, ſi Dioſpolis anteponatur Beth-horoni (ut ſane in eo libello ſunt innumera corrigenda) recte ibi diſtantias in hanc noſtram Beth-horon convenire: neque enim ulla alia Beth-horon inter Cæſaream & Dioſpolim umquam extitit in rerum natura; bene tamen inter Dioſpolim & Eleutheropolim: hæc utraque noſtra. Sonat בית ח רון *Beth-choron*, *Domum ardoris*, ſeu *ſuccenſionis*, vel quod regio calidiſſima, & æſtuoſiſſima eſset; vel quod ibi vel calcariæ, vel aliæ officinæ ignium eſſent. AZECA. עזקה *Ghazekah*. Euſebius, & S. Hieronymus in locis: *Azeca, civitas Chananæorum in parte tribus Iudæ, ad quam uſque perſecutus eſt Ieſus quinque reges. Sed & hodie vocatur villa Azeche inter Eleutheropolim & AEliam*. Hebraice dicta videtur, quaſi *foſſa ſepta*, *munita*, quod vallo, foſſa, & munimentis circumdata eſſet. Hiſpanice, *La Cava*. MACEDA. מקדה *Makkedah*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Maceda, in hac concluſit Ieſus quinque reges in ſpelunca, quos interfecit cum rege Maceda, quæ fuit in tribu Iuda, & nunc eſt in octavo milliario Eleutheropoleos contra ſolis ortum*. Brocardus annotat, a Lydda, ſive Dioſpoli quatuor eſſe leucas verſus orientem fere, paululum ad aquilonem declinando, uſque ad Libna, non longe a Lachis: inde per tres leucas, in via quæ ducit ad Gabaon, eſſe Azecham, & Macedam, ubi quinque reges ſe in ſpelunca abſconderant, infra verſ. 16. Videntur ſane Azecha, & Maceda propinquæ fuiſſe: atqui Azecam inter Gabaonem & Macedam fuiſſe, & ab occidente nonnihil in aquilonem, ab Beth-horon, & Gabaon poſitam, ut Macedam, ratio fugæ regum oſtendit. Videtur Makedæ nomen a caſia dictum, forſan quod in ea caſiæ copia proveniret: vel ab aduſtione, quod regio eſſet aduſta.

V. 11. LAPIDES MAGNOS DE CAELO. Lapidibus olim ſæpius de cælo pluiſſe, inter prodigia frequenter Livius refert: de inuſitatæ magnitudinis grandinibus variis temporibus cælo lapſis, pleniſſimi ſunt annales omnium temporum. Ioſephus hic: *Interfuiſſe huic prælio divinum auxilium, evidentibuſque prodigiis apparuit: cælo tonante, & crebris fulminum ictibus, grandine inſuper maiore ſolito more*.

V. 12. TUNC LOCUTUS EST IOSUE. Hebr. *Tunc loquetur Iehoſua*. Exiſtimo futurum in eiuſmodi locutionibus, aſſiduitatem, & continuitatem eius actionis, de qua eſt ſermo, indicare; quaſi dicat: Multum impenſe, attente locutus eſt. Hebræi hic *loqui* exponunt, pro canere, ſeu cantu, aut carmine celebrare; ac ſi dicat: Tunc Ioſue carmine Dominum prædicavit; carmen ſeu canticum compoſuit in laudem IHUH: aut ſimpliciter, laudavit IHUH. Alii: *Tunc allocutus eſt Iehoſuagh Iehovam*; id eſt, precibus interpellavit eum. AIALON. אילון *Aiialon*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Aialon vallis atque præruptum, ſuper quod orante quondam Ieſu, luna ſtetit iuxta illam, quæ uſque nunc Aialon dicitur contra orientem Bethelis* (quidam emendant, *Siluntis*: ego potius emendarem, *occidentem*) *tribus ab ea millibus diſtans haud procul Gabaa, & Rama Saulis urbibus. Porro Hebræi affirmant, Aialon vicum eſſe iuxta Nicopolim, in ſecundo lapide pergentibus AEliam*: & inferius: *Aialon urbs fortis Dan ſeparata*

ta

ta Levitis, *& eſt hodie vicus alius haud procul a Nicopoli*. Hæc ſententia Hebræorum maris recipitur. Beniamin in Itinerario, pag. 41. *A Gilboe monte quatuor poſt leucas vallis Aialon aditur*, *quam regionem incolæ Chriſtiani Vallem lunæ appellant*: *a qua unius leucæ dimenſo ſpatio veni ad urbem quondam magnam Gabaon*. Unius igitur leucæ ſpatio Aialon a Gabaon diſtabat. Nec abſurde nonnulli exiſtimant hanc vallem, ſeu planitiem Aialonis eamdem omnino eſſe quam Iſaias XXVIII. verſ. 21. vallem Gabaonis appellat, quod proxima, & utrique urbi eſſet communis. *Fortem*, & *robuſtam* licet interpretari. Fuit in tribu Dan, infra cap. XIX. verſ. 42. Mirum cur Tremellius, & Iunius hic intelligi voluerint Aialon Zebulonicam verſus alterum terminum promiſſæ terræ ad aquilonem, cuius extat mentio Iudicum XII. verſ. 11. Atqui hanc precem, vel carmen Iehoſuæ ita exponunt; id eſt: Sol ne occidas nobis in Gabaone pugnantibus: & Luna ne nobis afferas noctem.

V. 13. IN LIBRO IUSTORUM. Hebraica *ſuper librum Recti*. Quidam ישר *iaſchar*, nomen proprium eſſe putant auctoris libri, qui ita ſit appellatus, quaſi *Rectus*; ut in Scriptura citantur, Liber Gad videntis, Ahiæ Silonitæ, & aliorum qui non extant. Alii addunt, *Librum rectitudinis*, *directionis*, vel *directoris*, quaſi *Directorium*. Nonnulli, *Librum iuris*. Aliqui volunt fuiſſe librum quempiam annalium, in quo optima fide, ſerie, & ordine res populi Dei continerentur; qui populus dictus eſt Rectus, ſeu ישרון *ieſchurun*, Deuteronom. XXXII. 15. In eamdem fere ſententiam alii aiunt fuiſſe librum forenſium annalium, ſive actorum publicorum, qui intercider t; ut alii multi forenſes, quorum Scriptura meminit. Ioſephus de hoc libro Recti intelligens, inquit: *Extat relatum in ſacra volumina*, *quæ in templo ſunt aſſervata*. Aliæ interpretationes frigent. Vide II. Samuel. 1. verſ. 18.

V. 14. OBEDIENTE DOMINO VOCI HOMINIS. Hebr. *Ad audire* IHUH *in voce viri*. Quidam reddunt: *Auſcultante Iehova voci cuiuſquam*: *nam Iehova pugnabat pro Iſrael*. Quaſi ſi Deus annuerit voci, & precibus, aut votis cuiuſquam Iſraelitæ pugnantis, eo quod ipſe pugnaret pro eis. At plerique omnes intelligunt, audiſſe Deum vocem unius hominis Iehoſuæ: & Noſter recte emphaſim eſſe putavit.

V. 15. REVERSUSQUE EST IOSUE, &c. Quidam hunc verſum ſupervacaneum putant, & alieno loco hic poſitum, cum propria eius ſedes ſit in fine huius capitis, ubi totidem verbis repetitur. Alii notant, ab hoc verſu ad ultimum uſque huius capitis hyperbaton continuum eſſe: nam antequam Galgalam rediret cum exercitu, omnia quæ ſubiungit, geſta fuiſſe: ideo eumdem verſum in fine capitis repeti. Nonnulli exponunt: *Et revertebatur*, *reverti conſtituebat*, *reverti cœperat*: vel, ut ipſi loquuntur, *& reverſus fuit incboative*, *non complete*, *&c.* quando audito nuntio de regum latebra, ſubſtitit, & reliqua peregit quæ ad finem uſque capitis ſubiunguntur. Nec deſunt qui ſimpliciter accipiant, tunc reductum univerſum exercitum in Galgala; & quæ ſequuntur, ſequenti die, vel diebus peracta: ut ſuperet hæc Ioſue victoria illud decantatiſſimum Cæſaris elogium, *Veni*, *vidi*, *vici*. Sed recte notant, longius fuiſſe a Maceda ad Galgalam ſpatium quam ut tam facile univerſæ copiæ ultro, citroque traduci poſſent. Mea coniectura eſt, dimidium verſ. 13. cum toto 14. & 15. citari tamquam verba ex libro Recti: deinde verſ. 16. continuari narrationem rerum tunc a Ioſue geſtarum.

V. 19. ET EXTREMOS QUOSQUE FUGIENTIUM CAEDITE. Hebr. *Et decaudabitis eos*. Varie, eodem tamen ſenſu exponunt. 1. *Et caudam eorum cædite*; 2. *Truncate illos cauda*; vel *caudam eorum truncate*; id eſt. carpite, cædite, extremum agmen, poſtremos quoſque eorum percutite. Similis locutio eſt Deuteron. XXV. verſ. 18.

V. 20. HI QUI ISRAEL EFFUGERE POTUERUNT. Nos Hebraica verbatim expreſſimus (*Et reſidui reſiduati fuerunt de eis*.) Alii, *& ſuperſtites*, *qui ſuperfuerunt ex eis*. Quidam, *& reliqui*, *qui relicti ſunt ex eis*. Aliqui, *& relicti*, *reſidui*, *neglecti*, *reliquiæ*, *effugerunt*, *evaſerunt ex eis*. Hiſpanice, *ſe acogieron*.

V. 21. UBI TUNC ERANT CASTRA, nimirum militaria: nam ſtativa in Galgala erant, e verſ. 15. & 43. NULLUSQUE CONTRA FILIOS ISRAEL MU-

TI-

TIRE AUSUS EST. Hebr. *Non acuit, movit, contra filios Iſrael, in quemquam, linguam ſuam*. Quidam: *Non acuit aliquis contra ullum ex filiis Iſrael linguam ſuam*; id eſt, nemo vel verbo auſus eſt lædere Iſraelitas. Alii: *Non moverat in filios Iſraelis quiſquam in ullum linguam ſuam*; id eſt, ne verbo quidem a quoquam iniuriam acceperant. Aliqui ſubaudiunt: *Nec canis acuet in quemquam filiorum Iſrael linguam ſuam*: nimirum ex conſimili locutione Exod. XI. 7. ubi vox *canis* exprimitur, quæ hic reticetur. Notantque eſse proverbialem locutionem, *Ne canem acuere linguam in quemquam*; pro, nihil mali, aut damni ab aliquo pati, ut ne canis ipſum allatret, animal cum primis irritabile, ſed dentibus non lingua metuendum: qua phraſi uſa eſt quoque Iudith XI. verſ. 15.

V. 24. OMNES VIROS ISRAEL. Quidam intelligunt viros tantum egregios nobiliores, primarios. Sed rectius eſt, convocaſse omnem exercitum. AD PRINCIPES. קצינים *ketzinim*. Hic primum hæc vox occurrit: Noſter ſolet reddere, *principes, duces*. Aiunt eſse *duces, capitanos, gubernatores, præfectos, ductores*. Volunt dictos a קצה *katzah, extremare*, quaſi qui ſunt in extremitatibus, id eſt in principio, & fine alicuius negotii: quique alios ordine expediunt, ac diſponunt. Quidam, *ingenuos* vertunt. Forſan reddi poſſit *extremi, extremarii*; quaſi dicas Hiſpanice. *extremados*, id eſt quique præſtantiſſimi, vel quos vocamus *Cabos de eſquadra*; quaſi dicat, Præſectos cohortium.

V. 26. USQUE AD VESPERUM, nimirum ex lege, ut ſupra cap. VIII. verſ. 29.

V. 28. ET OMNES HABITATORES EIUS. Hebr. *& omnem animam quæ in ea*; intelligunt humanam: nam animalia, & cetera prædæ erant, Deuteron. XX. verſ. 10. 11. 12. 13. 14. & infra verſ. 40. & cap. XI. verſ. 11. & 14. Sic factum in Hai, ſupra cap. VIII. verſ. 27. quo ſenſu ſequentia omnia accipienda ſunt.

V. 29. LEBNA (לבנה) vel *Libnah*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Lebna in tribu Iuda, civitas ſacerdotalis, quam tenuit Ieſus, rege illius interfecto: nunc eſt villa in regione Eleutheropolitana*. Brocardus: *A Lydda, ſeu Dioſpoli quatuor leucæ contra orientem fere, paululum ad aquilonem declinando, eſt Lobna, non longe a Lachis, quam cepit Ioſue. Inde per tres leucas, in via quæ ducit ad Gabaon, & Azeca oppidum, & Maceda, ubi quinque reges ſe abſconderant in ſpelunca, de quo in Ioſue. Lebnah, albam*, ut fuere olim plurimæ urbes eodem nomine inſignes, vel *lateritiam*, vel *populeam*, aut *thuriferam* ſignificat.

V. 31. DE LEBNA TRANSIVIT IN LACHIS, proximam, ut ad verſ. 10. paulo ſuperius notabamus. Videntur hæ propinquæ urbes contraria nomina habuiſſe: nam *Lebnah, albam* ſignificat; לכיש *Lachichs, AEthiopem*, vel *nigram*. Sic in Bætica ſunt duo oppida, *Velez el blanco*, & *Velez el ruvio*. Vide de Lachis cap. XV. verſ. 39.

V. 32. DIE ALTERO. Hebr. *in die ſecunda*. Quidam intelligunt alteram vel ſecundam diem ab interfectis quinque regibus, & cœptis, vaſtatiſque Maceda, & Lebnah: quæ eodem ipſo die quo interfecti ſunt quinque illi reges, expugnatæ videntur ſupra verſ. 28. & ſequenti die debellata Lachis. Sed ferme omnes *ſecunda die*, accipiunt ab obſidione, id eſt altero die quo eam obſederat: nam uno die non potuiſſet civitates tam remotas expugnare: quamvis id creditu difficile non ſit, cum ea dies longiſſima fuerit, ſupra verſ. 14. Verum ego exiſtimo, Macedam, Lebnam, Lachis, & ceteras urbes, quæ toto hoc capite referuntur, non uno omnes anno, ſed pluribus a Ioſue ſubiugatas, ut ad verſum 41. annotabimus.

V. 33. HORAM (הורם) ſonat *montanum*, aut *genitorem*. GAZER. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Gazer in ſorte tribus Ephraim, urbs ſeparata levitis, quam & ipſam expugnavit Ieſus, rege illius interfecto. AEdificata eſt autem poſtea a Salomone: nunc Gazara villa dicitur in quarto milliario Nicopoleos contra ſeptemtrionem. Veruntamen ſciendum, quod alienigenas ex ea Ephraim non potuit expellere*. Eius eſt mentio infra cap. XVI. verſ. 3. & cap. XXI. verſ. 21. Sine cauſa hic aliam Gazer accipiunt propiorem ipſi Lachis, e II. Samuel. V. verſ. 25. & I. Paralip. XIV. verſ. 16. nam una & eadem eſt, niſi quod ibi ſcribitur cum He locali Gazerah: nec longius aberat a Lachis, cum quarto tantum mil-

liario diſtaret a Nicopoli verſus boream. Gazorum quidam Ptolemæi Lib. V. cap. xvi. putant; ſed Gazorus Ptolemæo urbs eſt ultra Iordanem prope Callirrhoen. Caſaubonus exiſtimat eſſe Gadarim Strabonis Lib. XVI. pag. 759. ſed Gadarim Strabo Azoto, & Aſcaloni coniungit, qui ſitus non congruit cum eo quem Euſebius, & S. Hieronymus Gazeræ tribuunt. גזר *Gezer* interpretatur *deciſa*, *ſeiuncta*, *ſolitaria*; fortaſſe quod paulo ſeiunctior ab oppidis eſſet.

V. 35. Eadem die. Exponunt, qua ſcilicet eam obſederat; ſeu primo ipſo obſidionis die. Ita capiunt illud ſupra verſ. 28. *Eodem die Macedam quoque cepit Ioſue.*

V. 36. Ascendit..... de Eglon in Hebron, et pugnavit contra eam. Quidam annotant, ampliorem huius hiſtoriæ explicationem haberi infra cap. xiv. verſ. 6. & ſequentibus, & cap. xv. verſ. 13. ſed ego diverſum penitus ab hac hiſtoria illis locis narrari contendo. Vide ibi, & infra verſ. 39.

V. 37. Regem quoque eius, nimirum eum qui, altero illo priore interfecto, ſupra verſ. 26. novus delectus fuerat: nam interiecto tempore quo hæc geſta ſunt, potuerunt ſibi Hebronitæ novum regem conſtituere. Quae in ea fuerant; hoc eſt, in unaquaque earum urbium. Sic in fine huius verſus, & verſ. 39.

V. 38. Inde reversus in Dabir. Notant, meridiana plaga relicta, iam Ioſuam verſus Galgalam arma vertiſſe. Sed ſitus urbis Dabir non ſatis convenit, quæ Hebroni erat ad auſtrum, & occidentem, uti cap. xv. verſ. 15. dicemus: ubi plura de ea.

V. 39. Cepit eam, atque vastavit. Atqui hanc capiet Othoniel infra cap. xv. verſ. 16. & ſequentibus, & Iudicum i. verſ. 11. & ſequentibus. Quidam volunt hanc Ioſue Debiræ expugnationem, infra cap. xv. & Iudicum i. fuſius explicari; ſed ego diverſam cenſeo. Vide ibi. & ſupra verſ. 36.

V. 40. Meridianam. נגב *negheb*. Hic plerique non tam ſitum mundi meridianum, ſeu auſtralem accipiunt, quam metalerſi terram torridam, uſtam, arentem, ſterilem, ſiccam, deſertam propter nimium æſtum ſolis, ut eſt terra verſus meridiem, quæ caret aquis: qua ratione hæc vox ſumitur infra cap. xv. verſ. 19. Iudicum i. verſ. 15. & Pſalm. cxxv. verſ. 4. Verum ex ſitu locorum facile hic utrumque intelligi queat: nam a verſ. 28. uſque ad finem capitis notant deſcribi bella omnia auſtralia. Asedoth. LXX. & Noſter nomen loci proprium eſſe cenſuerunt. De voce אשדות *Aſchedoth* diximus Numer. xxi. 15. & Deuter. iii. verſ. 17. Plures ut nomen appellativum hic exponunt: 1. *declivitates*, ſeu *declivia*, *devexa*, id eſt regionem quæ erat in declivitate montium; 2. *fluxus*, *meatus*; 3. *effuſiones*, *profluvia*; 4. *ſcatebras*; 5. *valles*, *convalles fluviales*, ſeu *loca irrigua*; 6. *decurſibus irriguam*. Hiſpanicus Interpres ſolet reddere *cueſtas*, *o vertientes de los montes*. Proprie aiunt eſſe loca ubi montes, colleſve in campos ſe porrigunt, & effundunt; ſeu montium devexa, quæ Hiſpanice dicimus *faldas de montes*.

V. 41. A Cadesbarne. De Kades diximus Geneſ. xiv. verſ. 7. Numer. xiii. verſ. 27. & Numer. xx. verſ. 1. Vide infra cap. xv. verſ. 3. Usque Gazam. Hebr. *Ghazah*, de qua diximus Geneſ. x. verſ. 19. & Deuter. ii. verſ. 23. Strabo Lib. XVI. pag. 759. *Gaza, quæ olim illuſtris fuit; ab Alexandro autem diruta.* Pomponius Mela Lib. I. cap. xi. *Ceterum in Palæſtina eſt ingens, & munita admodum Gaza (ſic Perſæ ærarium vocant) & inde nomen eſt, quod cum Cambyſes armis Ægyptum peteret, huc belli opes, & pecuniam intulerat.* Q. Curtius Lib. IV. cap. xix. ab Alexandro captam deſcribit, in cuius obſidione illum geminum vulnus accepiſſe ait: *Obſidio certe*, inquit, *non tam claritate urbis nobilitata eſt, quam geminato periculo regis*. Plutarchus in Alexandro, de eadem obſidione: *Gazam urbem Syriæ maximam recepit*. Eamdem expugnationem exponit quoque Arrianus Lib. II Rerum Alexandri. Primum ab Alexandro expugnatam, deinde a Ptolemæo Lagi Demetrio ereptam prodit Diodorus Siculus Lib. XVII. num. 588. & Lib. XIX. numer. 717. Gazæ plurima mentio apud Polybium Lib. V. Meminere etiam eius Plinius Lib. V. cap. xiii. Ptolemæus Lib. V. cap. xvi. Dionyſius Alexandrinus in Periegeſi. Hebraice ſonat, *obfirmatam*, *validam*, *robuſtam*, *regiam*. Perſice, *ærarium*, *theſaurum*, *opes*. Omnem terram Gozen. גושן *Goſchen*.

Digitized by Google

chen. Diverſa hæc Gozen ab illa AEgyptiaca Geneſ. XLV. 10. & Geneſ. XLVII. 1. De iſta vide infra etiam cap. XI. verſ. 16. & cap. XV. verſ. 51. Ab imbribus nomen habere videtur, ut illa AEgypti, fortaſſe quod pluvioſa eſſet. Alii a גוש *guſch*, quaſi *fruſtum*, *maſſa*, *gleba terræ*: quod eſſet fecunda gleba.

Notant, hactenus ſcriptam eſſe hiſtoriam prioris ſeptennii, quod terminatur primo intermiſſionis anno, id eſt ſeptimo ab ingreſſu in Chananæam, ut ex hiſtoria Hebronis, & Debiræ captæ facile cognoſcitur, infra cap. XIV. & XV. & Iudicum I. ſequentis vero capitis hiſtoriam ad ſexennium alterum pertinere. Sed ſunt hæc incerta, nec poſſunt ad vivum reſecari.

V. 42. UNO IMPETU. Hebr. *uno ictu*, vel *una percuſſione*, quod Hiſpanice dicimus, *de un golpe*. Alii, *inceſſu uno*, *vice una*; id eſt, una continuata expeditione, & anabaſi.

MENOCHII.

Verſ. 1. ADONISEDEC, quod nomen *regem Iuſtitiæ* ſignificat.

V. 3. MISIT ERGO ADONISEDEC, &c. Convocat Adoniſedec. alios reges, vel quod ipſe medius eſſet inter Gabaon quæ ſe dediderat, & caſtra Iſraelitarum, vel quod ceteros dignitate præcelleret. Arias Montanus putat, penes hunc regem fuiſſe in alios reges poteſtatem ad lites componendas, & ad cauſas, & negotia maioris momenti; atque ideo convocare alios iuris illius fuiſſe. HEBRON, IERIMOTH, LACHIS, EGLON, quæ civitates in tribu Iuda poſtea fuerunt.

V. 4. QUARE TRANSFUGERIT: quod transfugerit.

V. 7. ASCENDITQUE IOSUE DE GALGALIS; reliquit tamen ſtativa illa in Galgalis, eo munita præſidio quo adverſus repentinas incurſiones, & caſus opus erat.

V. 10. CONTURBAVIT EOS DOMINUS: formidine, ac metu exanimavit. IN GABAON, in agro Gabaonis.

V. 11. LAPIDES MAGNOS, lapidoſam grandinem, inſtar lapidum duram: fuit enim hæc grando, ut habetur hoc eodem verſiculo, in quo appellantur *lapides grandinis*, & LXX. dixerunt λίθυς χαλάζης: ſic etiam Eccleſiaſticus cap. XLVI. 6. Attriti ſunt ergo Chananæi plaga, quæ in Pharaonem, & AEgyptios fuit ſeptima Exodi IX. 23. 24. DE CAELO, aere nimirum, qui ſæpe in Scriptura cælum dicitur: ſic volucres cæli, &c.

V. 12. SOL CONTRA GABAON NE MOVEARIS. Vere ſtetit ſol, quod & diſerte dicitur in Cantico Habacuc cap. III. 11. *Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo*.

V. 13. IN LIBRO IUSTORUM. Videtur fuiſſe liber in quo ritus continebantur, quo ſcilicet modo functiones variæ tam in bello quam in pace fieri recte poſſent, ac deberent juxta legem; in quo etiam libro varia ad hiſtoriam pertinentia continerentur. Inchoatus fortaſſe ſub Moſe, ad dirigendam praxim in variis actionibus Reipublicæ, deinde variis temporibus, ut in huiuſmodi libris fit, variis additamentis adiunctis. IN MEDIO CAELI, in cælo ipſo. SPATIO UNIUS DIEI. Variæ circa hoc ſunt ſententiæ. Verius videtur ſtetiſſe ſolem horas duodecim; ita ut lux eius diei eſſet horarum 24. lucis vero, ac noctis totum ſpatium ſimul ſumptum, horarum 36.

V. 14. NON FUIT ANTEA, NEC POSTEA TAM LONGA DIES, ne Ezechiæ quidem tempore, cum ſol decem lineis per gradus, quos deſcenderat, reverſus eſt, Iſaiæ. XXXVIII. 8. Vel enim umbra tantum quam proiiciebat gnomon, retroceſſit, ſole curſum ſuum tenente; vel, ſi ſol ipſe egreſſus eſt, ſpatium temporis adhuc minus fuit: ſunt enim qui doceant non unaquaque linea horam unam contineri, ſed dimidiam tantum, aut quadrantem; & ſi concedamus unamquamque lineam horæ unius indicem fuiſſe, ſol tamen, & umbra non eſt ſenſim regreſſa, eo modo quo progredi ſolet; ſed uno quaſi momento decem illas horas confecit, & rurſus ſolito modo remetiri cœpit: itaque totum ſpatium diei ac noctis, triginta quatuor horarum fuerit, non 44. OBEDIENTE DOMINO. שמע *ſchamagh*, *audire*, *exaudire*, & *obedire* ſignificat. Hanc tertiam ſignificationem noſter Interpres, & LXX. qui uſi ſunt voce ἐπακούειν, ſecuti ſunt: quæ verſiones vim & efficacitatem orationis magis explicant.

V. 15. REVERSUSQUE EST IOSUE

 CUM

cum omni Israel in castra Galgalae. Revertebatur in Galgala; ſed auditis quæ de regum latebra, hoſtiumque reſiduorum numero nuntiabantur, aliud conſilium cœpit, prout explicatur verſ. 17. & ſeqq. ſicque hoſtes inſequi iubet, mandatque ut cum receptui caneretur, Macedam convenirent. Sicque hoc ipſo die non eſt reditum in Galgala, ſed ſtativa nocturna prope Macedam fuerunt.

V. 21. Integro numero, nullo plane deſiderato. Mutire ausus est, ſeſe illis vel minimum opponere.

V. 24. Ponite pedes super colla regum: ut ſcilicet impiis meritas pœnas infligeret, & ut Iſraelitis animum adderet, & in magnam ſpem divinorum promiſſorum conſequendorum erigeret.

V. 26. Percussitque, et interfecit eos, non gladio, ſed cruce, ut ſequitur. Super quinque, lignis; ut ſupra cap. viii. num. 29. de rege Hai dictum eſt.

V. 27. Cumque occumberet sol. Vide dicta cap. viii. loco citato. Posuerunt super os eius saxa ingentia: ne quis cadavera ad honorificam ſepulturam aſportare poſſet, & ad rei memoriam perpetuam.

V. 28. Eodem quoque die. Fortaſſis ſenſus eſt, eodem tempore: nam difficile intellectu videtur tam multa oppida inter ſe diſtantia tam cito capi potuiſſe, & ea quæ narrantur fieri tam brevi ſpatio. Ita Serarius. Parvas reliquias. Nullos omnino reliquos fecit.

V. 40. Omnis regio montana et meridiana atque campestria, et Asedoth. Significatur tam terræ ſitus quam qualitas, per binas veluti oppoſitiones: prior eſt terra montana, & campeſtris; poſterior eſt meridiana, aprica ſcilicet, & ſoli expoſita, atque idcirco aridior; & *Aſedoth*, quæ vox aquarum effuſiones ſignificat, hoc eſt loca aquis abundantia, & rigua. Aliqui volunt, Aſedoth eſſe loci nomen proprium.

V. 41. A Cadesbarne: Iudææ terræ limes extremus, verſus auſtrum. Gosen, vel urbs fuit in montoſis Iudææ locis, ut infra cap. xv. 51. vel pinguis quiſpiam, herbidus, & compaſcuus locus, illius inſtar quem ſuis in Ægypto fratribus tradidit Ioſeph Gen. xlvi.

TIRINI.

Verſ. 11. Lapides grandinis valde magnos, Angelorum manu formatos in aere, & deſtinato ictu vibratos, misit Dominus ſuper Amorrhæos, nil tactis Iſraelitis. De ſimili grandine vide quæ dixi Exodi ix. Porro Ioſue precibus hanc quoque ruentium ſaxorum procellam a Deo impetratam eſſe, affirmat Eccleſiaſticus cap. xlvi. verſ. 6. *Invocavit Ieſus Altiſſimum in oppugnando inimicos undique, & audivit illum Deus in ſaxis grandinis.*

V. 12. Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Aialon. Erat vallis hæc media inter duas illa urbes, & in hoc prælio certabatur.

Petes primo: Quoto menſe, & die contigit hoc portentum? Reſpondeo cum Serario, 27. die 2. menſis, qui dicitur *Iiar*, & reſpondet noſtro partim Aprili, partim Maio.

Petes ſecundo, quota hora diei ſteterit ſol? Lyranus, Vatablus, Arias, & Serarius volunt, in meridie id factum, quia hic dicitur ſtetiſſe *in medio cæli*. Sed medium cæli poteſt ubique conſtitui. Reſpondeo ergo, id contigiſſe veriſimilius hora veſpertina ſub occaſum ſolis: hic enim expreſſe dicitur: *Non feſtinavit ſol occumbere*. Cum ergo vereretur Ioſue ne hoſtes propter inſtantes tenebras effugerent, oravit Deum ut ſolem ſiſteret. Ita Caietanus, & Abulenſis.

Petes tertio, quamdiu ſteterit? Integris 24. horis, ſeu die uno naturali, inquit Rabbi Eliezer, & Iuſtinus Martyr *a*. Quibus ſi addas 12. priores horas quibus ordinarium ſuum circulum ſol iam peregerat, fuit hic dies Ioſuanus integrarum 36. horarum. Sed veriſimilius eſt, ſolem non ſtetiſſe niſi diem unum artificialem, hoc eſt 12. horas: unde Eccleſiaſtici xlvi. verſ. 5. dicitur: *Una dies facta eſt quaſi duo*; ac ſi dicat: Dies quæ ſolet eſſe 12. horarum, facta eſt 24. horarum.

Nota, ſtetiſſe tanto quoque tempore immotam etiam lunam, ut hic dicitur, & conſequenter omnia reliqua aſtra, omneſque cælos, iubente Deo Angelos cælorum motores tantiſper ſubſiſtere. Neque enim expe-

Digitized by Google

expediebat, ut conſtitutus a Deo iam inde ab ipſo rerum ortu perpetuus inter cælos & ſidera ordo, tenor, ac conſenſus, inæquabili unius, aut duorum progreſſione turbaretur. Ita Abulenſis, Maſius, Conimbricenſes *b*, & Serarius. Qui etiam docent, ceſſante cælorum motu ceſſaſſe quoque naturaliter ea omnia quorum is motus eſt cauſa particularis, verbi gratia reciprocationem æſtus maris, quæ a luna dependet: item tempus, cuius menſura eſt motus primi mobilis. Unde dies illa non duravit alia duratione quam quæ rem quamvis exiſtentem naturaliter conſequitur; uti durabunt omnia poſt extremum iudicii diem. Non tamen ceſſante cælorum motu * ceſſarunt tunc alia omnia ſublunaria, quorum is motus ſolum eſt cauſa univerſalis: quia inter cælorum univerſalem influxum, & hæc inferiora non eſt connexio eſsentialis; ut copioſe, & ſubtiliter exponit Suarez *c*.

Nota, ſimili miraculo IV. Regum xx. petente Ezechia, retroactum ſubito ſolem, totamque cælorum machinam ad 10. gradus, hoc eſt ad decem medias horas, ut ibidem videbimus. Et tempore novæ legis, de Mutio Eremita legimus, ſtetiſſe ad horas aliquot ſolem, donec ægrum, quem curatum ibat, viſitaſset. Quod vero de ſimili ſolis portentoſa ſtatione per triduum ſcribit Turpinus in Vita Caroli Magni *d*, & Soſias ille apud Plautum *e*, & alii Ethnici de conceptu Herculis ſui trinoctiali nugantur, non niſi fabulæ ſunt, & ſomnia.

Allegorice, pugnante vero Ieſu, & in cruce peccatum, mortem, totumque infernum debellante, ſol in medio cæli, & luna continuerunt radios ſuos, & totum univerſum obſtupuit. Ita Theodoretus.

V. 42. UNIVERSOSQUE REGES, ET REGIONES UNO IMPETU CEPIT, id eſt una hac paucorum dierum expeditione; & quidem ne vel uno Iſraelitarum in tot prælis deſiderato. Quam felix, quam certa panoplia, Dei auxiliaris manus! Pleni ſunt hiſtorici libri cæleſtibus id genus auxiliis. Et ut Moyſis, ut Samuelis, ut Davidis, ut Ezechiæ, ut Machabæorum, aliaque veteris teſtamenti miracula ſileam; quis non ſtupeat in nova lege præſentem Dei dexteram in ſubminiſtrandis ad primam precem pluviis, & adverſus hoſtem fulminibus legioni *f* Chriſtianorum inde dictæ *fulminatrici*? & orante ſancto Iacobo Niſibenſi Epiſcopo a muſcis, & culicibus fugatas Perſarum formidabiles copias? a ſancto Amiano Aurelianenſi Præſule tonitruis, & fulminibus abactum Attilam? Nonne & Gentilis Poeta *g* Theodoſio adgratulatur?

O nimium dilecte Deo! cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes: cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Neque deſunt noſtro quoque tempore ſeu per Europam, ſeu per Indias complura eiuſdem rei & ſtupenda documenta, quę Maffeius, Iarricus, & alii hiſtoriographi recenſent.

(*a*) Iuſtin. contra Tryphonem.
(*b*) Conimbr. Lib. II.
(*c*) Suarez Tom. I. Metaph. diſp. XXII. de cauſa prima, ſect. 5.
(*d*) Cap. XXVIII.
(*e*) In Amphitruone.
(*f*) Euſeb. Lib. Hiſt. cap. V. & Tertul. in Apol, & ad Scapulam.
(*g*) Claudian. Lib. II. de Honorii Conſulatu, & Sozomen. Lib. VII.
* *Sic in exemplari Lugdun. ann.* 1723. *at in Pariſ. ann.* 1646. ceſſabunt.

GORDONI.

Verſ. 1. SIcut Melchiſedech, *rex Iuſtitiæ*, ita Adoniſedech, *dominus Iuſtitiæ* dicitur. Nomen regi huic impoſitum, potentiam præ ceteris regibus deſignare videtur.

V. 3. MISIT ERGO ADONISEDEC. Chanaan appellata hæc terra a primis incolis progenitis a Cham, & filio Chanaan nato poſt diluvium: plures hic quidem evaſerunt reguli. Sed Chanaan ſibi, & filio Iebus (qui condidit Ieruſalem, inde Iebuſæi) potiorem partem retinuit prope Pentapolim, & Sionem. Sidon frater illius, ex Ioſepho, Sidonem condidit: de quo cap. XI. Atque hæc de Iebuſæo Adoniſedech, אדני צדק. Alter eſt Oham rex Hebron, ubi olim gigantes ex ſtirpe Enath, Num. XIII. & XV. ibidem hæſit Abraham Geneſ. XXIII. ibique Saram luxit empto agro: ceſſit locus tribui Iudæ, daturque ſacerdotibus: prima Davidis regia, III. Reg. II. Tertius rex Pharan Ierimoth: item rex Lachis, & rex Eglon.

Hi quidem verſ. 5. vocantur quinque reges Amorrhæorum, nempe ſpecialis provinciæ nomine, ad quinque has provincias (ut interdum fit) derivato: nam alioqui Amorrhæus quartus filius Chanaan ſuam ſpecialem ſortitus erat provinciam. Sic certe Chananæi aliquando ſpecialem provinciam, aliquando collectionem gentium, & provinciarum deſignant.

V. 9. & 10. Noctu, confecto itinere, ex improviſo hoſtes turbat Ioſue: ad cædem accedit grando, & pugna e cælo. Sic cæleſtibus ſaxis promovetur expeditio, & portentoſa grandine.

V. 12. & 13. TUNC LOCUTUS EST IOSUE. En miraculum: loquitur, ſeu poſtulat a Deo cum gratiarum actione, ut ſtet curſus cæleſtis. SOL CONTRA GABAON NE MOVEARIS; id eſt, ſoli iam præcipiti ad occaſum impero moram, ſeu qui ex oppoſito Gabaon vergit ad occaſum. Caietanus hic per medium cæli in quo ſtetit ſol, noſtrum intelligit hemiſphærium. Vatablus in meridie ſtetiſſe interpretatur: verior ſententia eſt. Nec certe apparenter tantum ſtetiſſe dicendum eſt, ut editiones ſatis docent. Hebr: *Sol in Gabaon ſile*, & expecta: & addit, עמד, *ſtetit*. Idem habent LXX. Iuſtinus, contra Tryphonem, ait fuiſſe 36. horarum, ex Chald. Cant. 1. quid hic facient Chronologi de his 12. horis, qui annorum fractiones curioſe venantur. Gabaon in tribu Beniamin eſt.

At quis tandem LIBER ille IUSTORUM? Hebr. *ſber rectitudinis*, הישר *baiaſar*: LXX. τῦ ἐυθοῦς. Hic liber aut ſecundum Hebræos eſt liber legis, quatenus Exod. XXXIV. promittit Deus miracula; aut periit in captivitate Babylonica, in quo continebantur facta Samuelis, Saulis, & Ioſue: ſicut etiam interierunt Regum hiſtoriæ, & liber Bellorum Domini. De libro Henoch Gen. cap. V. verſ. 22. vide II. Reg. 1.

V. 14. Si aſtra moventur ad motum orbium ſuorum, tune ſtante ſole, ſteterunt planetæ, & eorum orbes; an vero ſi per ſe moventur aſtra (quod recentioribus venit in mentem) quidquid tunc ſit de orbibus, debent etiam ſtetiſſe planetæ ſtante ſole, ne perturbatio in illis naſceretur. Vide I. Paral. cap. IV. an iterum ſol ſteterit.

V. 15. REVERSUSQUE EST IOSUE... IN CASTRA GALGALAE. Hoc per anticipationem narratur: nam reponitur in fine capitis miraculum illud in ſole, & luna. Putat Montanus incidiſſe in Aprilem; ſed vix credi poteſt, tot hic recenſitas res bellicas, tam brevi ſpatio, quod eſt a decimo primi menſis, confectas: rectius illi qui dant Iunium menſem. Occiſis demum quinque regibus, qui in fuga ſeſe abdiderant in ſpelunca, mox regum urbes capiuntur, Makeda, Lebna, Lachis, & Hebron: itumque ſic eſt ad terminos Palæſtinorum.

V. 18. Advolvi fecit Ioſue ſaxa, relinquens tamen aliquos qui cuſtodirent occluſam ſpeluncam.

V. 28. En novas captas urbes maxima celeritate, Amorrhæorum, & Hevæorum occupatis regionibus; ventumque eſt ad confinia Palæſtinorum, ut hic, & deinceps narratur.

V. 36. ASCENDIT QUOQUE... DE EGLON IN HEBRON. Capta hac urbe quinta, rex eius etiam occiſus narratur. Sane aut noviter electi regis cædes eſt, aut repetita mentio regis prius occiſi ad ſpeluncam. *Hebron* etiam dicitur *Cariatharbagh* (*civitas quatuor*) iuxta convallem Mambre, & regia aliquando Philiſtinorum: obtigit tribui Iudæ. Vide Gen. XIII.

V. 40. ASEDOTH. Loci nomen eſt, quamvis ex vi nominis Hebraici denotentur loca declivia, ſeu effuſiones aquarum in illa.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 26. PERCUSSIT, occidit cruce. QUINQUE, lignis, ex cap. VIII. 29.

V. 41. CADESBARNE: Iudææ terminus extremus verſus auſtrum. *Goſen*, urbs in montanis Iudææ. Aliqui locum pinguem interpretantur, & paſcuis aptum.

CA-

Digitized by Google

C A P U T XI.

Expugnat Ioſue Iabin cum aliis plurimis regibus ac populis, omnia ſervans quæ Dominus Moyſi præceperat.

1. QUæ cum audiſſet Iabin rex Aſor, miſit ad Iobab regem Ma-
don, & ad regem Semeron, atque ad regem Achſaph:
2. ad reges quoque aquilonis, qui habitabant in montanis,
& in planitie contra meridiem Ceneroth, in campeſtribus
quoque & in regionibus Dor iuxta mare: 3. Chananæum
quoque ab oriente & occidente, & Amorrhæum atque
Hethæum ac Pherezæum & Iebuſæum in montanis: He-
væum quoque qui habitabat ad radices Hermon in terra Maſpha. 4. Egreſſique
ſunt omnes cum turmis ſuis, populus multus nimis ſicut arena quæ eſt in lit-
tore maris, equi quoque & currus immenſæ multitudinis: 5. convenerúntque o-
mnes reges iſti in unum ad aquas Merom, ut pugnarent contra Iſrael. 6. Di-
xitque Dominus ad Ioſue: Ne timeas eos: cras enim hac eadem hora ego tra-
dam omnes iſtos vulnerandos in conſpectu Iſrael: equos eorum ſubnervabis, &
currus igne combures. 7. Venitque Ioſue, & omnis exercitus cum eo, adverſus
illos ad aquas Merom ſubito, & irruerunt ſuper eos, 8. tradiditque illos Domi-
nus in manus Iſrael. Qui percuſſerunt eos, & perſecuti ſunt uſque ad Sidonem
magnam, & aquas Maſerephoth, campumque Maſphe, qui eſt ad orientalem il-
lius partem. * Ita percuſſit omnes, ut nullas dimitteret ex eis reliquias: 9. fe-
citque ſicut præceperat ei Dominus, equos eorum ſubnervavit, curruſque com-
buſſit igni. 10. Reverſuſque ſtatim cepit Aſor: & regem eius percuſſit gladio.
Aſor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat. 11. Percuſſit-
que omnes animas, quæ ibidem morabantur: non dimiſit in ea ullas reliquias,
ſed uſque ad internecionem univerſa vaſtavit, ipſamque urbem peremit incendio.
12. Et omnes per circuitum civitates, regeſque earum cepit, percuſſit atque de-
levit, (a) ſicut præceperat ei Moyſes famulus Domini. 13. Abſque urbibus,
quæ erant in collibus & in tumulis ſitæ, ceteras ſuccendit Iſrael: unam tantum
Aſor munitiſsimam flamma conſumpſit. 14. Omnemque prædam iſtarum urbium
ac iumenta diviſerunt ſibi filii Iſrael, cunctis hominibus interfectis. 15. (b) Sic-
ut præceperat Dominus Moyſi ſervo ſuo, ita præcepit Moyſes Ioſue, & ille
univerſa complevit: non præteriit de univerſis mandatis, nec unum quidem ver-
bum quod iuſſerat Dominus Moyſi. 16 Cepit itaque Ioſue omnem terram mon-
tanam, & meridianam, terramque Goſen, & planitiem, & occidentalem pla-
gam, montemque Iſrael, & campeſtria eius: 17. & partem montis quæ aſcen-
dit Seir uſque Baalgad, per planitiem Libani ſubter montem Hermon: omnes
reges eorum cepit, percuſſit, & occidit. 18. Multo tempore pugnavit Ioſue con-
tra reges iſtos. 19. * Non fuit civitas quæ ſe traderet filiis Iſrael, præter He-
væum, qui habitabat in Gabaon: omnes enim bellando cepit. 20. Domini enim
ſententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſrael & ca-
derent,

derent, & non mererentur ullam clementiam, ac perirent, ſicut præceperat Dominus Moyſi. 21. In illo tempore venit Ioſue, & interfecit Enacim de montanis, Hebron, & Dabir, & Anab, & de omni monte Iuda & Iſrael, urbeſque eorum delevit. 22. Non reliquit ullum de ſtirpe Enacim, in terra filiorum Iſrael: abſque civitatibus Gaza, & Geth, & Azoto, in quibus ſolis relicti ſunt. 23. Cepit ergo Ioſue omnem terram, ſicut locutus eſt Dominus ad Moyſen, & tradidit eam in poſſeſsionem filiis Iſrael ſecundum partes & tribus ſuas: quievitque terra a præliis.

(a) Deuter. VII. 2. (b) Exod. XXXIV. 11. Deuter. VII. 1.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 8. *Ita percuſſit omnes*. *Ita*, non *itaque* legunt codices antiqui.

V. 19. *Non fuit civitas quæ ſe traderet filiis Iſrael*. Alii repetunt negationem, *quæ non ſe traderet*, minus recte.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. CENEROTH, id eſt maris Geneſareth.

V. 6. VULNERANDOS. LXX. *vulneratos*. Chald. *occiſos*. SUBNERVABIS: ſcilicet nolebat eum equis uti in bello, ſed Deo fidere; ideoque illis nervos incidere.

V. 8. AQUAS MASEREPHOTH. Chald. *ſalinas aquarum*. Alii, *combuſtiones aquarum*: ſic infra.

V. 13. UNAM, ſcilicet ex ſitis in collibus.

V. 15. VERBUM. *Verbum* pro re, more Hebr.

V. 16. OCCIDENTALEM PLAGAM. ſic etiam LXX. Alii, *loca campeſtria*. ISRAEL, id eſt earum tribuum quæ poſtea dictæ Iſrael, ſcilicet in diviſione regni.

V. 19. CIVITAS, ſcilicet ex iis quas oppugnavit, vel in regionibus quarum meminit Auguſt. in Ioſ. quæſ. XVII. SE TRADERET. Hebr. & Chald. *pacem faceret*. LXX. *quam non traderet*, ſcilicet Deus.

V. 20. MERERENTUR. Hebr. Chald. & LXX. *obtinerent*.

V. 21. ENACIM, id eſt gigantes. MONTANIS, ſcilicet locis.

ETII.

Verſ. 6. EQUOS EORUM SUBNERVABIS, ET CURRUS IGNE COMBURES. *Subnervare* eſt nervos incidere. Intelliguntur autem nervi qui ſunt in flexura poſteriorum crurum. Unde quidam vertit, *Suffragines incides*.

Si quæras, quare Dominus hoc præceperit: reſpondeo, ne filii Iſrael poſthac equis illis uterentur in bello, & in iis fiduciam ponerent; ſed potius tali ſubſidio carentes, diſcerent in Deo præcipue fiduciam & ſpem victoriæ collocare. Et propter hanc cauſam prohibetur Deut. XVII. ne rex ſuper filios Iſrael conſtituendus, multiplicet ſibi equos. Unde etiam hoc loco additum eſt: *Et currus igne combures*: ut diſcerent canere cum Pſalmiſta, Pſal. XVI. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini*. Non ſunt autem equi iuſſi occidi, ſed tantum ſubnervari, quia ſubnervati, quamvis ad bellum eſſent inepti, poterant tamen utiles eſſe ad agriculturam, & alia opera facienda.

V. 19. NON FUIT CIVITAS QUAE SE TRADERET FILIIS ISRAEL, &c. Pridem legebatur cum negatione, *Quæ ſe non traderet*; ſed recte negationem ſuſtulit correctio Sixtina. Ita enim legendum eſſe,

eſſe, primo ex Hebræo oſtenditur, ubi ſic legitur: *Non fuit civitas quæ pacem obtulerit filiis Iſrael*. Deinde ſequentia hoc idem demonſtrant. Sequitur enim: PRAETER HEVAEUM, QUI HABITABAT IN GABAON. Atqui Gabaonitæ tradiderunt ſe, & ,ut eſt in Hebræo, pacem inierunt cum filiis Iſrael. Conſequens igitur eſt, nullam fuiſſe aliam civitatem, quæ ſe traderet. Id quod adhuc manifeſtius quoque declaratur verbis ſequentibus: ſubiungitur enim: OMNES ENIM BELLANDO CEPIT, &c.

V. 20. DOMINI ENIM SENTENTIA FUERAT, UT INDURARENTUR CORDA EORUM. Quomodo hic locus nihil ſuffragetur blaſphemiæ Calvini, qui dicit Deum proprie loquendo indurare, & proinde auctorem eſſe peccati; vide Exodi IX. verſ. 12.

MARIANAE.

Verſ. 2. CENEROTH. Chald. *Geneſar*, hoc eſt mare Tiberiadis. Hic lacus ex Ioſeph. Lib. III. de Bello Iud. cap. XVIII. centum ſtadia longitudine patet, latitudine quadraginta. REGIONIBUS: ſic vocem Hebraicam *naphot* plerique reddunt, ſic Hebræus, ſic Chald. quæ Sept. & Pagn. reliquere intactam, quaſi nomen proprium loci. IUXTA MARE. Hebr. *a mari*; ſed per *mare* plerique intelligunt occaſum; quaſi dicat, in regionibus Dor, quæ eſt ab occaſu. Eos reges convocavit Iabin contra Ioſue. Et venerunt

V. 4. CUM TURMIS SUIS. Gotth. *cum turbis*. Hebr. *Et omnia caſtra cum ipſis*, ſcilicet regibus venerunt, ut pugnarent cum Ioſue.

V. 5. AD AQUAS MEROM. Hic eſt Samechonites lacus, quem Iordanis facit ſupra mare Tiberiadis. Tres enim lacus facit. Deus ad Ioſue:

V. 6. CRAS .... HAC EADEM HORA. Hebr. *cras quaſi hoc tempore*; ſed Hieron. pro כ *Caph* legit ב *Beth*, quod & Sept. fecerunt. VULNERANDOS: Hebr. *occiſos*, Sept. *vulneratos*: TRADAM hos reges.

V. 8. AQUAS MASEREPHOTH: ſic Sept. & Pag. ſed quoniam vox hæc deducitur a *ſaraph*, quod eſt *incendere*, Kimhi putavit eſſe aquas calidas, ubi ſunt balnea. Chald. *ſalinas*, ubi ſolis vapore aqua maris concreſcit in ſalem.

V. 11. OMNES ANIMAS, id eſt homines. USQUE AD INTERNECIONEM UNIVERSA VASTAVIT. Bene expreſſit vim verbi Hebraici, quod ſignificat *anathema fecit*, quo ſæpe in his capitibus utitur: Urbes ſuccendit præter eas quæ erant.

V. 13. IN COLLIBUS ET IN TUMULIS SITAE. Chald. *quæ erant in fortitudine ſua*; id eſt, quibus belli iniuria pepercit, ex iis arcibus unam tantum Aſor combuſſit.

V. 16. OCCIDENTALEM PLAGAM. Alii, *campeſtria*. MONTEMQUE ISRAEL, quem deinde ſeceſſione facta a Roboamo, obtinuerunt decem tribus: argumento poſteriori tempore librum hunc ſcriptum.

V. 17. ET PARTEM MONTIS. חלק *halak*, Hieronymus pro *parte* accepit. Chald. *a monte diviſionis* dixit. Sept. vocem intactam reliquerunt. Hebræi fere putant ea voce *montem lævem* ſignificari, nempe ſine arboribus: nam Iacob eadem uſus eſt voce, cum matri dixit: *Et ego homo lævis*, Geneſ. XXVII. verſ. 12. quaſi dicat: A monte lævi aſcendente in Seir, cepit Ioſue omnia, & vaſtavit.

V. 19. NON FUIT CIVITAS QUAE SE TRADERET. Sic lege, non *quæ non ſe traderet*, ut multi codices habent. Hebr. *quæ fecerit pacem*, ſcilicet quæ veniret in fœdus, atque ex deditione veniret in poteſtatem, ſed bello illato. Sept. *quam non traderet*, ſcilicet Deus.

V. 20. ET NON MERERENTUR. Hebr. *ut non eſſet illis miſericordia*, non eſſet veniæ locus: ideo induratum eſt cor eorum.

V. 21. INTERFECIT ENACIM, id eſt gigantes: ſic Hebræi: quidam tyrannos intelligunt, quos Ioſue abſtulit.

MALVENDAE.

Verſ. 1. IABIN. יבין, ſi libet, interpretare *intelligentem*, *prudentem*, *induſtrium*: qualem ſe hic rex forſan iactabat, aut vulgo audiebat. ASOR, vel *Chatſor*. Nonnulli Explanatorum, hanc illam eſſe putant, de qua I. Machab. XI. verſ. 67. *Et Ionatas, & caſtra eius ap-*

Digitized by Google

plicuerunt ad aquam Genaſar, & ante lucem vigilaverunt in campo Azor. Aiunt, non procul abfuiſſe a ſtagno Genezareth, in cuius campo Ionatas inſignem victoriam de Demetrii copiis reportarit, uti eodem loco Machabæorum, & apud Ioſephum Lib. XIII. Antiquit. cap. VIII. ſcriptum extat. Idem Ioſephus Lib. V. Antiquit. cap. IX. *Aſor, quæ ubrs ſita eſt ſuper Samachonitem lacum*. Ceterum Euſebius, & S. Hieronymus in locis Hebraicis: *Aſor civitas regni Iabin, quam ſolam incendit Ieſus, quia metropolis erat omnium regnorum Philiſthiim*. Equidem ſi locus mendo caret, & pro Philiſthiim non ſit legendum Iabin, videtur Chatzor ad Philiſthæos pertinuiſſe; ac Iabin longe imperitaſſe uſque ad regiones aquilonares Chananææ. Equidem Philiſthinos in id bellum etiam adſcitos, Ioſephus affirmat. Vide infra verſ. 10. At Brocardus hæc habet: *Ab hoc loco* (nempe Thoro caſtro) *ſunt quatuor leucæ uſque ad Antiopiam, quæ civitas olim Aſor vocata fuit, quam rex Iabin olim inhabitavit, contra quem & alios viginti quatuor reges Ioſue iuſſu divino admonitus pugnavit. De hac civitate dicitur Ioſue undecimo, quod ſolam Aſor munitiſſimam vorax flamma conſumpſit. Porro ruinæ eius uſque in hodiernum diem atteſtantur priſcam magnificentiam. Diſtat autem a Tyro octo leucis orientem verſus. Hinc ſex leucis contra aquilonem eſt Bellena civitas*, nempe Cæſarea Philippi. Infra cap. XV. verſ. 23. & 25. ponuntur in tribu Iuda iuxta confinia Idumææ duæ urbes nomine Chatzor; & alia in tribu Nephthali, cap. XIX. verſ. 36. & II. Regum XV. verſ. 29. quam urbem Iabin fuiſſe volunt. חצר *chatzer* Hebræis ſignificat *arium, villam, cortem, prædium*. Vide Com. Geneſ. XXV. verſ. 16. Fortaſſe ſic appellata ampliſſima urbs, quod ex multis villis conſtaret, ut hodie Cairum; ſive quod multas circum villas, & cortes haberet. IOBAB. יוגב, *vociferatorem, inclamatorem*, ſignificat. MADON מדין. Hanc urbem nemo expedit. Duæ ſunt coniecturæ. Prior, eſſe fontem ipſum Iordanis, quem auctores *Phialam* vocant, ut pluribus explicavimus in Antichriſto Lib. III. cap. VIII. & Saraceni, teſte Brocardo, *Medan* appellant, id eſt *aquas Dan*. Poſterior, eſſe locum alium diverſum a Phiala ſeu Danis aquis, quem Matthæus cap. XV. verſ. 39. numcupat *Magedan*, prope Geraſam, ultra lacum Geneſareth, uti Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis affirmant. מדון *madon*, *iudicium* ſignificat; fortaſſe quod in ea urbe eſſet locus iudicii, ſeu conventus aliquis iuridicus, quales Hiſpani dicimus *chancillerias*, ſeu *audientias*. AD REGEM SEMERON. Samariam hanc omnes intelligunt, iam hic nomine per prolepſim appellatam: nam ea numcupatio non indetur ei niſi poſtea tempore Amri regis Iſrael, de quo I. Regum XVI. verſ. 24. *Emitque montem Samariæ a Somer duobus talentis argenti: & ædificavit eum, & vocavit nomen civitatis, quam extruxerat, nomine Semer domini montis, Samariam*. Videtur hæc primum *Meron* dicta, infra cap. XII. verſ. 20. quod in excelſo loco ſita eſſet: & aſtipulatur Ioſephus VIII. Antiquit. cap. XII. *Regnavit Amarinus annis duodecim, ſex Tharſæ, reliquos ſex Marcone, quæ a Græcis Samaria dicitur*. Huius urbis varii caſus in Scriptura, & apud Ioſephum referuntur, qui Lib. XV. Antiquit. cap. X. de primo Herode prodit: *Viſum eſt quoque munire Samariam, mutato nomine Sebaſtem, quæ foris totam gentem contineret in officio: abeſt ab Ieroſolymis itinere unius diei*: & Lib. I. Belli, cap. VI. *In Samariam vero uſque progreſſus, ubi nunc eſt Sebaſte, civitas ab Herode rege condita*. Strabo Lib. XVI. pag. 760. *Samariam, quam Herodes Sebaſtam, id eſt Auguſtam, nominavit*. Plinius Lib. V. cap. XIII. *Samariæ oppida Neapolis, Sebaſte in monte*. Euſebius in Chronico: *Herodes Samariam olim iam in cineribus ſedentem a fundamentis ſuſcitans, in honorem Auguſti, Auguſtam, id eſt Sebaſten, appellavit*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Semeron, & hanc cepit Ieſus rege illius interfecto. Dicunt autem nunc pro ea Sebaſten vocari oppidum Paleſtinæ, ubi S. Ioannis Baptiſtæ reliquiæ conditæ ſunt. Legimus in Regnorum libris, quod Amri rex Iſrael emerit montem Semaron a quodam Semer, & ædificaverit in vertice eius civitatem, quam ex nomine domini appellaverit Semaron*. Auctor Locorum ex Actis Apoſtolorum: *Samaria civitas regalis in Iſrael in vertice montis Somer poſita. Sed & omnis regio, quæ circa eam fuit, a civitate quondam nomen acceperat: media inter Iudæam & Galilæam iacet. Hæc ab Herode Antipatri*

filio

Digitized by Google

filio in honorem Auguſti Cæſaris Græco nomine Sebaſte, id eſt Auguſta, vocata eſt. S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ: *Vidit Sebaſten, id eſt Samariam, quæ in honorem Auguſti, ab Herode Græco ſermone Auguſta eſt nominata. Ibi ſiti ſunt Eliſæus & Abdias propheta, & quo maior inter natos mulierum non fuit, Ioannes Baptiſta.* Beniamin in Itinerario pag. 39. *Sebaſten acceſſi, quæ eadem Samaria eſt, in qua Achab regis Iſrael palatium adhuc internoſcitur. Fuit vero munitiſſima urbs, in monte ſita, amœna fontibus & rivis aquarum, & hortis, pomariis, vinetis, & olivetis: nullumque Iudæum habitantem habet. Ad hac duabus leucis Neapolis Nebilas diſtat. Sichem olim dicta.* Brocardus: *A Gino contra auſtrum ſunt quatuor leucæ ad civitatem Sebaſten, quæ olim Samaria fuit dicta, caput regni decem tribuum, quod regnum Iſrael dicebatur. Nunc vero peccatis hominum exigentibus pauculas habet domos una cum eccleſia in honorem Divi Ioannis Baptiſtæ extructa, ſed quam Saraceni ſibi uſurpaverunt. Eſt & alia eccleſia in ſupercilio montis, ubi palatium regis fuit, ſita, quam Græci monachi Chriſtiani inhabitant, a quibus humaniter fui ſuſceptus. Non facile dixero quales, & quantas ruinas in hoc loco viderim, ut etiam longe excedant ruinas, quæ Ieroſolymis cernuntur. In monte videntur adhuc columnæ marmoreæ, quæ ſuſtentabant regia illa edificia. palatia, & deambulatoria: quin & per totum montis circuitum huiuſcemodi inveniuntur ſtantes columnæ, quæ platearum ſuſtinebant teſtitudines. Situs huius devaſtatæ civitatis eſt pulcherrimus, nam inde liber patet aſpectus uſque ad mare Ioppe, & ad Cæſaream Palæſtinæ, ad montem Ephraim, & ad Carmelum maris: abundat quoque hortis, fontibus, olivetis, & omnibus bonis neceſſariis.* Alter Brocardus de Monte Sion: *Samaria eſt omnino montuoſa. Samaria civitas, nunc Sebaſte dicta, quondam caput regni Iſrael, nunc peccatis exigentibus, nec unicam habet domum, niſi tantum duas eccleſias, in ſummitate montis unam, ubi quondam fuit palatium regis. Sacra eccleſia eſt etiam in honore Sancti Ioannis Baptiſtæ, in qua ſepultus fuit inter Eliſæum & Abdiam: & vidi ſepulcrum eius, ſed non intravi: quia Saraceni fecerunt ſibi inde marmeriam. Tales autem ruinas non vidi in terra ſancta, cum tamen multa & magnas viderim, ſicut in Samaria. Nec eſt ita diſpoſita civitas, ut videtur velle Magiſter in Hiſtoria, ſuper verbo iſto I. Regum xx. verſ. 10. Si ſuffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi, qui ſequitur me. Video enim velle, quod murus civitatis & ſuperficies montis, erat æqualis, & deſuper civitas ædificata: quod non erat, imo murus civitatis erat fere in pede montis firmus valde turribus, & interius mons paulatim ſurgens in altum, & circumſeptus ædificiis, quaſi botrus uvæ granis conſitus, & tendens in altum. Regia domus erat ſupra in monte pulchra nimis, ubi videntur adhuc columnæ innumerabiles, quæ ſuſtentabant palatia & deambulatoria, & in circuitu montis infra ſub regia domo, & manſionibus militum, in loco, ubi erat forum rerum venalium, adhuc fere per totum circuitum circumdant columnæ marmoreæ montem ſtantes hinc inde, quæ continebant teſtudines platearum. Breviter, neſcio quid magni non poſſit dici de civitate iſta: quæ ad tantam miſeriam nunc devenit, ut nulla penitus ſit in ea domus: ſed ſit tantum vinea, & hortus olerum. Situs huius urbis erat pulcher valde, inde enim erat proſpectus uſque ad mare Ioppes, & uſque Antipatridem & Ramatham, per totum montem Ephraim, uſque Cæſaream, & Carmelum montem: & abundabat fontibus, & hortis, & omnibus bonis, quæ requirit mundus.* Eadem de Samaria produnt recentiores alii ſacri topographi.

Ab urbe Samariæ nomen etiam regioni eſt factum, de qua Plinius Lib. V. cap. XIII. & Ptolemæus Lib. V. cap. XVI. Sed & Ioſephus accuratius Lib. III. Belli, cap. ILI. in hunc modum deſcribit: *Samarienſis autem regio inter Iudæam quidem, & Galilæam ſita eſt: incipiens enim a vico in planitie poſito, cui nomen eſt Genæa in Acrabathenam deſinit toparchiam: ſed natura nihil a Iudæa diſcrepat: nam utræque montoſæ ſunt & campeſtres, agroque colendo molles atque optimæ, nec non & arboribus plenæ: pomiſque tam ſilveſtribus quam manſuetis abundant, eo quod natura ſunt aridæ, imbriumque ſatis habent. Dulces autem per eas ſupra modum aquæ ſunt, bonique gra-*

minis copia, præter alias earum pecora lactis abundant: quodque maximum virtuti atque opulentiæ ſpecimen eſt, utraque viris referta eſt. Eadem Hegeſippus Lib. III. Excidii, cap. VI. De etymo nominis Samariæ plura diſſeruit Scaliger in Euſebianis: dictam quidem a Semer domino eius montis, in quo eam Amri condidit, diſerte nimis Scriptura pronuntiat, uti ſuperius vidimus. Sed velle pertendere *Somer*, vel *Samariam* non dici a *cuſtodia*, ſeu a verbo, quod *cuſtodire* ſignificat, שמרון *ſchimron*, hoc eſt omnino Hebraiſmum ignorare. Fortaſſe ad nominis impoſitionem ea ratio acceſſit, quod urbs cuſtodita, & munitiſſima eſſet, cuſtodiis egregie ſepta. Hiſpanice, *La Guardia*. AD REGEM ACHSAPH. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Aſchſaph, & contra huius regem Ieſus pugnaſſe deſcribitur: appellaturque hodie viliula Chaſalus in octavo lapide Diocæſareæ ad radices montis Thabor in campeſtribus*: & inferius: *Appellatur autem & quidam vicus Chaſalus iuxta montem Thabor in campeſtribus in octavo milliario Diocæſareæ ad orientem reſpiciens, ſicut ſupra diximus*. Diocæſaream eſſe Sephorim Galilææ urbem, norunt omnes. Recentiores quidam contra diſſertant, Achſaph fuiſſe Aſeritarum terminum ad ſeptemtrionem, aut potius circium ſupra Haſor: erroremque eſſe in Libello de Locis Hebraicis, qui eam iuxta Thabor collocat; multo enim longius ad ſeptemtrionem receſſiſſe Achſaph intelligi e cap. XIX. verſ. 25. At maniſeſte hanc noſtram Achſaph ab illa tribu Aſer libellus ille diſcriminat. Nec deſunt recentiores alii, qui Achſaph magis auſtralem faciant, quam Madon, & Semeron, & ſecundum montoſa Thaboris loca in meridiem ſitam autument. Sunt hæc plane incerta, in quibus tutius eſt Euſebio, & S. Hieronymo adhærere. A præſtigiis, אכשף *Aſchaph* nomen habere videtur: forte quod ibi eſſent inſignes præſtigiatores, & malefici.

V. 2. CONTRA MERIDIEM CENEROTH. De *Cinereth* diximus accurate Numeror. XXXIV. verſ. 11. Quod hic pluraliter ponatur, quidam exiſtimant indicare non ſolum vicinos, atque adiacentes campos ſtagno Geneſareth, ſed etiam remotiores pari bonitate fertiles. Aptius alii reddunt, *In auſtro Cinnerotharum*, id eſt regionum ſitarum in utraque ripa Genezareth, cis, & trans Iardenem; ut, *In meridie Cinnorethrum*, ſit *in auſtralibus partibus Cinnorethrum*. IN REGIONIBUS DOR IUXTA MARE. Hebr. *& in Naphoth-dor de mari*, vel *de occidente*. נפת *naphot* quidam hic pro nomine proprio capiunt, *Naphoth-dor*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Dornaphoth, quod Symmachus tranſtulit Dor maritima. Hæc eſt Dora in nono milliario Cæſareæ Palæſtinæ pergentibus Tyrum: nunc deſerta, quæ cum cecidiſſet in ſortem tribus Manaſſe, eam poſſidere non potuit, quia in ea habitatores priſtini permanſerunt*. Infra cap. XVII. verſ. 11. Et rurſus: *Nepheth Dor, quam Symmachus interpretatur maritimam. Dor autem eſt oppidum iam deſertum, in undecimo milliario Cæſareæ, pergentibus Ptolemaidem*. Plinius Lib. V. cap. XIX. *Dorum* appellat. Ptolemæus *Doram*, Lib. V. cap. XV. & uterque Phœniciæ urbem maritimam ſtatuunt. Alii נפות *naphot* pro appellativo ſumunt, redduntque, *In regionibus, climatibus, tractibus, terminis, Dor*. Ex verbo, *In ramis, ſurculis, Dor*: quod tractus, & climata regionis ſint veluti rami hinc inde diffuſi, & expanſi. Poſſit converti, *Et in apiariis, mellariis*, vel *locis favorum Dor*: quod forſan iis locis eſſet multa copia mellis. Ab habitatione, vel ætate nomen habet, quod eſſet urbs antiqua, & habitatoribus frequens. S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ: *Mirata ruinas Dor urbis quondam potentiſſimæ*.

V. 3. AD RADICES HERMON. De Hermon diximus Deuteron. III. verſ. 8. IN TERRA MASPHA. Recte quidam annotant, *in regione Mitzphæ*, id eſt ſpeculæ: nam regio eſt ſita in ingreſſu Libani ſuper Iardenem, in qua ſpeculatores collocati erant, ut eorum cuſtodia ſecura ſervaretur regio. Non eſt autem illa Mitzpha quæ ad tribum Iebuſææ pertinet, infra cap. XV. verſ. 38. neque Beniaminis, infra cap. XVIII. verſ. 26. neque illa Mitzphe Moabitaram, de qua I. Samuel. XXII. 3. ſed ea quæ eſt in Galaad, Geneſ. XXXI. verſ. 49. & Iudicum XI. verſ. 11. & 29. & infra verſ. 8.

V. 4. POPULUS MULTUS NIMIS SICUT ARENA QUAE EST IN LITTORE MARIS. Ioſephus: *Erantque omnes hæ copiæ peditum trecenta millia, equitum*

de-

decem millia, currum viginti millia. Eadem Zonaras, niſi quod mendoſe habet *curruum triginta millia*, quæ unde hauſta ſint ignoramus, cum Scriptura numerum non exprimat.

V. 5. CONVENERUNTQUE OMNES. Futurum ייעדו *iiuvaghadu* varie reddunt: 1. *Et congregati ſunt ſtatuto tempore*; 2. *Et ex condicto convenerunt*; 3. *Et confœderati ſunt*, vel *pactis inter ſe obſtricti ſunt*; 4. *Et coierunt, conſpiraverunt*. AD AQUAS MEROM. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Merom aquæ, ad quas exercitu præparato, caſtra ſunt poſita. Eſt autem nunc vicus Merrus nomine in duodecimo milliario urbis Sebaſte, iuxta Dothaim*. Alii vero multo altius ſeptemtrionem verſus, aquas Merom collocant. Brocardus: *Et quidem inter Bellenam*, id eſt Paneadem, *& mare Galilææ in quamdam vallem receptus* Iordanis, *ſtagnum quoddam efficit, præſertim tempore reſolutionis nivium a Libano defluentium, quod hodie aquas Merom vocant: ubi ſcilicet olim Ioſue cum Iabin rege Azor dimicavit. Hoc ſtagnum tempore æſtivo pro maiori parte exſiccatur, & creſcunt ibi arbuſta, & herbæ diverſæ, in quibus latitant leones, urſi, & aliæ beſtiæ*. Atque hoc ſecuti plerique ſacri topographi, *aquas Merom* putant eſſe ſtagnum illud quod Ioſephus, & alii Semechonitem vocant: de quo ipſe Ioſephus, Lib. III. Belli, cap. XXX. *Manifeſtum autem flumen Iordanis ex hoc antro*. Panio incipiens, *Semichonitis quidem lacus paludes ſecat cœnoſas: centum autem & viginti aliis præteritis ſtadiis* (a Phiala videlicet) *poſt oppidum Iuliada, Geneſar lacum medium tranſmenſus, deinde multam per ſolitudinem in Aſphaltitem lacum exit*. Idem habet Hegeſippus Lib. III. Excidii, cap. XXVI. Hoc eſt quod Tacitus ſub initium hiſtoriæ V. ait: *Nec Iordanis pelago accipitur, ſed unum* (Semechonitim) *atque alterum* (Genaſar) *lacum integer præterfluit, tertio* (Aſphaltite) *retinetur*. Hegeſippus: *Duos lacus victor egreſſus, tertio retinetur*. Nec his obſtat Pauſanias Lib. V. ſeu primo Eliacorum, numer. 153. extremo, cum ait: *In Hebræorum terra fluvium quemdam Iordanum & ipſe vidi, qui ſtagnum Tiberiadem nuncupatum ſubit, ac deinde in alterum ſtagnum, cui mare mortuum nomen eſt, ingreſſus, in ea ipſa palude conſumptus evaneſcit*. Nam Semechonitis nullam rationem habendam eſſe cenſuit, quod æſtatibus maiori ex parte ſiccatur. Sed de eo Ioſephus iterum Lib. IV. cap. I. *Seleucia vero*, Gaulanitidis regionis, *ad lacum Semechonitem, triginta latum, & ſexaginta ſtadiis longum, paludeſque ſuas ad Daphnem uſque tendentem. Quæ regio cum alias ſit delicioſa, præcipue tamen fontes habet, qui minorem, quem ſic appellant, Iordanem alentes, ſub aureo Iovis templo in maiorem deducunt*. Et vero Ioſephus locum pugnæ, ſeu *aquas Merom* ita deſcribit: *Caſtra poſuerunt ad urbem Galilææ Berotham, non longe a ſuperiore Kedeſa, quæ etiam in Galilæorum agro ſita eſt*. Quidam in Ioſepho emendant *Merotham*. Alii inepte *Berytum* eſſe putant. Beniamin pag. 36. *Berytum veni, Beeroth quondam dictam*. Fortaſſe Ioſephus *Beeroth* dicere voluit, id eſt puteos, ſic dictam urbem quod puteis, vel aquis abundaret. Nonnulli ſententiæ Euſebii, & S. Hieronymi inhærentes, hæc annotant. Aquæ Merom, ſic videntur appellari a ſitu, quod in ſupero eſſent Iſraelitarum tractu Thaborem verſus, ubi rex Simronis Meronis imperium tenuit, ſupra verſ. 1. & infra cap. XII. verſ. 20. quamobrem etiam Meromi agri, id eſt loca edita, a Debora nominantur, Iudic. V. verſ. 18. Alii *aquas Merom* numcupatas volunt, quod lacus Semechonitis Genaſarico eſſet ſuperior. Incerta ſunt hæc & in medio relinquenda.

V. 6. EQUOS EORUM SUBNERVABIS. Probum verbum. Apuleius apologia II. *Nulla impertita mora ſubnervaſti*. Gloſſarium Græco-Latinum vetus: Νευροκοπῶ, *ſubnervo*. Eo Græco verbo uſi ſunt hic LXX. Poſſet & Latine dici, *Suppernabis*. Feſtus: *Suppernati dicuntur, quibus femina ſunt ſucciſa in modum ſuillarum pernarum*. Ennius in Annalibus:

> *Iis pernas ſuccidit iniqua ſuperbia Pœni:*

& Catullus ad Coloniam:

> ...*velut alnus*
> *In foſſa Liguri iacet ſuppernata ſecuri*.

Hebr. עקר *ghakar*, eſt *eradicare, eruncare, extirpare, evellere, enervare*. Hic pro nervos pedum, ſeu ſuffragines ſuccidere ponitur. Hiſpanice *deiarretar*. Sic infra verſ. 9.

V. 8. USQUE AD SIDONEM MAGNAM. De Sidone nonnulla annotavimus

in

in Geneſ. XLIX. verſ. 13. hic alia adiiciemus. Strabo Lib. XVI. pag. 756. *Poſt Berytum eſt Sidon, quadringentis fere ſtadiis ab ea diſtans. Poſt Sidonem maxima & antiquiſſima Phœnicum eſt Tyrus, cum Sidone & magnitudine, & forma, & antiquitate comparanda, multis fabulis celebrata. Poetæ quidem magis Sidonem celebrant: atque adeo Homerus Tyri non meminit. Ergo ambæ & nunc & antiquitus claræ, illuſtreſque ſunt: controverſumque manet, utra earum Phœnicum metropolis dici debeat. Sidon iacet in elegante continentis portu. Sidonii cum multarum tum optimarum artium magiſtri perhibentur, quod etiam Homerus innuit, ad hæc aſtronomiæ & arithmeticæ periti. Diſtat Tyrus a Sidone ſtadiis ducentis non amplius.* Et Lib. I. pag. 40. *Sidonem principem ſcilicet Phœniciæ urbem*: ubi plures Sidonis laudes ex Homero recenſet, ut etiam Herodotus ex eodem Homero, Lib. II. numero 116. Pomponius Mela Lib. I. cap. XII. *Et adhuc opulenta Sidon, antequam a Perſis caperetur, maritimarum urbium maxima.* Q. Curtius Lib. IV. rerum Alexandri, cap. 11. *Sidona urbem vetuſtate, famaque conditorum inclytam.* Achilles Tatius Lib. I. de Clitophontis & Leucippes amoribus, initio: *Sidon Phœniciæ princeps civitas, Thebanorumque generis origo, in Aſſyrii maris littore poſita eſt: geminum ea portum amplo admodum ſinu, verum aditu anguſto, maris aquam ſenſim accipiente, complectitur: ubi enim dexterum ſinus latus curvatur, aditus illic alter patet, per quem aqua rurſum illabitur: itaque portus portui adiungitur, ut in illo hieme, æſtate in hoc tutam naves habeant ſtationem.* Iuſtinus Lib. XVIII. *Phœnices terræmotu vexati, relicto patrio ſolo, Aſſyrium ſtagnum primo, mox mari proximum littus incoluerunt, condita ibi urbe, quam a piſcium ubertate, Sidona appellarunt: nam piſcem Phœnices ſidon vocant.* Verum a Sidone potius filio Chanaan pronepote Noe, Geneſ. x. verſ. 15. nomen accepiſſe, Ioſephus, & plurimi alii ſunt auctores, & par eſt credere. Nec placet, quod aliqui volunt, Tzidon dictam a ציד *tzaiid, venatione, annona, eſca, viatico, commeatu*, quod hæc urbs plurimum negotiationibus, & commerciis valuerit. Beniamin pag. 36. *Hinc a Beryto unius diei confecto itinere in Siiadam, quæ olim Sidon, urbem magnam veni, ubi Iudæi viginti erant.* Iacobus Vitriacus in Hiſtoria Ieroſolymitana, cap. XXVII. *Eſt autem Sidon in provincia Phœniciæ, inter Tyrum eiuſdem metropolim, & Berytum, ſupra maris littus ſita, arboribus fructiferis & vineis, ſilvis & agris paſcualibus, & frugiferis multam civibus præſtans commoditatem.* Brocardus: *Ab eo loco*, nempe Sarepta Sidoniorum, *ſunt tres leucæ ad Sidonem magnam Phœnicis urbem: licet & ipſa pro magna parte in ruinis hodie iaceat. Situs eius eſt fere ſub Antilibano, habens hinc & hinc caſtra natura & arte munita: nam unum ad aquilonem urbis extructum eſt in rupe maris, idque a peregrinis, qui ex Teutonia illuc venerunt. Aliud verſus auſtrum eſt collocatum, quod milites templi una cum alio caſtro, & civitate inhabitant. Adiacens terra fertilis eſt, producitque cannas mellis. Mons Antilibanus diſtat a Sidone, una leuca ad orientem ultra Sidonem: ad novem leucas eſt Berytus civitas epiſcopalis.* Alter Brocardus de monte Sion: *De Sarepta ad duas leucas eſt Sidon quondam magna civitas, cuius ruinæ adhuc magnitudinem eius atteſtantur, quæ etiam vix crederentur, ſi ſcriberentur. Eſt tamen de ipſis ruinis alia modica civitas ædificata, munita multum, ſi haberet defenſores, & eſt fere tota in corde maris ſita, habens hinc inde duo caſtra munita multum, unum in colle contra campum, aliud in rupe quadam in corde maris, quod ædificaverunt ibi Teutonici peregrini: & modo omnia iſta cum terra adiacente ſub dominio ſunt Militiæ templi: Terra fertilis & amœna, abundans omnibus bonis, & aere ſuaviſſimo: & non vidi locum in terra mihi magis placentem. Antilibanus diſtat ab iſta civitate per leucam & dimidiam. Ultra Sidonem ad novem leucas eſt civitas valde nobilis & antiqua, dicta Berytus.* Eadem omnino habet Anſelmus Minorita: & aſſentiuntur reliqui ſacri topographi: unde merito Dionyſius Alexandrinus in Periegeſi cecinit:

....Florida rura Sidonis.

Vel ut Priſcianus vertit:

....Sidonaque pulchram.

Ut ex his iam facile intelligamus, quo iure Spiritus ſanctus hic *Sidonem magnam*, vel *multam* appellarit. ET AQUAS MASEREPHOD. משרפות מים *miſrephot maiim*, proprie *combuſtiones, aduſtiones, uſtrinas aquarum*. I. Chaldæus, & Hebræo-

bræorum nonnulli *ſalinas* intelligunt, in quibus aquæ ſolis ardore exuruntur, & in ſal concreſcunt. A qua expoſitione non abludunt Vatablus, Marinus, & Maſius. II. *aquas calidas*, *thermas* alii accipiunt, ut Hebræorum aliqui, Sanctes, Forſterus, Leo Iudas, Mercerus, Marinus, Avenarius, Schindlerus, & Hiſpanicus Interpres. III. *fornaces*, ſeu *officinas vitrarias*: ita Immanuel, Iunius, & Maſius. Locus ſane cum hac interpretatione congruit. Strabo, Lib. XVI. pag. 758. *Inter hanc*, Ptolemaidem, *& Tyrum eſt littus arenæ tumulis obſitum, qui vitrariam arenam ferant: eam dicunt hoc in loco non fundi, cum vero Sidonem delati ſint, fuſioni parere. Sunt qui dicant, Sidonios vitrariam arenam habere fuſioni aptam*. Plinius Lib. V. cap. XIX. *Et Sidon artifex vitri, Thebarumque Bœotiarum parens*. Et Lib. XXXVI. cap. XVI. *Sidone quondam iis officinis nobili*. Qua ratione vitrum fundatur ex arenis oſtii amnis Beli, qui in Phœnicia infra montis Carmeli radices, ex palude Cendevia naſcitur, idem Plinius Lib. V. cap. XIX. & Lib. XXXVI. cap. XXVI. Ioſephus Lib. II. Belli, cap. III. Tacitus hiſtoria v. Notant, has fornaces vitrarias fuiſſe terminum occidentalem, & Sidonem ſeptemtrionalem, ut Maſpha, quod ſubditur, orientalem, uſquequo perſecuti ſunt Iſraelitæ hoſtes fugientes, ut appareat quam longe lateque ſparſerit Ioſue ſtragem Chananæorum.

V. 10. REVERSUSQUE STATIM CEPIT ASOR. Hebr. *Et reverſus eſt Iehoſuagh in tempore ipſo, & cepit Hazor*. Videtur hic verſus confirmare ſententiam illam Euſebii, & S. Hieronymi, Hazor in terra Philiſthinorum fuiſſe: nam profligatis hoſtibus verſus orientem, ſeptemtrionem, & occidentem, revertitur imperator iam verſus meridiem ad expugnandam Hazor Philiſthinorum metropolim. Alii volunt prælium editum ſupra Hazor Galilææ verſus aquilonem, ut inde recte dici poſſit revertiſſe Ioſue ad capiendum Hazor. ET REGEM EIUS PERCUSSIT GLADIO. Intellige, vel iam antea percuſſerat in ipſo prælio, ſupra verſ. 8, vel qui ſcilicet ad eam ſe ex prælio receperat, aut alium quem nuper ſuffecerant in locum demortui. ASOR ENIM ANTIQUITUS INTER OMNIA REGNA HAEC PRINCIPATUM TENEBAT: nimirum non quidem quod maxima & princeps omnium terræ Chanaan, & Palæſtinæ fuerit; ſed omnium proculdubio earum quæ enumerantur ſupra verſ. 1. 2. & 3.

V. 12. SICUT PRAECEPERAT EI MOYSES, Deuteron. XX. verſ. 16. & ſeqq. Sic infra verſ. 15.

V. 13. ABSQUE URBIBUS, QUAE ERANT IN COLLIBUS, ET IN TUMULIS SITAE, CETERAS SUCCENDIT ISRAEL. Hebr. *Tantummodo*, ſeu *verumtamen*, *omnes urbes ſtantes ſuper tumulum*, vel *cumulum*, *earum*, ſeu *ſuum*, non combuſſit eas Iſrael. Varie exponunt. I. *Omnes urbes ſtantes ſuper forte ſuum*, vel *quæ adhuc ſtabant in robore ſuo*; id eſt, quæ adhuc muratæ, munitæ, & integræ manſerant; nec dirutæ, aut ſemidirutæ in ipſa expugnatione fuerant; quaſi dicat: Earum urbium, quibus furor, aut primus impetus pepercit, nulla poſtea conſulto incenſa fuit, præter Haſorem. Aut omnes urbes muratæ, ad diſcrimen earum quæ abſque muris erant. II. *Quæ ſtabant in tumulo ſuo*; hoc eſt, quæ ſuos adhuc conſervabant ſitus: quod dictum volunt propter oppida, pagos, villas, turres, & alia ædificia, quæ credibile eſt, ſparſim per agros incenſa, vaſtataque fuiſſe, vel ab hoſtibus, commoditatis omnis Iſraelitis, avertendæ conſilio, vel ab ipſis Iſraelitis. III. *Verumtamen nullam eorum civitatum, quæ manſerunt, cum aggere ſuo combuſſit Iſrael*; id eſt, quæ obſidionem quidem expectarunt, ſed antequam aggeres vi deiicerentur, ſe dediderunt, ex lege Deuteron. XX. verſ. 10. Recte quidam annotant hic תל *tel*, id eſt *tumulus*, non tam aggerem, ſeu colliculum, quales muniendis urbibus facere ſolent, ſignificare: quam ſoli, & ſitus eminentiam, ſeu aream, quæ oppido extruendo deligi, aut parari conſuevit, ut diſerte ſumitur Ierem. XXX. 18. *Et ædificabitur civitas in tumulo ſuo*. Hiſpanicus interpres: *Empero*, vel *ſolamente todas las ciudades que eſtavanenſus cabeços*, id eſt *Aſſentadas en lugares altos*, *fuertes*: ſecutus recte eſt Noſtri ſenſum.

V. 16. ET MERIDIANAM, TERRAMQUE GOSEN. Haud abſurde hic reddamus: *Et omnem terram torridam*, *arentem*,

tem, ſiticuloſam, & omnem terram pluvioſam: nam גושן *goſchen*, *pluvioſam* & נגב *negheb aridam* ſignificat. Vide ſupra cap. x. verſ. 40. & 41. MONTEMQUE ISRAEL. Infra verſ. 21. diſtinguuntur mons Iuda, & mons Iſrael: de quibus ibi dicemus.

V. 17. ET PARTEM MONTIS QUAE ASCENDIT SEIR. Heb. *De monte Chalak aſcendente Seghir.* חלק *Chalak* LXX. & alii nomen proprium montis iuxta Sehir intellexerunt. Euſebins, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Abalach mons, quem Aquila interpretatur dividentem montem, & Symmachus, lævem montem, id eſt limpidum, ſive lubricum.* Noſter, *montem partis*, nempe per hypallagem, partem montis expoſuit: quod Hebræis verbum חלק *chalak*, eſt *partire*, & *diſpertire*, & חלק *chelek*, *pars*, *portio*. Plerique appellative accipiunt, *De monte glabro*, *leni*, *lævi*, *lubrico*, *aſcendente*, vel *qui ſurſum porrigitur verſus Seghir*, aut *qui aſſurgit*; vel metonymice, *quo aſcenditur. in*, *verſus*, *Seghir*. Notantque dici *montem glabrum*, quod totus ſit glabretum, ſive calvetum, id eſt ſine arboribus; per antitheſim ad Sehir, qui appellatus eſt quaſi hiſpidus, hirſutus, comans, ſive comoſus a ſilvis, & arboribus, quibus abundat. Quidam exponunt: *Montem glabrum*, quem incoluit Iacob, qui ſe glabrum nominavit, Geneſ. xxvii. 11. Ridicule. Neque enim uſpiam legitur habitaſſe Iacob. Notum eſt, & Sehir, & Chalak, utrumque fuiſſe Idumææ, & Idumæam ab auſtro promiſſam terram terminare. Aliqui reddunt: *A monte diſpertito*, vel *a monte diviſionis*, ſeu *diviſo*: fortaſſe quod in duas partes diſpertitus, & diviſus eſſet; aut quod pars diſſecta eſſet montis Sehir. De Seir diximus in Geneſ. xiv. verſ. 6. USQUE BAAL GAD. Accuratiſſime divinus auctor *Baal-Gad* alterum terminum aquilonarem promiſſæ terræ deſcribit. Aitque *Baal-Gad* ſitam fuiſſe in valle, ſeu planitie Libani, ad radices montis Hermon. Et recte quidem notant non verſus occidentem ſeu Sidonem, ſed verſus orientem & Mitzphah extitiſſe, ut e verſ. 3. & 8. ſupra, & cap. xiii. 5. infra colligitur. Imperite Biniamin pag. 34. *Gebal* eamdem eſſe quæ *Baal-Gad* ſub Libano monte, affirmat: cum Gebal perſpicue diſtinguatur a Baal-Gad, infra cap. xiii. verſ. 5. de qua etiam vide cap. xii. verſ. 7. Mirum quod Chaldæus, & alii, *Baal-Gad*, exponant *planitiem Gad*; cum nihil planitiei aut campo cum themate *Baghal* commune eſſe videatur. Ceterum nominis בעל-גד *Baghal-Gad* rationem, vix eſt ut elucidare poſſimus: divinabimus tamen. Vel *dominus*, *potiens*, *coriandri*; fortaſſe quod in ea urbe eſſet copioſus coriandri proventus. Aut *dominus turmæ*; quod ibi eſſent turmæ latrocinantium, aut graſſatorum, vel cunei levis armaturæ. Sive *deus excurſor*, id eſt *Mars Gradivus*; forte quod ibi coleretur, aut ædem haberet. Sicut *Bahal-Phegor*, *Priapus*, *Bahal-Zebub*, *Myodes*.

V. 18. MULTO TEMPORE PUGNAVIT IOSUE, &c. Ioſephus: *Iamque quinto huius belli anno exacto, Chananæorum nemo ſupererat, niſi qui in loca munitiſſima confugerant.* Rectius Hebræi, & plerique noſtrorum ſeptennale hoc bellum faciunt, ex ætate Caleb, quæ infra cap. xiv. verſ. 7. & 10. ponitur. Nam Caleb ait ſe miſſum exploratorem a Moſe quadrageſimo ætatis ſuæ anno; & tunc exactis a Ioſue Chananaicis bellis, affirmat ſe iam eſſe octoginta quinque annorum, & ab ea miſſione elapſos iam quadraginta quinque annos: conſtat autem Iſraelitas poſt miſſos exploratores anno ſecundo egreſſionis ex AEgypto, triginta octo annos vagatos in deſerto; & Ioſuam anno quadrageſimo primo exodi ineunte tranſiſſe Iordanem, & cœpiſſe bella Chananaica. Ergo ſi de 45. demantur 38. remanent fere ſeptem, quibus Ioſue omnia bella Chananaica confecit.

V. 20. DOMINI ENIM SENTENTIA FUERAT, UT INDURARENTUR CORDA EORUM. Hebr. *Quia de ad* IHUH *fuit* hæc res, *ad obtinere cor eorum.* Geminatio præpoſitionis, *de ad Dominum*, vel *a cum Domino fuit*, non caret emphaſi, ad indicandum magnas, & occultiſſimas rationes divinæ providentiæ ad obdurandam, & evertendam hanc impiam nationem. Varie reddunt. 1. *Quia a Iehovah fuit hoc ut induraret cor eorum*; 2. *Quia a cum Domino fuit ad corroborandum cor eorum*; 3. *Siquidem a Domino hoc fuit, qui confortabat cor illorum*; 4. *Quia a Domino erat ut obfirmarent cor ſuum*; 5. *A Iehova enim fuit, quod obfirmabant cor ſuum.*

Vide

Vide ſimilem locutionem Exodi IV. verſ. 21. ET PUGNARENT CONTRA ISRAEL. Hebr. *in occurſum belli ad Iſrael*. Quidam, *ad vocandum, ciendum, bellum adverſus Iſraelem*. Alii, *ut bello reſiſterent Iſraeli*. Nonnulli, *ad occurrendum bello Iſraeli*. Nec deſunt qui, *imminente bello cum Iſraelitis*. ET NON MERERENTUR ULLAM CLEMENTIAM. Hebr. *Ut nequaquam eſſet eis gratia*, vel *nec fieret illis gratia*. Quidam: *Abſque eſſe illis gratiam*; id eſt, abſque ulla gratia. Alii: *Ut non eſſet illis ulla gratia*. Poteſt verti: *Ut nequaquam eſſet illis deprecatio, oratio, ſupplicatio*; id eſt, ut nullus eis locus ſupplicationis ad impetrandam pro ſe gratiam, aut veniam relinqueretur.

V. 21. ENACIM. De *Enacim* plura nobis iam ad Numer. XIII. verſ. 34. ANAB. Hebr. ענב *Ghanab*. Euſebius, & S. Hieronymus in locis: *Anab civitas quam expugnavit Ieſus: & eſt uſque hodie villa iuxta Dioſpolim, quaſi quarto milliario ad orientalem plagam, quæ vocatur Betboannaba. Plerique autem affirmant in octavo ab ea milliario ſitam, & appellari Bethannabam*. Et inferius: *Anab in tribu Iuda, nunc uſque vicus in finibus Eleutheropoleos*. Sic dictam quidam volunt ab Ghanub viro quodam de tribu Iuda, I. Paralipom. IV. verſ. 8. niſi ma vis ab uvis appellatam, quod forſan is tractus præſtantium uvarum eſſet ferax. DE OMNI MONTE IUDA ET ISRAEL. Supra verſ. 16. facta eſt etiam mentio montis Iſrael. Hinc quidam exiſtimant ab Eſdra, vel alio auctore ſacro hunc Librum vel primum compoſitum, vel reconcinnatum ex ſacris annalibus qui in templo ſervabantur, cum hic diſerte ſatis indicetur, Hebræorum regnum in duo iam diſſectum, Iudæ, & Iſrael; quod non niſi longo tempore poſt mortem Ioſue, ſub Roboam contigerit. Ergo montem Iſraelis intelligunt loca illa montoſa quæ circa Samariam, ac Sichem, ſeu Neapolim, & omnino per illum tractum poſita erant, quæ decem tribus poſt ſeceſſionem ſub alio rege, & nomine Iſraelis, obtinebant. Montem vero Iuda accipiunt omnem regionem montoſam quæ manſit regibus Iudæ, vel omnes montes illos qui in ea Palæſtinæ parte uſquam ſunt, quæ ab Ieruſalem ad auſtrum iacet. Quidam montem Iſraelis exponunt montem illum quem Iacob ait Gen. XLVIII. verſ. 22. tuliſſe ſe de manu Amorrhæi iure belli; dici autem montem Iſraelis, id eſt Iacob, qui cognominatus eſt Iſrael. At Iacob de Sichem, & agro eius procul dubio loquitur, de qua Beniamin pag. 39. *Sichem in monte Ephraim, iacetque urbs in profunda valle inter Garizim & Hebal montes*. Et certum eſt propinquiſſimum habuiſſe montem Garizim. Alii montem Iudæ, interpretantur Hebronem, quæ erat in montanis Iudææ fortis, ubi plurimum habitavere enacim, ſeu gigantes, Numer. XIII. verſ. 23. & infra cap. XIV. verſ. 12. montem vero Iſraelis, reliqua montana Iſraelis, quo tutum ſibi fore perſugium ab Iſraelitis putaverant, cum ex ſuis ſedibus abiviſſent, expulſi a tribulibus Iehudæ. Ut *Iſraelis* ſit dictum ſynecdochice, pro eo quod eſt ex Iſraelitarum reliquorum agro. Hanc interpretationem aliis præferimus.

V. 22. GETH. Hebr. בגת *in Gath*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Geth, in hac gigantes, qui vocabantur enakim, & Philiſthinorum accolæ permanſerunt. Oſtenditur vicus in quinto milliario ab Eleutheropoli euntibus Dioſpolim*, ſeu Lyddam. Et infra: *Getha, ad quem locum tranſtulerunt arcam teſtamenti de Azoto: nunc vicus grandis vocatur Githam, inter Antipatridem & Iamniam*. Iacobus Vitriacus in Hiſtoria Ieroſolymitana, cap. LXI. *Geth non longe a Lydda, & Ramula, in colle aliquantum edito fuit ſita: ex lapidibus autem eius, quæ dudum vaſtata fuerat, tertius rex Ieroſolymorum Fulco in eodem colle præſidium, cui nomen Ibelim, ædificavit, tradens illud cuidam viro nobili Balliano*. Brocardus: *Et a Ioppe quatuor numerantur leucæ uſque in Geth, quæ olim una fuit de principalioribus civitatibus Philiſthinorum: ſed nunc parvum eſt caſale, vocaturque Ibilim in colle ſitum*. Ioſephus Lib. V. Antiquit. cap. I. alias III. & Lib. IX. cap. XI. Gittam, & Iamniam tamquam vicinas, & finitimas coniungit. De Iamnia Strabo Lib. XVI. pag. 759. *Iamnia Azoto, & Aſcalone diſtat ducentis fere ſtadiis*. Et paulo ſuperius: *Locus hic adeo hominibus abundavit, ut ex Iamnia proximo vico, & circumvicinis habitationibus, quadraginta hominum millia armarentur*. Sed de Iamnia dicemus plura infra cap. XV. verſ. 11. Geth fuiſſe Anthedonem Plinii Lib. V. cap. XIII. & Pro-

Ptolemæi Lib. V. cap. XVI. nonnulli ſuſpicantur: quod non reor, cum Anthedon auſtralior ponatur ipſa Geth. Deſcribunt ipſam Geth recentiores ſacri topographi, quam ſolide, ac fideliter ipſi viderint. Nomen habere videtur ab optimis vini torcularibus & prælis quæ in ipſa eſſent. ET AZOTO. Hebr. *Aſdod*. Qua ratione factum fuerit ut pro *Aſdod* Hebraico, dictum ſit Græcis, & Latinis *Azotus*, cauſam perquirit Antonius Nebriſſenſis in Quinquagena, cap. III. & reddit quod Græcis Z littera, tantum polleat ac Sd, ſicut e contra pro Ezra, dicimus Eſdras. Verum magis videtur id depravationi vocis tribuendum, ut ſolent plerumque voces Hebraicæ apud alienas linguas luxari: nam etiam in Aſdod ultimum d, tranſmutarunt in t. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Aſdod in ſorte tribus Iudæ, quæ nunc vocatur Azotus, in qua derelicti ſunt gigantes, qui appellabantur enakim: & eſt uſque hodie inſigne oppidum Palæſtinæ*. Et paulo inferius: *Azotus, quæ Aſdod, uſque hodie non ignobile municipium Palæſtinæ, & una de quinque civitatibus Allophylorum: decreta quidem tribui Iudæ, ſed non retenta ab ea, quia nequaquam veteres accolas potuit expellere*. Herodotus Lib. II. num. 157. *Pſammitichus vero in AEgypto quatuor & quinquaginta regnavit annos: per quorum undetriginta magnam Syriæ urbem oppugnavit, donec expugnavit. Hæc eſt Azotos, quæ diutiſſimam inter omnes urbes, quas novimus, ſuſtinuit obſidionem*. Azoti meminere Strabo Lib. XVI. Plinius Lib. V. cap. XIII. Ptolem. Lib. V. cap. XVI. Beniamin pag. 49. *A Iebna* (Iamnia) *tribus peractis leucis, Palmin me contuli, olim Aſdod, ſive Azotum appellatam, Palæſtinorum celeberrimam quondam urbem, nunc vero dirutam*. Ab Azoto verſus auſtrum diſtare Aſcalonem quatuor leucis, & Gazam ſex, Brocardus annotavit. Iacobus Vitriacus in Hiſtoria Ieroſolymitana, cap. XLI. *Inter Aſcalonem autem & Ioppen eſt Azotus, decem milliaribus ab Aſcalone, quondam una ex quinque civitatibus Palæſtinorum, diſtans non longe a mari: nunc vero ad modici caſalis redacta eſt parvitatem*. Aſdod (אשדוד *Aſchodod*) appellatio a profluviis, decurſibus, meatibus aquarum, quibus forſan is locus abundabat, ducta videtur.

V. 23. OMNEM TERRAM: ſynecdochice intelligunt, id eſt maximam partem: nam non omnem omnino Chananæam tum ſubactam a Ioſua, perſpicue videbimus infra cap. XIII. verſ. I. & 2. multis aliis Scripturæ locis. SECUNDUM PARTES. Hebr. *in partitionibus, diſtributionibus eorum*: nimirum, ut cap. XV. & ſeqq. terram per tribus diſtribuet. QUIEVITQUE TERRA A PRAELIIS. Verbum שקט *ſchakat* proprie eſt *quievit, tranquilla fuit, manſit in pace & otio*, nullis bellorum procellis agitata: nam qui remanſerant hoſtes, aut urbes nondum expugnatæ, ne mutire quidem adverſus Iſraelitas audebant, aut eis negotium faceſſere, & alioqui Ioſue ceſſavit a bello inferendo. Aliqui ex vocis conſonantia reddunt: *Et terra ſcutata fuit a bello*; id eſt, tamquam ſcuto protecta, & ſecura fuit a bello. Sed id ludere eſt. Non omittam, quod ſcitu dignum, imperatore Ioſue univerſam Chananæam victoriis pervagante, plurimos earum gentium in alienas terras metu eius profugiſſe. Palladius in Lauſiaca, cap. CVI. inquit: *In Amorrhæorum ſpeluncis, quæ ſunt in Iericho, quas olim conſtruxerant fugientes Ieſum Nave, qui tunc populabatur alienigenas, in monte Luca fuit quidam Elpidius, &c.* Procopius Lib. II. de Bello Vand. cap. VII. *Et quando in hunc incidimus ſermonem hiſtoriæ, neceſſe fuerit Mauruſiorum originem repetere, & unde in Africam ab initio venerint. Poſtquam enim Hebræi ex AEgypto reverterunt, atque in Palæſtinæ finibus conſtiterunt, Moſes vir ſapiens, qui eos in itinere ducebat, moritur. Cui Ieſus Nave filius, ſucceſſit, qui & in Palæſtinam populum introduxit, ac virtutem ſupra hominis naturam longe oſtendens, regionem habuit, unde gentes evertens, multas civitates facile paravit omnibus inexpugnabilis viſus. Tunc igitur univerſa regio maritima a Sidone uſque in AEgypti fines Phœnica eſt appellata, quibus unus iam dudum imperabat, uti omnes teſtantur, qui antiquam Phœnicum ſcripſere hiſtoriam. Hic populi numeroſi habitavere; Gergeſæi, Iebuſæi, aliaque habentes nomina in Hebræis voluminibus memorata. Qui cum inexpugnabilem conſpexiſſent advenarum exercitum, patrios fines deſerentes in AEgyptum vici-*

nam

Digitized by Google

nam migraverunt ; *ibique numero ac ſobole creſcentes* , *cum non ſatis commodum tantæ multitudini locum inveniſſent* , *in Africam penetravere* , *ubi civitates quamplures babitantes* , *omnem eum tractum uſque ad Herculis columnas tenuerunt*, *Semiphœnicia lingua ac dialecto utentes*. *Oppidumque Tingen ſitu muniſſimum in Numidia ædificaverunt*: *ubi duæ ex albo lapide columnæ prope magnum * conſtitutæ*, *in quibus Phœnicum lingua litteræ inciſæ ſunt huiuſmodi*: *NOS A FACIE FUGIMUS IESU PRAEDONIS FILII NAVE*. *Hi demum*, *quod nulli ſint eis antiquiores*, *Africæ indigenæ dicuntur eſſe*. Hæc Procopius. Eadem ex ipſo deſcripſere Evagrius Lib. IV. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ , cap. XVIII. Nicephorus Lib. XVII. cap. XII.

* Ita Ms. videtur aliquid deeſſe: adhibita omni opera non potui videre originale.

MENOCHII.

Verſ. 2. REGES QUOQUE AQUILONIS, QUI HABITABANT IN MONTANIS, in iugis Libani, qui eſt in aquilonari parte Iudææ, ET IN PLANITIE CONTRA MERIDIEM CENEROTH. *Cenereth* eſt urbs, quæ poſtea dicta eſt Tiberias , iuxta lacum qui in Scriptura dicitur mare Tiberiadis, & mare Cenereth Numer. XXXIV. & Deut. III. & mare Geneſareth Marc. VI. 53. & alibi. Dicitur hic *Ceneroth* in plurali , vel per enallagen numeri, vel quod eſſent duæ Cenereth; vel ut non ſolum lacui adiacentes agri ſignificarentur, ſed etiam paulo remotiores. DOR. *Dor* ab antiquis dicta Dorus, vel Dorum , vel Dora, meminit Stephanus de Urbibus, Ptolomæus, & Plinius, Lib. V. cap. XIX. IUXTA MARE. In Hebræo eſt *a mari*, quod idem eſt ac ab occidente.

V. 3. AD RADICES HERMON, qui mons eſt pars Libani. Alius eſt etiam Hermon mons apud torrentem Ciſſon, non procul a Gelboe. IN TERRA MASPHA. *Maſpha* ſpeculum ſignificat; plures autem loci ſic appellantur in Scriptura ; Hæc de qua nunc eſt ſermo, in Libano fuiſſe videtur.

V. 4. MULTUS NIMIS, admodum multus. SICUT ARENA QUAE EST IN LITTORE MARIS: hyperbole . EQUI QUOQUE ET CURRUS IMMENSAE MULTITUDINIS : in Hebr. & Græco, *multi valde*.

V. 5. AD AQUAS MEROM. Aliqui putant eſſe Iordanis lacum inter illius exortum, & ſtagnum Geneſareth. Alii has aquas duodecimo lapide a Samaria diſtare putant.

V. 6. HAC EADEM HORA . Hebr. *in tempore boc*. SUBNERVABIS: nervos incides, pedum ſcilicet, & crurum . LXX. dicunt νευροκοπεῖν. CURRUS , falcatos , aut alio modo ad bellum inſtructos.

V. 8. USQUE AD SIDONEM MAGNAM . Nota urbs in ora maris mediterranei AQUAS MASEROPHOTH. Maſius vertit, *uſtrinas aquarum*; alii, *combuſtiones aquarum*. Volunt aliqui has fuiſſe ſalinas; alii calidarum aquarum ebullitiones; alii fuiſſe vitrarias fornaces, quam ſequitur ſententiam Serarius, propter quaſdam coniecturas, quas apud ipſum lege. CAMPUMQUE MASPHAE. De Maſpha dixi num. 3,

V. 12. OMNES PER CIRCUITUM CIVITATES. Ex Libris tamen Regum ſcimus ſub Davide, & Salomone , quædam Chananæorum loca primo in ditionem Hebræorum veniſſe. Senſus ergo noſtri textus eſt, omnia expugnaſſe Ioſue quæ oppugnavit ; vel omnia cepiſſe dicitur , non quo ad ſingula, ſed quo ad maximas, & generales eius partes, verbi gratia montanam , meridianam, &c.

V. 20. UT INDURARENTUR CORDA EORUM. Indurationis cauſa directe, & per ſe eſt homo, qui ſuapte ſponte , prorſuſque libere divinis inſpirationibus acquieſcere non vult. Deus vero indirecte tantum, improprie, & per accidens, cauſa eſt , quia ſcilicet indurationem illam permittit.

V. 21. INTERFECIT ENACIM, gigates, poſteros Enac.

V. 23. TRADIDIT IN POSSESSIONEM FILIIS ISRAEL. Hoc poſtea factum eſt infra.

TIRINI.

Verſ. 4. POPULUS MULTUS NIMIS. Ioſephus dicit fuiſſe *peditum myriades triginta*, ſeu trecenta millia; *equitum unam myriadem*; *curruum* falcatorum, & armatis gravidorum *duas myriades*.

V. 6. EQUOS EORUM SUBNERVABIS; hoc eſt, inciſis crurum nervis, quaſi vinculis diſſectis, prorſus inutiles reddes: quod latine dici ſolet, *ſubpernare*, vel *ſuffraginare equos*.

Petes: Quare noluit Deus Iſraelitas uti his equis, ne quidem ad divendendum aliis, & pretium inde conflandum? Reſpondeo primo, ne equis ad bella percommodis, utpote generoſis, & pugnacibus (de quo vide Lipſium) paulatim confiderent Iudæi, & his potius quam Deo victorias ſuas adſcriberent. Secundo, ne ſi eos Chananæis, aut aliis vicinis hoſtibus revenderent, ab iiſdem nova rurſus damna acciperent. Et has etiam ob cauſas iubet hic Deus currus omnes bellicos, ſeu falcibus armatos igne comburi. Tertio, voluit Deus ab omni ſuperbia, ferocia, libidine, & ſalacia, quarum ſymbolum eſt equus, Iudæos avocare. Ita Origenes, Theophylactus *a*, & Serarius.

V. 16. MONTEM ISRAEL, id eſt montem Samariæ, qui facta poſtea ſeceſſione decem tribuum a tribu Iuda ſub Ieroboamo, vocatus eſt *mons Iſrael*.

V. 20. DOMINI SENTENTIA FUERAT, UT INDURARENTUR CORDA EORUM. Hebraice eſt, *A Domino erat, ut indurarent cor ſuum*. Quomodo autem non Deus, ſed homo ſeipſum induret & excæcet, contra Calvini blaſphemias fuſe expoſui Exodi VII.

(*a*) Orig. hom. xv. Theoph. in Act. x.

GORDONI.

Verſ. 1. AUctor, & princeps hic contra Ioſue, eſt Iabin, potentiſſimus inter Chananæorum reges hos aquilonares. Iabin Gen. cap. XI. vocatur primogenitus Chanaan.

V. 2. Variatis interdum terminis deſcribuntur regiones Chananæorum. Qui nunc recenſentur aquilonares, pro terminis habent Iordanem, mare mediterraneum, & Libanum. Quod vocatur hic CENEROTH, eſt Geneſar, ſeu mare Tiberiadis.

V. 3. Hevæi incolunt regionem vicinam monti Hermon: ceteri hic recenſentur reges aquilonares.

V. 5. AD AQUAS MEROM hoſtis caſtrametatur. Eſt ſane Chonites lacus, quem Iordanis facit ſupra mare Tiberiadis.

V. 8. Pugnatum eſt ad Merom. Perſequitur Ioſue fugientes uſque ad aquas Maſerephoth. Chaldæus ſalinas intelligit, ubi aqua maris concreſcit in ſal.

V. 10. Regrediens a cæde tanta Ioſue, cepit Aſor deditione, iam percuſſo rege, & omnia occupat quæ hic recenſentur, & finis bello imponitur, verſ. 21. 22. & 23. Aſor erat in Galilæa gentium.

V. 13. ABSQUE URBIBUS QUAE ERANT IN COLLIBUS. Senſus eſt (ut habent editiones Heb. Chal. & LXX.) Verumtamen urbes omnes quæ ſtabant ſuper tumulos ſuos non combuſſit Iſrael, excepta Aſor quam ſolam incendit Ioſue: minus ergo recte Caietanus putavit Hebr. editionem hic pugnare cum Vulgata: at eſt quæſtio de verſ. 19. & 23. ubi Ioſue omnia cepiſſe dicitur: ſenſus eſt, expugnaſſe non tantum præcipua, ſed etiam omnia quæ aggreſſus eſt. Nam alioquin ex libris Regum conſtat pleniorem poſſeſſionem terræ promiſſæ contigiſſe ſub Davide, & Salomone: item ex lib. Iud. cap. 1. & 11.

V. 16. MONTEM ISRAEL: videtur prolepſis, nondum enim ſic vocabatur. Ibi poſtea Samaria. Goſen putatur regionis partem amplam deſignare, gregibus paſcendis aptam. Seir Idumæorum montes deſignat. Hermon, & Libanus, noti montes.

V. 18. At quid eſt illud, MULTO TEMPORE PUGNAVIT IOSUE, nempe a tranſitu Iordane uſque ad finem belli? Sane in Chronologia ad annum mundi 2530. numeravi quinque annos bellorum, ſcilicet uſque ad κληρουχίαν, ex Ioſue cap. XIV. ver. 7. 10. & 13. Ita Ioſephus. Et qui dant ſeptennium, labi poſſunt ex fractionibus annorum, nec recte numerant biennium ſolitudinis. Vide quæ dixi Num. cap. XIII. & hic infra cap. XIV. verſ. *6*.

V. 19. NON FUIT CIVITAS, quæ pacifice, & ſponte ſe traderet.

V. 20. DOMINI SENTENTIA. Ex decreta permiſſione, ſeu negatione efficacis gratiæ ſequi poteſt infallibiliter peccatum: quod tamen Deus ex ſolo hoc decreto non certo ſcit, ſed aliter.

Ex

Ex Eiusdem Auctario.

V. 8. Sidon in ora mediterranei maris. Maſpha ſignificat ſpeculum: locus eſt ad Libanum.

V. 23. Cepit ergo Iosue omnem terram, Quomodo omnia acceperit, dixi verſ. 13. Quod eſt hic de tradita poſſeſſione, poſtea factum eſt.

CAPUT XII.

Numerantur reges 31. citra & ultra Iordanem, quos percuſſerant Moyſes & Ioſue.

1. HI ſunt reges quos percuſſerunt filii Iſrael, & poſſederunt terram eorum trans Iordanem ad ſolis ortum, a torrente Arnon uſque ad montem Hermon, & omnem orientalem plagam quæ reſpicit ſolitudinem. 2. Sehon rex Amorrhæorum, qui habitavit in Heſebon, dominatus eſt ab Aroer, quæ ſita eſt ſuper ripam torrentis Arnon, & mediæ partis in valle, dimidiæque Galaad, * uſque ad torrentem Iaboc, qui eſt terminus filiorum Ammon. 3. Et a ſolitudine uſque ad mare Ceneroth contra orientem, & uſque ad mare deſerti, quod eſt mare ſalſiſſimum, * ad orientalem plagam per viam quæ ducit Bethſimoth: & ab auſtrali parte, quæ ſubiacet Aſedoth, Phaſga. 4. Terminus Og regis Baſan, de reliquiis Raphaim, qui habitavit in Aſtaroth, & in Edrai, & dominatus eſt in monte Hermon, & in Salecha, atque in univerſa Baſan, uſque ad terminos 5. Geſſuri, & Machati, & dimidiæ partis Galaad: terminos Sehon regis Heſebon. 6. Moyſes famulus Domini, & filii Iſrael percuſſerunt eos, tradiditque terram eorum Moyſes in poſſeſſionem Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſe. 7. Hi ſunt reges terræ, quos percuſſit Ioſue, & filii Iſrael, trans Iordanem ad occidentalem plagam, a Baalgad in campo Libani, * uſque ad montem cuius pars aſcendit in Seir: tradiditque eam Ioſue in poſſeſſionem tribubus Iſrael, ſingulis partes ſuas, 8. tam in montanis quam in planis atque campeſtribus. * In Aſedoth, & in ſolitudine, ac in meridie Hethæus fuit & Amorrhæus, Chananæus & Pherezæus, Hevæus & Iebuſæus. 9. Rex Iericho unus: rex Hai, quæ eſt ex latere Bethel, unus: 10. rex Ieruſalem unus, rex Hebron unus, 11. rex Ierimoth unus, rex Lachis unus, 12. rex Eglon unus, rex Gazer unus, 13. rex Dabir unus, rex Gader unus, 14. rex Herma unus, rex Hered unus, 15. rex Lebna unus, * rex Odullam unus, 16. rex Macedo unus, rex Bethel unus, 17. rex Taphua unus, rex Opher unus, 18. rex Aphec unus, rex Saron unus, 19. rex Madon unus, rex Aſor unus, 20. rex Semeron unus, rex Achſaph unus, 21. rex Thenac unus, rex Mageddo unus, 22. * rex Cades unus, rex Iachanan Carmeli unus, 23. rex Dor, & provinciæ Dor unus, rex Gentium Galgal unus, 24. rex Therſa unus: omnes reges triginta unus.

BRU-

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 2. *Uſque ad torrentem Iaboc*. Non mutes *Iaboc*, cum *Ieboc*, vocalem primam cum ſecunda. Simile Iudicum XI. 13. 22.

V. 3. *Ad orientalem plagam*. Nequaquam ſcribendum eſt *occidentalem* pro *orientalem*, id eſt deorſum pro ſurſum.

V. 7. *Uſque ad montem cuius pars aſcendit in Seir*. Non addas vel *Libani*, vel *Hermon*, quod multi codices (*Uſque ad montem Libani*) corrupte.

V. 8. *In Aſedoth, & in ſolitudine*. Cave ne *Aſedoth* mutes in *Aſeroth*, id eſt *d* in *r*, mutam in liquidam.

V. 15. *Rex Odullam unus*. Scribendum eſt vocali quarta *Odullam*, vel *Odollam*, iuxta antiquos codices, non *Adullam* prima vocali, quamvis Hebræa & iſtud patiantur.

V. 22. *Rex Cades unus*. Alii legunt *Cedes*: utrumque permittunt Hebræa.

Notatio.

Verſ. 7. Hebraice legitur ועד ההר החלק העלה שעירה quod eſt, *Et uſque ad montem levem aſcendentem in Seir*. Vulgatus Interpres reddidit: *Uſque ad montem, cuius pars aſcendit in Seir*: quod enim alii legunt חלק, & *glabrum*, ſive *levem* interpretantur; ipſe legit חלק, & *partem* reddidit non hoc tantum loco, verum etiam ſuperioris capitis verſu 17. Chaldæus expoſuit, *montem diviſum*. LXX. ipſam vocem Hebraicam retinuerunt, ἀλὸχ, vel, ut Maſii editio habet, ἀχλὰχ, ſive ἀλὰχ. Quod autem in aliis Latinis exemplaribus additur *Libani* (*Uſque ad montem Libani, cuius pars &c.*) ſuperfluere non ſine ratione cenſetur. Primum quod in multis codicibus Latinis non reperiatur, quinque Pariſienſium, quinque Hentenii, octodecim noſtris. Deinde quod a libris Hebraicis, Græcis, & Chaldaicis non agnoſcatur, & Toſtatus legiſſe non videatur. Demum quod a manifeſta veritate reiiciatur. Hic enim Chananæa in Ioſue poteſtatem redacta narratur: & ad id demonſtrandum termini longitudinis eius (latitudine enim exigua eſt) deſcribuntur: unus verſus aquilonem, Baal-gad, qui fuit, aut planities in campeſtribus, ſeu valle Libani, aut, quod vero ſimilius putatur, pars montis Libani; alter verſus auſtrum, Mons glaber aſcendens in Seir (id eſt qui ſurſum porrigitur verſus Seir) qui, ſi & ipſe ad Libanum pertinuit, id quod lectio illa ſignificat, Libanus coniunctus, aut vicinus fuit monti Seir: ſed id fieri non potuit, niſi mediam vel ſecuerit, vel cinxerit Chananæam, id quod verum non eſt. Iugulandum itaque videtur, quod aliis libris additur, τὸ *Libani*: id quod ſane D. Hentenius, & Pariſienſes Bibliorum ſuorum textibus expulerunt. Eaſdem ob cauſas transfodiendum videtur, quod alii legunt *Hermon*: nam Trilinguis Collegii ſcriptum habet: *Uſque ad montem Hermon cuius pars aſcendit in Seir*. Hermon enim pars eſt Libani, & quidem affinis Baal-gad, quod ex capitibus Ioſue XI. 17. & XIII. 5. perſpicuum eſt. Verum enim vero obſervatum a nobis eſt in exemplaribus noſtris antiquioribus, & emendatioribus pleriſque addi τὸ *Libani*: id quod & Epanorthotes in ſuis codicibus animadvertit: „ Antiqui, inquit, bis habent *Libani*: Hebræus cum Græco tantum habet illud quod primo poſitum eſt. In libro autem qui correctus dicitur, ſcriptor unum abſtulit, & Corrector aliud de minio ſubtus lineavit.“ Hæc Epanorthotes. Sunt tamen non contemnendæ fidei, & antiquitatis exemplaria, a quibus poſterius iſtud *Libani* omittatur, inter quæ eſt præſtantiſſimus Lobienſis Cœnobii codex anno a Dominica incarnatione 1084. ſcriptus.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. TRANS, ſcilicet reſpectu caſtrorum Ioſue. OMNEM ORIENTALEM, &c. Loco horum omnium, ſolum eſt Hebr. *omnem planitiem orientalem*.

V. 2. MEDIAE PARTIS, ſcilicet dominus erat.

V. 3. CENEROTH, id eſt Geneſareth.

V. 4. TERMINUS, ſcilicet fuit ſub ditione Iſrael. ASTAROTH. Hic dicitur Iob habitaſſe.

V. 22.

V. 22. CARMELI; id eſt, quæ iuxta Carmelum.

V. 23. GENTIUM. Hebr. *Goim*. Forte eſt nomen proprium. GALGAL, id eſt in Galgal, vel iuxta Galgal.

ESTII.

Verſ. I. HI SUNT REGES QUOS PERCUSSERUNT FILII ISRAEL. Nuſquam in tota hac hiſtoria legitur, aliquos metu Iſraelitarum proſugiſſe e Palæſtina in alienas terras: at neque liber Sapientiæ tale aliquid memorat. Quare utrum factum ſit, dubitari poteſt. Interim refert ex Procopio Evagrius Lib. IV. Hiſt. Eccleſ. cap. XVIII. Mauriſios gentem Lybiæ, eiectos Palæſtina in Lybiam demigraſſe, quo tempore Ioſue cum ſuis Hebræis eam terram invaſit. Idque probat ex epigrammate, quod litteris Phœnicum duabus columnis eius regionis inciſum legiſſe ſe dicit huiuſmodi: *Nos ſumus qui a facie Ioſue latronis, filii Nave, fugimus.*

V. 23. REX GENTIUM GALGAL UNUS. Pro *gentium*, quidam vocem Hebræam *Gobim* relinquunt, quaſi ſit nomen proprium urbis, aut loci, ſit in, vel iuxta Galgal. Idem fecerunt Septuaginta Interpretes. Verum quia loci ipſius ſit nominatio in ſequenti vocabulo Galgal, melius videtur appellative ſumi, *Gobim*, in notiſſima civitate gentium, ut ſit ſenſus: Rex gentium ad Galgal habitantium unus. Et ideo forte de illo rege ſic loquitur Scriptura, quod non regnaret in aliqua civitate, ut ceteri, quos memorat; ſed quod populus ei ſubditus ſparſim habitaret circa eam regionem, quæ Galgal dicebatur. Et nota quod Iudicum IV. habetur quoque Haſeroth gentium, forte ſimili quopiam ſenſu.

MARIANAE.

Verſ. I. TRANS IORDANEM. Comparatione Ieroſolymæ id dicitur, aut loci ubi caſtra erant. ET OMNEM ORIENTALEM PLAGAM QUAE RESPICIT SOLITUDINEM. Hebr. *Et omnem planitiem orientalem*: ſolitudinis nulla mentio: id Hieronymus addidit de ſuo, ut magis explicaret: aut *barabah* pro *ſolitudine* ſumpſit, quod ſit verſ. 3. illis verbis, *Uſque ad mare deſerti*, tum aliis locis multis. Earum regionum reges Ioſue cepit.

V. 2. ET MEDIAE PARTIS IN VALLE. Hieronymus ſæpe נחל *nahal* ſumit pro *valle*: itaque ſignificat dimidium vallis poſſediſſe, Hebræi fere ſumunt pro *torrente*, & *medium torrentis*; ſed proprie locum ſignificat, in quem aquæ defluunt.

V. 3. QUAE SUBIACET ASEDOTH, PHASGA. Lege ſemper *Aſedoth*, non *Aſeroth*, ut verſ. 7. Alii vertunt *ſubter effuſiones collis*; alii, *ſubter effuſiones Phaſga*. De quo plura cap. X. verſ. 40. Itaque ea voce intelligunt loca declivia, in quæ aquæ confluunt. Quæ loca omnia ſubiecit Ioſue.

V. 4. & 5. USQUE AD TERMINOS SEHON. Hebr. *terminum*. Septuag. etiam dixerunt, *Uſque ad terminos Sehon*; ſed eſt appoſitive legendum. Galaad vocat terminum Sehon: ſic Pagnin.

V. 7. A BAALGAD. Sic plerique quaſi nomen proprium loci relinquunt. Chald. dixit, *a planitie Gad*. USQUE AD MONTEM, CUIUS PARS ASCENDIT IN SEIR. Alii vertunt, *Uſque ad montem lævem aſcendentem in Seir*. De quo cap. XI. verſ. 17.

V. 20. REX SEMERON. Hebr. additur *Meron*: ſic Chald. Ego ſuſpicabar id additum ad diſtinctionem alterius Semeron non procul Ieroſolyma, quæ dicta eſt *Samaria*. Hæc autem dicitur *Semeron Meron*, quoniam vicina erat aquis Meronis, de quibus cap. XI. verſ. 5. & fortaſſis eſt *Samane*, quæ a geographis ponitur ad radices montis Hermon. Tametſi paulo aliter hic Meron ſcribitur מראון; ſed in libro Maſſoreth error notatur redundare ו *Vau*, ego potius putarem redundare א *Aleph*.

V. 22. REX IACHANAN CARMELI. Hebr. *ad Carmelum*, id eſt urbis prope illum montem ſitæ. Hos omnes Ioſue ſubiecit.

V. 23. REX GENTIUM GALGAL. Hebr. *ad Galgal*. Aut ſic, *Rex gentium*, id eſt hominum, *Galgalis*, ſcilicet qui ea loca obtinebant; ut Lamed ſit nota genitivi. Chald. *Rex populorum ad Ghilgal*.

MAL-

Digitized by Google

MALVENDAE.

Verſ. 1. **A** Torrente Arnon. De eo diximus Numeror. xxi. verſ. 13. Ad montem Hermon. De eo egimus Deuteron. iii. verſ. 8.

V. 2. In heſebon. Hanc urbem explicavimus Numeror. xxi. verſ. 25. Ab Aroer. Eam elucidavimus Num. xxxii. verſ. 34. Galaad. De hoc monte diſſeruimus Geneſ. xxxi. verſ. 48. Uſque ad torrentem Iaboc: de quo ſcripſimus Geneſ. xxxii. verſ. 22.

V. 3. Ceneroth. Vide ſup. cap. xi. verſ. 2. & Numer. xxxiv. verſ. 11. Mare deſerti. Vide ſupra cap. iii. verſ. 16. Betſimoth. De hac diximus Num. xxxiii. verſ. 49. Aſedoth Phaſga. Hunc locum explicavimus Deuter. iii. verſ. 17.

V. 4. In aſtaroth. De hoc loco ſcripſimus Gen. xiv. verſ. 5. In Edrai: de quo vide quæ notavimus Numer. xxi. verſ. 33. Salecha: de qua egimus Deuteron. iii. verſ. 10.

V. 5. Geſſuri, et Machati. Vide quæ de his obſervavimus Deuteron. iii. verſ. 14.

V. 9. Rex Iericho. De Iericho egimus ſupra cap. ii. verſ. 1. Rex Hai: De Hai diximus cap. vii. verſ. 2. Ex latere Bethel. De Bethel fuſe diſſeruimus Geneſ. xxviii. verſ. 19. ſic verſ. 16. inſra.

V. 10. Rex Ieruſalem. Hanc elucidavimus ſupra cap. x. verſ. 1. Rex Hebron. De hac urbe diximus Gen. xiii. verſ. 18. & dicemus infra, cap. xiv. verſ. 15.

V. 11. Rex Ierimoth. De hac vide ſupra cap. x. verſ. 3. Rex Lachis: de qua diximus ſupra cap. x. verſ. 3.

V. 12. Rex Eglon. De hac egimus ſupra cap. x. verſ. 3. Rex Gazer. De iſta diſputavimus ſupra cap. x. verſ. 33.

V. 13. Rex Dabir. De hac dicemus inſra cap. xv. verſ. 15. Rex Gader. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Gadera in tribu Iuda, nunc appellatur villa ad regionem civitatis Æelienſis pertinens, nomine Gadora, circa terebinthum,* ſive Quercum Mamre iuxta Hebron, ubi quondam habitavit Abraham. Quæ ſi vera ſunt, ridiculum eſt exiſtimare, *Gader* eſſe *Gadarim* Strabonis Lib. XVI. pag. 759. cum Gadaris prope Azotum, & Aſcalonem ab Strabone ponatur: aut Gadoram Ptolemæi Lib. V. cap. xv. cum hæc ſit Gadara ultra Iordanem, de qua Polybius Lib. VI. pag. 414. Ioſephus Lib. XII. Antiquit. cap. iii. & Lib. V. Belli, cap. vi. Plinius Lib. V. cap. xviii. & alii. Nomen habere videtur, quod eſſet egregie maceriata, ſepta, ac munita, aut a copia gregum quæ ibi apricaretur. Non fuit *turris Gader*, Geneſ. xxxv. verſ. 21.

V. 14. Rex Hermah. Hebr. *Chormah*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Herma, & hanc Ieſus cepit rege illius interfecto: quæ fuit in ſorte Simeonis, ſive Iuda*. Fuiſſe in extremis finibus meridionalibus ſortis Iudæ, iuxta Idumæam, infra dicitur cap. xv. verſ. 21. & 30. fuiſſe camdem cum ea quæ Numer. xxi. 3. & Iudic. i. verſ. 17. deſcribitur, ex ſitu locorum facile coniectamur. Rationem nominis eiſdem locis habes expreſſam. Rex Hered. Hebr. *Harad*. De hac diximus Numer. xxi. 1. Arad, & Hormah fuiſſe vicinas ex iſto loco, & ex illo Numerorum colligitur. Hunc ipſum regem quidam eſſe putant quem prius Iſraelitæ gravi damno affecerant, ut eo loco Numerorum deſcribitur.

V. 15. Rex Lebna: de qua vide ſupra cap. x. verſ. 19. Rex Odullam. de hac egimus Geneſ. xxxviii. 1. & infra cap. xv. verſ. 35.

V. 16. Rex Maceda: de qua diximus ſup. cap. x. verſ. 10.

V. 17. Rex Taphua. Quidam hanc in eo campo poſitam volunt, qui late ad Eleutheropolim porrectus iacet. Alii Thenam Ptolemæi Lib. VI. cap. xvi. fuiſſe ſuſpicantur. Sed Ptolemæus Thenam Samariticæ regioni tribuit, non procul a Neapoli, ſeu Sichem, cum Taphua fuerit in tribu Iuda, inſra cap. xv. verſ. 34. תפוח *Tappuach* dicta videtur, vel a viro eiuſdem nominis, I. Paralipom. ii. verſ. 43. vel a malis, & pomis, quibus forſitan abundabat; quaſi dicas, *Pometiam*, aut *Pomariam*. Hiſpanice, *Mançanar*. Rex Opher. Hebr. חפר *Chepher*. Hæc infra cap. xix. 13. ponitur in tribu Zabulon. Rationem nominis aliam divinare non poſſumus, niſi forte quod foſſis abundaret, aut in depreſſo aliquo loco ſita eſſet. Terræ,

Digitized by Google

ræ, ſeu regionis Opher, ſeu Chepher fit mentio I. Regum IV. verſ. 10. quamvis hæc alia videatur. Hæc noſtra Chepher, eſt ex qua ortus fuit Ionas Propheta, II. Regum XIV. verſ. 25. *Qui erat de Geth, quæ eſt in Opher*. S. Hieronymus Præfatione Commentariorum in Ionam: *Porro Geth in ſecundo Sephorim milliario, quæ hodie appellatur Diocæſarea, euntibus Tiberiadem haud grandis eſt viculus: ubi & ſepulcrum eius oſtenditur. Quamquam alii iuxta Dioſpolim, id eſt Lyddam, eum & natum & conditum velint: non intelligentes, hoc, quod additur Opher, ad diſtinctionem aliarum Geth urbium pertinere: quæ iuxta Eleutheropolim, ſive Dioſpolim hodieque monſtrantur.*

V. 8. Rex Aphec. Si hæc Aphec eſt illa fortis Iudæ proxima Beth-taphnæ, infra cap. XV. verſ. 53. videtur fuiſſe verſus fines Palæſtinæ euntibus AEgyptum, ut ibi videbimus. Si vero eſt illa tribus Aſer, infra cap. XIX. verſ. 30. Brocardus eam collocat in campo Mageddo, in planitie Galilææ, ſeu campo qui appellatur Sabe, ubi eſt caſtellum Saba, ad cuius occidentale latus, quantum iactus eſt arcus, oſtendebantur ſuo tempore ruinæ Aphec: a qua per unam leucam diſtat verſus orientem urbs Suna, celebris miraculo in vitam revocati pueri per Eliſeum. Vicina videtur fuiſſe urbi Rechob Iudicum I. verſ. 31. & infra XIX. verſ. 30. quæ tantum quatuor milliaribus aberat a Scythopoli, ut annotavimus Num. XIII. verſ. 22. Exponitur, *fortis, robuſta, prævalida*: vel *torrens, vallis, alveus*. Rex Saron. Hebr. לשרון *Laſchſcharon*. Noſter, & plerique alii in *Laſaron*, Lamed ſervile, ſeu articulum eſſe putarunt, unde reddunt, *Rex Saron*. LXX. in pleriſque exemplaribus, Chaldæus, & alii multi *Laſaron* nomen integrum urbis eſſe volunt: quod etiam Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis ſecuti ſunt. Aliqui exiſtimant eſſe eam quæ Actor. IX. verſ. 35. Græce vocatur *Aſſaron*, prope Lyddam, ſeu Dioſpolim. Nec dubito hanc eſſe eam Saron, aut Saronam, quam Euſebius, & S. Hieronymus in Locis ita deſcribunt: *Sed & a Cæſarea Palæſtinæ uſque ad oppidum Ioppe omnis terra quæ cernitur, dicitur Saronas*. Et S. Hieronymus in XXXIII. Iſaiæ: *Saron autem omnis iuxta Ioppen, Lyddamque appellatur regio, in qua latiſſimi campi, fertileſque tenduntur*. Auctor Locorum ex Actis Apoſtolicis: *Sarenas, quod interpretatur campeſtris, regio eſt Cæſarea Palæſtinæ, uſque ad oppidum Ioppe pertingens: & eſt hodie locus paſcendis gregibus aptus*. Brocardus: *Ab Acone quatuor leucarum ſpatio eſt caſtellum Indi, dictum Saron, in montanis ſitum, quod fuit domus fratrum Theutonicorum, ſed modo in ruinis iacet*. Et antea ſcripſerat: *Caſale Lamberti, quatuor leucis ab Aconenſi urbe diſtans, ſub monte Saron, iuxta mare locatum, vineis, aquis, & fluminibus abundans*. Sed multo ſeptemtrionalior videtur hæc Sarona Brocardi, ab illa S. Hieronymi. Aliam Saron inter montem Thabor & Tiberiadem videntur conſtituere S. Hieronymus, & Euſebius in Libello de Locis Hebraicis: de qua dicemus I. Paralipom. V. verſ. 16. Pinguem & fertilem regionem fuiſſe, S. Hieronymus, uti vidimus, affirmat. Nominis etymon videtur eſſe, fortaſſe quod formam thoracis haberet, vel quod pulchra, & ſpecioſa regio eſſet; aut in bonitate, & fertilitate principatum inter alias obtineret: nam eam eo nomine celebrant Salomon Canticor. II. I. & Iſaias XXXV. 2.

V. 19. Rex Madon. De hac diximus ſupra cap. XI. verſ. I. ut etiam de Chatzor, de Simron, Merom, & de Achſaph ſequentibus.

V. 21. Rex Thenac. Hebr. תענך *Thaghanach*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Taanac civitas, quam expugnavit Ieſus, rege illius interfecto. Fuit autem in tribu Manaſſe ſeparata Levitis: & nunc in quarto milliario oppidi Legionis hoc nomine vicus oſtenditur*. Et inferius: *Taanaa civitas, iuxta quam Debbora adverſus Siſaram dimicavit, in tribu Manaſſe, ſeparata Levitis, quam tenere non potuit priſtinis cultoribus nequaquam eiectis. Eſt autem villa nunc prægrandis, diſtans a Legione tribus millibus*. Oppidi Legionis, ſic dicti, quod ibi tenderet Romana legio cuſtodiæ provinciæ impoſita, a quo plerumque Euſebius, & S. Hieronymus in eo Libello locorum terræ ſanctæ diſtantias metiri ſolent, certus ſitus nunc ignoratur, qui tunc erat notiſſimus. Recentiores ſacri topographi illud collocant non longe a Thabor, orientem verſus. Sedem olim epiſcopalem fuiſſe conſtat ex

Tyrio Lib. XXIII. Belli ſacri, extremo. Thaganach prope Mageddo fuiſſe in campo Galilææ, e Iudicum v. verſ. 19. & I. Paralipom. vii. verſ. 29. colligitur: quo ſitu eam Palæſtinæ geographi conſtituunt. Rex Mageddo. Hanc urbem late deſcripſimus in Antichriſto, Lib. XII. cap. viii. Fuiſſe in campo Galilææ prope torrentem Ciſon, a quo dictæ ſunt *aquæ Mageddo*, Iudicum v. verſ. 19. omnes affirmanr. Herodotus Lib. II. numero 159. vocat haud dubie *Magdolum*: tempore Biocardi, id eſt ad annum 1283. appellabatur *Subimbre*. Hebræis ſonat *delicioſam*, opimis pretioſiſque fructibus opulentam. De qua alter Brocardus: *Fertilis ſupra modum vini, ac frumenti, & omnium bonorum quæ gignere ſolet humus, & aere ſaluberrimo.*

V. 22. Rex Cades. Hebr. קדש *Kedeſch*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Cedes, ſortis Nephthalim civitas ſacerdotalis ac fugitivorum in Galilæa ſuper montem Nephthalim: ſed & hanc cepit rex Aſſyriorum, quæ nunc Cidiſſus appellatur, in viceſimo Tyri milliario, iuxta Paneadem.* Brocardus: *A Caſtro Sephet contra aquilonem ad quatuor leucas eſt Cedes Nephthalim quæ fuit civitas fugitivorum in tribu Nephthalim: & abundat omnibus bonis. Monſtrantur illic magnæ ruinæ, & ſepulcra pulcherrima antiquorum. A loco ubi Iordanis mare Tiberiadis influit, uſque in Cedes Nephthalim ſunt quatuor leucæ.* Eadem habet alter Brocardus. Vide infra cap. xx. verſ. 7. Fuiſſe in Galilæa perſpicue Scriptura pronuntiat: extitiſſe a ſiniſtris patriæ Tobiæ, in Græco Tobiæ i. verſ. i. dicitur: eius mentio frequens in ſacris libris, ſeorſim I. Mach. xi. verſ. 73. Kadytim Herodoti quidam volunt; ſed vide Gen. xiv. verſ. 7. *Sanctam*, *ſacram*, Hiſpanice *ſagra*, inrerpretantur. Vide infra cap. xix. verſ. 37. Rex Iachanan Carmeli. Ego non dubito eſſe eam, quam Plinius vocat *Ecbatanam* Lib. V. cap. xix. *Promontorium Carmelum, & in monte oppidum eodem nomine, quondam Ecbatana dictum*. Hanc *Ecbatanam* Syriæ appellat Herodotus Lib. III. num. 62. & facile coniici poteſt ex *Iachanam* depravatum *Ecbatanam*. יקנעם *Iaknegham* videtur vox compoſita ex ינק *ianak*, *ſugere*, & נעם *nagham*, *iucundum eſſe*; quaſi dicas, ſugentem iucunditatem, ſeu amœnitatem: quod locus & amœnus eſſet, ac iucundus. Coniectantur poſitam fuiſſe in ea Carmeli parte, ſeu extremitate, qua ille ſeptemtrionem ſpectar; hoc eſt, qua obiacet Prolemaidi. Vide infra cap. xix. verſ. 11. I. Regum iv. verſ. 12. appellatur *Iakmegham* quibuſdam. Vide I. Paralipom. vi. verſ. 68. *Carmeli*. Hic eſt mons celebris in divinis litteris. Strabo Lib. XVI. pag. 758. *Poſt Acen* (Ptolemaidem) *eſt Stratonis turris, quæ ſtationem habet. In medio Carmelus eſt mons, & oppidula, quorum præter nomina nihil reſtat, ut mycaminorum urbs, & bubulcorum, & crocodilorum, & huiuſmodi alia*. Ioſephus Lib. II. Belli, cap. iii. *Ptolemais circumdatur a meridiana plaga monte Carmelo, qui abeſt ſtadiis centum viginti*. Et Lib. III. cap. iii. *Quondam Galilæorum, nunc autem Tyriorum mons Carmelus: cui coniuncta eſt Gaba civitas equitum, quæ ſic appellatur, eo quod equites ab Herode rege dimiſſi coloni eo deducebantur*. Iacobus Virriacus in Ieroſolymitana Hiſtoria, cap. lii. *Carmelus ſitus eſt in maritimis, diſtans ab Accon quatuor milliaribus*, germanicis ſcilicet, quæ eſt diſtantia Ioſephi. Brocardus: *Accon habet ad auſtrum montem Carmelum, quatuor leucis diſtantem*. Alter Brocardus: *De Accon ad quatuor leucas contra auſtrum eſt prima pars montis Carmeli: & locus ubi Elias occidit ſacerdotes Baal, in torrente Ciſon in pede montis eiuſdem*. Pluribus eum deſcribunt recentiores ſacri topographi: ſed & in Itinerario ſuo Beniamin pag. 38. *Inde ab Accone leucis tribus veni in Niphas, quæ eadem eſt Gadoperta maris littori adiacens, cui ex latere uno Carmel mons imminet, ad montiſque radices Iſraelitarum quamplurimorum ſepulcra ſunt. inque ipſo monte Eliæ prophetæ antrum viſitur, iuxta quod Chriſtiani ſacellum conſtruxerunt Sancti Eliæ dictum. In ſummo vero montis dorſo veſtigium extat altaris diruti & combuſti in diebus Achab, cuius in Eliæ hiſtoria illuſtris fit mentio. Eſtque aræ illius locus circularis quatuor fere cubitorum diametro*. Meminere Carmeli montis Plinius Lib. V. cap. xix. Tacitus Hiſtoria ii. Prolemæus Lib. V. cap. xv. Nomen haber vel a frugum pinguium, & optimarum feracitate, vel a colore coccineo'. Vide Levit. ii. verſ. 14. Fuit in tribu Aſer, infra cap. xix. verſ. 26. De altero Carmel tribus Iehudæ vide inf. cap. xv. ver. 55.

V. 23.

V. 23. Rex Dor, et provinciae Dor. De Dor, & regione Dor vide cap. xi. verſ. 2. Rex gentium Galgal. Hebr. *Rex Goim*, *ipſi* vel *ipſius Ghilghal*. Euſebius & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Goim in Gelgel, quod Aquila, & Symmachus interpretantur, Gentes in Gelgel. Et hanc cepit Ieſus, & nunc oſtenditur villa nomine Galgalis ab Antipatride in ſexto milliario contra ſeptemtrionem.* Antipatris urbs Ptolemæo Lib. V. cap. xvi. maritimam faciunt inter Ioppen & Cæſaream Palæſtinæ: quam ab Herode magno conditam egregie deſcribit Ioſephus XVI. Originum, cap. ix. & S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ. Alii volunt hanc eſſe Galilæam gentium, Iſaiæ ix. verſ. 1. ſeu ſuperiorem, quam accurate deſcribit Ioſephus Lib. III. Belli, cap. iii. Cur autem dicta ſit Galilæa gentium, dicemus ad eum Iſaiæ locum. Sed non puto hunc regem tam late imperitaſſe. Tutius reor Euſebio, & S. Hieronymo aſſentiri.

V. 24. Rex Therſa. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Therſa, ubi Aſa rex Iſrael fuit. Therſa, unde fuit Manaben, uſque hodie eſt viculus Samaritanorum in regione Batanea, qui Therſila dicitur.* Brocardus: *A Samaria contra orientem ſunt tres leucæ ad Therſam civitatem, ſitam in alto monte, in qua reges Iſrael ante extructionem Samariæ aliquanto tempore regnaverunt: eratque in ſorte Manaſſe.* Quidam ex II. Regum xv. verſ. 14. colligunt fuiſſe in tribu Gad: ſed quam apte, ipſi viderint. Nominis etymon eſt a beneplacito, gratia, favore; quaſi dicat: *Beneplacitam, acceptam, gratioſam, ſuavem*, quo nomine commendatur Canticor. vi. 2. Vide in I. Regum xiv. verſ. 17. Omnes reges, triginta unus. Atqui ii tantum fuere alterius partis, nempe ſeptemtrionalis terræ promiſſæ: & mirum in regione non admodum magna tot reges eſſe potuiſſe. Sed facile intelligitur, ſingularum urbium cum oppidis & pagis agri ſuburbani dominos ac dynaſtas, olim reges appellatos, ut ii qui apud novum orbem dicuntur *Caziques*. Strabo Lib. XVI. pag. 754. *Aradii per ſeſe reges habebant., ut ceteræ Phœnicum civitates.*

MENOCHII.

Verſ. 1. A Torrente Arnon. Fluvius eſt, Moabitas ſeiungens ab Amorrhæis cis Iordanem poſitis, ut ex Num. cap. xxi. patet.

V. 2. Aroer. Vide capite ſequenti dicta ad num. 25. Iaboc, torrens dividens Galaaditidem ab Ammonitarum finibus.

V. 3. Mare Ceneroth. Vide dicta ſupra cap. xi. num. 2. Bethſimoth, limes ſeptemtrionalis campeſtrium Moab. Vide cap. ſeq. num. 20. Aſedoth, Phaſga. Vide cap. ſeq. num. 20.

V. 4. Aſtaroth. Vide cap. ſeq. num. 31. Edrai. Vide ibidem. Salecha, quæ dicitur Salcha, Selcha, Selchar, & Sechata. Vide Adrichomium in tribu Manaſſe.

V. 5. Geſſuri. Geſſur regia civitas, quæ regioni vicinæ nomen dedit, ut Geſſuri diceretur. Porro Geſſuri regio Iſraeliticæ terræ, quæ trans Iordanem eſt, verſus ſeptemtrionem terminus fuit. Machati, quæ & Maacha urbs Amorrhæorum, ſita iuxta regionem Geſſuri, & montem Hermon.

V. 7. Baalgad, alias Baalgath, mons item & urbs in campo Libani ſub monte Hermon ſita. Seir. Nomen montis, & oppidi in eo ſiti. Eſt mons excelſus trans Iordanem ad orientalem plagam terræ Hus ſitus. Nomen habuit mons hic ab Eſau, qui *Seir* etiam dictus eſt, hoc eſt piloſus, hirſutus.

V. 9. Rex Iericho unus. Primus ponitur rex Iericho, quia cum eo primum tranſito Iordane pugnatum eſt, ut ſupra vidimus. Rex Hai, &c. Res geſtas contra regem hunc vidimus ſupra cap. viii.

V. 10. Rex Ieruſalem: Adoniſedec, de quo ſupra capite x. Rex Hebron: quæ civitas eſt in ſortis Iudæ umbilico ab Hieruſalem auſtrum verſus millibus 22. ſecundum Hieron. diſtans. Vide infra cap. xiv. num. 15.

V. 11. Rex Ierimoth, &c. Ierimoth, Lachis, & Eglon civitates ſunt in ſorte Iudæ.

V. 12. Rex Gazer: quæ civitas eſt in ſorte Ephraim.

V. 13. Dabir: alio nomine *Cariath-ſepher*, id eſt *civitas litterarum*.

V. 14. Rex Gader... Herma... Hered... Odullam... Macedo. Hæ quinque civitates numerantur in ſorte Iudæ.

V. 16. Rex Bethel. Bethel non fuit capta vivente Ioſue, ſed poſt illius mortem; vel ergo rex occiſus eſt, urbe eius intacta; vel hic reges numerantur, qui vel vivente, vel mortuo Ioſue ab Iſraelitis interfecti ſunt. Vide Iudic. 1. ubi de Bethel capta.

V. 17. Rex Taphua... Opher... Aphec. Taphua urbs in tribu Iuda, ut patet infra cap. xv. Opher neſcitur ad quam tribum ſpectaverit, quia non numeratur in ſortitione terræ ſanctæ. Aphec eſt in tribu Aſer, ut conſtat ex cap. xix. iuxta regionem Philiſtinorum.

V. 18. Rex Saron... Madon... Asor. Aſor, cuius rex erat Iabin, nominatur in ſorte Iudæ cap. xv. Madon vero, & Saron nulla mentio, niſi ſit Seron in ſorte Iſſachar, infra cap. xix.

V. 20. Rex Semeron... Achsaph... Thenac. Semeron eſt in tribu Zabulon, ut patet ex cap. xix. Achſaph in tribu Aſer, nec multum diſtat a Semeron. Thenac in Manaſſe occidentem verſus, ut patet infra cap. xvii.

V. 21. Rex Mageddo... Cades... Iachanan. Mageddo eſt in tribu dimidia Manaſſe prope Thenac. Vide Iud. 1. Cades in Galilæa eſt in ſorte Nephthalim, ut patet infra cap. xix. & xx. erat una ex civitatibus refugii. Iachanan urbs ad Carmelum, poſtea Levitis attributa.

V. 23. Rex Dor. Vide ſupra cap. xi. num. 2. Rex gentium Galgal. Rex gentium dicitur, quia intra fines ſui regni clientes habebat ex gentibus Chananæorum, qui in eius ditione domicilium habebant. Diſtabat Galgal a Iericho ſtadiis decem. Vide dicta ſupra capite quinto num 9.

V. 24. Rex Thersa, in ſorte Ephraim, III. Regum xvi. 6. & 8. Baaſa, & Ela reges Iſrael in hac urbe habitaſſe dicuntur. Omnes reges triginta unus: nam duo quos Moſes occidit, ad hanc ſummam non pertinent.

TIRINI.

Verſ. 24. Omnes reges triginta unus. Non uno die tot reges confecit Ioſue, licet id aſſerat Genebrardus *a*; ſed *multo tempore pugnavit Ioſue contra reges iſtos*, inquit hic Scriptura cap. xi. verſ. 18. Et Ioſephus *b* quidem dicit *quinquennale* fuiſſe bellum; Theodoretus *c*, Abulenſis, Maſius, Arias, Serarius *ſeptennale*.

Notat S. Hieronymus *d*, Palæſtinam, ubi longiſſima eſt, puta a Dan uſque Berſabee, non extendi niſi ad centum ſexaginta millia paſſuum. Recentiores vero coſmographi, ut Borchardus, & Adrichomius, & alii, anguſtioribus adhuc terminis eamdem definiunt. Ergo longe anguſtior erat noſtro Belgio. Quare in terra tam anguſta tot dominari reges, ut iam ſileam alios populos, ſeu Reſpublicas in eadem habitantes, de quibus capite ſequenti, arguit ſtupendam ſoli illius ubertatem, & iure merito vocari terram lacte, & melle manantem. *In ſola Galilæa*, inquit Ioſephus *e*, *ducentæ & quatuor viſuntur urbes, ac vici. Minima urbs, aut vicus habet pluſquam quindecim millia capitum*. Quot ergo erunt in tota reliqua Iudæa? quamquam & ex Ariſtotele, Strabone, Plinio, & Genebrardo *f* meminiſſe oporteat, reges olim vocari ſolitos ſingularum fere urbium maiorum dominos, maxime ſi municipia quædam acceſſiſſent.

Notat vero Procopius, & ex hoc Evagrius, plures ex his Chananæorum populis, cum viderent ſe Ioſue reſiſtendo non eſſe, relicto patrio ſolo, in AEgyptum, indeque in Africam, & Lybiam profugiſſe, ibique excitatis novis urbibus, omnem eum tractum uſque ad Herculis columnas tenuiſſe. Et idem ſentire videtur ſanctus Auguſtinus *g*. In Germaniam quoque & alia Europæ regna non paucos penetraſſe tradit Abeneſra, & alii Rabbini, & Genebrardus *h*.

(*a*) Genebr. in Pſal. cxxxiv. num. 10.
(*b*) Ioſeph. Lib. V. Antiq. cap. 1.
(*c*) Theod. quæſt. xvi. &c.
(*d*) Hier. ep. ad Dardanum.
(*e*) Ioſephus in Vita ſua.
(*f*) Ariſt. Pol. III. Strabo Lib. XVI. Plinius Lib. VI. cap. ix. Genebr. ſup. Proc. Lib. IV. de Bello Vandalico. Evag. Lib. IV. Hiſt. Eccl. cap. viii.
(*g*) S. Aug. in Epiſt. ad Romanos.
(*h*) Genebr. in Chron.

GOR-

GORDONI.

EST in his regibus recenſendis apud varias editiones varietas aliqua: nam editiones Hebr. Chald. & Lat. dant reges 31. at Græca ſolum dat 29. Ceterum hæc omnia loca accuratius deſcribere, & horum regulorum ditionem terminis definire alterius eſt, & ſane geographici muneris. Vide ſi placet in Magaliani commentariis rem hanc non neglectam: adde Adrichominm. Ceterum terra inter Iordanem & mare magnum, ſeu mediterraneum, non fuit tota a Ioſue, ſecundum hanc longitudinem debellata: nam Sidon, Aſcalon, Azotus, Gaza, & integra maritima ora manſit tunc intacta. Ceterum quanto tempore hæc Ioſuana bella fuerint confecta, attigi cap. XI. in fine: altera quæ ſequitur hiſtoriæ pars, eſt de diviſione terræ, & reliqua vita Ioſue per capita 12.

Pars ſecunda de terræ diviſione.

Geſta poſt quinque, vel ſex annos bellorum hic narrantur. Mox de terræ diviſione (quam conſigno ad ann. mundi 2530.) peracta eſt anno 45. a miſſis exploratoribus: agitur vero de terræ diviſione, ſeu γεωδαισία, ab hoc cap. XIII. uſque ad XXII. deinde de tribuum trans Iordanem diviſione cap. XXII. tandem de Ioſue dictis, & factis extremis, a cap. XXIII. ad finem libri.

V. 1. Quamvis nondum tota terra expugnata ſit; tamen Deus Ioſue impellit iam grandævum, ad terræ diviſionem. Dividenda quidem tota terra, ut, quæ nondum expugnata eſt, veniat poſtea Iſraelitis in poſſeſſionem: vide cap. XV. verſ. 63. Et hoc maxime iuxta Auguſtini interpretationem, qui terram promiſſam vult fuiſſe uſque ad Euphratem.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. ARNON eſt fluvius ſeparans Moabitas ab Amorrhæis qui ſunt cis Iordanem, ex Num. cap. XXI.

V. 2. IABOC torrens dividens Galaad ab Ammonitis.

V. 3. CENEROTH, urbs quæ poſtea dicta eſt Tiberias. BETHSEROTH, limes campeſtrium Moab verſus ſeptemtrionem.

V. 5. GETHSURI, inter regias civitates fuit, & poſtea ab Iſraelitis poſſeſſa, trans Iordanem verſus ſeptemtrionem. MACHATI, urbs iuxta Geſsuri, & montem Hermon.

V. 7. BAALGAD, urbs in campo Libani, ad montem Hermon. SEIR, mons, & urbs in monte eſt trans Iordanem, verſus orientalem partem terræ Hus. Nomen eſt ab Eſau, qui dictus eſt *Seir*, ſeu piloſus.

V. 9. & 14. Ex his triginta regibus qui recenſentur a verſ. 9. ad finem capitis, refertur verſ. 14. Rex Bethel. Hæc urbs non fuit capta vivente Ioſue. Vide Iudic. cap. 1. Itaque hic numerantur reges qui vel mortuo, vel vivente Ioſue, expugnati ſunt. Adde duos occiſos a Moſe, erunt triginta duo.

CA-

CAPUT XIII.

Iubet Dominus Ioſue ut terram dividat, aſſignatis partibus Ruben, Gad, & dimidiæ tribui Manaſſe trans Iordanem.

1. IOſue ſenex, provectæque ætatis erat, & dixit Dominus ad
eum: Senuiſti, & longævus es, terraque latiſſima derelicta
eſt, quæ necdum ſorte diviſa eſt: 2. omnis videlicet Gali-
læa, Philiſthiim, & univerſa Geſſuri. 3. A fluvio turbido,
qui irrigat AEgyptum, uſque ad terminos Accaron contra
aquilonem: terra Chanaan, quæ in quinque regulos Phili-
ſthiim dividitur, Gazæos, & Azotios, Aſcalonitas, Gethæos,
& Accaronitas. 4. Ad meridiem vero ſunt Hevæi, omnis terra Chanaan, &
Maara Sidoniorum, uſque Apheca & terminos Amorrhæi, 5. eiuſque confinia.
Libani quoque regio contra orientem, a Baalgad ſub monte Hermon, donec in-
grediaris Emath. 6. Omnium qui habitant in monte, a Libano uſque ad aquas
Maſerephoth, univerſique Sidonii. Ego ſum qui delebo eos a facie filiorum Iſ-
rael. Veniat ergo in partem hereditatis Iſrael, ſicut præcepi tibi. 7. Et nunc di-
vide terram in poſſeſſionem novem tribubus, & dimidiæ tribui Manaſſe, 8. cum
qua Ruben & Gad poſſederunt terram, (*a*) quam tradidit eis Moyſes famulus
Domini, trans fluenta Iordanis ad orientalem plagam. 9. Ab Aroer, quæ ſi-
ta eſt in ripa torrentis Arnon, & in vallis medio, univerſaque campeſtria Me-
daba, uſque Dibon: 10. & cunctas civitates Sehon, regis Amorrhæi, qui re-
gnavit in Heſebon, uſque ad terminos filiorum Ammon: 11. & Galaad, ac ter-
minum Geſſuri & Machati, & omnem montem Hermon, & univerſam Baſan,
uſque ad Salecha, 12. omne regnum Og in Baſan, qui regnavit in Aſtaroth &
Edrai, ipſe fuit de reliquiis Raphaim: percuſſitque eos Moyſes, atque delevit.
13. Nolueruntque diſperdere filii Iſrael Geſſuri & Machati: & habitaverunt in me-
dio Iſrael uſque in præſentem diem. 14. (*b*) Tribui autem Levi non dedit poſſeſ-
ſionem: ſed ſacrificia & victimæ Domini Dei Iſrael, ipſa eſt eius hereditas, ſic-
ut locutus eſt illi. 15. Dedit ergo Moyſes poſſeſſionem tribui filiorum Ruben
iuxta cognationes ſuas. 16. Fuitque terminus eorum ab Aroer, quæ ſita eſt in
ripa torrentis Arnon, & in valle eiuſdem torrentis media: univerſam planitiem,
quæ ducit Medaba, 17. & Heſebon, cunctoſque viculos earum, qui ſunt in cam-
peſtribus: Dibon quoque, & Bamoth-baal, & oppidum Baalmaon, 18. & Iaſſa,
& Cedimoth, & Mephaath, 19. & Cariathaim, & Sabama, & Sarathaſar in
monte convallis. 20. Beth-phogor & Aſedoth, Phaſga & Beth-ieſimoth, 21. &
omnes urbes campeſtres, univerſaque regna Sehon regis Amorrhæi, qui regnavit
in Heſebon, (*c*) quem percuſſit Moyſes cum principibus Madian: Hevæum,
& Recem, & Sur, & Hur, & Rebe duces Sehon habitatores terræ. 22. Et
Balaam filium Beor ariolum occiderunt filii Iſrael gladio cum ceteris interfectis.
23. Factuſque eſt terminus filiorum Ruben Iordanis fluvius. Hæc eſt poſſeſſio
Rubenitarum per cognationes ſuas urbium & viculorum. 24. Deditque Moyſes

tri-

Digitized by Google

tribui Gad & filiis eius per cognationes ſuas poſſeſſionem, cuius hæc diviſio eſt. 25. Terminus Iaſer, & omnes civitates Galaad, & dimidiam partem terræ filiorum Ammon, uſque ad Aroer, quæ eſt contra Rabba: 26. & ab Heſebon uſque Ramoth, Maſphe & Betonim: & a Manaim uſque ad terminos Dabir. 27. In valle quoque Betharan, & Bethnemra, & Socoth, & Saphon reliquam partem regni Sehon regis Heſebon: huius quoque finis, Iordanis eſt, uſque ad extremam partem maris Cenereth trans Iordanem ad orientalem plagam. 28. Hæc eſt poſſeſſio filiorum Gad per familias ſuas, civitates & villæ earum. 29. Dedit & dimidiæ tribui Manaſſe, filiiſque eius iuxta cognationes ſuas poſſeſſionem, 30. cuius hoc principium eſt: a Manaim univerſam Baſan, & cuncta regna Og regis Baſan, omneſque vicos Iair, qui ſunt in Baſan, ſexaginta oppida, 31. & dimidiam partem Galaad, & Aſtaroth, & Edrai, urbes regni Og in Baſan: filiis Machir, filii Manaſſe, dimidiæ parti filiorum Machir iuxta cognationes ſuas. 32. Hanc poſſeſſionem diviſit Moyſes in campeſtribus Moab trans Iordanem contra Iericho ad orientalem plagam. 33. (*d*) Tribui autem Levi non dedit poſſeſſionem: quoniam Dominus Deus Iſrael ipſe eſt poſſeſſio eius, ut locutus eſt illi.

(*a*) Num. XXXII. 33. (*b*) Num. XVIII. 20. (*c*) Num. XXXI. 8. (*d*) Num. XVIII. 8.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. LATISSIMA. Hebr. Chald. & LXX. *multa valde*. QUAE NECDUM SORTE DIVISA EST. Hebr. Chald. & LXX. *poſſidenda*.

V. 2. GALILAEA. Hebr. Chald. & LXX. *terminus*, ſcilicet confinia, ſeu limites; quaſi dicat, Regio, ſeu provincia.

V. 3. TURBIDO, ſcilicet, rivulo, qui influit in mare Peluſiacum ad Rhinocoluram. IRRIGAT. Hebr. *Eſt contra*, ſeu *e regione*. Quidam tamen Nilum intelligunt. At eſt Nili rivus ſecundum Hieronymum Amos VI. CONTRA, id eſt ad.

V. 5. EIUSQUE CONFINIA. Hebr. Chald. & LXX. *& terra Gibli*, ſeu *Gibleorum*. EMATH. Antiochiam quidam putant.

V. 8. DOMINI, pro mei.

V. 12. RAPHAIM, id eſt gigantum.

V. 14. ILLI, ſcilicet Moyſi, ſeu tribui Levi: ſic infra.

V. 15. IUXTA COGNATIONES; quaſi dicat, ſingulis pro rata parte.

V. 25. FILIORUM AMMON, ſcilicet olim, ſed captam a rege Sehon.

V. 27. RELIQUAM; pro, & reliquam. CENERETH, id eſt Geneſareth. Lacus eſt longitudine (ſecundum Ioſeph. Lib. III. Bell. Iud. cap. XVIII.) centum ſtadiorum, latitudine vero 40.

V. 31. FILIIS, id eſt nepotibus.

ESTII.

Verſ. 1. SENUISTI, ET LONGAEVUS ES, TERRAQUE LATISSIMA DERELICTA EST, QUAE NONDUM SORTE DIVISA EST. Tres potiſſimum cauſæ ſunt, quare complures civitates, & loca terræ promiſſionis non fuerint expugnata a filiis Iſrael. Prima, quia Iſraelitæ nondum erant tanto numero, ut totam terram ſibi promiſſam incolere poſſent: ſic Exodi XXIII. *Non eiiciam eos a facie tua anno uno, ne terra in ſolitudinem redigatur, & increſcant contra te beſtiæ, &c.* Secunda cauſa, ut filii Iſrael habentes hoſtes ſibi vicinos, & in eadem terra commorantes, exercerentur ad prælium, & non luxu diffluerent in vitia, ut ſolent qui longa pace fruuntur. Tertia, ut ſolliciti eſſent de ſervandis Dei mandatis: quia quando a Dei cultu recedebant, mox affligebantur ab hoſtibus vicinis; quando autem convertebantur ad Dominum, iterum fiebant ſuperiores. Et

has

Digitized by Google

has duas cauſas aſſignat Scriptura Iudic. III.

V. 3. Terra Chanaan, quae in quinque regulos Philistiim dividitur. Obſerva, quod terra Philiſtiim, etſi comprehenſa fuerit intra terminos terræ promiſſæ, numquam tamen legitur ab Iſraelitis poſſeſſa; non ob defectum Dei promittentis, ſed quia filii Iſrael per ignaviam ceſſaverunt a labore expugnandi eos quorum terra promiſſa eis fuerat, & poſtea quando voluerunt, non potuerunt eos expugnare. Id quod in Philiſtæis maxime declaratum eſt, quos tamen tandem David ſibi tributarios reddidit. Et ſimiliter Sidon, de qua verſ. 4. & 6. non videtur umquam fuiſſe habitata a filiis Iſrael, & alia nonnulla loca, quæ Scriptura commemorat. Vide I. Regum VII.

V. 33. Tribus autem Levi non dedit possessionem: quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio eius. Quid hoc ſit, *Quoniam Dominus Deus Iſrael ipſe eſt poſſeſſio eius*, explicatur hoc eodem cap. verſ. 14. his verbis: *Tribus autem Levi non dedit poſſeſſionem, ſed ſacrificia, & victimæ domus Dei Iſrael, ipſa eſt eius hereditas*. Per hoc ergo quod dicitur, *Dominus Deus Iſrael eſt poſſeſſio eius*, non ſignificatur quod omnino ab omni poſſeſſione rerum temporalium excludi debebat, ſed quod ea quæ offeruntur ad honorem Dei, ſive ſint ſacrificia, ſive decimæ, ſive primitiæ, ad ius levitarum, & ſacerdotum pertineant. Et quia etiam habitatione indigebant, & loco ad paſcendum primogenita pecorum, * hinc etiam urbes neceſſario illis aſſignabantur ad habitandum, & ſuburbana ad alenda pecora.

* *In exemplari Pariſ. ann. 1644.* quæ illis offerebantur ad habitandum; *at in Mogunt. 1667. ut in textu.*

MARIANAE.

Verſ. 1. Iosue senex, provectaeque aetatis. Hebr. *Et Ioſue ſenuit, venit in dies*: ſic mox pro *longævus*. Hebr. *veniſti in dies*. Forma loquendi Hebraica, ſed in Hiſpanicam linguam ex parte transfuſa. Dixit ei Deus: Terra multa manet, quae necdum sorte divisa est. Heb. *ad poſſidendum eam*, ſcilicet relicta eſt; quaſi dicat: Nondum eam terram poſſidetis.

V. 2. Omnis videlicet Galilaea. Hebr. eſt in plurali *omnes Galilææ*, גלילות *Ghelîloth*: ſed per eam vocem omnes, etiam Sept. & Chald. intelligunt non provinciam Galilææ, ſed fines; quaſi dicat: Omnes fines ſeu regio Philiſthiim relicti ſunt: ut *Philiſthiim* ſit in genitivo, non in nominativo, ut Noſter poſuit, cum ait: *Omnis autem Galilæa, Philiſthiim*: aut comma expungatur.

V. 3. A fluvio turbido. Hebr. *a nigro*, & putant Nilum ſic dici propter inundationes. Quidam Nili brachium extremum putant, quod ad Rhinocoruram AEgypti urbem influit in mare, AEgypti ea parte finis. Qui irrigat Aegyptum. Hebr. *Qui eſt ſuper faciem AEgypti*; ſed *facies* ſæpe redundat: perinde ergo erit ac ſi dicat, Qui eſt ſuper AEgyptum: quod Noſter dixit, *Irrigat AEgyptum*. Contra aquilonem; pro, ad aquilonem. Ibi eſt Accaron ad ſeptemtrionem Palæſtinæ. Terra Chanaan: dicerem, *ad terram Chanaan*, quoniam Hebr. eſt *ad Chananæum*. Quae in quinque regulos Philisthiim dividitur. Hebr. *reputatur*. Eadem ſententia.

V. 4. Ad meridiem vero sunt Hevaei. Melius ſic dividitur quam Hebraice, ubi Hevæi adnumerantur ſatrapis Philiſthiim, quos tamen quinque eſſe dixit: nec numerus conſtat, ſi illos adiicias. Ita quartus verſus ab Hevæis inchoetur etiam Hebr. ſic: *Et Hevæi a meridie, omnis terra Chanaan*.

V. 5. Eiusque confinia. Hebr. *& terram Ghibli*. Noſter *Ghibli* putavit eſſe *confinia*. Aliter Sept. & Chald. *Ghibli* ut nomen proprium ſumunt. Donec ingrediaris Emath. Hanc putant Antiochiam ad Orontem, quam terram tradidit eis Moyſes. Loquitur de Gad, & Ruben.

V. 8. Famulus Domini, id eſt meus. Loquitur Deus de ſe in tertia perſona.

V. 15. Possessionem, non eſt in Hebræo; ſed bene ſuppletur: ſic verſ. 24. adiecit illud, *Poſſeſſionem, cuius hæc diviſio eſt*: tum verſ. 29. *Poſſeſſionem, cuius hoc principium eſt*. Hæc bene ab Interpre-

te

te adiecta ſunt. Inter alia Moyſes dedit Rubenitis.

V. 17. HESEBON, CUNCTOSQUE VICULOS EARUM. Hebr. *cunctaſque urbes eius*: ſed Hieronymus *urbes* pro *vicis* ſumi putavit. Cant. VII. verſ. 4. *Oculi tui ſicut piſcinæ* (oculi, & fontes) *in Heſebon*: de hac urbe loquitur.

V. 22. ET BALAAM FILIUM BEOR ARIOLUM OCCIDERUNT. Numquam puto *arioli* vocem in bonam partem ſumi, neque קוסם *koſem* Hebraicum, quam vocem Hebræi dicunt ſignificare *magicum*: de quo plura Num. XXII. verſ. 5. Hinc colligunt Balaam fuiſſe Madianitam, quia in ea regione eſt occiſus.

V. 25. DIMIDIAM PARTEM TERRAE FILIORUM AMMON: ſcilicet quam Sehon rex Amorrhæus abſtulerat Ammonitis, & Moyſes eam dedit tribui Gad.

V. 30. CUNCTA REGNA OG: ſic etiam verſ. 21. Hebr. in ſingulari *omne regnum*; ſicut & verſ. 12. poſuit idem Hieronymus in ſingulari. Ergo regnum Og dedit Moyſes dimidiæ tribui Manaſſe.

MALVENDAE.

Verſ. 2. OMNIS VIDELICET GALILAEA, PHILISTHIIM. Vocem גלילות *Geliloth*, quam Noſter *Galilæam* vertit, aiunt ſignificare *circumvolutiones*, *circumterritoria*, *circumferentias*, *regiones*, a rotunditate, ſeu ſphæricitate. Alii, *terminos*, *limites*, *confinia* exponunt, quaſi diverſorum terminorum convolutiones, & concurſus. Nonnulli *orbes*, *regiones circulatas*, habentes planities inſtar circuli limitatas. Aliqui, eſſe eas quas *marchas* vulgo vocant, quaſi tractus terrarum; ut dicunt *marcham Anconæ*, *marcham Tarviſii*. Nec deſunt qui proprie de ripis fluminum, & marium littoribus id nomen uſurpari velint, quod ad eas oras fluctus reciprocentur, & arenæ in tumulos convolvantur. Unde hic varie vertunt: 1. *omnes limites Philiſthinorum*; 2. *omnia confinia*; 3. *omnes regiones*; 4. *omnes provinciæ*; 5. *omnia littora Philiſthinorum*. ET UNIVERSA GESSURI. Hos Geſſuræos quidam recte diverſos ſtatuunt ab illis de quibus diximus Deuteron. III. verſ. 14. & ſupra cap. XII. verſ. 5. & hic infra verſ. 11. & 13. nam illi erant in Syria ad ſeptemtrionem Palæſtinæ; ii vero erant ad auſtrum Palæſtinæ, proximi Hamalekitis, ut dicitur I. Samuel. XXVII. verſ. 8. nimirum ultra Iordanem.

V. 3. A FLUVIO TURBIDO. Hebr. *a Schichor*. De eo diximus fuſe in Paradiſo cap. XXX. vel fuiſſe ipſum Nilum, vel brachium aliquod aut rivum Nili, qui inter Peluſium & Rhiconoluram in mare influit, & Chananæam ab AEgypto diſterminat, uti S. Hironymus epiſtola CXXIX. ad Dardanum, & in VI. Amos diſerte affirmat. Quidam amnem eſſe putant, qui Petram Arabiæ præterfluens in Sirbonem paludem influit, & AEgyptum a terra promiſſa diſterminat. S. Epiphanius hæreſi LXVI. colum. 585. & in Acorato colum. 1022. Rhinocoluram interpretatur: quod accepit proculdubio a LXX. Iſaiæ XXVII. verſ. 12. De Rhinocolura plura diximus eodem cap. XXX. Paradiſi. שיחור *Schichor*, id eſt *niger*, *fuſcus*, *turbidus*, proprium Nili epithetum. Thraſyllus in AEgyptiacis apud Stobæum ſermone 100. de Morbis: *In Nilo AEgypti fluvio, qui Melas olim dictus fuit*, id eſt niger. Plutarchus de Fluminibus: *Nilus AEgypti fluvius, qui dicebatur antea Melas*. Maro Lib. IV. Georgicor.

> *Et viridem AEgyptum nigra fœcundat arena.*

Ubi Servius; *Nam antea Nilus latine Melo dicebatur*. Quidam exiſtimant e corrupto Schichor feciſſe AEthyopes Nilo nomen *Sirin*. Dionyſius in Periegeſi, interprete Priſciano:

> *Siris ab AEthiopum populis cognomine fertur.*

Vide in Numer. XXXIV. verſ. 5. USQUE AD TERMINOS ACCARON. Euſebius & S. Hieronymus in Locis: *Accaron in tribu Dan, ſive, ut ego arbitror, in tribu Iuda, ad lævam Chananæorum, urbs una de quinque olim ſatrapiis Palæſtinæ: & decreta eſt quidem tribui Iudæ, nec tamen tenta ab ea, quia habitatores priſtinos nequivit expellere. Sed & uſque hodie grandis vicus Iudæorum Accaron dicitur inter Azotum & Iamniam ad orientem reſpiciens*. *Quidam putant Accaron turrim Stratonis, poſtea Cæ-*

ſaream numcupatam. Iacobus Vitriacus in Hiſtoria Ieroſolymitana, cap. XLI. *Quinta Philiſtinorum civitas dicta eſt Acharon, prope mare, non longe ab Azoto ſita*. Brocardus: *A Bethſames contra occidentem, fere per quatuor leucas haud longe a mari eſt Accaron, etiam una de principalioribus civitatibus Philiſtinorum: verum hodie exiguum eſt caſale, antiquo retento vocabulo. Ab Accaron quatuor ſunt leucæ verſus auſtrum ad Azotum*. Falſo aliqui exiſtimant eſſe Iamnetorum portum, Ptolemæi Lib. V. cap. XVI. cum Iamnetorum portus ſit portus Iamniæ. עקרון *Ghekron* Hebraice ſonat *eradicatam, extirpatam, ſterilem*: quod fortaſſe regio eſſet ſterilis, & ſine arboribus, aut ſtirpibus. Alii e contra, *radicoſam* exponunt. Hiſpanice *raygon*. IN QUINQUE REGULOS. סרנים *Seranim*, arbitrantur, Phœnices ſuos principes ita vocaſſe, ſicut Hebræi סרים *ſarim*, & Babylonii *Achaſdarphenaia*, & Perſæ *Satrapas*, principes ſuos appellarunt. Dictos ita volunt quod סרנים *ſoranim*, ſint axes in rotis quibus fulciuntur, & volvuntur; ſeu, ut alii volunt, tabulæ, ſeu aſſeres, I. Regum VII. verſ. 30. & ſane principes ſunt fulcra populi, & veluti axes, & cardines rerum agendarum. Alii, colludente Latina voce, *ſerenos*, vel *ſereniſſimos principes, homines ſtrenuos*, interpretantur. Facile crediderim idem eſſe quod *Sarim*, interiecto Nun. Communiter reddunt, *Satrapas, regulos, principes, duces, magnates*. Hic metonymice pro ſatrapiis accipiunt. ASCALONITAS. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Aſcalon urbs nobilis Palæſtinæ, quæ & ipſa antiquitus una fuit de quinque ſatrapiis Philiſthinorum: ſeparata quidem tribui Iudæ per ſortem, tamen non retenta ab ea, quia habitatores eius ſuperare non potuit*. Ioſephus III. Belli, cap. 1. *Aſcalon, ea eſt civitas antiqua, ſeptingentorum & viginti ſtadiorum ſpatio ab Hieroſolyma diſtans, & Iudæis ſemper inviſa, validiſſimo quidem muro cincta erat*. Strabo Lib. XVI. pag. 759. *Aſcalonenſium regio præcipue cæpas fert, urbs ipſa non eſt magna*. Plinius Lib. XIX. cap. VI. *Cæparum genera apud Græcos, Sardia, Samothracia, &c. Aſcalonia, ab oppido Iudææ nominata*. Et Lib. V. cap. XIII. de oppidis Palæſtinæ: *Oppidum Aſcalo liberum*. Pomponius Mela Lib. I. cap. XI. *Ceterum in Palæſtina eſt ingens, & munita admodum Gaza: eſt non minor Aſcalon*. Meminit & Ptolemæus Lib. V. cap. XVI. Beniamin Tudelenſis Itinerarii pag. 50. *Ab Azoto Aſcalona duabus paraſangis diſſita eſt. Hæc eſt Aſcalon cognomento nova, ab Eſdra ſacerdote in maris littore condita, quæ initio Benibera appellata fuit. Hæc ab antiqua Aſcalone Palæſtinorum iam quondam vaſtata paraſangis quatuor diſtat. Eſt autem nova hæc ingens & pulchra urbs, multis undique negotiorum cauſa confluentibus hominibus frequens, eo quod in parte termini Ægypti ſita ſit. Eſt autem illic puteus in media urbe, quem Iſraelitica lingua incolæ vocant Bir Abraham Alchelil, hoc eſt Puteum Abrahami maximi, ab Abrahamo apertus Palæſtinorum diebus*. Iacobus Vitriacus Hiſtoriæ Ieroſolymitanæ cap. LX. *Aſcalona una fuit ex quinque urbibus Philiſtiim in littore maris ſita, formam habens quaſi arcus ſive ſemicirculi, cuius chorda iacet ſecus ripam marinam: circumferentia vero ſuper terram, reſpiciens ad orientem*. Vide alia quæ de ea ſubdit, quam ait a Gaza decem milliaribus diſtaſſe. Brocardus: *Ab Azoto quatuor leucis contra auſtrum eſt Aſcalon, quarta Philiſtinorum civitas ſita in littore maris, & habens formam ſemicircularem: unicum fere robur & propugnaculum Saracenorum in terra illa. Ab Aſcalone duabus leucis contra auſtrum eſt Gaza*. אשקלון *Aſchkelon*, a libratione, pondere, perpendiculo, ſiclo, nomen habere videtur: vel quod Aſcalone optima pondera conficerentur, vel in ea ſicli ac monetæ cuderentur; vel quod exacte, & ad perpendiculum optime urbs conſtructa eſſet; vel quod Aſcalonitæ optimi libratores, & ponderatores eſſent. ET ACCARONITAS. Hebr. addunt, & *Ghevæos*; quos Noſter in ſequentem verſum reiecit. Quidam exponunt: *Et quæ Hevæorum fuit*, ſcilicet ſatrapia. Non enim erant Philiſtæi iuſti poſſeſſores, ſed vi Hevæos expulerant, Deuteron. II. verſ. 23. & ideo convertunt: *Quæ Hevæorum fuit*: etſi fortaſse commodius putant ita exponere: *Et quæ Hevæorum eſt*; id eſt, quam Hevæi adhuc incolunt, & retinent, defendentes ſe a vi Philiſthæorum: Vide quæ notavimus Deuteron. II. verſ. 23.

V. 4. MAARA SIDONIORUM. Hebr. *Megharah Sidonis*, vel *ad Sidonios*. Varie

hanc

Digitized by Google

hanc vocem accipiunt. I. pro nomine appellativo, *& pratum*, *graminetum Sidoniorum*; putantque eſſe eos campos virore lætos, qui a Sidone deorſum ſecundum dextrum maris mediterranei littus porriguntur uſque ad Aphecam. II. *& campum*, ſeu *planitiem Sidoniorum*. III. *& nuditatem Sidoniorum*, id eſt latus illud, ſeu ſpatium Sidoniorum, nudum & vacuum cultoribus, & urbibus, aut oppidis. IV. *& ripam*, *littus*, *oram Sidoniorum*. V. *& vicinam Sidoniorum*. VI. *& ſpeluncam*, *cavernam*, *concavitatem Sidoniorum*. Quod forte prope Sidonem inſignis aliqua ſpecus eſſet, aut magna aliqua cavitas, qua ratione etiam dicta eſt Syria Cæle, ſeu Cava. Strabo Lib. XVI. pag. 755. ſpeluncarum ad mare ſupra Byblum, & Berytum meminit. VII. Alii pro nomine proprio ſumunt, coniectanturque eſſe Magoram fluvium in ora Libano ſubiecta, inter Sidonem & Berytum, de quo Plinius Lib. V. cap. xx. *At in ora etiamnum ſubiecta Libano*, *fluvius Magoras: Berytus colonia*, *&c.* USQUE APHECA. In *Aphekeh*, He finale putant quidam eſſe locale, redduntque, *Uſque ad Aphekeh*. Alii ſubſtantiale volunt *Aphekah*, ut Noſter. Diſtinctam hanc eſſe exiſtimant ab illis duabus de quibus diximus ſupra cap. XII. verſ. 18. eamque aiunt poſitam fuiſſe haud procul ab Albo promontorio, ut vocant, loco maritimo. Porro Album promontorium appellant anguſtias inter prominentes montes & mare, quæ iacent inter Tyrum & Acconem, ſeu Ptolemaidem, de quibus Vvillermus Tyrius Lib. VII. Belli Sacri, cap. XXII. Sed hoc eſt penitus divinare: ego hanc ipſam putem Aphecam Aſeriticam, de qua dixi cap. XII. verſ. 18. ſed multo tutius eſt quod Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis habent: *Apheca terminus Amorrhæorum ſuper Iordanem in ſorte tribus Ruben*, *ſed & uſque hodie eſt caſtellum grande*, *Apheca*, *nomine iuxta oppidum Palæſtinæ*. Forte Cæſareæ Palæſtinæ.

V. 5. EIUSQUE CONFINIA. Hebr. *& terra Gbibli*. Noſter גבלי *ghebule* legit, ac *confinia* reddidit: alii nomen proprium urbis volunt. Quidam, *terram Gabalenam*, vel *Gabalenorum* interpretantur, a Gabale promontorio Syriæ Cavæ ſupra Phœnicem, apud Plinium Lib. V. cap. xx. ſeu urbe Syriæ *Gabala*, de qua Ptolemæus Lib. V. cap. xv. Alii, Palæbyblon, id eſt antiquam Byblon, vel Byblon urbem Phœniciæ, ſeu Cæles Syriæ haud procul a Libano, eſſe autumant. De Byblo notiſſima urbe, plura Strabo Lib. XVI. pag. 755. Mela Lib. I. cap. XII. Plinius Lib. V. cap. xx. Ptolemæus Lib. V. cap. xv. Lucianus in Dea Syriæ, ſub initium. Vide quoque noſtrum Antichriſtum Lib. IV. cap. XVIII. Illud autem eſt certum, Gabalam, & Byblum diverſas urbes conſtitui a Plinio, & Ptolemæo. Brocardus: *Ultra Sidonem ad novem leucas eſt Berytus civitas epiſcopalis. Hinc per ſex leucas ſupra mare eſt Biblium civitas patriarchatui Antiocheno ſubiecta*, *de qua in Ezechiele fit mentio*: *vocatur autem hodie Giblech*, *& eſt admodum parva*. Eadem alter Brocardus de Monte Sion. Sed & Iacobus Vitriacus in Hiſtoria Ieroſolymitana, cap. LIV. *Poſt Tyrum autem ſequuntur aliæ civitates maritimæ*, *primo Sidon*, *poſtea Berytus*, *deinde Biblium*, *quæ vulgariter hodie Gibeleth appellatur*, *in Phœniciæ provincia ſupra littus maris conſtituta*. Subdit alia. Eius mentio etiam apud Vvillermum Tyrium Lib. VII. cap. XXI. & apud alios ſacri belli deſcriptores. De Byblo urbe nonnulla annotavit Guillandinus Commentario de Papyro, pag. 29. & ſeq. Vide ſupra cap. XI. verſ. 17.

V. 8. QUAM TRADIDIT EIS MOYSES, &c. Hebr. *Quam dedit eis Moſes ultra Iordanem ab oriente*, *ſicut dedit eis Moſes ſervus Dei*. Bis idem videtur dicere: quidam prius membrum referunt ad aſſignationem conditionatam, qua Moſes Rubenitis, & Gaditis, ac dimidiæ tribui Manaſſitarum deſignaverat poſſeſſiones ultra Iordanem, ſi fratres ſuos ceteros Iſraelitas comitarentur in expeditionem Chananaicam: ſecundum membrum, volunt eſſe executionem abſolutam, qua Ioſue ratam firmam habere voluit eam Moſis diſtributionem, plane ſicut ab eo facta fuerat, cum illi exacte conditionem explevisſent.

V. 14. SED SACRIFICIA ET VICTIMAE DOMINI DEI ISRAEL, IPSA EST EIUS HEREDITAS. Hebr. *Ignita* IHUH *Dei Iſrael*, *ipſa hereditas eius*. Notant, eſſe ſynecdochen ſimul, & metonymiam: nam ſpecies pro omni oblationum genere; & igni conſumenda pro parte eo-

rum aſservata levitis ponuntur. Vide Numeror. xviii.

V. 17. Et Hesebon. Hanc habuerunt communem Reubenitæ cum Gaditis: unde factum eſt, ut infra cap. xxi. verſ. 39. a Gaditis dicatur Levitis data: de qua vide Num. xxi. verſ. 25. Et oppidum Baalmaon. Hebr. *&* *Beth-Baghal-Meghon*. Vide quæ de hac urbe annotavimus Numer. xxxii. verſ. 3. & 38.

V. 18. Et Iassa. De hac diximus Numeror. xxi. verſ. 23. Et Cedimoth. De iſta vide Deuteron. ii. verſ. 26. Et Mephaat. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Mephaath eſt trans Iordanem; in qua præſidium Romanorum eſt militum propter vicinam ſolitudinem*. Forſitan quæ in Notitia Imperii dicitur *Mobaila*: *Equites ſagittarii indigenæ*, *Mobailæ*: vel *Molebaa*. *Cohors prima Flavia Moleabæ*. מיפעת *Mephaghat*. Hebræi componunt ex מי *me*, *aquis*, & פעה *paghah*, *ſibilare*; quaſi dicas, *Aquas ſibili*, vel *ſibilantes*: forte quod ibi eſsent ſcaturigines, ſeu rivuli aquarum murmurantes, & ſibilantes. Alii, *Aquas clamoris*, ſeu *aquas clamantes*, vel *ſonantes* exponunt, forſitan a ruentis fluvii, vel fontis ſonitu: ut Catadupæ Nili.

V. 19. Et Cariathaim. De ea vide Numer. xxxii. verſ. 37. Et Sabama. Hebr. *Sibmah*. De hac vide Numer. xxxii. verſ. 3. & 38. Et Sarathasar. Hebr. *Tzereth-Schachar* (צרת-השחר *Tzereth-Haſchſchochar*.) Sonat, *Coarctationem*, *anguſtiam*, *auroræ*. Fortaſse quod ea urbs poſita fuerit in aliquibus montium anguſtiis, quo arcte, ac tarde aurora, ſeu lux matutina penetraret. Alii exponunt, *Effigiem*, *figuram*, *auroræ*; ſeu *balſamum auroræ*, quod iucundo, gratoque aſpectu urbs eſset, & fortaſſis matutinis horis odore flagraret ſuaviſſimo. In valle aliqua montis cuiuſpiam ſitam fuiſse, perſpicue divinus Auctor affirmat, nam ait: In monte convallis, id eſt in monte cui vallis ſubiecta erat: vel ſit hypallage, *in convalle montis*. Quidam reddunt, *In montanis illius convallis*. Alii, *Quæ ſita eſt in monte planitiei*, id eſt in tumulo qui in planitie eminet.

V. 20. Bethphogor. De hac urbe vide Numer. xxxiii. verſ. 28. Asedoth Phasga. Vide Deuter. iii. verſ. 17. Bethiesimoth. Vide Num. xxxiii verſ. 49.

V. 21. Duces Sehon. נסיכים *neſichim* exponunt, *fuſos*, *unctos*, *inunctos*, *inauguratos*, ſcilicet olei, ſeu unguenti infuſione, *ordinatos*, *præordinatos*, *præfectos*, *magnates*, *principes*, *toparchas*, *Sichonis*. Vide de his Numer. xxxi. verſ. 8.

V. 23. Factusque est terminus filiorum Ruben Iordanis fluvius. Hebr. *Et fuit terminus filiorum Reuben*, *Iordanis*, *&* *terminus*. Quidam reddunt, *Et terminus eius*: vel *cum termino eius*; id eſt, & regio ipſa adiacens ſive confinis illi. Sic verſ. 27.

V. 25. Terminus Iazer. De Iazer egimus Numeror. xxi. verſ. 32. Dimidiam partem terrae filiorum Ammon. Exponunt, quam ſcilicet ademerat cis Sichon, Numeror. xxi. verſ. 26. nam attingere quidquam eorum quæ adhuc poſſidebant Hammonitæ, expreſse prohibuerat Deus Deuter. ii. verſ. 19. unde Iephthe Iudicum xi. verſ. 15. negat Iſraelitas quidquam occupaſse, quod ad Hammonitas pertineret. Verum illo loco Numerorum nulla fit mentio Hammonitarum, ſed Moabitarum. Potuit fieri ut cum parte Moabitarum, partem quoque Hammonitarum abſtulerit Sehon, quam nunc ſibi vendicant Gaditæ. Alii aiunt, commemorari hic dimidiam partem Hammonitarum, non quod eam obtinuerint Gaditæ, ſed quod ea Gaditarum poſseſſionem ab oriente terminaret. Quae est contra Rabba. De Rabba vide Deuter. iii. verſ. 11. Quidam vertunt: *Quæ eſt ante conſpectum Rabbæ*.

V. 26. Usque Ramoth Masphe. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Ramoth in tribu Gad civitas ſacerdotalis*, *&* *fugitivorum in terra Galaaditide*. *Nunc autem eſt vicus in quinto decimo milliario Philadelphiæ contra orientem*. De Maſpheh diximus ſupra cap. xi. verſ. 3. Ramath Maſpheh eſſe eam ipſam, quæ dicta ſæpius in Scriptura reperitur Ramoth Galaad, complures optima coniectura exiſtimant. Vide Notas Deuteron. iv. verſ. 43. רמות מצפה *ramoth mitzapheh* Hebræis ſignificat *celſitudinem ſpeculæ*. Hiſpanice, *Cumbre de la atalaya*: fortaſſe quod urbs eſſet poſita in excelſo loco, unde eſſet ſpecula in totam regionem. Vide ſupra cap. xi.

verſ.

verſ. 3. ET BETONIM. Quidam hanc urbem nomen habere putant ab arboris fructu illis locis celebri, atque frequente, quem quidam pinearum, alii piſtaceorum eſſe volunt: atque Hiſpanicum nomen eſt *Pitiones*, vel *Alſociges*, quo nomine piſtacea ab Hiſpanis appellantur. Ceterum Hebraica vox pluralis בטנים *betonim*, unde hic locus dictus videtur, ſolum reperitur Geneſ. XLIII. verſ. 11. Ubi, uti vidimus, varie eam reddunt: 1. *terebinthos*; 2. *pineas*; 3. *poceas*; 4. *cotylos*, ſeu *avellanas*; 5. *iuglandes*; 6. *dactylos*. Ergo ab aliqua iſtarum arborum, vel fructuum, quorum ibi copia eſſet, hic locus dictus apparet *Betonim*. Niſi forte quis malit, a colliculis ſeu tumulis, qui in modum ventrium iis locis eminerent, nomen oppido inditum. Nam בטן *beten* eſt *venter*, ſeu *prominentia*. ET MANAIM. Hebr. מחנים *Machanaiim*. Euſebius, & S. Hieronymus in locis: *Manaim in tribu Gad ſeparata Levitis, in regione Galaaditide*. Diximus de hoc loco Geneſ. XXXII. verſ. 2. Sonat *caſtra duplicia*, vel *caſtra duo*, ſeu *caſtra gemina*: quod ibi Iacob viderit duas acies, ſeu legiones Angelorum. USQUE AD TERMINOS DABIR. Non eſt hæc Dabir illa Iudaicæ ſortis, prope Hebronem, de qua dicimus cap. XV. verſ. 15. ſed alia ultra Iordanem in tribu Gad, de qua Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Dabir ſuper Iordanem civitas Amorrhæorum*. Quidam coniectantur ſitam fuiſſe prope ad oſtium Iabok, quo is in Iordanem effunditur. Aliqui annotant nomen דבר *Debir* ad architecturam, ædificiaque pertinere, partemque ædium internam & reductam ſignificare, quam Hiſpani vel a forma *quadram*, vel ab ſecretiore uſu *cameram*, ſeu *retrete* vocant. Sed de vocis etymo dicemus cap. XV. verſ. 15. Obſervant, quatuor iſtas urbes, Ramath-Mithzpheh, Betonim, Machanaim, & Debir pertinuiſſe ad terminos aquilonales verſus orientem ſortis Gaditarum.

V. 27. BETHARAN. De hac urbe diximus Numeror: XXXII. verſ. 36. ubi בית הרם *Beth-haram* vocatur. *Domum excelſi*, ſeu *domum excelſam* interpretantur: Hiſpanice, *Alta caſa*; quod fortaſse in edito loco ſita eſſet. BETHNEMRA. Vide de hac urbe Numeror. XXXII. verſ. 3. & 36. SOCHOTH. De hac urbe vide Geneſ. XXXIII. verſ. 17. & I. Regum VII. verſ. 46. ET SAPHON RELIQUAM PARTEM REGNI SEHON. Heb. *Et Tzaphon, reſiduum regni Sichon*. Quidam hic צפון *Tzaphon*, non pro nomine proprio alicuius urbis accipiunt, ſed appellative exponunt: *Et aquilonalem tractum reſiduum regni Sichonis*. Plerique alii nomen proprium urbis eſſe volunt, de qua Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Saphon in tribu Gad ſuper Iordanem*. Nomen ab aquilone, ſeu circio habere putant, Hiſpanice, *Tramontana*, a ſitu fortaſſe, quod eius tractus extrema eſſet ſecundum boream. Aut quod in receſſu aliquo occulta, & abſcondita eſſet: aut quod circio vento infeſtaretur.

V. 30. OMNESQUE VICOS IAIR. Hebr. *& omnes chavoth Iair*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Avoth Iair: quod interpretatur ἔπαυλις Iair, hæc eſt Baſan, in qua ſunt vici ſexaginta in monte Galaad, qui ceciderunt in ſortem dimidiæ tribui Manaſſe: qui locus nunc vocatur Golam in terra Batanea*. חוות *chavuoth* ſignificat *vivaria, villas, pagos*. Vide de his Numeror. XXXII. verſ. 41. יאיר *Iair* vero ſonat *clarum, illuſtrem*.

V. 31. DIMIDIAE PARTI FILIORUM MACHIR. Annotant, ſex alios filios Machir, hereditatem accepiſse citra Iardenem cum novem tribubus, infra cap. XVII. verſ. 2. De terminis quoque dimidiæ tribus Manaſſis ultra Iordanem, vide I. Paralip. V. verſ. 23. Quod vero, quæ prius dicta fuit dimidia tribus Manaſſis, nunc dicatur dimidia pars filiorum Machir, cum I. Paralipom. VII. verſ. 14. ſcribatur primogenitum Manaſſis fuiſse Ezrielem: Hebræorum quidam putant Ezrielem non filium, ſed pronepotem fuiſse Manaſſis, ut diſerte habetur Numeror. XXVI. verſ. 30. & 31. Alii Ezrielem primogenitum Manaſſis, obiiſe abſque liberis, atque ita univerſam Manaſſis ſtirpem ad Machirem recidiſse. Certe Machir aperte pronuntiatur primogenitus Manaſſis, Numer. XXVI. verſ. 29. & Ioſue XVII. verſ. 1.

V. 32. TRANS IORDANEM CONTRA IERICHO. Hebr. *de trans Iordani Iericho*. Vide de hac locutione Numeror. XXII. verſ. 1.

Digitized by Google

MENOCHII.

Verſ. I. QUAE NECDUM SORTE DIVISA EST. Hebr. potius ſignificare videntur multum terræ nondum occupatæ relictum eſſe; ſed bene noſter Interpres: nam & quæ occupata erant, & quæ occupanda, ſorte erant dividenda.

V. 2. UNIVERSA GESSURI, terram ſcilicet quam Geſſuræi occupaverant, a mari ſcilicet per aquilonarem oram ſecundum Syriam. De iſtis ergo Geſſuræis agitur, non de illis qui Amalecitis vicini erant, quos tandem Saul delere iuſſus eſt I. Regum xv.

V. 3. A FLUVIO TURBIDO, Nilo ſcilicet. IN QUINQUE REGULOS, ditiones ſcilicet quinque regulorum.

V. 9. AROER QUAE SITA EST IN RIPA TORRENTIS ARNON, ET IN VALLIS MEDIO. Vel una tantum fuit civitas in ripa Arnon poſita, & in alveum uſque ædificiis producta; vel quaſi bipartita civitas, quarum partium altera in crepidine torrentis, ſive fluvii, altera brevi intervallo diſſita, in alveo inferiori poſita eſset.

V. 13. IPSE FUIT DE RELIQUIIS RAPHAIM, *de gigantum ſtirpe*, ut multi vertunt; Chald. vertit, *de reliquiis fortium*. NOLUERUNTQUE DISPERDERE FILII ISRAEL GESSURI, ET MACHATI: quia ad dandum ſedes duabus tribubus cum dimidia, tunc ſatis agrorum, & urbium ſuppetebat, illis intactis.

V. 17. HESEBON, de qua ſermo eſt Numer. XXI. 26. Dicitur, eam prius Moabitarum fuiſse, & ab Amorrhæis bello captam. BAMOTH BAAL, id eſt *excelſa Baal*; locus ex quo Balaam benedixit Iſraeli Num. XII. BAALMAON, quæ & *Beelmeon*, civitas inclyta, Numeror. XXXII. I. Paral. V. Ezech. XXV. & ibi Hier. qui teſtatur ſuo tempore fuiſse vicum maximum Moab. *Baalmaon* ſignificat *idolum populi*.

V. 18. IASSA, urbs in tribu Ruben, quam attribuerunt Iſraelitæ Levitis. Prophetarunt contra eam Iſaias cap. XV. & Ierem. XLVIII. D. Hieronym. de locis Hebr. ſua ætate illius memoriam affirmat in ruinis celebratam. *Iaſſa* rixam ſignificat. CADIMOTH, ſive *Cademoth* civitas Levitarum, de qua I. Paral. VI. a qua ſolitudo eiuſdem nominis. Significat *incendium*, ſeu *curvationem mortis*. MEPHAATH, civitatum dicta etiam *Miphaaca*, & *Mephet*, & *Maſpha*. Significat *apparitionem aquarum*.

V. 19. CARIATHAIM. Significat *lectiones*, ſeu *vocationes*. De hac urbe prophetaverunt Hierem. XLVIII. & Ezech. XXV. SABAMA, urbs validiſſima, quam fabricaverunt filii Ruben, cuius ſuburbana, & territorium vineis abundabat. Significat *converſionem*, ſive *captivitatem*, ſive *canitiem* SARATHASAR, id eſt *plaſmatio matutina*, in monte convallis Bethphogor.

V. 20. BETHPHOGOR, id eſt *fanum Phogor*, civitas, in qua idolum Phogor, id eſt Priapi, colebatur. ASEDOTH, PHASGA, id eſt *viculus collis*. Hæ tamen duæ voces in correctis bibliis ſeparantur, ut duorum locorum nomina ſint, quorum alter ſit dictus Aſedoth, alter Phaſga. BETHIESIMOTH, id eſt *domus vaſtationum*. Eam vocat Adrichomius urbem inclytam in limite aquilonari campeſtrium Moab ſitam.

V. 22. UNIVERSAQUE REGNA SEHON REGIS: ſenſus eſt, quem ex Hebræo ita quidam vertunt: *Atque omnes urbes planitiei, quæ omnes fuerunt regni Sehonis*: neque enim totum regnum Sehonis attributum fuit Rubenitis, ſed tantum pars quædam.

V. 22. ET BALAAM FILIUM BEOR, &c. quem ſcilicet mirabilia quæ acciderant populo Iſrael, cui benedixerat, ab idololatria abducere non potuerunt; eum cum ſuis exitio eodem involvit iuſta Dei vindicta.

V. 23. TERMINUS FILIORUM RUBEN IORDANIS, terminus ſcilicet occidentem verſus.

V. 24. CUIUS HAEC EST DIVISIO. Tribus Gad ab auſtro Rubenitis confinis erat; ab ortu Ammonitis, & montibus Arabicis; a ſeptemtrione ultra Iaboc porrigebatur, uſque ad Manaim, unde quodam veluti deſcenſu excurrebat ad ipſum Iaboc oſtium, prope in ea extremitate lacus Tiberiadis, qua Iordanis efluit.

V. 25. TERMINUS IASER, terminus ſcilicet meridionalis. *Iaſer* ſignificat *auxiliatricem*. Fuit olim in ditione Moabita-

rum,

rum, ut habemus ex Iſai. xvi. 8. & Ierem. xlviii. 32. ET OMNES URBES GALAAD, quæ ſcilicet non pertinent ad tribum Manaſſis: nam hæc etiam dimidiam partem habuit Galaaditis, ut dicitur num. 31. ET DIMIDIAM PARTEM TERRAE FILIORUM AMMON. Lyranus putat, Amorrhæos partem ditionis Ammonitarum occupaſſe, eamque, pulſis Amorrhæis, Iſraelitis ceſſiſſe; alioqui Iſraelitæ Ammonitarum regionem occupare vetiti fuerant propter Lot, a quo genus ducebant. Maſius tamen putat, tantum vetuiſse Dominum Moabitis regionem auferri, quod Numeror. xxii. illorum tantum mentio fiat, ſed utriuſque populi par conditio fuiſſe videtur, cum eadem ratio militet. AROER, quæ etiam Ar, & Arnon, Moab, & Rabbathmoab, hoc eſt grandis Moab, dicitur, urbs ſita ad ripam torrentis Arnon in confinio Moabitarum, Amorrhæorum, & Ammonitarum. RABBA: ita dicta ob magnitudinem: alio nomine vocata fuit Ammon, & urbs aquarum, quod Iaboc amnis eam præterlabitur, dicta deinde eſt Philadelphia. Urbs regia, & metropolis Ammonitarum.

V. 26. RAMOTH MASPHA, nomen eſt loci unius: poſt Heſebon enim montes erant, *Ramoth Maſpha* dicti, quos latine *ſpeculæ colles* appellare poſſumus. LXX. *κατὰ τὴν Μασφὰ iuxta Maſpha*. BETHONIM, ſive *Bethanim*.

V. 27. IN VALLE QUOQUE, &c. Civitates, quæ hic recenſentur mediterraneæ erant, & intra planitiem ipſam ſitæ. BETHARAM ſignificat *domum excelſam*, BETHNEMRA, *domus pardi*. SOCOTH, *tuguria*. SAPHON, *circius*, quod nomen eſt venti, cui expoſita fortaſſe fuit urbs illa.

V. 30. MANAIM, id eſt *caſtra*. Hic Iacob obvios habuit Angelos Dei, unde & loco nomen impoſuit. IAIR. Alii ſcribunt *Iahir*. Significat *illuminans*, ſive *illuminatus*.

V. 31. ASTAROTH, quæ etiam dicitur Aſtaroth Carnaim, regia ſedes Og Regis Baſan. EDRAI, quam S. Hieronymus ſuo tempore extitiſſe ait, & Adar, ſive Adaram fuiſſe dictam.

V. 32. IN CAMPESTRIBUS MOAB: regio enim illa plana magna ex parte, & campeſtris erat, licet montibus eſſet contigua. Dicuntur campeſtria Moab, quia antequam illa loca occuparent Amorrhæi, ea Moabitæ tenuerant.

V. 33. UT LOCUTUS EST ILLIS Num. xviii. 20.

TIRINI.

Verſ. 3. A FLUVIO TURBIDO, id eſt a Nilo, qui Hebraice *Sichor*, id eſt *turbidus*, dicitur, Græce *μέλας*, id eſt *niger*, quia aqua eius limo eſt turbida, & quaſi nigra, Ita S. Hieronymus, Vatablus, Lyranus & Maſius. Puto tamen hic non tam ipſum Nilum deſignari, quam rivum Nili, ſeu torrentem illum qui de deſerto venit, & inter Rhinocoluram fluvium & Peluſium urbem in mare delabitur: unde alibi *torrens Ægypti a*, alibi *torrens deſerti b* vocatur; eſtque ex ea parte limes terræ ſanctæ, ſicut verſus Syriam limes alter erat *Emath* minor, alias *Epiphania*. Nomen vero *Rhinocolara* accepit, ut vult Strabo, a *ῥὶν*, id eſt *naſus*, & *κολουρὸς*, id eſt *truncus*: eo quod Ægyptii eo aliquando duxerint coloniam facinoſorum, naribus truncatorum; ut hac ſua deformitate aliis exemplo eſſent, & terrori.

V. 5. EIUSQUE CONFINIA. In Hebræo, Chaldæo & Græco additur, *terræ Gibli*, de qua I. Reg. v. verſ. 18. & Ezech. xxvii. verſu 9. Porro quæ hic dici poſſent de diviſione terræ ſanctæ in partes æquales, item de ſortitione tribuum, & cetera huc ſpectantia, vide Num. I. 26. 53. ubi illa explicui.

Tantum hic notandum, eam diviſionem quæ ſexto hoc ab ingreſſu terræ ſanctæ anno facta fuit in Galgalis, ut hoc capite, & ſequentibus deſcribitur, ultra tres tribus progreſſam aut effectum ſortitam non fuiſſe. Solæ enim tribus Iuda, & Ephraim cum altera dimidia Manaſſe, ſedes quæ ſibi ſortitione obvenerant, de facto adierunt; reliquæ ſeptem tribus adire ſeu noluerunt, ſeu neglexerunt, forte metu vicinorum hoſtium, quibus putabant ſingulas tribus iam per domicilia diſperſas reſiſtendo non fore, proindeque conſultius putarunt, caſtra ad tempus collecta manere, etiam Ioſue, & principibus approbantibus. Forte etiam inæqualitate ſortium offen-

offenſi, maxime in re non ſai comperta, voluerunt rem tantiſper differri, donec accuratiore ſtudio geometrarum, oculari inſpectione legatorum, & imprimis fluxu temporis, ipſaque experientia certius omnia innoteſcerent. Nam hæ dilationis cauſæ videntur inſinuari cap. XVIII. verſ. 3. & ſequentibus, ubi narratur perfectam demum poſt alterum annum fuiſſe in Silo ſortitionem terræ quæ hic inchoatur: nam ſeptem reliquæ tribus adierunt tunc etiam ipſæ ſuam ſingulæ hereditatem.

Nota tamen ſecundo, neque ab hac poſteriore tribuum ſortitione in Silo, neque a priore in Galgalis cæpiſſe ſubduci annos ſabbaticos, & iubilæos, quos Levitici XXV. Deus inchoari præceperat poſteaquam ingreſſi fuiſſent terram. Nam primo ab ingreſſu anno, devictis iam Chananæis, ac cæſis 12. regibus, cap. X. 42. & occupatis omnium terris, utique & cultis, ſaltem magna ex parte, quid dici poteſt defuiſse quo minus a Tiſri, ſeu Septembri menſe (nam ab illo auſpicabantur Hebræi ſuos annos ſabbaticos, & iubilæos, ut dixi in Chronico, cap. V.) terram incolere, & poſſidere dicerentur? Nam quod tribus mallent adhuc ad aliquod tempus ſuas in commune terras poſſidere, non impediebat poſseſſionem, aut inhabitationem, aut uſum, ſed ſolam diviſionem inter tribus. Vide plura hac de re in noſtro Chronico, cap. 21.

(a) Ioſue XV. verſ. 4.
(b) Amos VI. verſ. ult. Strabo Lib. XVI.

G O R D O N I.

TOto hoc cap. XIII. hortatur Deus Ioſue ad terræ diviſionem. Deinde commemorat quæ data ſit trans Iordanem tribubus Ruben, Gad, & Manaſſe, ut conſtet veniendum eſſe ad hereditatem deſignandum novem aliis tribubus & dimidiæ. Itaque tota Hebræis adiudicata divinitus terra (ut trans iordanicam omittam, tribubus Ruben, Gad, & dimidiæ tribui Manaſſe) diviſa eſt in novem tribus & dimidiam, & quidem æqualiter, habita proportione tribuum in ſuo numero & magnitudine, Num. cap. XXXII. verſ. 54. Sed an hæc ciſiordana pars fuerit tota diviſa, an tantum pars illius nunc occupata a Ioſue, eſt quæſtio: partem tantum occupatam accipit Abulenſis diviſam; alii tam occupatam, quam deinceps occupandam: quod probabilius eſt ſaltem. Probabile primo eſt diviſionem factam fuiſſe terræ, quam hi Hebræi acceperunt, & incoluerunt ante Davidis, & Salomonis tempora, qui multo imperarunt latius. Sane nec anguſtioribus his poſſeſſæ terræ finibus contenta fuit ampla, & ſæpe repetita divina promiſſio; ſed ipſi ob ſua peccata reddiderunt ſe indignos hac ampliore terra promiſſa, & extenſione uſque ad magnum flumen Euphratem. Itaque peccantibus Hebræis, defuit conditio appoſita promiſſioni, & contractui. Sunt qui hanc poſseſſionis extenſionem ampliorem ſub Davide, & Salomone factam, putant cum S. Hieronymo, fuiſse non quidem iure proprietatis, ſed ex fœdere, & amicitia acceſſiſse; ſed obſtant loca Scripturæ. Nam II. Reg. cap. VIII. Syria capitur a Davide, & ſervit ſub tributo. Item III. Reg. cap. IV. Salomon habuit in ſua ditione titulo proprietatis omnia regna a flumine uſque ad terminum AEgypti.

Sed nec ſatis adhuc terræ promiſsæ termini omnes ſunt explicati, immo nec Scriptura ipſa totius terræ promiſsæ terminos explicat omnes. Ceteri etiam ſcriptores non dant eamdem terræ huius longitudinem vulgarem, aut latitudinem geographicam. Poſtellus in Coſmographiæ compendio, putat Chananæorum regionem, ne vix quidem æquare Galliam Ciſalpinam: alii cum Hieronymo, aut etiam aliter quam ille, milliaria numerant, quam rem non male aſſecutus videtur Brochardus.

Atqui demum termini? Sane regio Chananæorum antiquorum (late accepto nomine Chanaan) adiudicata Hebræis, quatuor hos habet terminos, Iordanem, Mare magnum Libanum, & AEgypti fluvium. Et quidem a Libano in Sydoniorum finibus uſque ad AEgypti fluvium ſpatium eſt ut minimum, & iter octo dierum. A mari vero ad Iordanem trium dierum iter. Hinc a Dan urbe (quæ ad radices Libani) uſque Berſabee (ultima Iudææ civitas ad meridiem) numerari ſolent 160. milliaria; maior vero latitudo, ſi (ut paulo ante dicebam) ponas Euphratem terminum. Lucem addet his diviſio nunc vulgatis in Idumæam, Iudæam, Samariam, & Galilæam. Idu-

mæa

maæa a lacu Sirbonis protenditur in occidentem: urbes ſunt *Rhinocorura*, *Raphea*, *Anbedon*, *Aſcalon*, *Azotus*, & *Gaza*. Iudæa iuncta Idumææ eſt ab auſtro & occidente: urbes ſunt *Ieruſalem*, *Ceſaræa*, *Bethleem*, *Hebron*, *Cypris*, ac trans Iordanem *Macherus*, & *Pentapolis*. Samaria inter mare magnum & lacum Tybeberiadis: urbes *Sichem*, *Capharnaum*, *Genezareth*, *Corozaim*, *Magdalum*, & *Bethſaida*. Galilæa ab ortu reſpicit Syriam cavam, ab occaſu Phœniciam, ab auſtro Samariam: urbes *Nazareth*, *Nain*, *Cada*, *Gadara*. Duplex erat Galilæa, una gentium in tribu Nephthalim, altera in tribu Zabulon. Hæc obiter.

Κληρυχία.

Adfuit huic operi exequendo Deus, non tantum communi concurſu, ut in aliis rebus, ſed etiam ſpeciali ductu dirigendo ſortes, pro ratione tribuum, cum ex urna extrahebantur: & ſorte ſic, ut coniectis ſortibus in urnam (ſub inæqualitate tam varia, & multiplici, quantam poſtulabat tribuum, & perſonarum inæqualitas) adſtarent aliqui periti geometræ, deſignati, ex quorum iudicio ſtaret, cui tribui (habita ratione amplitudinis) daretur ſors extracta continens talem portionem terræ: & ſic quælibet tribus ſuas accepit terræ dividendæ portiones; prout inferius refert hæc ſacra hiſtoria.

V. 6. & 7. Promittit Deus verſ. 6. fore ut deleat hoſtes nondum debellatos. Non eſt factum hoc ante diviſionem terræ, quod populus Hebræorum non tot haberet homines, prætertim duces, & principes, qui tam vaſtis regionibus ſufficerent. Immo hæc promiſſio poſtea vel non eſt eſt impleta ob peccata populi, vel non ante Davidem. Interim iubet Deus verſ. 7. terram dividere.

V. 8. Moſes quidem diviſit terram trans Iordanem, ut verſ. 8. & 15. & verſ. 32. narratur. Reſtabat terra dividenda cis Iordanem per Ioſue, ut explicat caput decimum quartum, ubi de Caleb, & caput decimum quintum, ubi de diviſione.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 2. Geſſuræi iſti non ſunt illi Amalecitis vicini, ſed qui ſunt a mari peraquilonem verſus Syriam.

V. 3. A fluvio turbido. Nilus eſt.

V. 8. Hinc uſque ad finem capitis proponitur diviſio facta a Moſe trans Iordanem. De ſitu harum urbium, quod geographicum eſt, abunde Andricomius.

V. 12. Raphaim, gigantum.

V. 17. Hesebon. Vide Num. XXI. verſ. 26.

C A P U T XIV.

Caleb accipit Hebron in hereditatem ſibi promiſſam, eo quod aliis exploratoribus detrahentibus terræ promiſſæ, ipſe ſecutus ſit Dominum.

1. HOc eſt quod poſſederunt filii Iſrael in terra Chanaan, quam
dederunt eis Eleazar ſacerdos & Ioſue filius Nun, & prin-
cipes ſamiliarum per tribus Iſrael: 2. ſorte omnia dividen-
tes, (*a*) ſicut præceperat Dominus in manu Moyſi, no-
vem tribubus, * & dimidiæ tribui. 3. Duabus enim tri-
bubus, & dimidiæ, dederat Moyſes trans Iordanem poſſeſ-
ſionem: abſque Levitis, qui nihil terræ acceperunt inter
fratres ſuos: 4. ſed in eorum ſucceſſerunt locum filii Ioſeph in duas diviſi tri-
bus, Manaſſe & Ephraim: nec acceperunt Levitæ aliam in terra partem, niſi
urbes ad habitandum, & ſuburbana earum ad alenda iumenta & pecora ſua.
5. Sicut præceperat Dominus Moyſi, ita fecerunt filii Iſrael, & diviſerunt ter-
ram. 6. Acceſſerunt itaque filii Iuda ad Ioſue in Galgala, locutuſque eſt ad eum
Caleb filius Iephone Cenezæus: (*b*) Noſti quid locutus ſit Dominus ad Moy-

ſen hominem Dei de me & te in Cadesbarne. 7. Quadraginta annorum eram quando miſit me Moyſes famulus Domini de Cadesbarne, ut conſiderarem terram, nuntiavique ei quod mihi verum videbatur. 8. Fratres autem mei, qui aſcenderant mecum, diſsolverunt cor populi: & nihilominus ego ſecutus ſum Dominum Deum meum. 9. Iuravitque Moyſes in die illo, dicens: terra, quam calcaverit pes tuus, erit poſseſſio tua, & filiorum tuorum in æternum: * quia ſecutus es Dominum Deum meum. 10. Conceſſit ergo Dominus vitam mihi, ſicut pollicitus eſt uſque in præſentem diem. Quadraginta & quinque anni ſunt, ex quo locutus eſt Dominus verbum iſtud ad Moyſen, quando ambulabat Iſrael per ſolitudinem: hodie octoginta quinque annorum ſum, 11. ſic valens, ut eo valebam tempore, quando ad explorandum miſsus ſum: (c) illius in me temporis fortitudo uſque hodie perſeverat, tam ad bellandum, quam ad gradiendum. 12. Da ergo mihi montem iſtum, quem pollicitus eſt Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim ſunt, & urbes magnæ atque munitæ: ſi forte ſit Dominus mecum, & potuero delere eos, ſicut promiſit mihi. 13. Benedixitque ei Ioſue: & tradidit ei Hebron in poſseſſionem: 14. atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezæo uſque in præſentem diem: quia ſecutus eſt Dominum Deum Iſrael. 15. Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt: & terra ceſsavit a præliis.

(a) Numer. xxxiv. 13. (b) Numer. xiv. 24. (c) Eccli. xlvi. 11.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Et dimidiæ tribui*. Non addas *Manaſſe*.

V. 9. *Quia ſecutus es Dominum Deum meum*. Non mutes pronomen primæ perſonæ *meum* cum ſecundæ *tuum*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 2. IN MANU MOYSI, id eſt per Moyſen.

V. 6. CENEZAEUS, id eſt filius Cenez. Vide inf. cap. xv.

V. 10. QUADRAGINTA ET QUINQUE. Hinc quidam colligunt, ſeptem annis diviſam terram a Ioſue, quod Caleb quadrageſimo miſſus ſit cum exploratoribus, deinde annis 38. vagati ſint in deſerto, ſecundo enim anno ab egreſſu ex AEgypto miſſus eſt.

V. 12. ENACIM, id eſt gigantes.

V. 13. BENEDIXITQUE, id eſt laudavit, vel bene eſt precatus. HEBRON, ſcilicet agrum, & ſubiecta ei caſtella: nam Hebron fuit Levitarum. Vid. inf. cap. xxi.

V. 15. ADAM MAXIMUS, &c. quaſi dicat: Ille Arbe fuit maximus, id eſt clariſſimus inter gigantes, ibique ſepultus, unde urbi nomen, quamquam nec Hebr. nec Chald. nec apud LXX. ſunt illa verba, *Ibi ſitus eſt*. Chald. *homo magnus in fortibus, ipſe*, ſcilicet Arbe. Hebr. *Homo magnus inter gigantes, ipſe*. LXX. *Metropolis civitatum Enacim, ipſa*.

E S T I I.

Verſ. 7. NUNTIAVIQUE EI QUOD MIHI VERUM VIDEBATUR. Subindicat Caleb quod alii exploratores non omnino ex veritate nuntiaverint: de quo vide plenius Num. XIII.

V. 12. DA ERGO MIHI MONTEM ISTUM, QUEM POLLICITUS EST DOMINUS. Ubi ſpecialiter de hoc monte Caleb promiſſum ſit non legitur; ſed dicendum eſt, nihilominus verum dicere Caleb, maxime quod diceret hæc coram Ioſue, horum omnium optime conſcio; tum etiam in promiſſo Dei per Moyſen, quod habetur Num. XIV. videtur hoc includi. Sic enim ibi legitur: *Servum meum Caleb, qui plenus alio ſpiritu ſecutus eſt me*,

iudu-

Digitized by Google

inducam in terram hanc quam circuivit: *& ſemen eius poſſidebit eam*, quaſi dicat: Ille ſpecialiter quamcumque viriliter expugnaverit portionem, merito poſſidebit.

*V.*13. & 14. ET TRADIDIT EI HEBRON IN POSSESSIONEM. ATQUE EX EO FUIT HEBRON CALEB... USQUE IN PRAESENTEM DIEM. Quomodo hæc conſiſtant cum eo quod infra cap. XXI. Hebron cum ſuburbanis eius datur filiis Aaron, vide eius loci Annotationes.

*V.*15. NOMEN HEBRON ANTE VOCABATUR CARIATH ARBE; ADAM MAXIMUS IBI INTER ENACIM SITUS EST. *Civitas arbe*, id eſt *civitas quatuor*. Siquidam eam civitatem dictam putant, quaſi ibi ſepulti ſint quatuor primarii Patriarchæ, putant videlicet Adam, Abraham, Iſaac, & Iacob, cum uxoribus Eva, Sara, Rebecca, & Lia. Alii propter quatuor Gigantes ibi ſepultos. Alii denique dicunt, *Arbe* eſſe proprium nomen viri, qui in ea civitate regnaverit, & ab eo civitatem appellatam *Cariath-Arbe*. Et hæc ſententia maxime probabilis eſt, ut colligitur capite ſequenti, ubi dicitur quod Caleb data fuerit Cariath-Arbe patri Enac. Igitur Arbe fuit pater Enac, cuius filii deinde vocati ſunt Enacim. Sane ſi appellata fuiſſet civitas a quatuor Patriarchis, veriſimiliter Caleb non mutaſſet nomen eius in Hebron. Illud autem, *Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt*, non de primo homine intelligitur, ſed Adam appellativum eſt ſignificans hominem; & ſenſus eſt: Arbe qui erat homo maximus, id eſt immenſui gigas, ibi inter ceteros gigantes ſitus eſt. Hieronymus in illud Matth. XXVII. *Quod eſt Calvariæ locus*, *&c.* ex hoc loco probare nititur Adam in Hebron ſepultum, reiiciens tamquam fabuloſum, quod ſit ſepultus in loco Calvariæ, ubi Dominus fuit crucifixus: quod tamen ſcribens ſuper Epiſtolam ad Epheſios. v. relinquit arbitrio lectoris.

M A R I A N AE.

Verſ. I. HOC EST QUOD POSSEDERUNT. Hebr. *Et hæc quæ hereditate acceperunt filii Iſrael.*

V. 2. IN MANU MOYSI, id eſt per Moyſem, Moyſe internuntio præcepit id Deus. Levitæ terram non acceperunt.

V. 4. SED IN EORUM SUCCESSERUNT LOCUM FILII IOSEPH. Hebr. *Quia fuerunt filii Ioſeph duæ tribus*; quaſi dicat: Ne mireris, demptis Levitis conſtare numerum tribuum duodecim, quia filii Ioſeph duas tribus faciunt: quod ipſum Noſter aliis verbis dixit. URBES ſolum, & SUBURBANA EARUM AD ALENDA IUMENTA (ad omnem cæli plagam mille cubitos, Numer. XXXV. verſ. 4.) Levitæ acceperunt.

V. 6. LOCUTUSQUE EST AD IOSUE CALEB....CENEZAEUS. Pater Calebi fuit Iephone, avus Cenez. Itaque cap. XV. verſ. 17. ubi Orhoniel dicitur filius Cenez, nepos intelligatur.

V. 7. NUNTIAVIQUE EI QUOD MIHI VERUM VIDEBATUR. Hebr. *ut* (erat) *cum corde meo:* ſcilicet nuntiavi quod ſentiebam, de terra quam exploravi: ſic ait Caleb. Alii exploratores.

*V.*8. DISSOLVERUNT COR POPULI. Hebr. *liquefecerunt*. SECUTUS SUM DOMINUM. Hebr. *Implevi poſt Dominum*. Qui conſecrabantur, implebant manus ſuas donis. Inde duci metaphora videtur de iis qui Deo obediunt, qui implent opere eius mandata; ut *implere* ii dicantur.

V. 9. IURAVITQUE MOYSES..... TERRA QUAM CALCAVIT. Hebr. *ſi non terra quam*; quaſi dicat: Mendax ſim, niſi &c. forma quædam iuriſiurandi.

V. 10. QUADRAGINTA ET QUINQUE ANNI SUNT. Hinc collige, ſeptem annis diviſam terram a Ioſue: nam ſecundo egreſſionis ex AEgypto anno miſſi ſunt exploratores, annis 38. vagati ſunt in deſerto. Vires tamen habeo

V. 12. AD GRADIENDUM. Hebr. *ad exeundum*, *& ad ingrediendum*; id eſt, ut ultro citroque eam, ſeu ad omnia opera facienda vires ſuppetunt. *Ingredi*, *& egredi*, paſſim converſari, humanas actiones facere ſignificat.

V. 13. BENEDIXITQUE EI IOSUE: laudavit, bene precatus eſt, conceſſit quod petiit. TRADIDIT HEBRON IN POSSESSIONEM. Agrum, & villas dediſſe intellige: nam Hebron ipſa fuit Levitarum, cap. XXI. verſ. 12.

V. 15. ADAM MAXIMUS IBI INTER ENACIM SITUS EST. Gotth. *ibi in terra Enacim*. Ex his verbis nata opi-

Digitized by Google

nio, Adam primum in Hebron ſepultum. In Hebr. non eſt illud, *Eius eſt*; hoc tantum, *Adam* (id eſt homo) *magnus in Enacim fuit*, ſcilicet Arbe, qui urbi illi nomen dedit, ſcilicet *Cariath-Arbe*, id eſt *civitas Arbe*: ſic Hebræi explicant. Sept. *Metropolis civitatum Enacim ipſa*. Itaque *Adam* ſumunt Sept. pro *civitate*, ſicut & איש *is*, *vir*, aliquando pro *cortina* ſumitur, more vocum quæ a Dialecticis vocantur tranſcendentes.

MALVENDAE.

Verſ. I. HOC EST, QUOD POSSEDERUNT, &c. Nimirum omnia iſta loca, quæ hoc, & quinque ſequentibus capitibus comprehenduntur. ET PRINCIPES FAMILIARUM. De quibus vide Num. xxxiv. verſ. 17. & ſeq.

*V.*4. ET SUBURBANA EARUM. De voce מגרש *migraſch* diſſeruimus Levit. xxv. verſ. 34. hic *ſuburbana prædia* reddunt: de quibus vide Numeror. xxxv. verſ. 2. & ſeq. AD ALENDA IUMENTA. Vocem מקנה *mikneh* elucidavimus Geneſ. IV. verſ. 20. hic *pecus*, *peculium*, *pecora*: ex verbo, *acquiſitionem*, *comparatum*, *poſſeſſionem* interpretantur. Pro *mikneh* hic poſito, Numeror. xxxv. 3. ſcribitur בהמה *behemah*, *animal*, *iumentum*, *beſtia*. Unde hic quidam animalia maiora, & armentitia accipiunt: quod Noſter ſecutus eſt. ET PECORA. קנין *kinian*, ab eodem verbo *kanah*, *acquiſivit*, exponunt, *Poſſeſſiones*, *opes*, *facultates*, *ſubſtantiam*, *bona*. Noſter, & alii greges minorum animalium intelligunt. Pro eo, Num. xxxv. 3. רכוש *recuſch* ponitur, Hiſpanice *riqueza*, id eſt *divitiæ*, *opes*, *facultates*. De qua voce diximus Geneſ. XII. 5.

V. 6. ACCESSERUNT ITAQUE FILII IUDA, &c. nimirum ut contribuli ſuo Calebo advocati patrocinarentur. Quidam notant, hæc geſta fuiſſe ante expugnatam Hebronem a Ioſue, ut oſtendit comparatio huius loci cum verſ. 36. & 37. cap. x. unde præterita perfecta vertunt in pluſquam perfecta. *Et acceſſerant filii Iehudah... Et dixerat ad eum Caleb*, *&c.* Sed ego potius exiſtimo, iam ante in prima expeditione auſtrali expugnatam a Iehoſua Hebronem, hic poſtulari a Calebo in poſſeſſionem, non in expugnationem: neque enim ullibi legitur a Calebo expugnatam Hebronem; ſed eiectos inde gigantes, qui forte primum inde a Ioſue pulſi, ſupra cap. XI. verſ. 21. 22. poſtea eo ſe contulerant, locumque aliquem munitum in monte occupaverant. Vide infra verſ. 15. CALEB FILIUS IEPHONE. Sic etiam appellatur in Numeris, & I. Paralipomen. IV. verſ. 15. כלב *Caleb*, *canem* ſignificat, & inter alia præclara canis hieroglyphica, illud fidei, & caritatis eſt inſigne. Alii *cordatum*, *coraulum*, vel *qui totus eſſet cor* (Hiſpanice *coroioſo*) interpretantur. יפנה *Iephuneh* vero ſonat *circumſpectum*, *providum*, *prudentem*. CENEZAEUS. Hanc appellationem varie Explanatores elucidant: ab avo, ſeu proavo Kenaz ita appellatum plerique cenſent. Vide Numeror. XXXII. 12. & infra cap. XV. verſ. 17. DE ME, ET TE. Hebr. *ſuper cauſis meis*, *&* *ſuper cauſis tuis*: quidam, *propter me*, *&* *te*: nonnulli, *mei cauſa*, *&* *tui cauſa*: alii, *mei gratia*, *&* *tui gratia*: aliqui, *de rebus meis*, *&* *de rebus tuis*.

V. 7. NUNTIAVIQUE EI QUOD MIHI VERUM VIDEBATUR. Hebr. *Et retuli ad eum verbum*, *ſecundum quod cum corde meo*. Quidam: *Referebam apud illum rem*, *ut erat in animo meo*. Alii: *Et retuli rem ipſam*, *ſicut erat in corde meo*; id eſt, retuli ad eum reſponſum prout ſentiebam in animo meo: nempe veritatem ipſam expoſui.

V. 8. EGO SECUTUS SUM DOMINUM. Hebr. *Et ego implevi poſt* IHUH; id eſt, implevi voluntatem eius eundo poſt Dominum. Vel *implevi ire poſt Dominum*: nempe plene ſecutus ſum Dominum. Vide de hac phraſi Numer. XIV. verſ. 24. & Deuteron. I. 36. Sic infra verſ. 9. & 14. Hiſpanicus Interpres: *Pero yo cumpli ſiguiendo a Iehova*.

V. 9. IURAVITQUE MOYSES IN DIE ILLO. Quidam hoc iuramentum promiſſorium Moſis ad Caleb, nullibi alibi in Scriptura extare aiunt, ſed hic tantum a Calebo referri, quod revera factum Moſes tamen ſacris litteris non prodiderit. Alii recte inſinuatum volunt illis Dei verbis Numeror. XIV. verſ. 24. & Deuteronom. I. verſ. 36. *Et ingredi faciam eum in terram*, *in quam venit*: *&* *ſemen eius hereditabit eam*. Hic enim indicatur Ca-

lebum

lebum poſſeſſurum eam terram quam ipſe ea in exploratione ſingulariter perluſtravit, quæ ſane fuiſſe videtur Hebron, uti innuitur Numeror. XIII. verſ. 23. Vide Com. ibi, & Num. XIV. verſ. 24. TERRA QUAM CALCAVIT PES TUUS, &c. Hebr. *Si non terra, quam calcavit pes tuus, &c.* Notant formulam hanc iurandi Hebraicam אם לא *im lo*, *ſi non*, vel *niſi*, habere vim magnam affirmandi; atque continere ſingularem apoſiopeſim, ſeu præciſionem, qua vel Deus ipſe, vel viri ſanctiſſimi religionis cauſa ſic loqui ſolent, ob reverentiam nominis Dei, ne illud uſurpent; aut potius quæ a ſumma & ſempiterna Dei natura ſunt aliena, ea ne verbis edicant. Unde cum Deus dicit, ſeu iurat: Si non hæc, aut illa faciam; perinde eſt ac ſi dicat: Ne vivam, aut ne ſim verax, ſeu mentiar, niſi illa præſtentur. Nefas autem eſt tale quid de eo concipere animo, multo etiam magis effari verbis: atque ideo ecliptice, & decurtatim efferuntur eiuſmodi orationes. Cum vero ſancti ita loquuntur, idem eſt ac ſi dicant: Diſpeream, male me perdat Deus, & porro perditum eat, &c. ſi ita non erit, aut ſi hoc, aut illud fecero, vel non fecero.

V. 10. QUADRAGINTA ET QUINQUE ANNI SUNT. Exponunt: Id eſt ſeptem ab ingreſſu in terram promiſſam: unde colligunt, ſex annos Iehoſuam impendiſſe in debellandis iſtis Chananæis: & hinc annum intermiſſionis legalis incipere. Verum de his vide late Explanatores. QUANDO AMBULABAT ISRAEL PER SOLITUDINEM. Quidam reddunt: *Cum rediret Iſrael in deſertum*, nimirum de ſententia Dei iuſſus retrocedere, Numeror. XIV. verſ. 25. Alii: *Cum verſaretur Iſrael in deſerto*.

V. 11. QUAM AD GRADIENDUM. Hebr. *& ad egrediendum, & ingrediendum*: ſeu *& ad procedendum, atque veniendum*; id eſt, ad in omni vitæ munere officio ſuo defungendum. Vide de hac phraſi Numer. XXVII. verſ. 17.

V. 12. MONTEM ISTUM, in quo ſcilicet ſita erat Hebron. Alii, id eſt montanam regionem Iehudæ; ut alibi ſæpe. QUEM POLLICITUS EST DOMINUS, TE QUOQUE AUDIENTE, IN QUO ENACIM SUNT. Hebræa bifariam interpungunt ac reddunt. I. *Quem locutus fuit* IHUH *in die ipſa, quando tu audiviſti in die ipſa. Quia hanakim ibi.* Vel *de quo loquebatur Dominus illo die: nam tu audiſti illo die. Erat enim illic ænacini.* Unde auditum Iehoſuæ referunt ad promiſſionem Dei, ut verſ. 6. non ad eſſe hanakim in Hebron: & hunc ſenſum ſecutus eſt Noſter. II. *Quem locutus fuit* IHUH *in die ipſa: quia tu audiviſti in die ipſa quia hanakim ibi.* Vel *de quo locutus eſt Dominus in die illo: tu enim audiſti eodem die, quod hanakim ſunt ibi.* Aut *nam tu audiviſti illo die, quod illic eſſent hanakim*: vel *hanakæos eſſe ibi*. Quam interpunctionem, & ſenſum Hebræa paſſim nunc præferunt, & ſequuntur fere omnes, cum Hebræi, tum recentiores ſacræ Scripturæ ex Hebræo Interpretes. Unde nonnulli eruunt Ioſue cum ceteris exploratoribus, aut ſaltem cum Calebo non aſcendiſſe Hebronem, nec ibi vidiſſe gigantes; ſed audiviſſe tantum de his referentem Calebum: quare Caleb, quod ſolus adierit ea in exploratione Hebronem, eo potiſſimum nomine eam nunc ſibi depoſcere. Vide Numeror. XIII. verſ. 23. & 26. SI FORTE SIT DOMINUS MECUM. אולי *ulai*, recte notant non eſſe dubitantis particulam, ſed bene ominantis, ſperantis, & committentis aliquid meliori eventui. Alii exponunt, Calebum offerre ſe propriis viribus montis incolas aggreſſurum, confiſum promiſſione divina. Dubitandi vero particulam adiicere, cum ad notandam humanitus rei difficultatem, tum ad comparandos, & confirmandos in eadem ſpe animos audientium: ut I. Samuel. XIV. 6.

V. 13. BENEDIXITQUE EI IOSUE. Quidam exponunt: Fauſta feliciaque ei omnia optavit, ac precatus eſt in nova Hebronis poſſeſſione; ut nova hereditas proſpere ac fortunate ei cederet. Alii exponunt: Id eſt, approbavit petitionem eius, annuit, & conceſſit ei quæ ambiebat. Nonnulli hic benedictionem, ritum quempiam ſolemnem indicare putant, quo illi Hebronem hereditario iure addixerit, tradi eritque: qualem ritum forenſes nunc inveſtituram vocant. ET TRADIDIT EI HEBRON IN POSSESSIONEM. Quidam annotant, quamvis non permiſerit ut propriis viribus aggrederetur eam Caleb: ſed ipſe Iehoſua cum toto Iſraele eam oppugna-

pugnavit, & captam dedit Calebo: vide ſupra cap. x. verſ. 36. id enim ius, & æquitas poſtulabat, argumento præcepti illius quod Deus Reubeni, Gadi, & Manaſſeh trans Iordanem habitaturis dederat Numer. xxxii. Alii tamen diverſam Hebronis a Calebo expugnationem ſtatuunt, ab illa Iehoſuana, quæ deſcribitur ſupra cap. x. verſ. 36. volunt enim poſt expugnatam a Ioſue Hebronem, & exſciſſos aut pulſos inde gigantes, ſupra cap. xi. verſ. 21. 22. iterum feram illam, & immanem gentem denuo eam urbem occupaſſe, atque inſediſse, quam nunc expugnandam, & poſſidendam ſibi poſtulat Calebus: quam tamen non expugnaverit, neque poſsederit, niſi mortuo iam Ioſua, Iudicum i. verſ. 10. Verum has quæſtionum ambages affatim tibi ſuppeditabunt Explanatores. Nobis illud veriſimilius viſum, a Ioſue primum expugnatam, & captam Hebronem, indeque profligatos hanakæos: hic vero, & infra cap. xv. verſ. 13. & cap. xxi. verſ. 11. & 12. traditam Calebo, eamque re ipſa in poſseſſionem accepiſse; ſed hanakæos, qui fortaſse aliqua loca montoſa, & munita poſt Iehoſuanam cladem iterum occupaverant, non expuliſse niſi poſt mortem Iehoſuæ, Iudicum i. verſ. 10. Vide infra cap. xv. verſ. 14.

V. 15. NOMEN HEBRON ANTE VOCABATUR CARIATH ARBE. Vide Geneſ. xxiii. 2. vocatam quoque fuiſse Mamre, ſcribitur Geneſ. xxiii. verſ. 19. Cur autem dicta ſit קרית-ארבע *Kiriath-Arba*, id eſt *civitas Arbæ*, abunde diximus in Geneſ. xxiii. 2. & ſane hic ſatis diſerte aſſeritur, appellatam civitatem Arbæ, ab Arba homine quodam magno inter hanachæos, ſeu gigantes. Sic enim Hebræa ex verbo habent: *Et nomen Chebron antea fuit Kiriath-Arbagh homo magnus in ghanakim ipſe*: quod alii dilucidius reddunt: *Nomen autem Chebron antea, fuit Kiriath-Arba, qui* Arba *homo magnus inter hanakim fuit*. Vel, *Nomen autem Hebronis olim fuerat Kiriath-Arbe. Is fuerat homo inter AEnacinos maximus*. Aut, *Porro nomen Hebron antea fuit Kiriath-Arba. Fuit enim Arba homo magnus inter hanakim*. Seu, *Nomen autem Hebronis antea fuerat urbs Arbahi: is homo ille maximus inter hanakæos fuit*. Vel, *Nomen vero Hebron antea erat Cariath-Arbe: ſiquidem Arba fuit homo magnus inter hanakim*. Ergo ſicut Roma dicta eſt a Romulo, & AElia ab AElio, & Alexandria ab Alexandro, & Conſtantinopolis a Conſtantino; ita Hebron appellata fuit Civitas Arbe, ab Arba viro quodam, qui magnus fuit homo inter hanakinos, ſeu gigantes illos; vel quia eam primus condiderit, aut inſtauraverit, ſeu illuſtraverit; aut quia in ea imperitaverit, ut ſolent homines urbibus a ſe conditis, vel inſtauratis, aut regnatis, nomina ſua imponere. Dicitur autem Arba magnus inter hanakinos, vel mole, & robore corporis, quod fuerit præ aliis vaſtus gigas; vel dignitate, quod inter eos principatum obtinuerit; aut ætate, & genere, quod eius gentis fuerit parens aut proauctor, unde infra cap. xv. verſ. 13. Arba dicitur pater Hanak, id eſt gentis hanakinorum. Notant quidam *Arbagh* Hebræis dictum, quaſi *quadruplicem*, *quadratum*, *quadricorporem*, ab immani, & prodigioſa corporis magnitudine, ut Geryon Trigeminus, Briareus Centimanus, apud poetas.

Noſter dixit: *Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt*. Unde multi occaſionem arripuere exiſtimandi, Adamum primum parentem generis humani in Hebrone ſepultum: quam diatribam late nos in Paradiſo cap. liv. lv. lvi. lvii. diſcuſſimus. Sed non dubitamus, Noſtrum hic Adam non pro nomine proprio primi parentis, ſed pro appellativo, id eſt homo, poſuiſſe, ac de ipſo Arba intellexiſse, quem in Hebron conditum tradit: nec mirum, cum ibi vixerit, & regnaverit. Sic ſolet Noſter Adam appellative uſurpare, ut II. Samuel. vii. 19. Oſee xi. 4. Verum hunc Ioſue locum accurate in Paradiſo, cap. lvii. explanavimus: illuc te lectorem amando.

De Hebron plura diximus Geneſ. xiii. verſ. 18. Geneſ. xxiii. verſ. 2. & 19. Numeror. xiii. verſ. 23. Quibus hic opportune ſuppingo verba Ioſephi Lib. V. Antiquit. cap. v. *Apud Hebronenſes in eam diem ſuperſtites erant quidam e gigantum genere, ſtatura & ſpecie ceteris mortalibus diſpares, viſu ſimul & auditu horribiles: quorum oſſa adhuc oſtenduntur, qualia vix credant, qui non viderunt ipſi*: & Lib. V. Belli, cap. xiii. *Chebron autem indigenæ ferunt non eius terræ modo civitatibus, verum etiam AEgypti Memphi* (Tanai potius), *antiquiorem. Denique duo millia & trecenti*,

ti, eius connumerantur anni. Hoc autem narrant, Abraham quoque parenti Iudæorum fuiſſe domicilium, poſteaquam Meſopotamiæ ſedes reliquit: eiuſque poſteros hinc ad AEgyptum eſſe profectos; quorum etiam nunc monumenta extant in eadem civitate, peroptimo marmore liberaliter fabricata. Cernitur autem ſexto ab oppido ſtadio arbor maxima terebinthus, eamque memorant ab initio mundi creati, nunc uſque durare. Hebronem erectam fuiſſe in epiſcopatum anno 4. Amalrici regis Ieroſolymitani, & Chriſti 1167. auctores ſunt Vvilermus Tyrius Lib. XX. Belli Sacri, cap. III. & Iacobus Vitriacus in Hiſtoria Ieroſolymitana, cap. LVII. Beda Libello de Locis Sanctis, cap. IX. *Chebron in campi latitudine ſita eſt, & ab AElia viginti duobus millibus ſeparata, uno ad orientem ſtadio ſpeluncam duplicem in valle habet, ubi ſepulcra patriarcharum quadrato muro circumdantur, capitibus verſis ad aquilonem. Et hæc ſingula ſingulis tecta lapidibus inſtar baſilicæ dolatis, trium patriarcharum, candidis, Adam obſcurioris & vilioris operis: qui haud longe ab illis ad borealem extremamque muri illius partem pauſat. Trium quoque feminarum viliores & minores memoriæ cernuntur. Mambre collis mille paſſibus a monumentis bis ad boream, herboſus valde & floridus, campeſtrem habet in vertice planitiem, in cuius aquilonali parte, quercus Abrahæ, duorum hominum altitudinis truncus, eccleſia circumdata eſt. Egredientibus vero Chebron ad aquilonem in ſiniſtra parte viæ occurrit mons pinoſus, parvus, tribus millibus paſſuum a Chebron, unde Ieroſolymam pinea ligna feruntur in camelis: nam in omni Iudæa currus vel plauſtra raro fiunt*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis, S. Beda, ut modo vidimus, Hebronem verſus auſtrum ab Ieruſalem diſtaſſe tradunt milliaribus circiter viginti duobus. Sozomenus Lib. II. cap. III. & Nicephorus Lib. VIII. cap. XXX. ducentis triginta quinque ſtadiis, id eſt milliaribus prope triginta: Brocardus octo leucis. Errant qui minus intervallum ſtatuunt. Hebronis nomen quidam urbi factum exiſtimant ab Hebrone filio, ſeu nepote Calebi, I. Paralipom. II. verſ. 42. Verum putant nonnulli, Caleb illum patrem, vel avum Hebronis longe diverſum, & antiquiorem fuiſſe hoc noſtro filio Iephoneh: neque illum Hebronem, eius filium, ſeu nepotem, umquam vidiſſe Chananæam, ſed in AEgyptiaca captivitate defunctos, de qua re dicemus in eum locum Paralipomenon. Equidem Hebraice חברון *Chebron*, a ſocietate & conſociatione dici, perſpicuum eſt, fortaſſe, ut aliqui volunt, a ſocietate fœderis quam ibi Abraham iniit cum Mamre, Eſchol, & Hamer, Amorrhæis, Geneſ. XIV. verſ. 13. ſeu quod urbs eſſet, & ſtructura vicorum, & domorum, & politia mire coniuncta, & copulata. ET TERRA CESSAVIT A PRAELIIS. Notant, idem repeti quod in fine cap. XI. ut eo clarius temporum hyſteroſis cognoſcatur. Sed alii rectius exiſtimant, adiectam hanc particulam ad inſinuandum, tranquille & quiete factam terræ inter tribus diſtributionem, quæ deinceps deſcribitur: nec ullos hoc tempore hoſtes fuiſſe reliquos, qui eam bello impedierint.

MENOCHII.

Verſ. 1. ELEAZAR SACERDOS, ET IOSUE: quos cum aliis principibus terræ diviſores conſtituerat Dominus Numer. XXXIV. 17. Eleazar primo loco ponitur, ut Princeps ſacer, & hic, & aliis locis. Aliquando tamen ſolus Ioſue nominatur, ut cap. XIII. 7. & 14. & cap. XVIII. 3. 8. & 10. PRINCIPES FAMILIARUM: quorum nomina habes Num. XXXIV. 17. & deinceps: in Hebr. eſt, *Capita patrum ipſarum tribuum filiorum Iſrael*. LXX. appellant ἄρχοντας πατριῶν φυλῶν τῶν υἱῶν Ισραὴλ, vel ἀρχιφύλους.

V. 2. SORTE OMNIA DIVIDENTES. Quomodo ſors iſta ſit inſtituta, non conſtat ex Scriptura. Varii modi, ſed omnes incerti, afferuntur a Serario in cap. XIII. quæſt. XII. Dicuntur omnia diviſiſſe, quia etiam eas regiones diviſerunt quas nondum occupaverant, & cuique tribui portionem ſuam adſcripſerunt. SICUT PRAECEPERAT MOYSES, Numeror. XXXIV. 13.

V. 4. IN DUAS DIVISI TRIBUS, a Iacob Patriarcha, qui Geneſis XLIX. dixit Ioſepho: *Duo filii tui Manaſſes, & Ephraim, ſicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi*.

V. 6. LOCUTUSQUE EST AD EUM CALEB: antequam hereditatem tribus Iuda ſortiretur. FILIUS IEPHONE. Aliqui

Digitized by Google

qui putarunt Iephone non eſſe nomen proprium, ſed appellativum, & ſic dictum Caleb, quod inſigni polleret prudentia, & in murmure exploratorum ſedando, ſapienter ſe geſſerit: idem enim eſt *Filius Iephone*, quod *filius diſcretionis*, ſive *filius prudens*; ſed falluntur: eſt enim nomen proprium. Vide Serarium in cap. XIII. Ioſue quæſt. III. CENEZAEUS. Cenez aliqui volunt eſſe nomen loci; alii Iephone etiam Cenez dictum fuiſſe. DE ME, ET TE. Vide Numer. XIV. 30. & 38.

V. 7. NUNTIAVIQUE EI QUOD MIHI VERUM VIDEBATUR: cum interim alii exploratores inter populum terrores ſererent, ut habemus extremo cap. XIII. Numer.

V. 9. TERRA QUAM CALCAVIT PES TUUS, ERIT POSSESSIO TUA. De hac promiſſione Calebo facta hic tantum expreſſe loquitur Scriptura; videtur tamen Numer. XIV. num. 24. comprehenſa illis verbis: *Servum meum Caleb, qui plenus alio ſpiritu ſecutus eſt me, inducam in terram hanc: & ſemen eius poſſidebit eam.* SECUTUS ES DOMINUM DEUM MEUM, eius ſcilicet voluntati parendo.

V. 11. QUANDO AMBULABAT ISRAEL PER SOLITUDINEM, eſſetque in manſione Cadesbarne, ex qua miſſi ſunt exploratores in terram Chanaam.

V. 12. ENACIM, filii Enac, gigantes.

V. 13. BENEDIXITQUE EI IOSUE. *Benedicere*, eſt boni quippiam in alium conferre, quo ille ornetur, & augeatur.

V. 15. CARIATH-ARBE. Idem eſt *Cariath-arbe*, ac ſi dicas Græce τετράπολις, id eſt *civitas quatuor*. Aliqui ita dictam putant ab amplitudine, quod ſcilicet aliis quatuor civitatibus par eſſe poſſet. Verius eſt, Arba nomen fuiſſe gigantis, qui eam incoluerit, eique nomen dederit, ut diceretur Civitas Arbæ. Dicta deinde eſt Hebron, ut putat Serarius, a ſocietate, & amicitia, quam cum eius loci principibus viris iniit Abraham Geneſis XIV. 13. *Chebron* enim latine vertitur *ſocietas*, & *coniunctio*. ADAM MAXIMUS, &c. non Adam humani generis parens, ſed alius quidam homo (Adam enim hominem ſignificat) proceriſſimæ ſtaturæ, ille nimirum Arba, qui urbi nomen dedit, quod indicant Hebræa, quæ ſic ſe habent: *Et nomen Chebronis antiquitus erat Cariath-Arba. Hic homo magnus in Enacim ipſe.* Sunt tamen qui putent de protoplaſto ſermonem eſſe, ſed minus probabiliter.

TIRINI.

Verſ. 12. DA MIHI MONTEM ISTUM, QUEM POLLICITUS EST DOMINUS. Quæritur ubi pollicitus ſit? Reſpondeo, Numerorum decimo quarto verſu vigeſimo quarto cum murmurantibus aliis exploratoribus, ob gigantes Enacim quos viderant in monte Hebron, Caleb illis fortiſſime reſiſtente, & horribilem illam, atque, ut mentiebantur inexpugnabilem terram ſibi expugnandam, incolendamque depoſcente, reſpondit Deus id ſibi placere: *Inducam*, inquit, *Calebum in terram hanc quam circuivit, & ſemen eius poſſidebit eam*. Porro Hebron Numer. XIII. verſ. 23. dicitur, ſeptem annis ante Tanim Ægypti condita fuiſſe, hoc eſt non multo poſt diluvium. Sed ante tempora Abrahami vocabatur *Cariath-Arbe*, ut hic dicitur verſ. 15. Quod Rabbini, ſanctus Hieronymus, Lyranus, Hugo, Abulenſis, & Adrichomius vertunt *civitatem quatuor*, quod eo loci ſepulti ſint quatuor nobiliſſimi Patriarchæ Adam, Abraham, Iſaac & Iacob, cum quatuor uxoribus ſuis Eva, Sara, & Rebecca, & Lia, Geneſ. v. 47. verſ. 30. Sed de Adamo, & Eva iſtic ſepultis eſt incertiſſimum: nam quod hic dicitur, *Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt*, nil ad primum humani generis parentem ſpectat, ſed ad alium diluvio poſteriorem, qui vocatus eſt *Adam* Hebraice, id eſt *homo*: *maximus inter Enacim*, quia forte inter hos primus origine, ſtatura præcellens, potentia, ac dignitate clariſſimus. Ita Maſius, Caietanus, Vatablus, Arias & Serarius: qui & Hebræa hoc loco ſic vertunt: *Hebron ante vocabatur Cariath*, id eſt urbs, *Arbe*; *is* (Arbe) *homo maximus fuit inter Enacim*. Et capite ſequenti verſu 13. expreſſe dicitur, hunc Arbe fuiſſe patrem Enac, a quo alii Enacim gigantes progniti ſunt, ut dixi Numer. XIII. 23. Igitur Arbe hic non ſumitur pro quatuor, ſed eſt nomen proprium famoſi illius gigantis, qui eo loci, ubi nunc *Hebron*, ſedem ſibi viventi regiam, & morituro ſepulcrum delegerat, unde dicta eſt *Cariath*,

Digitized by Google


riath , id eſt *civitas* , *Arbe* . Quo vero tempore, quave occaſione, aut a quo dicta fuerit *Hebron*, prorſus obſcurum, atque incertum eſt. Sanctus Hieronymus *a* a filio Calebi (non huius, ſed antiquioris in AEgypto) qui I. Par. II. verſ. 42. *Hebron* vocatur , ſic dictam putat. Sed hic in AEgypto ſerviebat, non vero dominabatur in Palæſtina. Serarius putat a ſocietate, ſeu amicitia, quam cum eius loci principibus iniit Abraham Geneſis xiv. verſ. 13. ita vocatam fuiſſe: nam *chebron* ſignificat latine *ſocietatem*, & *coniunctionem*, ut etiam notat Origenes *b*. Non eſt improbabile ſic dictam fuiſſe ab Ebrone, a quo Abraham locum coemit, ut ibidem dixi. Fuit hæc Hebron una ex civitatibus ſacerdotalibus & refugii, inquit ſanctus Hieronymus: & ex ea David *c* ex hoſtium manubiis ad amicos munera miſit, & ipſe rex ibidem per annos *d* ſeptem reſedit: in eadem rebellionem ſuam orſus eſt Abſalon *e*: denique domicilio Zachariæ patris Ioannis Baptiſtæ eamdem nobilitatam fuiſſe cenſet Baronius *f*, & Delrio.

(*a*) Hieron. de Locis Hebr.
(*b*) Orig. hom. xvii. & xviii.
(*c*) I. Reg. xxx. verſ. 31.
(*d*) II. Reg. iii. &c.
(*e*) II. Reg. xv.
(*f*) Baron. T. I. Annal. Delrio in Panegyrico Viſitationis B. Virginis.

GORDONI.

Verſ. 4. NEC ACCEPERUNT LEVITAE ALIAM IN TERRA PARTEM. De his Levitarum ſuburbanis dixi Numer. xxxv. ubi huius rei deſcriptio quædam data eſt: en nunc aliam.

ORIENS.



OCCASUS.

Eſt hæc figura explicata ſatis Num. cap. xxxv. ſingula enim latera maximi quadrati habent bis mille cubitos, & proinde totum hoc quadratum habet octies mille cubitos; minora vero quatuor quadrata, ſingula habent in quolibet latere mille cubitos; verbi gratia , ab F ad B mille cubiti; at vero ab F ad G bis mille: & ſic de ceteris. Vide Num. cap. xxxv. verſ. 4. & 5.

V. 6. 7. & 9. Abrumpitur de diviſione cœpta narratio, & interponitur hiſtoria de poſſeſſione Caleb primi exploratoris, & fideliſſimi; cui iam decernitur Hebron. In textu eſt : TERRA QUAM CALCAVIT PES TUUS. Deſignatur urbs Hebron, quam Caleb a ſe perluſtratam, & ſubiugandam affirmabat. Certatur (ob verba hic de ætate Caleb) de anno terræ diviſæ, ſeu an tempus bellorum fuerit quinquennium, an ſeptennium; ut monui cap. xi. in fine. Sane anno ſecundo exodi, menſe Iunio, Caleb erat annorum 40. & cum dividebatur terra, erat 85. annorum. Fluxerunt ergo 45. anni: ſed an integri, vel non integri, quis divinabit? Adde, quando miſſi ſunt exploratores, non fluxiſſe biennium ſolitudinis, ſed annum unum & tres menſes in ſolitudine. Incidit porro tranſitus Iordanis in annum 40. ab exodo, ut notavi hic ad cap. iv. Iam ineat qui velit numerum annorum, expendatque incertum eſſe, an anni 45. Caleb, qui fluxerunt a miſſis exploratoribus, habeant ultimum annum tantum inchoatum, vel fluentem, aut integrum: is numquam demonſtrabit fuiſſe ſeptem bellorum annos integros. Ego in hac re ſic incerta conquieſco in numero quinario, vel ſenario, ut habent Ioſeph. III. Lib. Antiq. cap. 1. & Salianus ad annum mundi 2586. num. 1. Habet quidem Genebrardus, Chronicum Hebræorum ſecutus, ſeptem annos bellorum: nam 45. annos Calebi numerat amputatis extremis. Quod verbis Scripturæ parum cohæret.

V. 15. HEBRON, urbs, hoc ſuum nomen habebat antequam daretur Calebo: nam eius loci mentio ſub hoc nomine fit in libris Moſis. Antiquum loci nomen eſt CARIATH-ARBE, *urbs Arbæ*. Fuit Arbas ex gente Enacim vir magnus. Alii interpretantur *civitates quatuor*, ſcilicet virorum: ארבע *arba* , *quatuor* : ſupra cap. x. Plura de Hebron Geneſ. xiii. 15. At quid illud , ADAM MAXIMUS IBI INTER ENACIM SITUS EST? Non una eſt omnium interpretatio. Quidam putant, voce *Adam* deſignari virum principem, e numero gigantum. Alii per *Adam* ex Hebraica voce hominem intelligunt, ſed virum inſignem; & hunc dicunt eſſe Abrahamum

qui ex Geneſ. xxv. ſepultus ibi eſt. Denique alii cum Abulenſi intelligunt Adam primum parentem: ſed quid vetat ita ſentire, & cum Hieronymo diverſa loca ſepulturæ Adami deſignare? primum nempe in Hebron; & progreſſu temporis calvariam ſaltem, deportatam in locum ubi Chriſtus fuit crucifixus.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 1. Hi ſunt diviſores terræ, Eleazer, & Ioſue, cum aliis principibus quos conſtituit Dominus Numer. xxxiv. verſ. 17. Porro verſ. 2. omnia diviſerunt, etiam regiones nondum obtentas, ut multi hic explicant. Præcepit hoc Moſes Numer. xxxiv. 13.

V. 10. Per solitudinem, in Cadesbarne.

V. 12. Enacim, gigantes.

V. 13. *Benedicere*, eſt conferre quod optabatur ut bonum ſperatum.

CAPUT XV.

Sors tribus Iudæ, civitates & villæ earum. Othoniel accipit Axam filiam Caleb, eo quod obtinuerit Cariath Sepher, additurque ei terra irrigua.

1. IGitur ſors filiorum Iudæ per cognationes ſuas iſta fuit: (*a*) * A
termino Edom, deſertum Sin contra meridiem, & uſque ad
extremam partem auſtralis plagæ: 2. Initium eius a ſummitate maris ſalſiſſimi, & a lingua eius, quæ reſpicit meridiem.
3. Egrediturque contra aſcenſum Scorpionis, & pertranſit in
Sina: aſcenditque in Cadesbarne, & pervenit in Eſron, aſcendens ad Adar, & circuiens Carcaa. 4. Atque inde pertranſiens in Aſemona, & perveniens ad torrentem AEgypti: eruntque termini eius
mare magnum. Hic erit finis meridianæ plagæ. 5. Ab oriente vero erit initium, mare
ſalſiſſimum uſque ad extrema Iordanis: & ea quæ reſpiciunt ad aquilonem, a lingua maris uſque ad eumdem Iordanis fluvium. 6. Aſcenditque terminus in Beth-hagla, &
tranſit ab aquilone in Beth-araba: aſcendens ad lapidem Boen filii Ruben. 7. Et
tendens uſque ad terminos Debera de Valle Achor, contra aquilonem reſpiciens
Galgala, quæ eſt ex adverſo aſcenſionis Adommim, ab auſtrali parte torrentis:
tranſitque aquas, quæ vocantur Fons ſolis: & erunt exitus eius ad Fontem Rogel 8. Aſcenditque per convallem filii Ennom ex latere Iebuſæi ad meridiem,
hæc eſt Ieruſalem: & inde ſe erigens ad verticem montis, qui eſt contra Geennom ad occidentem in ſummitate vallis Raphaim contra aquilonem. 9 Petranſitque a vertice montis uſque ad fontem aquæ Nephtoa: & pervenit uſque ad
vicos montis Ephron: inclinaturque in Baala, quæ eſt Cariathiarim, id eſt urbs
ſilvarum. 10. Et circuit de Baala contra occidentem, uſque ad montem Seir:
tranſitque iuxta latus montis Iarim ad aquilonem in Cheſlon: & deſcendit in
Bethſames, tranſitque in Thamna. 11. Et pervenit contra aquilonem partis Accaron ex latere: inclinaturque Sechrona, & tranſit montem Baala: pervenitque
in Iebneel, & magni maris contra occidentem fine concluditur. 12. Hi ſunt termini filiorum Iuda per circuitum in cognationibus ſuis. 13. Caleb vero filio Iephone dedit partem in medio filiorum Iuda, ſicut præceperat ei Dominus: Cariath-Arbe patris Enac, ipſa eſt Hebron. 14. (*b*) Delevitque ex ea Caleb tres
filios Enac, Seſai & Ahiman, & Tholmai de ſtirpe Enac. 15. Atque inde conſcendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariath-ſepher, id
eſt civitas litterarum. 16. Dixitque Caleb: Qui percuſſerit Cariath-ſepher, &
ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem. 17. Cepitque eam Othoniel
filius Cenez frater Caleb iunior: deditque ei Axam filiam ſuam uxorem. 18. *
Quæ, cum pergerent ſimul, † ſuaſa eſt a viro ſuo ut peteret a patre ſuo agrum,

ſu-

ſuſpiravitque ut ſedebat in aſino. Cui Caleb: Quid habes inquit? 19. At illa
reſpondit: Da mihi benedictionem: terram auſtralem & arentem dediſti mihi,
iunge & irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum ſuperius & inferius. 20. Hæc
eſt poſſeſſio tribus filiorum Iuda per cognationes ſuas. 21. Erantque civitates ab
extremis partibus filiorum Iuda iuxta terminos Edom a meridie: Cabſeel & E-
der & Iagur, 22. Et Cyna & Dimona & Adada, 23. * Et Cades & Aſor &
Iethnan, 24. Ziph & Telem & Baloth, 25. Aſor nova & Carioth, Heſron,
hæc eſt Aſor. 26. Aman, Sama, & Molada, 27. Et Aſergadda & Haſemon
& Bethphelet, 28. Et Haſerſual & Berſabee & Baziothia, 29. Et Baala & Iim
& Eſem, 30. Et Elthold & Ceſil & Harma, 31. Et Siceleg & Medemna &
Senſenna, 32. Lebaoth & Selim & Aen & Remmon, omnes civitates vigintino-
vem, & villæ earum. 33. In campeſtribus vero: Eſtaol & Sarea & Aſena, 34.
Et Zanoe & AEngannim & Taphua & Enaim, 35. Et Ierimoth & Adullam,
Socho & Azeca, 36. Et Saraim & Adithaim, & Gedera & Gederothaim: ur-
bes quatuordecim, & villæ earum. 37. Sanan & Hadaſſa & Magdal-gad, 38. De-
lean & Maſepha & Iecthel, 39. Lachis & Baſcath & Eglon, 40. Chebbon &
Leheman & Cethlis, 41. Et Gideroth & Beth-dagon & Naama & Maceda: ci-
vitates ſedecim, & villæ earum. 42. Labana & Ether & Aſan, 43. Iephtha &
Eſna & Neſib, 44. Et Ceila & Achzib & Mareſa: civitates novem, & villæ
earum. 45. Accaron cum vicis & villulis ſuis. 46. Ab Accaron uſque ad ma-
re: omnia quæ vergunt ad Azotum & viculos eius. 47. Azotus cum vicis &
villulis ſuis. Gaza cum vicis & villulis ſuis, uſque ad torrentem AEgypti, &
mare magnum terminus eius. 48. Et in monte: Samir & Iether & Socoth, 49.
Et Danna & Cariath-ſenna, hæc eſt Dabir: 50. Anab & Iſtemo & Anim, 51.
Goſen & Olon & Gilo: civitates undecim & villæ earum. 52. Arab & Ruma
& Eſaan, 53. Et Ianum & Beth-thaphua & Apheca. 54. Athmatha, & Cariath-
arbe, hæc eſt Hebron, & Sior: civitates novem, & villæ earum. 55. Maon
& Carmel & Ziph & Iota, 56. Iezrael & Iucadam & Zanoe, 57. Accain, Ga-
baa, & Thamna: civitates decem, & villæ earum. 58. Halhul, & Beſsur, &
Gedor, 59. Mareth, & Beth-anoth, & Eltecon: civitates ſex, & villæ earum.
60. Cariath-baal, hæc eſt Cariathiarim urbs ſilvarum, & Arebba: civitates duæ,
& villæ earum. 61. In deſerto Beth-araba, Meddin, & Sachacha, 62. Et Neb-
ſan, & civitas ſalis, & Engaddi: * civitates ſex, & villæ earum. 63. Iebuſæum
autem habitatorem Ieruſalem non potuerunt filii Iuda delere: habitavitque Ie-
buſæus cum filiis Iuda in Ieruſalem uſque in præſentem diem.

(a) Num. xxxiv. 3. (b) Iudic. I. 20.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 1. *A termino Edom, deſertum Sin*. Sic omittere oportet *uſque ad*, quod alii adunt, *Uſque ad deſertum Sin*.

V. 18. *Quæ, cum pergerent ſimul, ſuaſa eſt viro ſuo*. Legendum eſt femineum *quæ*, iuxta veteres codices, non maſculinum *qui*.

V. 23. *Et Cades, & Aſor*. Alii *Et Cedes*, ut ſupra XII. 22.

V. 62. *Civitates ſex, & villæ earum*. Quod ſequitur in quibuſdam libris, *Fiunt ſimul centum quindecim*, ſuperfluum eſt.

Lectionum Varietas.

V. 18. *Suaſa eſt a viro ſuo*. Quidam boni libri ſcribunt *ſuaſit viro ſuo*; alii *ſuaſit ei vir ſuus*, aut *eius*. Vide Iudic. I. verſ. 14.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. SIN, per צ tſ.

Verſ. 1. SUMMITATE, id eſt extremitate. LINGUA, id eſt promontorio, vel longiori excurſu maris inſtar linguæ, vel littore. Chald. *littore*.

V. 3. EGREDITURQUE, id eſt excurrit. SCORPIONIS, ſcilicet ſcorpioni ſimilem. SINA, id eſt urbem Sin, unde nomen deſerto.

V. 4. TORRENTEM, ſcilicet Rhinocoluram. Vide Gen. XV.

V. 5. USQUE AD EXTREMA, id eſt in extremis. LINGUA. Chald. *littore maris*, ſcilicet ſalſi.

V. 6. BETH-HAGLA. Hæc Geneſ. L. 10. dicitur *Area Atad*. Diſtat ab Iericho 3. milliaribus, ſita inter ipſam & mare ſalſum, ſeu mortuum.

V. 7. ROGEL, id eſt *fullonis*.

V. 8. IERUSALEM eſt in tribu Beniamin.

V. 13. DE STIRPE ENAC, id eſt gigantum; quaſi dicat, Celeberrimi inter gigantes. Chald. *illorum fortium*. Forte *Enac* nomen filii, unde poſtea gigantes dicti *Enacim*: vide infra.

V. 14. DELEVITQUE, ſcilicet poſt mortem Ioſue. Vide Iudic. I.

V. 15. CIVITAS LITTERARUM; quaſi dicat, Academia. Forte ibi ſtudia litterarum.

V. 17. CENEZ. Apparet patrem Caleb fuiſſe binominem: vel avi id nomen, & *filius* pro nepote poſitum. FRATER. Alii, *fratris*.

V. 18. PERGERENT: ſcilicet deducebatur in domum ſponſi. AGRUM, ſcilicet fertilem. UT SEDEBAT IN. Chald. *demittens ſe ex*: forte ut ſe ad patris pedes ſupplex iactaret. LXX. tamen ut Noſter.

V. 19. BENEDICTIONEM, id eſt munus. IRRIGUUM. Hebr. *fontes*, ſeu *volutiones*. LXX. *fontem*. Chald. *irrigationes*. SUPERIUS ET INFERIUS; quaſi dicat, ex parte agri ſuperiori, & inferiori.

V. 62. SALIS: ſcilicet erat iuxta mare ſalſum.

V. 63. IEBUSAEUM, pro Iebuſæos, ita dictos a Iebus Philiſthæo.

ESTII.

Verſ. 3. EGREDIETURQUE CONTRA ASCENSUM SCORPIONIS. Nomen loci eſt. Vide plenius Numerorum XXXIV. cap.

V. 15. DABIR, QUAE PRIUS VOCABATUR CARIATH-SEPHER, ID EST CIVITAS LITTERARUM. Sic & Iud. I. Sed cur civitas illa litterarum, ſeu librorum dicta ſit (hoc enim ſonat *Cariath-ſepher*) incertum eſt. Hebræi quidam ibi primum litteras inventas volunt, ſed id falſum eſt: fuit enim litterarum uſus etiam ante diluvium. Nam Enoch prophetiam ſcripſit, Iuda Apoſtolo teſte. Vatablus eam *academiam* interpretatur in Scholio.

V. 16. DADO EI AXAM FILIAM MEAM UXOREM. Intelligitur hæc promiſſio, ſalva lege, ac libertate coniugii. Non enim cogi poterat filia ad nubendum cuicumque pater vellet; ſed præſupponitur puellam in patris voluntate libenter acquieſcere, ut ſolent honeſtæ virgines. Sic illud quoque intelligendum, quod Saul promiſerat ſe filiam ſuam daturum ei qui percuteret Philiſthæum Goliath, I. Reg. XVII.

V. 17. CEPITQUE EAM OTHONIEL FILIUS CENEZ... MINOR: DEDITQUE EI AXAM FILIAM SUAM UXOREM. Quæritur, quomodo Caleb dedit filiam ſuam fratri ſuo Othoniel uxorem, cum tale coniugium lege prohibitum ſit? Levit. XVIII. Reſpondent quidam, Caleb generaliter promiſiſſe, cum neſciret quis eam civitatem eſſet expugnaturus, poſtea autem ex quadam magnitudine animi noluiſſe promiſſum ſuum retractare, ſicut & Iephte votum ſuum implere voluit. Sed hoc neutiquam veriſimile eſt. Nam & Caleb a ſanctitate, & pietate in Deum multum laudatur in Scriptura, & Othoniel ſimiliter, Iud. III. Itaque rectius reſpondent qui dicunt, Othoniel non fuiſſe fratrem proprie ipſius Caleb, ſed fratris filium: fratrem autem vocari eo modo, quo Abraham Geneſ. XIII. ad Lot filium fratris ſui dicit: *Fratres enim ſumus*. Hic autem gradus matrimonii, ut quis acciperet filiam patrui ſui, non erat in lege prohibitus.

V. 19. DEDIT ITAQUE EI CALEB IRRIGUUM SUPERIUS ET INFERIUS. Hebræis eſt pluralis numerus, *Irrigua*; ſenſus autem eſt: Dedit ei fontes ſuperiores, & inferiores, id eſt agrum in quo erant fontes in parte ſuperiore, & inferiore. Quidam ſuperiores ſcaturigines interpretantur fontes erumpentes e terra, inferiores vero ſcaturigines puteos effoſſos. Nam & putei ſunt veluti fontes ſubterranei.

MARIANAE.

Verſ. 1. SORS FILIORUM IUDAE.. A TERMINO EDOM, DESERTUM SIN: ſic lege, non *uſque ad deſertum Sin*, quando nec Hebr. eſt, nec in Septuag. Significat autem ex parte Idumææ, & ad meridiem terminari tribum Iuda deſerto Zin (per Zade) ad differentiam alterius, quod in magno deſerto occurrit, & per Samech ſcribitur. Quod autem additur, USQUE AD

DIX-

Digitized by Google

DEXTERAM PARTEM AUSTRALIS PLAGAE, maiorem dicti expreſſionem continet: ſcilicet ab Auſtro cum eſſe finem eius tribus id deſertum.

V. 2. INITIUM EIUS A SUMMITATE; id eſt a fine. Deſcribit lineam auſtralem, quæ ducitur ab extremo maris ſalis, id eſt mortuo, & a petra, ſeu promontorio, quod quoniam linguæ forma procurrit in mare, *lingua* vocatur. Sed & Hiſpani promiſcue littus maris *linguam* dicimus.

V. 3. EGREDITURQUE CONTRA ASCENSUM. Hebr. *Egrediturque ad a meridie*, pro ad locum qui eſt a meridie, *ad aſcenſum ſcorpionum*: ſic montes vicini dicti, ob collium, & cacuminum curvitatem. IN SINA urbe, a qua dicitur deſertum Sin. IN CADESBARNE. Alia eſt Cadesbarne in deſerto Pharan. ET CIRCUIENS CARCAA. Significat, non recta linea procedere, ſed flexu quodam perſendere, Iuda portionem.

V. 4. AD TORRENTEM AEGYPTI, hoc eſt Rinocoruram, quem quidam in brachiis Nili numerant cap. XIII. verſ. 3. alii ſecernunt. ERUNTQUE TERMINI EIUS MARE MAGNUM. Hebr. *Eruntque exitus* (id eſt finis) *termini*, *mare*: Hieronymus addidit *magnum*, quoniam de eo intelligitur; quaſi dicat: Linea hæc auſtralis ad mare mediterraneum finitur, quod *magnum* vocatur comparatione maris mortui, & maris Tiberiadis.

V. 5. USQUE AD EXTREMA IORDANIS. Hebr. *uſque ad finem Iordanis*: ſcilicet cum influit in mare mortuum. Ita linea orientalis tribus Iuda toto maris mortui littore continetur, & extenditur. ET EA QUAE RESPICIUNT AD AQUILONEM. Hebraica perſpicua magis: *Et terminus ad angulum ſeptemtrionalem, a lingua maris a fine Iordanis*: nimirum, ubi linea orientalis finitur, inde ducitur ſeptemtrionalis. Et *lingua* hic vocatur vel extrema eius maris pars, vel alia petra quæ ea parte ſit.

V. 6. IN BETH-HAGLA. Gotth. *Bethagla*. Hæc Geneſ. L. verſ. 10. dicitur *Area Atad*, prope Iericho, & mare mortuum. Maſio hoc non placet. FILII RUBEN. *Filii*, in genitivo. Citra Iordanem filii Ruben nihil habuerunt. Sed forte mutatis rebus ex eius poſteris aliquis id oppidum tenuit, aut tunc emptione obtinuit aliquis Rubenita urbem Boen: ſic *Boen* dicitur eſſe filii Ruben.

V. 7. CONTRA AQUILONEM RESPICIENS GALGALA. Significat Galgala ad eam partem aquilonarem eſſe. *Contra*, pro ad. AB AUSTRALI PARTE TORRENTIS: quæ pars torrentis ad auſtrum eſt, lineam ſeptemtrionalem eius tribus attingit. FONTEM ROGEL. Chald. *fontem fullonis*, qui Hebraice *rogel* a pede ſic dicitur, quod pedibus veſtes abluerent: ſic Hebræus.

V. 8. EX LATERE IEPUSAEI AD MERIDIEM. Quod Iebuſæis eſt ad meridiem, tribui Iudæ ad ſeptemtrionem eſt. HAEC EST IERUSALEM. Vides ante Davidem eam urbem ſic vocari. Non fuit tribus Iuda, ſed Beniamin.

V. 10. CIRCUIT DE BAALA CONTRA OCCIDENTEM USQUE AD MONTEM SEIR. Magnos flexus hoc latus ſeptemtrionale tribus Iuda habet. Porro hunc montem Seir non puto in Idumæa fuiſſe, ſed ſic dictum aliquo caſu, fortaſſe quod multis dumis, & arboribus hiſpidus eſſet. *Seir*, *piloſum* ſignificat.

V. 13. ARBE PATRIS ENAC. Ergo Enac fuit filius Arbe, & pater Enacim, id eſt gigantum.

V. 15. DABIR, QUAE PRIUS VOCABATUR CARIATH-SEPHER, ID EST, CIVITAS LITTERARUM. Forte ſchola publica erat in ea.

V. 17. OTHONIEL FILIUS CENEZ FRATER CALEB IUNIOR. In Hebræo non eſt vox *iunior*, ſed ex Sept. poſuit Hieronymus, & ex Iudic. I. verſ. 13. ubi id ponitur in Hebr. Porro iuxta Hebraica poſſis reddere, *Othoniel filius Cenez fratris Caleb*: ita plerique cum Chald. ita ut Othoniel non fuerit frater Caleb, ſed Cenez eius pater: ſic dictus de nomine avi, I. Paralip. IV. verſ. 13. Axa filia Caleb.

V. 18. SUASA EST A VIRO. Hebr. *Suaſit illum*, nempe uxor. Sed genera ſunt permutata a Hieronymo, quod ſæpe fit in lingua Hebr. & ſequentia indicant illam petiiſſe. Vero propius, illam prius viro ſuaſiſſe, deinde eo auctore curam petendi ſumpſiſſe, quod Noſter explicat. Sept. *Contulit cum eo*, ſcilicet viro: *Petam a patre meo agrum*. SUSPIRAVITQUE. Alii vertunt, *Deſcenditque de aſino*, ſcilicet ut ſe ad pedes patris proiiceret: ſic Chald. & Hebræi.

V. 19. DA MIHI BENEDICTIONEM, id eſt donum. Chald. *poſſeſſionem*. IUNGE ET IRRIGUAM. Hebr. *Da mihi ſcaturigines aquarum*.

V. 21. ERANTQUE tribus Iuda CI-

VI-

Digitized by Google

VITATES AB EXTREMIS PARTIBUS. Hebr. *civitates a fine*, inverſa conſtructio; pro, erant a fine (ſcilicet ab extremo) civitates tribus filiorum Iuda fines Edom in auſtro Cabzeel.

V. 62. CIVITAS SALIS, a qua mare mortuum, Mare ſalis vocatum eſt, aut e contrario.

V. 63. IEBUSAEUM AUTEM, pro Iebuſæos, ſic dictos a Iebus Philiſtæo quodam, ubi Ieruſalem erat: non potuit delere tribus Iuda illos.

MALVENDAE.

Verſ. 1. IGITUR SORS FILIORUM IUDAE, &c. Equidem ſorte diſtribuendam terram, diſerte præceperat Dominus Numer. XXVI. verſ. 53. 54. 55. 56. Numer. XXXII. verſ. 54. & Ioſue XIV. verſ. 2. Quanam vero ratione eiuſmodi ſors peracta fuerit, varie Explanatores, multumque diſceptant: nec libet eorum expoſitiones tranſcribere, cum ad manum cuique ſint. In re obſcura & perdifficili, ego non dubito, omnia prudenti conſilio, & exacto iudicio Eleazari, Ioſue, & principum, ac præſertim divino nutu, & imperio confecta: habita in primis ratione multitudinis, dignitatis, indigentiæ, munerum & officiorum, commoditatum vitæ cuiuſcumque tribus; ac pro cuiuſque præſtantia, numero, exigentia, eis diſpertitas terræ portiones, quæ quibuſque apprime congruerent; præſertim iuxta præſcriptum vaticiniorum Iacob Geneſ. XLIX. & Moſis Deuteron. XXXIII. nec enim aliter fieri poterat quam a ſacris illis viris prænuntiatum divino ſpiritu fuerat, quæ cuique tribui ſors obventura eſſet. Quocirca facile eſt exiſtimare, in hac terrarum partitione, ſortis nomen, non tam ſortium in urnam aut hydriam coniectionem, & extractionem, quæ ſæpius ad fortuitum eventum comparatur, quam certam, conſtantem, maximiſque rationibus fultam portionum diſtributionem deſignare: גורל *goral* enim interdum *partem*, *portionem*, *hereditatem*, *poſſeſſionem*, certo iudicio, & ratione alicui adſcriptam, ſignificat: ut Pſal. XV. verſ. 5. Pſal. CXXIV. 3. Recte quidam notant, hoc primo verſu, & tribus ſequentibus deſcribi terminos auſtrales ſortis Iudæ: qui iidem totius Chananææ ſunt ex ea parte, uti etiam eoſdem ponit Moſes Numeror. XXXIV. verſ. 2. & ſeqq. Alii hunc primum verſum perſpicuitatis gratia ita convertunt: *Fuit autem ſors pro tribu filiorum Iehudæ, per familias eorum iſta: ad terminum Edomæorum, deſertum Tzinis, meridiem verſus erat extremitas auſtralis ab occidente*; quaſi dicat: Extimus terminus auſtralis, a parte occidua eiuſdem auſtri tribus Iehudæ, erat deſertum Tzinis, quod eſt proximum & confine Idumæis. Alii: *Fuit itaque ſors tribus filiorum Iudæ, pro ipſorum proſapiis, apud fines Idumææ, deſertum Tzin, verſus meridiem, ab extremitate auſtri*. Aiunt, illa, *Verſus meridiem*, & *ab extremitate auſtri*, prorſus idem ſignificare, hoc eſt extimos fines auſtrales. Quapropter iſtorum duorum loco, Numer. XXXIV. verſ. 3. unum hoc ſcriptum eſt, *Angulus auſtri*, ſive *ora auſtralis*. Nonnulli: *Hæc vero fuit ſors tribui filiorum Iehudæ per familias ſuas, nempe verſus* (iuxta) *limitem Edom deſerti*: vel *& deſertum Tzin, ad meridiem, ab extremo auſtri*: vel *in extremitate auſtri*, id eſt in latere illo quod reſpicit auſtrum; quaſi dicat: Tribus Iehudæ a parte auſtrali habuit pro limite ac termino Iudumæam, & deſertum Tzin. DESERTUM SIN. De eo vide Num. XXXIII. verſ. 36.

V. 2. INITIUM EIUS A SUMMITATE, &c. Nos ex Hebræo in noſtra Tranſlatione hunc verſum verbo tenus reddidimus. (*Et fuit eis terminus auſtri de extremitate maris ſalis, de lingua aſpiciente in auſtrum.*) Alii ita: *Habebantque ſuum terminum auſtralem ab extremitate maris ſalſi, a lingua quæ reſpicit meridiem verſus*. Voluntque hunc ſecundum verſum, explicationem eſſe primi verſiculi, eoque oſtendi deſcriptionem iſtam auſtralis termini inchoari ab extimo ſinu maris ſalſi, qui ſinus auſtro proximus ſit: atqui hic rurſus poſterius membrum huius ſecundi verſus prioris eſſe exegeſim; pro quo Numer. XXXIV. verſ. 3. ſcriptum ſit: *Et erit vobis terminus auſtri, ab extremitate maris ſalſi, ad orientem*. Nonnulli reddunt: *Fuitque limes eorum meridianus, ab extremitate maris ſalſi, a petra reſpiciente meridiem*. Aliqui: *Fuitque eis terminus ab oriente meridianus, extremitas maris ſalſi, ab eo ſinu qui ſpectat meridiem verſus*; quaſi dicat: Terminus auſtralis tribus Iudæ a parte orientali, fuit extremitas lacus Aſphaltitis, nimirum ſinus eius meridionalis: uti præcedenti verſu teminus auſtralis ſortis Iudæ a parte occidentali, ponitur Idumæa, & deſertum Tzin. ET A LINGUA EIUS. לשון

לשון *leſchon*, *lingua*, aliquando dicitur de re qualibet quæ linguam ſimilitudine refert. Quidam hic accipiunt pro *petra*, *ſcopulo*, *ſaxo*, ſeu *promontorio*, quod longius excurrat in mare. Alii pro *excurſu maris in terram*, quod longius, & ſtrictius inſtar linguæ excurrat in terram. Plerique pro *oſtio*, ſeu *ſinu maris*, qui linguæ ſimilitudinem habet, ut Latini dicunt brachium maris: ſic Iſaiæ XI. verſ. XV. Vide infra verſ. 5.

V. 3. CONTRA ASCENSUM SCORPIONIS. Hebr. *de meridie Maghalegh bakrabim*. De hoc loco vide Numer. XXXIV. verſ. 4. PERTRANSIT IN SINA. Cave intelligas Sina nobilem illum Arabiæ montem, qui per Samech ſcribitur; hic autem locus per Tzade. Coniectantur eſſe vel locum, vel urbem celebrem, a qua magnum illud deſertum Tzin numcupatum fuerit: & hic in צנה *Tzinnah*, He eſſe locale, reddendumque: *Et tranſibit in Tzin*. Hiſpanice ſonat *la eſpina*, vel *el eſpinar*. IN CADES-BARNE. Hebr. קדש-ברנע *Kadeſch-Barneagh*. De ea vide ſupra cap. X. verſ. 41. Nominis interpretationem quidam hariolantur eſſe, *Sacrum filii Neagh*, cognomen nimirum a conditore, vel illuſtri aliquo loci principe factum. Fortaſſe quod ibi ſacrarium, aut gentis aſylum eſſet. IN ESRON. Hebr. *Chetzron* ab eodem verbo, & eodem ſignificato. Infra verſ. 23. dicitur *Chatzor*, ut etiam Numer. XXXIV. verſ. 4. De etymo nominis diximus ſupra cap. XI. verſ. I. Quidam, *Penuriam* interpretantur; & Italice, *Il fallito*, quod ego non capio. Diverſam hanc ſtatuunt ab illa regia Iabin, de qua ſupra cap. XI. verſ. I. etſi alii aliter. Vide ibi. ASCENDENS AD ADDAR. Hebr. אדר *Addar*. De hac diximus Numer. XXXIV. verſ. 4. Euſebius & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Addara in tribu Iuda iuxta deſertum*. Significat *magnificam*, *amplam*, *prægrandem*, *prævalidam*, *robuſtam*, *fortem*. Quidam, *Valentiam* exponunt, Latino, & Hiſpanico vocabulo: quod nomen primum Romæ fuit, auctoribus Feſto, & Solino. CARCAA. Hebr. קרקעה *Karkaghah*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Accara vicus in deſerto ſitus in poſſeſſione tribus Iudæ, pro quo Symmachus interpretatur pavimentum*. Sonat Hebræis, *ſolum*, *fundum*, *ſitum*, *fundamentum*. Hiſpanice *el ſitio*.

V. 4. IN ASEMONA. Hebr. *in Ghatzmon*. De iſta egimus Numer. XXXIV. verſ. 4. AD TORRENTEM AEGYPTI. Quidam hic reddunt, *Ad vallem AEgypti*: inepte. Vide ſupra cap. XIII. verſ. 3. & Numer. XXXIV. verſ. 5. Sic etiam infra verſ. 47. ERUNTQUE TERMINI EIUS MARE MAGNUM. Hebr. *Et erunt exitus termini ad mare*. Quidam: *Cuius termini exitus ſunt in mare*. Omnes mare magnum, ſeu mediterraneum intelligunt; quaſi dicat: Deſinit terminus in mare mediterraneum, haud procul a Rhinocolura, ſeu torrente, qui diſpeſcit Chananæam ab AEgypto. Aliqui reddunt: *Et ſunt exitus huius limitis in occidua plaga*. Nam ים *iam*, *mare*, ſumi pro occidente, nimis eſt pervagatum.

V. 5. AB ORIENTE VERO ERIT INITIUM MARE SALSISSIMUM. Hebr. *Et terminus ad orientem, mare ſalis*; id eſt, terminus orientalis erit totus ipſe lacus Aſphaltites ab auſtrali eius extremitate, vel ſinu, quo ab auſtro terminabatur ſors Iehudæ, uſque ad ſeptemtrionalem, quo Iordanis in ipſum mare ſalſum influit. Unde ſubditur: USQUE AD EXTREMA IORDANIS. Hebr. *uſque ad extremitatem Iordanis*. Recte obſervant, *extremitatem Iordanis*, eius fluminis oſtium, nempe eum locum quo Iordanis influit in Aſphaltitem, appellari. Ergo hic tota longitudo Aſphaltitis pro termino ſortis Iehudæ orientali deſignatur. Ioſephus Lib. V. Belli, cap. IX. *Longitudo lacus eſt quingentorum & octoginta ſtadiorum, qui ad Zoara uſque Arabiæ tenditur: latitudo autem centum quinquaginta ſtadiis patet*. ET EA QUAE RESPICIUNT AD AQUILONEM, A LINGUA MARIS USQUE AD EUMDEM IORDANIS FLUVIUM. Hebr. *Et terminus ipſi angulo in aquilonem, de lingua maris, de extremitate Iordanis*. Quidam: *Terminus autem anguli aquilonaris*, ſeu *lateris ſeptemtrionalis*, incipit *a petra*, promontorio, vel excurſu altero, *maris* ſalſi, *ab extremitate*, ſive *termino Iarden*, id eſt ab ea parte qua Iordanis influit in mare ſalſum. Alii: *Terminus autem regionis aquilonaris, a lingua maris erat, ab extremo Iordanis*; id eſt, fines aquilonares Iudæorum, ab Iordanis oſtio, & a ſinu aquilonari eiuſdem oſtii inchoabant. Nonnulli: *Terminus vero ad latus aquilonare, a ſinu iſtius maris, pars Iardenis*; id eſt, ab extremitate Iardenis partem eius uſque ad lacum Geneſareth Iehudas maximam poſſedit: etiam ſi quarumdam tribuum fines in ipſum Iar-

de-

denem inciderent : hac ratione fiebat, ut fines Nephthali ad Iardenem eſſent Iudæ contermini , ut habetur infra cap. xix. verſ. 34. Falſum omnino Iudæos fines ad lacum Geneſareth pertigiſſe, ut ex deſcriptione quæ ſubiungitur, facile colliqueſcit. פאה *peab*, *angulum*, *latus* , *plagam*, *oram*, *regionem* ſignificat. A LINGUA MARIS. Vide ſupra verſ. 2. Hic alterum ſinum , nempe aquilonarem , Aſphaltitis , quo Iordanis ei commiſcetur , deſcribi, recte obſervant : cum ſupra verſ. 2. expoſitus ſit alter ſinus obverſus eiuſdem lacus, videlicet auſtralis. Ac vix credibile aiunt, & in auſtrali illa maris iſtius extremitate, & rurſus in aquilonari hac, rupem, aut ſcopulum, vel promontorium fuiſſe, quod linguæ vox ſignificarit; ſinum autem utrimque fuiſſe, certum eſſe. Delirium eſt, hic linguam, ſeu ſinum maris mediterranei exponere, cum ſermo de Aſphaltite procul dubio ſit, ut ex ductu deſcriptionis apparet , a cuius aquilonari extremitate, ſeu oſtio Iordanis ducitur verſus occidentem ſeries locorum . Quæ mox ſubiiciuntur , *Lingua maris* , & *extremitas Iarden* , hic unum & idem omnino ſunt.

V. 6. IN BETH-HAGLA . Hebr. בית-חגלה *Beth-chogla* . De hac diximus Geneſ. L. verſ. 10. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis, aiunt diſtaſſe a Iordane duobus milliaribus , & a Ierichunte tribus. Brocardus : *A Iericho ſunt duæ leucæ verſus mare mortuum ad Beth-hagla , ubi filii Iſrael planxerunt patrem ſuum Iacob defunctum, quando eum tulerunt de Ægypto*: & *diſtat una leuca a Iordane*. Equidem Euſebius, & S. Hieronymus, Aream Atad, ipſam volunt eſſe Beth-haglam. Quod quibuſdam non ſit veriſimile: neque enim per Beth-haglam iter erat ex AEgypto Hebronem; niſi velimus Ioſephum circumduxiſſe iter, ac tranſiſſe Iordanem ea parte, qua poſtea Iſraelitæ traiecerunt, ut ſe, fratreſque ſolaretur aſpectu loci, ingentibus miraculis futuri inclyti . Euſebius , & S. Hieronymus , *Domum gyri* interpretantur, quod ibi more plangentium circumierunt in funere Iacob . Vel *domum feſtivitatis eius* . Alii , *Domum obſidionis* . Fuit ſortis Beniamin, infra cap. xviii. verſ. 21. ET TRANSIT AB AQUILONE IN BETH-ARABA . בית-ערבה *Beth-gharabah* . Exponunt: *Ultra tendit limes* , habens a dextris , ſeu extrorſum, & foris, *ad aquilonem Beth-arabam*. De qua Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Beth-Araba, pro qua Symmachus tranſtulit, In locis, quæ iuxta inhabitabilem ſunt, ſignificans eremum*. Et ſuperius: *Araba, hanc Aquila tranſtulit planam. Symmachus interdum campeſtrem, interdum inhabitabilem. Theodotio occidentalem*. Vide infra cap. xviii. verſ. 18. Proprie ſignificat *domum* , ſeu *locum* , *campeſtris* , *arvi* , *ſolitudinis* , *deſerti* , *eremi*. Vide de *Gharabah* Numer. xxii. verſ. 2. Ad tribum Beniamin pertinuiſſe videbimus cap. xviii. verſ. 22. In hac vaſta ſolitudine quidam tradunt S. Hieronymum vitam exercuiſſe monaſticam. Anſelmus Minorita in deſcriptione terræ ſanctæ: *Inter Iericho & mare mortuum eſt clauſtrum S. Hieronymi in vaſta ſolitudine : cuius clauſtri adhuc extant parietes : & teſtitudo iam convellitur, & labitur*. De ſua eremo S. Hieronymus epiſtola vi. & xliii. AD LAPIDEM BOEN. Hebr. אבן-בוהן *Eben-Bohan*, id eſt *rupem*, *ſaxum* , ſeu *lapidem Bohan*; alibi hic locus non occurrit. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis hoc tantum de eo: *Lapis Bohan filiorum Ruben: eſt autem terminus tribus Iudæ*. Coniectantur, hoc nomen accepiſſe a quodam Rubenita , qui Bohan fuerit appellatus: unde efficitur, recentiorem eam eſſe appellationem. Fortaſſe in præteritis expeditionibus Bohan ille Rubenita rupem illam occupavit, aut ſtrenuum aliquod facinus ibi deſignavit, unde nomen ſuum loco dederit . Nec deſunt qui *lapidem pollicis* interpretentur, quod rupes illa pollicis figuram exprimeret; quæ caſu aliquo extra ſortem Rubenitis obtigerit: alioqui enim Rubenitæ poſſeſſionem ſuam ultra Iordanem habebant. Sic infra verſ. 37. dicitur *Migdal-Gadis*.

V. 7. USQUE AD TERMINOS DEBERA. Hebr. *Debir*. Non eſt hæc illa Debir prope Hebronem , de qua infra verſ. 15. dicemus ; neque etiam illa alia ultra Iordanem in tribu Gad , de qua egimus ſupra cap. xiii. verſ. 26. ſed tertia alia ab his diſtincta , quam quidam prope Ierichuntem collocant , ut ex ſitu locorum colligitur . Fortaſſe illa eſt, de qua Euſebius , & S. Hieronymus in Locis Hebraicis : *Dabria , eſt autem & alia villula Iudæorum in monte Thabor, regionis ad Diœceſaream pertinentis*. Sed longius hinc aberat Thabor. DE VALLE ACHOR. De ea diximus ſupra cap. vii. verſ. 26. CON-

TRA

Digitized by Google

TRA AQUILONEM RESPICIENS GALGALA. De Galgala egimus cap. v. verſ. 9. Fruſtra ſunt, qui hic aliam Galgalam ab illa accipiunt. Vide infra cap. XVIII. verſ. 17. QUAE EST EX ADVERSO. נוכח *nocaeh*, *rectitudo*, *directio*, *recta*, *directe*, *coram*, *ante*, *e regione*, *ex oppoſito*, *ex adverſo*, *contra*, interpretatur. Vide Geneſ. XXV. verſ. 21. Exodi XL. verſ. 24. ASCENSIONIS ADOMMIM. Hebr. מעלה אדמם *magbaleo-Adummim*, id eſt *aſcenſus Adummim*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Adommim, quondam villula, nunc ruinæ in ſorte tribus Iudæ, qui locus uſque hodie vocatur Maledomim; & Græce dicitur, Anabaſis pyrron, Latine autem appellari poteſt, Aſcenſus ruforum, ſive rubentium, propter ſanguinem qui illic crebro a latronibus funditur. Eſt autem confinium tribus Iudæ & Beniamin, deſcendentibus ab Ælia Iericbum, ubi & caſtellum militum ſitum eſt, ob auxilia viatorum. Huius ſanguinnarii & cruenti loci Dominus quoque in parabola deſcendentis Iericbum de Ieroſolyma recordatur. Lucæ* X. *verſ.* 30. Et in epitaphio Paulæ: *Rectoque itinere deſcendebat Iericho, recogitans, & locum Adommim, quod interpretatur ſanguinum, quia multus in eo ſanguis crebris latronum fundebatur incurſibus*. De præſidio Romanorum militum eo in loco poſito, in Notitia orientalis Imperii hæc habentur: *Cohors prima Salutaria inter Æliam & Hierichunta*. Brocardus: *A Iericho quatuor ſunt leucæ, contra occidentem via, quæ ducit Ieroſolymam, ad ſiniſtram Quarentanæ, ad caſtrum Adumim, ubi ſcilicet ille, qui deſcendebat de Ieruſalem in Iericho, incidit in latrones: id quod his temporibus adhuc multis contingit, & ob id ab effuſione ſanguinis frequenti nomen accepit. Eſt locus ipſe viſu horribilis, & periculoſus valde: nec quiſquam eum audet pertranſire ſine conductu*. Alter Burchardus de Monte Sion: *De Iericho quatuor leucas contra occidentem, in via quæ ducit Ieruſalem, ad ſiniſtram deſerti Quarentanæ, Adomim caſale, ubi ille, qui deſcendit ab Ieruſalem in Iericho, incidit in latrones: quod etiam ibidem moderno tempore multis contingit. Locus idem Rotenburch appellatur, propter multum ſanguinem ibi fuſum. Eſt enim locus ille horribilis, & periculoſus valde*. AB AUSTRALI PARTE TORRENTIS. Hebr. אשר *qui*, vel *quæ*, *de auſtro ipſi torrenti*. *aſcher*, relativum ambigui generis, poteſt referri ad aſcenſum Adommim, & ad Galgalam: id quod Noſter ſecutus eſt. נחל *nachal*, & *torrentem*, & *vallem*, ſeu *convallem*, quoque ſignificat. Et quia in hoc tractu nullum torrentem ſacri geographi memorant, quidam hic potius vallem accipiunt: & forſan intelligitur vallis Achor, quæ late in aquilonem tendebatur. Vide I. Reg. XVII. verſ. 3. ubi eſt mentio torrentis Charith e regione Iordanis. FONS SOLIS. Hebr. עין-שמש *ghen-ſchemeſch*, *oculus*, vel *fons ſolis*, ſeu *miniſterii*. Hunc locum nemo exponit, nec nos eruere poſſumus. Eius iterum mentio infra cap. XVIII. verſ. 17. AD FONTEM ROGEL. Hebr. עין-רוגל *ghen-rogel*, *oculum*, vel *fontem*, *pedis*, ſeu *fullonis*. Sic dictum notant fullonem, qui pedibus pannos, & veſtes lavet. Hunc locum fuiſſe prope Ieruſalem, ut inde clamor populi, & ſonus buccinæ Ieroſolymis perſonantis audiri recte poſſet, liquet II. Samuel. XVII. verſ. 17. & I. Reg. I. verſ. 9. & 41. Nec dubito hunc eumdem locum eſſe, qui II. Regum XVIII. verſ. 17. Iſaiæ VII. 3. & Iſaiæ XXXVI. 2. appellatur *aquæductus piſcinæ ſuperioris in via agri fullonis*. Quod forſan ibi fullonariæ officinæ eſſent. Situm huius loci ſatis indicaſſe mihi videntur Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis, cum aiunt: *Eſt autem in ſuburbanis Æliæ uſque hodie locus, qui Topheth vocatur, iuxta fullonis piſcinam, & agrum Acheldema*. Erat ergo fons, ſeu piſcina fullonis prope Ieruſalem & vallem filii Hinom, ſeu Topheth, & agrum Acheldema. Brocardus: *Torrens Cedron defertur in vallem Geennom, quæ etiam locus Topheth vocatur: ubi eſt fons Rogel, lapis Zobeleth, & ubi Adonias fecit convivium, cum regnare inſtituiſſet. Ibi quoque Iſaias ſepultus dicitur: ſerra prius iuxta fontem Siloe ſectus. Sunt hæc loca amœniſſima, deliciis plena, viridariis, & hortis conſita, irrigante ea torrente Cedron*. Alter Burchardus de Monte Sion: *In valle Topheth, ſive Geennom, eſt lapis Zobeleth, & fons Rogel, ubi Adonias immolavit victimas, volens regnare: & ſunt ibi loca & iardini amœniſſimi propter aquas, quæ illos irrigant*. Loca illa fuiſſe amœniſſima, annotarunt etiam S. Hieronymus in VII. Ieremiæ, & S. Beda Libello de Locis Sanctis cap. VI. Et nos plura de his diximus Lib. XI. de An-

Antichriſto, cap. VIII. Quod ad ſepulturam Iſaiæ apud fontem Roghel attinet, hæc de illa prodit S. Epiphanius in Vita Iſaiæ: *Tumulatus eſt ſub quercu Rogel, iuxta tranſitum aquarum*. Quæ verba exſcripta ſunt in Romano Martyrologio 6. Iulii.

V. 8. ASCENDITQUE PER CONVALLEM FILII ENNOM. De valle filii Hinom copioſe diximus in Antichriſto Lib. XI. cap. VIII. Facile coniectamur, hanc vallem nomen ſortitam a nobili quodam Iebuſæo, qui eam poſſederit, aut coluerit, aut quippiam præclarum in ea geſſerit. *Hinam* ſonat inſignem aliquem & notabilem virum, a vocula demonſtrativa הן *hen*, vel הנה *hinneh*, *en*, *ecce*. Hebraice גי-בן-הנום *Ge-Ben-Hinnom*, *vallis filii Hinnom*: & paulo inferius, & alibi contracte, *vallis Hinnom*. Unde factum fuiſſe Gehennæ nomen in Evangeliis ſæpius uſurpatum, fuſius ibidem in Antichriſto docemus. Vide inf. cap. XVIII. verſ. 16. EX LATERE IEBUSAEI AD MERIDIEM, HAEC EST IERUSALEM. Quidam pro conſtanti habent, ex hoc loco, & infra cap. XVIII. verſ. 28. & Iudic. XIX. verſ. 10. *Ieruſalem* dictam etiam *Iebus*, ſeu *Iebuſi*. Alii negant, aiuntque fuiſſe duas urbes conterminas, & quaſi geminas atque coniunctas, *Iebus*, & *Ieruſalem*: & *Iebus* fuiſſe tribus Beniamin, *Ieruſalem* vero tribus Iehudæ, & ideo Iebus etiam nonnumquam Ieruſalem dici: deinde autem Davidis tempore unicam urbem effectam fuiſſe ſub Ieruſalem nomine, & templum Domini in parte Iebus extructum fuiſſe. Unde hic, & ſimilibus locis, quidam exponunt: *Ad latus urbis Iebuſæi*, ſeu *Iebuſæorum*, *ipſa eſt Ieruſalaim*. Ego hic aperte video Iebus ſeu Ieruſalem excluſam a limite ſortis Iehudæ, & ad dexteram, boream verſus relictam. Vide infra, verſ. 63. Conſtat Iebuſæos dictos a Iebus filio Chanaan, Gen. X. verſ. 16. Hebræis dicuntur quaſi *conculcatores*, *peſſundatores*; forte ob ſuperbiam: vel paſſive *conculcati*; quod gens vilis, & deſpecta eſſet. AD VERTICEM MONTIS, QUI EST CONTRA GEENNOM. Hunc montem quidam Acheldemah intelligunt, Matth. XXVII. 8. de quo Euſebius, & S. Hieroymus in Locis: *Acheldema ager ſanguinis, qui hodieque monſtratur in Ælia ad auſtralem plagam montis Sion*. Brocardus: *Inter orientem & auſtrum eſt ager Akeldemah habens a tergo montem mediocriter ſublimem qui eodem appellatur nomine. Porro ab occidente adhæret ei ager fullonis, qui ab occidente terminatur in montem Gion*. Alter Brochardus: *Iuxta natatoriam Siloe, contra auſtrum, ad iactum lapidis, ultra vallem eſt Acheldemah, ubi eſt ſepultura peregrinorum*. Alii rectius ſentiunt hunc montem fuiſſe illum qui dictus eſt mons offenſionis ſeu ſcandali, in quo Salomon ædificavit fana Chamos idolo Moab, & Moloch idolo Ammonitarum, I. Regum XI. verſ. 7. & II. Regum XXIII. verſ. 13. Brocardus: *Sub hunc locum* (nempe Gehinnom, & fontem Roghel) *eſt mons offeſſionis, ubi fuit locus ille deteſtabilis, in quo inſani homines traiiciebant filios ſuos per ignem, offerentes eos dæmoniis*. Et poſtea: *Ad auſtrum Ieruſalem eſt mons offenſionis, ubi ſcilicet Salomon templum poſuit idolo Moloch, ſubter eum eſt locus* Topheth *ſive Gehennom*. Vide infra cap. XVIII. verſ. 16. IN SUMMITATE VALLIS RAPHAIM CONTRA AQUILONEM. Hebr. *qui*, mons, vel *quæ*, vallis, *in extremitate vallis Raphaim in ſeptemtrionem*. Ambigua ſunt, indicantque, vel montem offenſionis, vel vallem Hinnom contigiſſe extremam aquilonalem oram vallis Raphaim, ut extremitas ſeptemtrionalis vallis Raphaim, prope attingeret occidentalem oram montis offenſionis, vel vallis Hinnom: quod utrumque, ut reor, verum eſt. Euſebius & S. Hieronymus in Locis: *Raphaim vallis Allophylorum ad ſeptemtrionalem plagam Ieruſalem*. Id ſubſiſtere non poteſt, cum proculdubio eſſet ad meridianam plagam Ieruſalem, paululum in occidentem deflexa, ut mox oſtendemus. Non longe abfuiſſe ab Ieruſalem, hiſtoria David percutientis Philiſthæos, qui ad eam uſque vallem progreſſi fuerant, ſatis indicat, II. Samuel. V. Ioſephus Lib. VII. Antiquit. cap. IV. *Palæſtini collecto exercitu, & occupata convalle, quæ dicitur gigantum, non procul Ieroſolymis ſita, caſtra ibi poſuerunt*. Ad meridiem Ieroſolymæ fuiſſe, & anabaſis Philiſtinorum, & omnes ſacri topographi confirmant. Brocardus de porta Ieruſalem occidentali: *Per eam erat via in Bethlehem, Hebron, Gazam, Ægyptum, & Æthiopiam. Nam ducebat ad agrum fullonis iuxta montem Gion, ubi a ſiniſtris ibatur in Hebron;*

a dex-

Digitized by Google

a dextera vero verſus Ioppen. Et hæc eadem via poſt modicum intervallum iterum dividebatur: nam ad ſiniſtram (id eſt verſus auſtrum) *ducebat in vallem Raphaim ſub caſtro Bethſura, verſus Philiſthiim, & Gazam.* Alter Brochardus de eadem porta: *De ea procedebat via in tres partes diviſa, una ſuper agrum fullonis, & una, quæ erat ſiniſtra, ducebat in Bethlehem, & Hebron: alia deſcendebat ad dexteram per vallem Raphaim, ſub caſtro Bethſura, quod eſt quinque ſtadiis ab Ieruſalem.* Eadem habentur in Epitome Sacrorum Bellorum, quam edidit Henricus Caniſius. Rurſus Brocardus: *Ab Emmaus, ſeu Nicopoli, ſpatio unius leucæ & dimidiæ aſcenditur per vallem Raphaim a latere Domus Zachariæ, quæ relinquitur ad dexteram euntibus in Ieruſalem.* Et ſubdit: *Caſtrum autem Bethſura diſtat fere per unam leucam a Ieruſalem.* Recentiores ſacri topographi deſcribunt eam ampliſſimam iuxta Ieruſalem a ſeptemtrione in meridiem longe lateque protenſam, optimi tritici, vini, olei, frugumque feraciſſimam. Opimam tritici indicat Iſaias XVII. verſ. 5. Quidam exiſtimant hanc vallem gigantum eſſe campum illum, ſeu depreſſam convallem, quam Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis ita deſcribunt: *Sephela, ſicut ſcribunt, Iſaias: pro quo Aquila campeſtrem, Symmachus vallem interpretatur. Uſque hodie omnis regio iuxta Eleutheropolim campeſtris & plana, quæ vergit ad aquilonem, & occidentem, Sephela dicitur.* Vide infra verſ. *33.* Nomen habere videtur, quod eam forte gigantes quondam inſederint: vel a victoria Davidis in Philiſthæos, inter quos erant gigantes.

V. 9. PERTRANSITQUE. Verbum תאר *taar* hic primum in Scriptura occurrit, in qua quinquies in Kal legitur, & ter in Pihel. Hoc verſu primum, & infra Ioſue XVIII. verſ. 18. cap. XIX. verſ. 13. *tranſire, pertranſire*, Noſter interpretatur. Hoc verſu iterum, & verſ. 11. & infra cap. XVIII. verſ. 14. *inclinari*. Iſaiæ XLIV. verſ. 13. *formare*; & ibidem, *tornare*. Aiunt ſignificare *formare, figurare, diſponere, aptare, ſignare, deſignare, deſcribere, delineare, circumſcribere, definire, lineas ducere, ductis lineis deſignare, lineis deſcribere*. Hebræi docent idem eſſe quod *agi in obliquum, gyrare, circuire*. Quidam notant, hic verbum *taar* indicare obliquam & ſinuoſam introrſus ad dexteram verſus boream, termini ſeu limitis pertranſeuntis formam & figuram. Sed unde id divinent, ego neſcio. Nonnulli hic active exponunt: alii intranſitive. Unde varie reddunt. I. *Circuit autem terminus*. II. *Et deſcribitur, figuratur, terminus*. III. *Et ducit lineam terminus*; id eſt, lineam arcuatam, & obliquam, quaſi circino facit: vel *linea arcuata, & obliqua tendit terminus*. IV. *Deflectit autem limes iſte*. V. *Et deſcribebatur*, vel *gyrabat terminus*. VI. *Et circinnat terminus*: vel *deſcribit lineam circularem*. VII. *Poſt definit terminum iſtum mons a vertice ſuo*. VIII. *Et tornat terminus*, vel *tornatur terminus*. Hiſpanice, *bornea*. AD FONTEM AQUAE NEPHTOA. Hebræi hunc fontem vocant *Ghetam*, forſan a loco *Ghetam*, cuius extat mentio Iudicum XV. 8. I. Paralip. IV. verſ. *32.* & II. Paralipom. XI. verſ. *6.* in tribu Iudæ, ſeu Simeonis. נפתוח *Nephtoach* Hebræis ſignificat *apertionem, eruptionem, hiatum*: ut forte nomen loco ſit factum ab inſigni aquarum eruptione. Vide infra cap. XVIII. verſ. 15. ET PERVENIT USQUE AD VICOS MONTIS EPHRON. Hebr. *Et egredietur uſque ad urbes montis Ghephron*. Notant, Ephron huic monti nomen inditum ab עפרון *Ghephron* Hethæo Gen. XXIII. 8. qui eum forte poſſederit: in quo quoque fuerit urbs eiuſdem nominis cum vicis, & oppidis ſuis, ut hic dicitur, & II. Paralip. XIII. verſ. 19. Appellatio Hephronis a pulvere ducta videtur, quaſi dicas, *Montem pulverulentum*: ut Romæ *montem teſtaceum*. Vide in II. Paralipom. XIII. verſ. 19. IN BAALA, QUAE EST CARIATHIARIM, ID EST URBS SILVARUM. De Baala, ſeu Cariathiarim, diximus ſupra cap. IX. verſ. 17. בעלה *Baghalah* interpretatur *dominam, heram*; Hiſpanice *duenna*; Italice *patrona*. De ea vide II. Samuel. VI. verſ. 2. & I. Paralipom. XIII. verſ. *6.*

V. 10. USQUE AD MONTEM SEIR. Longe diverſum eſſe hunc montem Seir, ab illo Idumæorum de quo egimus Geneſ. XIV. *6.* & annotatum eſt plurimis, & nimis eſt manifeſtum. Dictum hunc שעיר *Seghir* volunt a rupium, & arbuſtorum impexa, horridaque coma: ut ſequentem, & ei vicinum יערים *Iegharim*, a ſilvis quibus abundabat, quaſi *ſilvoſum, nemoroſum*, & *comoſum*. IN CHESLON. כסלון *Ceſa-*

ſalon: Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Ghaſton in tribu Iuda, & in finibus AEliæ villa prægrandis*. Coniectantur parum abſuiſse a Cariathiarim, paululum verſus occidentem, & utramque apud montem Iegharim, ſeu ſilvoſum extitiſse. Varias etymologias ei affingunt. I. *Sicut caniſtrum*: quod fortaſse urbs in modum caniſtri conſtructa eſset; ſeu quod ibi optima caniſtra, ſeu ſportæ conficerentur. II. *Sicut ſpina*, vel *ſpinæ ſimile*, forte propter denſam ſpinoſarum arborum copiam, vel ſentium, quæ ibi eſset. III. *Fatua, ſtulta*; quod eius urbis incolæ ſtultiores eſsent. IV. *Ile*, quod forſan lateri montis Ieharim quaſi ile adhæret; ac ſi dicas, *Ile Ieharim*. ET DESCENDIT IN BETHSAMES. בית־שמש *Beth-ſchemeſch*. Euſebius, & S. Hieronymus in locis: *Bethſames civitas ſacerdotalis in tribu Biniamin, quæ uſque hodie demonſtratur de Eleutheropoli pergentibus Nicopolim, in decimo milliario contra orientalem plagam*. In notitia imperii: *Equites Thamudeni Illyriciavi, Bithſamæ*, ſcilicet excubabant. Brocardus: *De Cariathiarim, ſi duabus leucis contra auſtrum procedas, occurrit Beth-ſames oppidum, ad quod vaccæ duxerunt arcam Dei, tempore meſſis triticeæ*. Et inferius: *A Geth duæ ſunt leucæ contra auſtrum ad Beth-ſames Iuda. A Beth-ſames contra occidentem, fere per quatuor leucas haud longe a mari eſt Accaron, etiam una de principalioribus civitatibus Philiſthinorum*. Bethſames vicinam ſuiſse urbi Cariathiarim, & ex hiſtoria reductæ arcæ, I. Samuel VI. & ex Ioſepho Lib. VI. Antiquit. cap. I. liquet. *Beth-ſemes* ſignificat *domum*, ſeu *locum ſolis*: quod nomen inde factum quidem exiſtimant vel a ſolis, æſtuſque vehementi vi, vel a templo aliquo ſoli dicato eo in loco; aut quod oppidum orienti ſoli obverſum eſſet. TRANSITQUE IN THAMNA. Hebr. *Thimnah*. De hac ſcripſimus Geneſ. XXXVIII. verſ. 12. Vide infra cap. XIX. verſ. 43.

V. II. INCLINATURQUE SECHRONA. Hebr. *In Sechron*, vel *Sicheronah* שכרונה. De hoc loco Euſebius, & S. Hieronymus nihil aliud quam: *Sacharonah, in tribu Iuda*. Nec alii quidquam amplius expediunt. Ab ebrietate nomen nacta videtur; vel quod incolæ eſsent ebrioſi, vel quod regio vino abundaret. PERVENITQUE IN IEBNEEL. Hebr. *Et exibit Iebneel*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Iamneel in tribu Iuda: eſt autem uſque hodie oppidum Palæſtinæ, Iamnia inter Dioſpolim & Azotum*. Conſentiunt omnes Iebneel eſse Iamniam, urbem Palæſtinæ maritimam, quod Græci facile B in M convertunt, quod ſint labiales litteræ, & eiuſdem inſtrumenti. Strabo Lib. XVI. pag. 756. *Locus hic adeo hominibus abundavit, ut ex Iamnio proximo vico, & circumvicinis habitationibus quadraginta hominum millia armarentur*. Et paulo inferius: *Iamnia Azoto, & Aſcalone diſtat ducentis fere ſtadiis*. Plinius Lib. V. cap. XIII. *Iamnes duæ, altera intus*. Sunt proculdubio quas Ptolemæus Lib. V. cap. XVI. appellat Iamniam, & Iamnetorum portum. Poſſit quis ſuſpicari Iamniam eſse Ienyſum Syriæ urbem, Herodoto Lib. III. numer. 5. יבנאל *Iebneel* ſonat Hebræis, *ædificium Dei*, ſeu *ſtructura fortis*: forte quod locus eſset arte munitus. Ptolemæus in IV. Aſiæ tabula, Iamniam collocat inter Lyddam ſeu Dioſpolim, & Azotum: ut etiam Euſebius, & S. Hieronymus. Beniamin in Itinerario, pagina 49. *Hinc* a (Iop e) *Ebalim uſque paraſangas confeci tres. Ea urbs eſt, quæ Iebna* (potius Iebneel) *quondam dicebatur, in qua antiquæ ſcholæ ſitus adhuc viſitur. Unde tribus peractis leucis Palmin me contuli, olim Aſdod, ſive Azotum*. Forte alio etymo *Iebneel* dicta eſt, id eſt *intelligentia, eruditio Dei*: quod ibi publicæ academiæ, & ſtudia divinæ Sapientiæ olim viguerint. *Iebneh* appellatur II. Paralip. XXVI. verſ. 6. & *Iebnaan* Iudith II. verſ. 22. ET MAGNI MARIS CONTRA OCCIDENTEM FINE CONCLUDITUR. Finem verſ. II. & prius membrum verſ. 12. ſummatim hiſce verbis Noſter incluſit. Hebræa longius habent: *Et erunt exitus termini in mare*, ſeu *in occidentem*; id eſt, tandem deſinit in mari mediterraneo. Deinde incipit verſ. 12. *Et terminus maris*, ſeu *occidentis, in mare magnum; & terminus iſte terminus filiorum Iehudah*, &c. Quidam priorem partem verſus 12. ita reddunt: *Porro terminus occidentalis ad mare magnum, & terminum: iſte eſt terminus filiorum Iehudah*, &c. Hoc eſt, terminus occidentalis illius eſt iuxta mare mediterraneum, & terminum eius, id eſt & regionem finitimam mari mediterraneo; quaſi dicat: Mare mediterraneum, & regio ipſi finitima efficiunt

ter

Digitized by Google

terminum & limitem occidentalem ſortis Iehudæ. Alii: *Porro terminus occidenti oppoſitus erat mare magnum, & ora: hic eſt terminus filiorum Iudæ*. Oram hic intelligunt totum littus maris mediterranei a Iamnia uſque ad oſtium torrentis AEgypti. Nonnulli: *Denique terminus occidentalis eſt, quod eſt ad mare magnum, & terminum ipſius: hic eſt terminus filiorum Iehudæ circumquaque*, &c. Aliqui, neglecta Hebraica interpunctione, convertunt: *Limes vero occidentalis eſt mare magnum: iſque limes, limes eſt filiorum Iehuda*, &c. Vide infra verſ. 47.

V. 12. HI SUNT TERMINI FILIORUM IUDA PER CIRCUITUM, &c. Accuratiſſime divinus auctor terminos & limites omnes ſortis Iehudæ, uti vidimus, a meridie, oriente, ſeptemtrione, & occidente, circumquaque deſcripſit. Quos Ioſephus V. Antiquitat. cap. III. ita complexus eſt: *Tribui Iudæ obvenit tota ſuperior Iudæa pertinens uſque Ieroſolyma. Latitudo vero eius Sodomiticum lacum attingebat. In hac ſorte urbes erant Aſcalon & Gaza*. Brocardus: *Tribus Iuda ſuperiorem obtinuit regionem, quæ in longitudine quidem extenditur ab AEgypto uſque in Ieruſalem: diciturque intervallum illud occupare ſeptem dietas. In latitudine vero incipit a lacu Aſphaltite, hoc eſt a mari mortuo, & deſinit uſque ad mare magnum in occidente*.

V. 13. DEDIT PARTEM. Vide ſupra cap. XIV. verſ. 13. ARBE, PATRIS ENAC. Hoc, & ſequente verſu illud indicari videtur, Arbah parentem fuiſſe Hanach: huius vero filios fuiſſe Seſai, Ahiman, & Tholmai. De his diximus Num. XIII. verſ. 34. & de eiſdem varie alii differunt. Ego ita ſentio, Arbah fuiſſe primum aut primarium ſeu præcipuum generis hanakinorum proauctorem; aut certe inter hanakinos principem, aut magnum, & celebrem virum, qui inter eos imperium obtinuerit, uti ſupra cap. XIV. verſ. 15. annotabamus. Chanak vero & Numer. XIII. verſ. 23. & 34. & hic verſ. 12. & 13. non tam eſſe nomen proprium, quam appellativum, vel gentilitium, cum ei ſemper præfigatur articulus *He*, qui propriis nominibus præponi vix ſolet, niſi cum gentilitia evadunt: ac proprie collective, & univerſe his locis ſumi pro ipſo genere gigantum, qui illa loca incolebant; ſic appellatos, vel ab eorum proximiore, & recentiore auctore quam fuerit Arbah, qui ſit vocatus Ghanak; vel eam numcupationem ſortitos, quaſi *torquatos*, ſeu *tortores*: de quo etymo diximus Numeror. XIII. verſ. 34.

V. 14. DELEVITQUE EX EA CALEB TRES FILIOS ENAC. Id non niſi poſt mortem Ioſue accidit, Iudic. I. verſ. 10. Vide quæ annotavimus cap. XIV. verſ. 13. SESAI, ET AHIMAN, ET THOLMAI. Quidam exiſtimant, hæc tria nomina, vel Numer. XIII. verſ. 23. vel hic potius gentilitia quam propria eſſe, ac ſumi pro illorum gigantum poſteritate; ut Iſrael pro Iſraelitis ſæpius accipitur: nam alioqui non eſt veriſimile tres iſtos gigantes, quos exploratores a Moſe miſſi apud Hebronem viderint Numer. XIII. verſ. 23. uſque poſt mortem Ioſue vixiſſe, quos tunc Calebus expulerit. Sed ſi Calebus unus eorum exploratorum uſque poſt mortem Ioſue vixit, quid mirum eos gigantes ad id uſque tempus vitam produxiſſe, atque a Calebo pulſos? Etymon trium horum nominum libet exponere. ששי *Scheſchai*, quaſi *ſextuplus*, *ſexgeminus*, ob immanem corporis magnitudinem; ut *Arbah*, *quadrigeminus*, de quo diximus cap. XIV. verſ. 15. אחימן *Achiman* etymon habes expoſitum Num. XIII. verſ. 34. id eſt *robore, & magnitudine abſque pari*. תלמי *Talmai*, quaſi ingens *tumulus*, ſeu *cumulus*, & *acervus*, ob corporis vaſtam molem.

V. 15. VENIT AD HABITATORES DABIR. Quidam hanc Calebi in urbem Debir expeditionem, eamdem eſſe volunt cum illa Iehoſuana ſupra cap. X. verſ. 38. ubi dicitur Ioſue cum toto Iſraele debellaſſe Debiram; ſed eam hic peculiariter Calebo attribui, quia pro ipſo Calebo ſuſcepta fuit, atque in eius gratiam facta; ſive quod is dux fuerit eius agminis vel aciei, quæ primum Debiram eſt aggreſſa, ideo ipſum Calebum præmium proponere primo occupanti. Alii omnino diverſas ſtatuunt, quod eſt veriſimilius, & Chananæos primum a Ioſua Debira expulſos, iterum eam inſediſſe, unde eos eiecerit Caleb, ſed non niſi poſt mortem Ioſue, ut ſcribitur Iudicum I. verſ. 11. & ſequentibus. Unde totam iſtam hiſtoriam, quæ verſ. 15. 16. 17. 18. 19. hic narratur, non niſi poſt Ioſue obitum accidiſſe, ut Iudic. I. fuſe exponitur; hoc loco vero inſeri per

pro-

prolepſim, ut intelligamus nec Dei promiſſa, nec ſpem Calebi fruſtra fuiſſe: & quia Hacſæ dos ad diſtributionis materiam pertinebat, hic opportune eius mentionem iniectam. QUAE PRIUS VOCABATUR KARIATH-SEPHER. Situm huius Iudaicæ Debir, nec Euſebius, nec S. Hieronymus expoſuere. Brocardus: *Ab Hebron tribus leucis contra auſtrum eſt Dabir, quæ & Cariath Sepher, id eſt civitas libri, ſeu litterarum, de qua Ioſue*. Aſſentiuntur & recentiores ſacri topographi. Etymon nominis דבר *Debir*, cæpimus eruere cap. XIII. verſ. 26. Quidam *ſeptum*, *caulam*, ovium interpretantur: forte quod pecore abundaret. Alii *locutorium*, *oraculum*, *penetrale*, *adytum*. Fortaſſe quod ibi eſſet aliquod oraculum, ex quo reſponſa reddebantur. Nonnulli *cauſam*, *negotium*, *rationem*: forſan quod ibi cauſæ, & negotia tractarentur, quaſi eſſet iuridicus aliquis conventus. Nec deſunt qui *apiarium*, quod locus apibus abundaret.

Cariath-ſepher. קרית-ספר *Kiriath-ſepher*. Alii *Sepher* nomen proprium alicuius viri eſſe putant, qui nomen urbi dederit; unde reddunt, *Civitas Sepher*. Sed huius viri nulla alibi in Scriptura mentio. Plerique exponunt: *Civitas libri*, vel *litterarum*: forſan quod in ea urbe olim fuiſſent publica litterarum gymnaſia, ſeu academiæ. Alii, *litterarum*, aut *librorum urbem* dictam putant, quæ priſcorum patrum veluti archivum, id eſt tabellarium fuerit, in quo multa vetuſtatis monumenta poſt orbis diluvium repoſuerint, cum in vicina Hebrone urbe vetuſtiſſima homines illi primi habitarent: & congruit ipſum nomen Debir: ſignificat enim locum ſecretiſſimum, & veluti ſacroſanctum, atque penetrale adytum, ſive ſacrarium, qualia profecto habentur τὰ ἀρχεῖα, & tabellaria. Quidam volunt idipſum indicatum a Chaldæo Interprete, cum pro *Kiriath-ſepher*, reddit *Kartath-arche*. Sed ego in Chaldæo potius expoſuerim, *Civitatem longam*, vel *civitatem principalem*. Nec aliena ſit coniectura, *Kiriath-ſepher*, *urbs numeri*: quod numeroſa, & populoſa eſſet; aut quod in ea arithmeticæ ſtudia vigerent; ſeu quod libri rationales provinciæ in ea ſervarentur.

V. 16. AXAM FILIAM MEAM. Hebr. עכסה *Ghacſah* nomen habere videtur ab עכסים *ghacaſim*, inſigni *pedum*, vel *crurum ornamento*, quo virgo nobilis forte gaudebat: quod quale fuerit, exponemus in Iſaiæ III. verſ. 18. Hiſpanice ſonat *la caſcavelada*, aut *la bien calçada*.

V. 17. CEPITQUE EAM OTHONIEL. Hebr. עתניאל *Ghotniel* ſonat *tempeſtivus*, *opportunus*, *fortis*; vel *tempeſtive*, *opportune*, *forte*. Quod præſenti eius facto mirifice quadrat, qui ſua fortitudine opportune ſibi egregiam comparavit uxorem. FILIUS CENEZ. Hebr. *Kenaz*, id eſt deſcendens a Kenazo, ſive nepos, ſive abnepos, I. Paralip. IV. verſ. 13. Vide ſupra cap. XIV. verſ. 6. FRATER CALEB. Quidam, quod Hebræa ſint ambigua, obliquo caſu reddunt, *Fratris Calebi*: ut Kenaz fuerit frater Calebi, & Othoniel nepos Calebi ex fratre; atque Othoniel, eiuſque uxor Hachſah patrueles fuerint. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis, in Debir: *Porro Othoniel quidam arbitrantur filium fratris Caleb*. Noſter, & plurimi, Othonielem fratrem Calebi iuniorem intelligunt. Nonnulli *fratrem* hic Hebraica phraſi, *agnatum*, *cognatum* accipiunt, quamvis ex diverſis parentibus progenitum. Sunt hæc ambigua.

V. 18. QUAE CUM PERGERENT SIMUL. Hebr. *Et fuit in venire ipſa*. Quidam: *Cumque veniret ipſa*: vel *cum ingrederetur ipſa*; id eſt, cum deduceretur ipſa in domum ſponſi. Alii: *Fuitque dum conventura eſſet ipſa*. *Convenire* Latinis pro duci in uxorem, duci in domum ſponſi. Unde dicebantur uxores in manum convenire. SUASA EST A VIRO SUO UT PETERET, &c. Hebr. *Et incitavit*, *extimulavit eum*: eſt verbum femineum: nempe, *Et Hacſa extimulavit virum ſuum ut peteret*. Hebræi exponunt: Quo nolente petere, ipſa deiecit ſe de aſino, & petiit. Alii per pluſquam perfectum & parentheſim (*Incitaverat autem illum ad petendum a parente ſuo agrum*) ſed ipſam forte moræ impatientem, antequam vir ſuum ſocerum de agro interpellaret, demiſiſſe ſe de aſino, & poſtulaſſe a patre agrum. Quidam: *Ut illa perſuaderet ei de petendo a patre ſuo agro*; id eſt, veniam obtinuit a ſponſo, a patre ſuo petendi, ac potius ægre exoravit a ſponſo, ut id ſibi liceret petere. Aliæ expoſitiones iſtas non æquant. Quidam obſervant, Hachſam primum cum viro ſuo communicaſſe quid ipſa animo-

vo-

Digitized by Google

volveret: eoque annuente, utrumque conſilio agitaviſse modum, rationemque, quo patri illa induſtrie, & opportune votum ſuum aperiret: atque Othonielem cum primis eius conſilii architectum fuiſse: idque Noſtrum explicare ſua interpretatione voluiſse. AGRUM, videlicet fertilem, & irriguum: alioqui enim agrum, ſeu terram ſiccam iam acceperat. SUSPIRAVITQUE UT SEDEBAT IN ASINO. Hebr. varie reddunt: *Et deſiliit, demiſit ſe, deiecit ſe, iactavit ſe, delapſa eſt, impreſſit, impegit de ſuper aſinum*. Aiunt proprie eſſe, impetu ac vi ſe ſe demittere. Hebræi exponunt quod ipſa de aſino, cui inſidebat, impetu ſe deiecerit in pedes patrem rogatura. Quidam: *Et confixit ſe de ſuper aſinum*. Volunt ſignificari motum quemdam mulieris, tamquam cadentis de aſino: finxiſse enim Hachſam eo motu ſe languere, & demiſiſſe ſe impetu de iumento, ac terræ ſe affixiſse, ſeu defixiſse. Verbum צנח *tzanach*, hic tantum, & Iudicum I. verſ. 14. & Iudic. IV. verſ. 21. reperitur. Nec aliene intellexerimus eam aſino inſidentem corpus iactaſse, ſeu impreſſiſſe vel impegiſſe, & cum quodam, eius commotione, edito ſuſpirio, aut gemitu patrem advertiſſe: qui eſt ſenſus Noſtri.

V. 16. DA MIHI BENEDICTIONEM. ברכה *beracha* exponunt *poſſeſſionem, hereditatem*; alii *donum, munus*; plerique *fortunarum, & facultatum acceſſionem*: nec deſunt qui, punctulo immutato, legant ברכה *berecah*, Hiſpanice *alberca*, id eſt *piſcinam*, ex qua aridior ille fundus quem acceperat, irrigari poſſet. Facile hic intellexerim dotalem benedictionem ex priſco Hebræorum more, qui cum filiis hereditatem diſpenſabant, ſolebant illis fauſta omnia & felicia a Deo precari. TERRAM AUSTRALEM DEDISTI MIHI. Hebr. *Dediſti me*: eſt pronomen affixum pro ſeparato. Recte vertes: *Quia terra meridiei donaſti me*. ET IRRIGUAM. גלות *gulloth*, *revolutiones, vortices, ſcaturigines, ſcatebras, fontes aquarum*: nimirum illas ſcatebras e quibus quaſi terræ venis ebullientes aquæ volutatim protrudi videntur. Alii, *devolutiones aquarum*, id eſt elices, ſeu divergia aquarum, nempe rivulos, & foſſas, quas Hiſpanice dicimus *acequias*. Nec aliene, *rotas*, ſeu *orbes*, aut *ſphæras*, aquarum: quo ſignificatu ponitur ea vox I. Regum VII. verſ. 41. forſan intelligit *antlias*, Hiſpanice *anorias*, quæ in modum rotarum compactæ ſunt. Sic ſtatim: IRRIGUUM SUPERIUS, ET INFERIUS. Hebr. *Convolutiones aſcendentes, & convolutiones ſubteriores*; vel *ſcaturigines aſcenſionum, aſcenſuum, & ſcaturigines ſubterioritatum*. Quidam intelligunt duas ſcatebras aquarum, quarum altera ſuperiore loco, altera inferiore eſſet. Alii, *ſcaturigines ſuperiores*, exponunt fontes erumpentes ſupra in ipſa ſuperficie terræ; & *ſcaturigines inferiores* puteos, in quibus inferne ſubtus terram aquæ ſcaturiunt. Nec deſunt qui metonymice hic agrum, ſeu prædium irriguum ſuperius, & inferius accipiant, quaſi duos agros irriguos poſtularet, ſuperiorem, & alterum huic contiguum, & ſubiectum inferiorem: qui ſenſus Noſtri videtur. Forte cum agrum ſiccum & arentem accepiſſet, huic ad irrigationem divergium aquarum ſuperius, & inferius tantum poſtulat.

V. 21. CABSEEL. Hebr. קבצאל *Kabtzeel*. Ex hac fuit Banaias vir fortiſſimus, II. Samuel. XXIII. verſ. 20. Sonat *congregationem fortem*, vel *collectionem Dei*: forte quod cives eſſent viri fortes, ſeu optime conſtituta Reſpublica. Hanc quidam exiſtimant Nehemiæ XI. verſ. 25. Iekabtzeel appellari, quæ ſuas cortes vel villulas habuiſſe deſcribitur. EDER. Hebr. עדר *Gheder*. Diverſa hæc Gheder ab illa ſupra cap. XII. verſ. 13. nam illa cum Ghimel, hæc cum Ghain ſcribitur, tametſi eadem prope ſignificatione. Inſuper, hæc in finibus fortis Iudæ prope Idumæam; illa in territorio Ieroſolymitano, nec procul a Bethlehem poſita fuit. *Maceriam, munitionem, ſeptum*, ſeu *gregem* latine dicere poſſumus, vel quod urbs eſſet munita, vel quod gregibus abundaret. Forte fuit turris Gheder Geneſ. XXXV. 20. IAGUR. יגור *Iagur*. Exponitur, *Habitata, peregrina*, vel *pavenda, formidabilis, terribilis*.

V. 22. CINA. Hebr. קינה *Kinah*. Varie poteſt interpretari: *Lamentatio*, vel *acquiſitio, poſſeſſio*. Hiſpanice *grania*, aut *nidus*, ſeu *ædificatio*: Hiſpanice *nidos*, vel *nidada*. DIMONA. Hebr. דימונה *Dimonah*, id eſt *ſtercorea, ſtercoraria*, vel *ſterquilinium, fimetum*. Quidam notant hanc Nehemiæ XI. verſ. 25. numcupari *Dibon*, quæ ſua oppida habuiſſe ibidem refertur. Sed non erit

hæc

Digitized by Google

hæc Dibon Iudaica, illa Gaditica, ſeu Rubenitica ultra Iordanem, de qua egimus Numer. xxi. verſ. 30. & Num. xxxiii. verſ. 45. ADADA. Hebr. עדעדה *Ghadghadah*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Ghadgada, in tribu Iuda. Eſt autem hodieque villa in extremis finibus daromæ* (id eſt auſtri) *contra orientem imminens mari-mortuo*. Quidam ab עיר *ghiured* derivant, exponuntque *prædatoriam, direptricem*, Hiſpanice, *La preſera*, non inepte fortaſſis dici. A עדה *ghadah* ſignificat *ornatam, decoram*.

V. 23. CADES. Hebr. קדש *Kedeſch*. Hanc quidam non inepte *Kades-Barneah* eſſe volunt, de qua diximus ſupra verſ. 3. Eſt Latine *ſancta, ſacra, ſeparata*. Hiſpanice *ſagra*. ASOR. Hebr. חצור *Chatzor*. De *Chatzor* multa diximus cap. xi. verſ. 1. & 10. Si illis locis eſt Chatzor Galilææ, & tribus Nephthali: longe hæc noſtra Iudaica diverſa eſt ab illa. At illic diximus cum primis probabile eſſe, illam Chatzor regis Iabin, metropolim fuiſſe Philiſtinorum: unde recte hæc Iudaica eſſe poterit. Interpretatur, *Atrium, villa, cors, prædium*. Hiſpanice *corral*. IETHNAM. Hebr. יתנן *Itnan*. Facile crediderim hanc eſſe quam corrupto vocabulo Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis ita deſcribunt: *Iethan in tribu Iuda, civitas ſacerdotalis eſt: hodieque vicus prægrandis Iudæorum in decimo octavo lapide ab Eleutheropoli ad auſtralem partem in daroma*, id eſt in meridiem. Sed error eſt, quod hæc fuerit civitas ſacerdotalis: non enim inter eas nominatur infra cap. xxi. ſed Iathir, & Iuta. Ceterum volunt alii, ab Euſebio ſub corrupto forte nomine Iethan, pro Iutah, deſcriptam potius urbem ipſam Iutah: de qua vide infra verſ. 55. quod non diſplicet. Quidam eam interpretantur Hiſpanice *ſueldo*, vel *ſuelda*. Eſt id militare ſtipendium, ſeu merces. *Stipendiariam*, ſeu *mercenariam* dicere poſſis: vel quod ſtipendium, ſeu tributum penderet, ut civitates ſtipendiariæ apud Romanos; ſeu quod mercede, & ſtipendio ſe in bella conduceret, ut Helvetii ſolent. Alii *fœderatam, confœderatam* exponunt. Forſan dicta fuit a תנין *tannin, draconibus*, quod plures, & magni in ea regione auſtrali ſicca, & arenti eſſent.

V. 24. ZIPH. De hac puto Euſebium, & S. Hieronymum in Locis Hebraicis hæc ſcribere: *Ziph, in octavo milliario Chebron contra orientem; uſque hodie vicus oſtenditur, ubi abſconditus eſt David: fuit autem tribus Iuda in daroma* (id eſt auſtro) *in finibus Eleutheropoleos*. Notant nomen habere a pice, quod forte eo loco copia picis conficeretur; quaſi dicas, *Picatam*, aut *picariam*. Hiſpanice *pega*, aut *pegoera*. De altera Ziph, infra verſ. 55. TELEM. Quidam ſuſpicantur eſſe quam Euſebius, & S. Hieronymus vocant *Thelam*, vicum grandem Iudæorum. Sed in eo libello manifeſte diſtinguitur Thelem Iudaica, a Thalca, ſeu Thella Simeonica, hoc eſt vico illo grandi. Vide I. Samuelis xv. verſ. 4. טלם *Telem* quidam interpretantur *opertam*, ſeu *obtectam*. Melius, *roridam, roſcidam*, vel *rorariam*: vel quod terra eſſet roribus fecunda; vel quod ibi eſſent levis armaturæ milites, qui velut ros in prælio velitari ſolent, quos poſtea Romani *Rorarios* appellarunt. Vel dicta eſt a copia agnorum, qui Hebraice dicuntur טלאים *telaim*, Iſaiæ xl. verſ. 11. BALOTH. Hebr. בעלות *Beghaloth*, quaſi dicas, *Dominæ, heræ*, Hiſpanice, *Due ñas*: quo nomine oppidum nunc eſt in Hiſpania, quod aliqui volunt eſſe Vaccæorum Edanam apud Ptolem. Lib. II. cap. vi.

V. 25. ASOR NOVA. Heb. חציר·חדתה *Chatzor-chadatta*. Alia hæc Chatzor ab illa verſ. 23. De iſta noſtra Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Eſt & alia villa uſque hodie Aſor, in finibus Aſcalonis contra orientem eius, quæ cecidit in ſortem tribus Iuda: & cuius Scriptura meminit, appellans eam ad diſtinctionem veteris Aſor, novam*. Et inferius: *Aſor in tribu Iuda: appellatur autem nunc vicus prægrandis pergentibus Aſcalonem de Azoto*. Et infra: *Eſron, quæ & Aſor, iuxta eremum in tribu Iuda*. Hanc eremum quidam intelligunt deſertum Pharam. *Nova, chadattah*, LXX. & Noſter, nomen appellativum putaverunt, atque ex ſignificatione Chaldaica, *novam* interpretati ſunt, & tamquam epipheton urbis iſtius Chatzor acceperunt, *Chatzor-nova*, ad diſcrimen ſcilicet veteris alterius Chatzor, de qua ſupra verſ. 23. At plerique Hebræorum, ac recentiorum, ut nomen proprium diſtinctæ urbis ſumunt, quæ dicta ſit Chadatah: alioqui in hoc verſu tantum duæ urbes

enu-

enumerarentur, cum aliis ſere verſibus, in quibus auſtrales urbes Iehudæ percenſentur, tres urbes in ſingulis commemorentur. *Acutam*, *acuminatam*, aut *lætam*, ſeu *gaudioſam*, Hiſpanice *la gozoſa*, *o el gozo*, libet interpretari. Vide Hezræ II. verſ. 33. CARIOTH. Hebr. קריות *Keriioth*. Ab hac urbe putant nonnulli dictum CHRISTI DEI proditorem, Iudam Iskariothen, quaſi virum Kariothenſem, quod in ea urbe natus fuerit: uti late diſſertamus in Antichriſto Lib. III. cap. VII. in 3. interpretatione. Redditur plurali numero, *Civitates*, quod forſan multi vici contigui aut proximi unam Keriotham efficerent. HESRON, HAEC EST ASOR. Hebr. *Chezron*, *ipſa Chatzor*. Sane *Chetzron*, & *Chatzor*, unum & idem nomen levi variatione, ſed & themate, & ſignificatione ſynonymum. Vide ſupra verſ. 3. Quidam parentheſi legunt (*Chetzron*, *ea eſt Chatzor*) exponuntque: Nimirum ea Chatzor, cuius meminit in principio verſus: ſic autem dicta eſt mutato nomine, ut ab altera Chetzrone ad Kades, cuius ante meminit verſ. 23. diſtingui poſſit.

V. 26. AMAM. אמם poſſit interpretari *populoſam*, vel *populatam*, Hiſpanice, *la puebla*: aut *matrem*, *matricem metropolim*. SAMA. Hebr. שמע *Schemagh* ſignificat *auditionem*: forte quod Hiſpanice dicimus, *Audiencia*, *chancilleria*. Hanc quidam putant, Ioſue XIX. verſ. 2. dici *Schebagh*, & Nehemiæ XI. verſ. 26. *Ieſenuagh*. MOLADA. Hebr. מולדה *Moladah*. De hac Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Molada in tribu Iuda*, *vel Simeonis*. Et nihil aliud. Sonat *nativitatem*, *progeniem*, *familiam*. Hebraice, & Hiſpanice *toleda*, *o toledo*: quod in ea fortaſſe ſervarentur genealogiarum τὰ ἀρχεῖα.

V. 27. ASERGADDA. Hebr. חצר-גדה *Chatzar-Gaddah*. Plerique cum Noſtro nomen unius tantum urbis arbitrantur: notantque, cum vocabulum *Chatzar* propriis locorum nominibus præponitur ſignificare ea loca non eſſe muris cincta, ſed pagos, aut vicos, atria, ſeu villas, aut cortes eſſe. Sic enim vox *Chatzar* perſpicue exponitur Levit. XXV. verſ. 31. Unde *Chatzar Gaddah*, eſt *Villa-Gadah*. Sic verſu ſequenti *Chatzar-Sughal*, *Villa-Sughal*. Aliqui interpretantur *cortile*, ſeu *cortem-hædi*. Hiſpanice *corral de chivos*, *chivitil*. Hanc quidam exiſtimant infra cap. XIX. verſ. 5. vocari *Chartzar-Suſah*; & I. Paralipom. IV. verſ. 31. *Chatzar-Suſim*, id eſt *villa equitatus*, vel *equorum*. HASSEMON. Heb. חשמון *Cheſchmon*. *Silentem*, aut *tacitam* exponunt: ego magis, *Magnatem*, *optimatem*, *primatem*. Qua voce appellati ſunt Haſemonæi; & recentiores Iudæi ita Cardinales vocant. Forte quod inſignis eſſet urbs, & præſtantes legati, aut oratores in ea eſſent, quaſi civitas legationum, quod in ea provinciæ, aut religionis publicæ legationes adornari ſolerent. BETHPHELET. Hebr. בת-פלט *Beth-pelet*. Significat *domum*, vel *locum evaſionis*, *effugii*. Hiſpanice, *Caſa de guarida*: forſan erat Aſylum.

V. 28. HASERSUAL. Hebr. חצר שועל *Chatzar Schughal*. Sonat *atrium*, *cortem*, *pagum*, *vulpis*. Hiſpanice *corral de vulpeias*, *o de zorros*; *zorrera*, *rapoſera*: quod locus eſſet vulpinetis frequens. BERSABEE. De hac celebri urbe extremo auſtrali termino terræ promiſſæ diximus copioſe Geneſ. XXI. verſ. 31. & 33. BAZIOTHIA. Hebr. בזיותיה *Bizioteiah*. Quidam exponunt, *Contemptus eius*. Hiſpanice, *la deſhechada*. Poſſis reddere, *Direptiones*, *prædas Domini*, vel *Dei*: fortaſſe quod hæc urbs ingentes prædas ex vicinis locis agere ſoleret. Notum eſt, nomen Dei addi ſolitum ad auxeſim, *Prædæ Dei*, id eſt magnæ.

V. 29. BAALA. Hebr. בעלה *Baghalah*. Diverſa hæc omnino a *Baghala* ſupra verſ. 9. & infra verſ. 60. nam illa eſt Cariathiarim montana; hæc præſens, auſtralis in finibus Idumææ: exponitur, *Domina*, *hera*; Hiſpanice *dueña*; Italice *patrona*. Notant, hanc infra cap. XIX. verſ. 3. dici *Balah*, & I. Paralipom. IV. verſ. 29. *Bilhah*. IIM. Hebr. עיים *Ghiim* ſonat *tumulos*, *cumulos*, *acervos*, quod forte urbs in tumulis aut colliculis ſita eſſet; vel *tectam*, *abſconditam*, aut *populoſam*. Quidam, *fortem*, *firmam*: quod ego non capio. ESEM. Heb. עצם *Ghetzem*, id eſt *os*, ſeu *oſſea*, *oſſata*: forſan quia bene compacta, denſata, prævalida, & robuſta eſſet.

V. 30. ELTHOLAD, hoc eſt *fortis*, *progenies*, vel *Deo genita*; ſeu *Dei genus*: Græcis *Theogenia*. Arias Montanus in Caleb, cap. III. extremo, *Eltholad* putat eſſe Eleutheropolim: quod non facile cre-

Digitized by Google

diderim, cum hic recenſeantur urbes limitis auſtralis Iudæ, a quibus multum introrſus recedebat Eleutheropolis. Hæc *Tholad* tantum vocatur I. Paralip. IV. verſ. 29. CESIL. כסיל *Ceſil*, *ſtultum*, *ſtolidum* ſignificat, quod forte gens eſſet ſtulta. Iſtud oppidum infra cap. XIX. verſ. 4. *Bethul* vocari annotant, & I. Paralipom. IV. verſ. 30. *Bethuel*. HARMA. חרמה *Chormah*. De hac diximus ſupra cap. XII. verſ. 14. Latine redditur, *Anathematizata*, *excommunicata*. Hæc *Tzephath* dicitur Iudic. I. verſ. 17.

V. 31. SICELEG. Hebr. צקלג *Tziklag*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Siceleg*, *quam Achis rex alienigenarum dedit ad inhabitandum David. Eſt autem in daroma* (id eſt auſtro) *fortis Iudæ*, *vel Simeonis*. Urbs nobilis hiſtoria Davidis, I. Samuel. XXVII. verſ. 6. & cap. XXX. verſ. I. quam Achis rex Geth dono dedit David, ex quo tempore manſit regibus Iuda. Haud procul a GETH Philiſthina abfuiſſe videtur. Nomen compoſitum videtur a צוק *tzuk*, *arctus*, *anguſtus*, & לוג *log*, quæ eſt minima menſura liquidorum, continens tantum ova ſex, & ſextarium eſſe aiunt, uti diximus in Levit. XIV. verſ. 10. quaſi dicas, *Arctus*, *anguſtus*, *ſextarius*: forte vel quod ibi inventus eſſet primum, vel quod ibi conficeretur, vel quod formam arcti ſextarii referret. Haud longe a Siceleg fluere rivum in quo Philippus baptizavit eunuchum Candacis reginæ AEthiopum, auctor eſt Brocardus. MEDEMENA. Hebr. מדמנה *Madmannah*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Medemana*, *in tribu Iuda*, *cuius meminit Iſaias* (X. verſ. 31.) *& nunc eſt Menois oppidum iuxta civitatem Gazam*. In Notitia Imperii, in Palæſtina: *Equites promoti Illyriciani*, *Menoide*, ſcilicet excubabant. Redditur, *Stercorea*, *ſtercoraria*, *fimaria*, Hiſpanice *eſterquera*: eiuſdem radicis, & ſignificationis cum *Dimonah* ſupra verſ. 22. Noſter Iſaiæ XXV. verſ. 10. hanc vocem *plauſtrum* reddidit, forte quo ſtercora, & fimi efferuntur: quod in ea urbe eiuſmodi plauſtra in eum uſum optima conſtruerentur. Obſervant hanc urbem Nehæmiæ XI. verſ. 17. *Mechonach* numcupari. SENSENNA. Hebr. סנסנה *ſenſannah*, Latine *rubetum*, vel *rubariam* dicere poſſis, quod rubis abundaret, unde idcirco videtur eſſe nomen geminatum. Hiſpanice appellari poterit *carçuela*.

V. 32. LEBAOTH *leænas* ſignificat. Hæc urbs infra cap. XIX. verſ. 6. appellatur *Beth-lebaoth*, id eſt *domus*, ſeu *locus-leænarum*: quod forte plures eo loco gignerentur, aut alerentur leones, & leænæ; aut fortaſſe quod feminæ eius urbis fortes, & viragines eſſent. SELIM. Hebr. vox שלחים *ſchilchim* ſignificat *emiſſiones*, *propagines*. Hiſpanice exponunt, *Provenas*: quod optime ibi fructus provenirent, aut arbores, & ſtirpes fecunde propagarentur: indeque peterentur ſurculi ad inſitionem. Aptius fortaſſe indicet *miſſilia arma*, ut pila, tela, ſariſſas, iacula, &c. quod in ea urbe optima conficerentur. Notant, hanc infra cap. XIX. verſ. 6. vocari *Saruchen*, & I. Paralipom. IV. verſ. 31. *Sagharaim*. AEN. Hebr. עין *Ghaiin*, *fontem* ſignificat, quod forte ibi aliquis fons inſignis exiſteret. Forſan eſt is locus de quo Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Ain daroma* (id eſt auſtralis) *contra auſtralem plagam Chebronis*, *novem ab ea millibus ſeparata*. Alii hanc urbem eſſe volunt cuius extat mentio Numeror. XXXIV. verſ. 11. ibi vide. Hæc dabitur ſacerdotibus infra cap. XXI. verſ. 16. & I. Paralip. VI. verſ. 59. appellatur *Haſan*. REMON. Hebr. רמון *Rimmon*, id eſt *malum punicum*, ſeu *malogranatum*: forte a notabili aliqua eiuſmodi arbore, quæ eo loco eſſet; vel quod ea regio iis arboribus abundaret. Recte notant, ſic ſeparatim, & media coniunctione hic, & infra cap. XIX. verſ. 7. & I. Paralipom. IV. verſ. 32. legi *Ghain-Rimmon*, unde apparet duas civitates fuiſſe: quia autem Nehemiæ XI. verſ. 29. coniunctæ ſunt, *Ghen Rimmon*, videntur ita vicinæ fuiſſe, ut unam quaſi civitatem conſtituerent. Quidam exponunt ac ſi Hiſpanice dicas, *Fuentel granado*, vel *oculum maligranati*: forſan quod urbs in formam oculi vel coronæ mali Punici conſtructa eſſet; vel ſpeciem malogranati referret, ut Granata nobilis Bæticæ urbs. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Remmon in tribu Simeonis vel Iudæ: hodieque eſt vicus Remmon iuxta AEliam contra aquilonem in quinto decimo eius milliario*. Probe intelligo quod AElia ſit ipſi vico ad aquilonem, in 15. milliario: quod tamen quidam non probant, cum longius abeſſet a Ieruſalem Rimmon: volunt

Digitized by Google

ſunt enim omnes hactenus commemoratas urbes in auſtralibus illis extremitatibus ad Idumæam; & quidem pleraſque ordine inde a ſinu ultimo Aſphaltitis, uſque ad mare mediterrancum ſeu prope Gazam, poſitas. Quod tamen non exiſtimo neceſſarium; ſed quaſdam introrſus, alias extrorſus extitiſſe. OMNES CIVITATES VIGINTI NOVEM, ET VILLAE EARUM. At ſunt proculdubio numeratæ 37. vel 38. Quidam ex explanationibus Hebræorum obſervant, plures quidem quam viginti novem receſitas hic urbes: ſed quia illarum partem Simeonitis ceſſiſſe apparet infra cap. XIX. a verſ. 2. uſque ad 9. ideo hic tantum viginti novem numerari, quæ remanierunt penes tribum Iehudæ; & quarum etiam aliquot Simeonis, & Iehudæ communes fuerunt. Perſpicue cap. XIX. percenſentur novem urbes in ſorte Simeon, quæ hic in tribu Iuda deſcriptæ ſunt, nempe *Beer-Sebagh*, *Molada*, *Chatzar-Sughal*, *Gatzem*, *Eltholad*, *Chormah*, *Tziklag*. *Ghim*, & *Rimmon*. Alii ita conciliant, urbes quidem iuſtas & muratas, eo nomine dignas, triginta novem tantum fuiſſe; his tamen annumerata eſſe oppida quædam magna alia novem, quæ prope ad dignitatem urbium accederent, ſed quæ non eſſent cincta muris, ſed infra urbium appellationem; qualia forte fuerunt *Chatzar-Gadad*, & *Chatzar-Sughal*, quæ nomen villarum præferunt: & hoc indicari verbis illis, *Et villæ earum*. Nam etſi *chatzerim*, *atria*, *villas*, *pagos*, *vicos*, *cortes*, *prædia* proprie ſignificet quæ ſunt abſque muris, uti fuſe oſtendimus Geneſ. XXV. verſ. 16. & Levit. XXV. verſ. 31. & ſupra verſ. 27. at interdum eiuſmodi cortes, ſeu atria, quæ Hiſpanice dicimus *corrales*, *cortiios*, *aldeas*, in magna oppida evadunt, quæ ferme ad urbium magnitudinem accedunt, ſed abſque muris; ut in Hiſpania dicimus, *Corral de almaguer*. Vide infra verſ. 36.

V. 33. IN CAMPESTRIBUS VERO. Hebr. *in ſephelah* (שפלה *ſchephelah*) proprie *in humilitate*, *in depreſſione*, *in demiſſo*, *ſubmiſſo*; *in depreſſis locis*, *in valle*, *in planitie*, *campo*, *campeſtri*. Quidam pro nomine proprio capiunt, & intelligunt totam illam regionem campeſtrem, & planam iuxta Eleutheropolim, quæ ad aquilonem & occidentem vergit, quam volunt eſſe vallem Raphaim, ſive gigantum. Vide quæ notavimus ſupra verſ. 8. Ceterum *Aengannim*, & *Enaim* infra verſ. 34. extra planitiem Eleutheropolitanam eſſe videntur. ESTAOL. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Eſthaol, in tribu Iuda, & uſque hodie villula vocabulo Aſto, inter Azotum & Aſcalonem permanet*. Et infra: *Eſthaol in tribu Dan, ubi mortuus eſt Samſon, quæ uſque hodie oſtenditur in decimo Eleutheropoleos milliario contra aquilonem pergentibus Nicopolim*, ſive Emmaus. Nimium luciosus fuerit qui non videat, eos geminam Eſthaol diſtinguere: alteram in tribu Iuda inter Azotum, & Aſcalonem, de qua hic ſermo; alteram in tribu Dan, decimo milliario ab Eleutheropoli verſus Nicopolim, de qua infra cap. XIX. verſ. 41. & Iudicum XVI. verſ. 31. ſed plerique unam & eamdem putant, quæ fuerit ſortis Iudæ, ſed limitanea Danitis, aut poſtea eis attributa. Quod exiſtimo rectius. De hac forte in Notitia orientalis Imperii in Palæſtina: *Ala prima milliaria*, *Haſthe*, ſeu Aſto. Quidam a שאל *ſchaal*, exponunt, *Poſtulam*, ſive *poſtulatam*, Hiſpanice *demanda*. Rectius *poſtulionem*, ut veteres Latini loquebantur. Nec male interpreteris, *Ignem imprecationis*, ſeu *maledictionis*, vel *execrationis*: Hiſpanice, *Fuego de maldicion*: ab aliquo incendio arſerit. SAREA. Hebr. צרעה *Tzareghah*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Saraa, vicus in finibus Eleuteropoleos contra ſeptemtrionem pergentibus Nicopolim, quaſi in decimo milliario, in tribu Dan, ſive Iuda*. Hanc fuiſſe limitaneam inter Dan & Iudam, infra dicitur cap. XIX. verſ. 6. Fuit patria Samſonis, Iudicum XIII. verſ. 2. non multum aberat ab Eſthaol, Iudicum XVI. verſ. 31. extitiſſe ad ſeptemtrionalem plagam Eleutheropoleos, iuxta torrentem, ſeu vallem Sorec, unde fuit Dalila illa Samſonis, Euſebius, & S. Hieronymus in Locis produnt. *Veſpariam*, *crabronariam* licet interpretari, quod is locus veſpis, crabronibus, aſilis, œſtris, tabanis eſſet infectus. Vide de ratione vocis, quæ notavimus Exodi XXIII. verſ. 28. Quidam Hiſpanice, *Abiſpal*, id eſt *locum veſparum*, reddunt. ASENA. Heb. אשנה *Aſchnah*, *duplam*, vel *duplicatam* ſignificat, Hiſpanice *la dobla*, *o doble*. Forte quod duplex eſſet Aſchnah: nam altera ponitur infra verſ. 43. in eadem tribu Iuda.

V. 34. ZANOE. Hebr. זָנֹחַ *Zanoach*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Zanoa in tribu Iuda, uſque hodie in finibus Eleutheropoleos AEliam pergentibus, villa Zanua numcupatur*. Significat *amotam, repulſam, faſtiditam*. Aliam Zanoach in monte ſitam, forte huic proximam, habes infra verſ. 56. AENGANNIM. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Engannim in tribu Iuda, & nunc eſt vicus iuxta Bethel*. Ergo ex ſitu Bethel, quem deſcripſimus Geneſ. XXVIII. verſ. 19. facile intelligi poterit ſitus proximæ huius AEngannim Iudaicæ: nam fuit alia Iſſachariana, infra cap. XIX. verſ. 21. & cap. XXI. verſ. 29. Exponitur (עין-גנים) *fons hortorum*. Hiſpanice, *La fuente de los huertos*, vel *fuente la huerta*. TAPHUA. De hac diximus ſupra cap. XII. verſ. 17. ENAIM. Hebr. עינם *Ghenam*. De iſta Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Ain, in tribu Iuda, urbs ſacerdotibus ſeparata. Eſt & uſque hodie villa Bethennim nomine, in ſecundo lapide a terebintho, hoc eſt a tabernaculo Abrahæ, quatuor millibus a Chebron*. Et inferius: *Enaim in tribu Iuda, hodieque villa eſt Bethennim circa terebinthum*. Maſius exiſtimat, hanc Ghenam potius eſſe illam Geneſ. XXXVIII. verſ. 14. cum ibi Hebræa habent, *Sedit in porta Ghennaim*: de quo loco Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis hæc ſcribunt: *AEnam euntibus Thamnan, nunc deſertus locus & proximus Thamnæ vico grandi, qui ſitus eſt inter AEliam & Dioſpolim* (ſive Lyddam.) *Eſt & fons in ſupra dicto AEna loco, unde & AEnam, id eſt fontis nomen accepit: in quo ſtans idolum maxima illius regionis veneratione colitur. Porro Hebræi affirmant, AEnam, non locum ſignificare, ſed bivium, ubi certo intuitu neceſſarium ſit ad unam de duabus viis eligendam*. Equidem hic Hebraice *Ghenam* ſcribitur: in Geneſi vero *Ghenaim*. Vide ibi. Tutiuſque exiſtimo Euſebio, & S. Hieronymo in ſitu noſtræ *Ghenam*, in quatto milliario a Chebron, & in ſecundo a terebintho aſſentiri. Fontem proculdubio ſignificat, ut ſunt multa oppida in Hiſpania, dicta *La fuente*.

V. 35. IERIMOTH. ירמות *Iarmuth*. Diximus de ea ſupra cap. X. verſ. 3. ADULLAM. De hac egimus ſupra cap. XII. verſ. 15. & Geneſ. XXXVIII. verſ. 1. Quidam a עדי *ghadi, ornatum, ornamentum* exponunt, quod cultorum decus & ornamentum eſſet. Alii a עלם *ghalam*, inſerto Daleth, *occultam, abſconditam, latibulum*. Et erat apud eam ſpelunca, ubi latitavit David, I. Samuel. XXII. verſ. 1. Vel *perpetuam, priſcam, antiquam*. Sic in novo orbe occiduo Hiſpani fundarunt inſigne oppidum, *Antiquam Darienis*. SOCHO. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Socho in tribu Iudah. Sunt autem uſque hodie viculi duo pergentibus AEliam de Eleutheropoli in nono milliario viæ publicæ, unus in monte, alter in campo ſitus, qui Socho numcupantur*. De campeſtri proculdubio eſt ſermo, de quo in Prato Spirituali Ioannis Moſchi. cap. CLXXX. hæc habentur: *In ſpelunca morabatur ſenex, in partibus villæ quæ dicitur Sochas, viginti fere milliaribus ab Ieruſalem*. Prope Azecham fuiſſe, facile inde colligitur, quod ei hic coniungatur, & quod I. Samuel. XVII. 1. ſcriptum ſit, Philiſthæos caſtra poſuiſſe inter Socho & Azecham. Redditur, *Sepes, ſepimentum, ſepta*: vel *ramoſa, frondoſa, ramifera, perplexa*: aut *ſpinetum, vepretum, ſenticetum, dumetum*; quod forſan ibi eſſet: ſeu *picturata, cælata*; quod forſan in ea optima toreumata cælarentur. Aliam Socho montanam habes infra verſ. 48. AZECA. De hac vide ſupra cap. X. verſ. 10.

V. 36. SARAIM. Hebr. שערים *Schagaraim* idem eſt ac ſi dicas, *Geminæ portæ*. Hanc quidam putant infra cap. XIX. 6. dici *Saruchen*. Vide I. Samuel. XVII. verſ. 25. ADITHAIM. Hebr. עדיתים *Ghadithaiim*. S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Adithaim in ſorte tribus Iudæ. Dicitur autem & quædam villa alia iuxta Gazam: & alia Aditha iuxta Dioſpolim, quaſi ad orientalem plagam reſpiciens*. Utra autem harum fuerit Adithaim, incertum. *Gadithaiim* exponunt *geminum ornatum*, ſeu *ornamentum*. Poſſit reddi *duplex*, vel *geminum teſtimonium*. GEDERA. Hebr. גדרה *Gederah*. Si hæc *Gaderah* alia eſt a *Gader* illa quam cap. XII. verſ. 13. explicavimus, haud abſurde reputare poſſumus, hanc Gadaram eſſe Gadarim Strabonis Lib. XVI. pag. 759. quam ille ita deſcribit: Poſt Ioppen *interiacet Gadaris, quam ipſam quoque Iudæi ſuam fecerunt. Poſtea Azotus, & Aſcalon*. Et recte obſervatum Caſaubono, hanc Gadarim Strabonis eſſe eam quæ Lib. I. Machabæorum ſæpius Gaza-

Digitized by Google

ra nuncupatur; unde ille: *Quæ ſcripta ſunt I. Machab.* XIV. *verſ.* 34. *de Simeone: Et Ioppen munivit, quæ erat ad mare: & Gazaram, quæ eſt in finibus Azoti, in qua hoſtes antea habitabant, & collocavit illic Iudæos, &c. mirifice illuſtrant locum Strabonis*. Notionem nominis expoſuimus cap. XII. verſ. 13. *Caulam* quidam interpretantur, Hiſpanice *aprisco*. Vide in I. Paralip. IV. verſ. 39. GEDEROTHAIM. Hebr. גדרותים *Ghederothaiim*. Duale eſt proculdubio a *Ghederah*: ſignificat *gemina ſepta*, ſeu *geminas caulas*. Hiſpanice *dos apriſcos*. Vide in I. Paralip. IV. verſ. 39. URBES QUATUORDECIM. At vere quindecim ſunt enumeratæ. Hebræi, & plerique Noſtrorum exiſtimant Ghederah, & Ghederothaim unius & eiuſdem urbis fuiſse duo nomina, unde reddunt: *Et Ghederah, ſive Ghederothaim*; id eſt, quæ Ghederah dicta eſt quoque Ghederothaim, quaſi Ghederah gemina, quod forte eſset bipartita urbs, ut Ieruſalaim. Alii Hebræorum volunt, *Ghenaim*, verſ. 34. non eſse nomen urbis, ſed fontis. Quidam notant, urbes quidem iuſtas, & urbis nomine dignas fuiſse tantum quatuordecim; at inter eas numeratum quoque aliquod celebre municipium, ſeu inſignem pagum, aut oppidum, haud tamen muro cinctum, & iuſtæ urbis nomen meritum. Vide ſupra verſ. 32.

V. 37. SANAN. Hebr. צנן *Tzenan*, *ſpina*, vel *ſpinetum* exponit. Hiſpanice, *El eſpinar*. HADASSA. Hebr. חדשה *Chadaſcvah*. Euſebius in Locis Hebraicis: *Adaſa in tribu Iuda, uſque hodie vicus iuxta Guphnas*. Subiicit iis interpres S. Hieronymus: *Sed miror quomodo Guphnenſem regionem in tribu Iudæ poſuerit, cum perſpicuum ſit, ſecundum librum Ioſue, in ſortem eam tribus Ephraim cecidiſſe*. Facile eſt ex ſitu locorum intelligere, ſortem Iudæ ad Gophnam non attigiſſe. Gophnæ urbis, & Gophniticæ regionis, ſeu toparchiæ, meminere Ioſephus Lib. XIV. Antiquit. cap. XVIII. Lib. I. Belli, cap. I. & IX. & Lib. II. cap. XXV. & Lib. III. cap. II. & alibi; Plinius Lib. V. cap. XIV. Ptolemæus Lib. V. cap. XVI. qui eam ponit ad ſeptemtrionem Ieroſolymæ, & ad orientem Emmaus. Quidam aiunt 35. ſtadiis diſtaſſe a Bethoron inferiori. Reddunt, *Novam*, vel *innovatam*. Ut *Novaria* in Italia, & *Nova*, multarum urbium nomen apud geographos. MAGDAL-GAD. Hebr. מגדל-גד *Migdal-Gad*. Obſervant, ut ſupra verſ. 6. dictus eſt Lapis Bohanis Reubenitæ, non quod ea tribus cis Iordanem aliquid habuerit, ſed propter rem aliquam eo loco geſtam, quæ illum Reubenitam attigerit; ſic hic appellari *Migdal-Gad*, id eſt *turrim-Gad*, ab inſigni aliquo & notabili facto Gaditæ cuiuſpiam. Alii exponunt, *Turrim-fortunæ*, ſeu *felicitatis*. Aliqui, *Turrim-martis*. Nonnulli, *Turrim-turmæ*; quod ibi turmæ, ſeu globi graſſatorum, ſeu latronum excurrerent.

V. 38. DELEAN. Hebraice דלען *Delghan*. Ex duabus Hebraicis vocibus compoſitum nomen videtur: *exhauſtus*, *pauper*; & *aſſlictus*, *oppreſſus*, *miſer*. Forte quia urbs tenuis, & civibus pauperculis. MASEPHA. Hebraice מצפה *Mitzpheh*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Eſt autem & alia nunc Maſpha in finibus Eleutheropoleos contra ſeptemtrionem pergentibus AEliam, pertinens ad tribum Iudæ*. Et ſuperius: *Maſphat (Hebr. Mitzphath, eadem quæ Mitzpheh) in tribu Iuda, quam habitabat Iephthe, iuxta Cariathiarim, ubi quondam arca teſtamenti fuit, & Samuel populum iudicavit*. Sed hallucinatio eſt de Mitzpheh, aut Mitzphah, ubi habitavit Iephthe: nam illa non erat hæc Iudaica, ſed Gaaladitica ultra Iordanem, de qua ſupra cap. XI. verſ. 3. diximus. & Samuel potius in Mitzpheh Beniaminica iudicaſſe videtur, ut infra dicemus cap. XVIII. verſ. 26. Significavit *ſpeculam*. Hiſpanice *atalaya*. IECTEL. Hebr. יקתאל *Iokteel*. Immanuel, & Iunius, hæc annotant: *Iokteel, id eſt Petra Arabiæ: vide* II. *Regum* XIV. *verſ.* 7. Inſignis oſcitantia, Petram Arabiæ, quæ eſt ultra Aſphaltitem ad auſtrum, in finibus ſortis Iudæ includere. Verba II. Regum, ſunt de Amazia rege Iehudæ: *Ipſe percuſſit Edom in valle ſalis, decem millia: & apprehendit Selagh, petram, in prælio: & vocavit nomen eius Ioktheel uſque ad diem iſtam*. Quidam hanc *Ioktheel* eamdem putant cum hac noſtra; & *Petram* hoc Regum loco, non illam celebrem Arabiæ urbem, ſed ſaxum quoddam, aut rupem in campeſtribus ſortis Iudæ, natura munitam, qualis illa Petra Sogdianorum, quam cepit Alexander, apud Q. Curtium Lib. VII. cap. XXV. & altera *Aornus* in India, apud eumdem Curtium Lib. VIII. cap. XXI. Unde colligunt hanc

li-

Google

librum Ioſue non niſi poſt tempora regum Iudæorum fuiſſe reconcinnatum: ſiquidem tempore Amaziæ, nomen *Iotkteel* fuit impoſitum. Ego vero *Selah*, ſeu *Petram*, in bello Amaziæ facile intelligo illam Arabiæ urbem: nam apud illa, aut vicina loca illud bellum gerebatur. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Petra civitas Arabiæ in terra Edom, quæ cognominata eſt Iectnael, & a Syris Recem dicitur.* Sed illam Iokteel ab hac noſtra toto cælo diverſam exiſtimo: nec me ratio deſtituit, quandoquidem diverſæ longe deſcribuntur iam urbes, ab illis Auſtralibus & limitaneis, confinium Idumæorum. Aliqui aiunt, *Iokthcel* ſonare *fortem victoriam*. Italice, *Viva chi vince*: quod ego non capio: promptius deduxerim compoſitum a יקה *iakah*, & אל *el*, id eſt *congregatio, eccleſia Dei*, vel *fortis*.

V. 39. LACHIS. De ea egimus ſupra cap. x. verſ. 3. de nominis eius ratione, eodem cap. verſ. 31. Quidam componunt ex לך *lec*, vel לך *leca* pronomine, & verbo יש *ieſch*; quaſi dicas, *Tibi eſt*: ut omine aliquo, vel pacto, ſibi ſufficiens dicta fuerit, forte quod rebus omnibus abundaret. BASCHATH. Hebr. בצקת *Botzkath*. De hac Euſebius, & S. Hieronymus in Locis, hoc tantum: *Baſchath, in tribu Iuda*: & infra, *Baſechath, urbs antiqua Iudææ*. Nominis expoſitio eſt, *Conſperſio, paſta, maſſa aqua macerata*: vide Exod. xii. verſ. 34. fortaſſe quod ibi optime panificium exerceretur. EGLON. Hebr. עגלון *Gheglon*. De hac egimus cap. x. verſ. 3. Quod quidam exponant, *Reiectionem*, Hiſpanice *deshecha*, ego non intelligo. *Rotunda, plauſtralis, vituloſa*: nimirum vel quod rotunda eſſet, vel quod plauſtris, aut vitulis abundaret; proprior eſt nominis enodatio.

V. 40. CHEBBON. כבון *Cabbon*. Quidam *extinctorium* exponunt: Italice, *La ſmorza*. Alii, *Quaſi intelligens*, ſeu *quaſi ædificium*. Nec aliene a duplicato כוכב *cochab*, *ſtellifera*, ſeu *ſideralis*; quod benevolo cælo, ac propitio aere prædita eſſet. LEHEMAN. לחמם *Lachmas*. Variant exemplaria. Hebræa quædam ultimam litteram habent Samech, *Lachmas*, id eſt *ad vim, violentiam, iniuriam, rapinam*: quod comparata eſſet ad iniuriam inferendam, vel patiendam. Hiſpanice, *La ſovercheria*. Alia exemplaria habent in fine Mem (& vero Samech & Mem ſunt litteræ quam ſimillimæ) *Lachmam*. Quod exponitur *panifica*, quod tritico abundaret, ut Beth-lechem. Vel *bellatrix, preliatrix*, quod urbs eſſet martia, ſeu bellicoſa. CETHLIS. כתליש *Citliſch*. Recte quidam deducunt a כותל *cotel, paries, murus*; quaſi dicat, *Parietaria, muraria eſt*. Hiſpanice *paredes*.

V. 41. GIDEROTH. גדרות *Gederoth*. *Septa*, ſeu *caulas* ovium interpretantur: Hiſpanice, *Los apriſcos*. BETH-DAGON. בית-דגון. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Beth-Dagon in tribu Iuda: ſed uſque hodie grandis vicus Chapher-Dago* (id eſt villa, pagus Dagon) *inter Dioſpolim* (ſeu Lyddam), *& Iamniam demonſtratur*. Exponitur, *Beth-Dagon, domus, edes*, ſeu *templum Dagon*. De Dagon dicemus I. Samuel. v. verſ. 2. Poſſis interpretari *domum*, vel *locum piſcis*, quod locus eſſet maritimus, & piſcoſus; quaſi dicat, *Piſcariam*. Hiſpanice *peſcara*, *o peſquera*, vel *domum*, ſeu *locum frumenti*; quaſi dicat, *Frumentariam*, Hiſpanice *formentera*, ab abundanti frumenti proventu. Vel quod illuc frumenta mari importata, in publicis horreis aſſervarentur, indeque diſtribuerentur. Fortaſſe eſt illa *Beth-Dagon* I. Machabæor. x. verſ. 83. NAAMA. Hebr. נעמה *Naghamah*. Sonat, *Iucundam, gratam, pulchram, delicioſam, voluptariam, amœnam*. Hiſpanice, *La deleytoſa*. Vide in Iob ii. verſ. 11. MACEDA. מקדה De ea diximus cap. x. verſ. 10. Quidam, *Inclinatam, verticantem*, exponunt. Hiſpanice *La corva*, ſive *corvaſa*. *Verticoſam* aptius, vel quod in modum verticis, & ſincipitis efformata eſſet; vel quod in tumulo aliquo, aut colliculo ſita. Alias nominis enodationes poſuimus cap. x. verſ. 10. LABANA. לבנה *Libnah*. De hac egimus cap. x. verſ. 29. Nonnnulli exponunt, *Populetum*, a populo arbore, Hiſpanice *alameda*. Vide Geneſ. xxx. verſ. 37. ETHER. Hebr. עתר *Gheter*. Quidam *denſitatem* interpretantur, Hiſpanice *eſpeſſura*. Melius, *Supplicatricem, oratricem, ſuavem, blandam* dixeris. Quidam hanc putant eſſe *Thochen* I. Paralipom. iv. verſ. 32. nam ibi *Thochen* coniungitur cum *Ghaſan*, ut hic *Ghether*. Alii potius volunt eſſe *Ghetam*, eodem loco Paralipomenon. ASAN. Hebr. עשן *Ghaſchan*.

chan. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Aſan in tribu Iuda, eſt uſque hodie vicus nomine Beth-Aſan* (id eſt *locus* aut *domus fumi*) *ad AEliam pertinens, in decimo-quinto ab ea milliario*. Plerique putant hanc ipſam eſse, quæ I. Samuel. xxx. verſ. 30. vocatur *Chor-Chaſan*, id eſt *fovea*, *puteus*, *lacus*, vel *fornax fumi*. Fortaſſe quod ibi eſsent fornaces ſeu officinæ calcariæ, aut gypſariæ, aut lateritiæ. *Ghaſaan* eſt *fumus*, & hæc urbs dicta videtur quaſi *Fumaria*. Hiſpanice, *Fumera*, vel *fumeral*.

V. 43. IEPHTHA. Hebr. יפתח *Iiphtach*. Facile id nomen, *apertionem*, vel *apertoriam* ſignificat. Etenim futurum verbi פתח *pataeh*, eſt quoque nomen inſignis illius viri Iephte iudicis Iſrael. ESNA. Hebr. אשנה *aſchna*. Altera hæc ab illa ſupra verſ. 33. Vide ibi. NESIB. Hebr. נציב *Netzib*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Neeſib in tribu Iuda, quæ nunc vocatur Naſib, in ſeptimo milliario Eleutheropoleos pergentibus Chebron*. *Netzib*, exponunt, *cumulum*, *montem*: ſed aptius *ſtatuam*, *ſtationem*, *præſidium*; ac ſi dicas, *Stationariam*, *præſidiariam*, quod ibi eſset præſidium ſtationariorum militum.

V. 44. CEILA. Hebr. קעילה *Keghilah*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Ceila in tribu Iuda, ubi quondam ſedit David: & nunc villula Ceila ad orientalem plagam Eleutheropoleos pergentibus Chebron, quaſi ab octavo milliario, in qua ſepulcrum demonſtratur Prophetæ Abacuk*. Quidam a יקע *iakagh* deducunt, inſerto Lamed, quaſi *pendentem*, aut *pendulam*. Hiſpanice dici poſſit *Coſtanilla*. Forte quod in declivi aliquo loco conſtituta eſset. Hanc ſuo tempore *Cacon* appellatam ſcribit Beniamin, pag. 39. ACHZIB. אכזיב. Libenter ſubſcribo ſententiæ quorumdam Hebræorum & Noſtrorum, hanc ipſam eſse *Chaſib* Geneſ. XXXVIII. verſ. 5. & *Chozeba* I. Paralipom. IV. verſ. 22. De ea vide in Geneſ. XXXVIII. verſ. 5. A mendacio & falſitate nomen habet: cauſam nominis ignoro: fortaſse quod incolæ haberentur mendaces, ut Græci, & Cretenſes. Alia Achzib in tribu Aſer de qua cap. XIX. verſ. 29. MARESA. מראשה *Mareſchah*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Mareſa in tribu Iuda, cuius nunc tantummodo ſunt ruinæ in ſecundo lapide Eleutheropoleos*. Vide de illa II. Machabæor. XII. verſ. 35. Eam interpretantur *capitalem*, Italice *teſtara*. Ego compoſitum nomen fecerim; id eſt, *Pinguis & ſaginata pecus*: forſan quod opimis pecudibus inſignis eſſet.

V. 45. ACCARON. Hebr. עקרון *Ghekron*. Egimus de ea ſupra cap. XIII. 3. CUM VICIS, ET VILLULIS SUIS. Hebr. *Et filiæ eius, & atria, ſeu pagi eius*. *Filiæ* ſunt maiora oppida, ſed minora urbibus. Vide de hac phraſi Numeror. XXI. verſ. 25. חצרים *chatzerim* vero ſunt minora quam oppida, nempe *atria*, *pagi*, *prædia*, *cortes*: Hiſpanice *corrales*, *cortijos*, *aldeas*: uti ſæpius nobis obſervatum.

V. 46. OMNIA, QUAE VERGUNT AD AZOTUM. *Et omnes*, civitates ſcilicet, oppida, & pagi, *quæ ſuper manum Azoti*: quidam, *iuxta Azotum*: alii, *ad latus Azoti*; id eſt, quæ adiacent Azoto. Purus Hiſpaniſmus eſt, *A la mano, a la banda, de Azoto*. Hiſpaniſmus Interpres, *A la coſta de Azoto*. De Azoto diximus ſupra cap. XI. verſ. 22.

V. 47. GAZA. De hac nobis plenius actum ſupra cap. X. verſ. 41. ET MARE MAGNUM, TERMINUS EIUS. Hebr. variant, nam quædam exemplaria habent הים הגבל, *haiam*, id eſt *mare*, *baggabol*, *termini*. Alii הים הגדול *mare magnum*: quæ eſt potior lectio. Semper idem conſtat ſenſus, ſiquidem mare magnum, ſeu mediterraneum, nedum ſortem Iudæ, ſed univerſam Chananæam ab occidente terminat. Quidam in recto exponunt: *Et mare magnum, terminus eius*, ſcilicet erunt tribus Iudæ. Alii in obliquo: *Ad mare magnum, & terminum eius*, nempe oppida Gazæ, & pagi eius pertingentes uſque ad torrentem AEgypti, & uſque ad mare magnum, & terminum eius eodem ſenſu. Sed prior conſormior eſt accentibus Hebraicis. Terminum maris exponunt, littus, oram, regionem mari adiacentem. Vide ſupra verſ. 12. Aliqui exponunt: *Et mare magnum limes eſt*.

V. 48. SAMIR. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Samir villa in montanis ſita inter Eleutheropolim, & Aſcalonem in tribu Iuda*. שמיר *Schamir* idem eſt quod *ſenticetum*, ſive *vepretum*: forte quod locus ſentibus, & vepribus eſſet obſitus. Alii a *ſamir* lapide pretioſo nomen ha-

habere volunt, quem plerique *adamantem* eſſe putant; pauci *magnetem*; nonnulli *ſmirim*, genus lapidis, quo artifices vitrum, & alios lapillos ſindunt, & poliunt, vernaculis linguis dictum *Smeril*: fortaſſe quod in eo monte in quo urbs Samir ſita erat, lapis ſmiris excinderetur. Alia fuit Samir Iſſachariana, Iudicum x. verſ. 1. IETHER. Hebr. יתיר *Iathir*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Iether in tribu Iuda, civitas ſacerdotalis: & nunc eſt villa prægrandis Iethira nomine in vigeſimo milliario. Eleutheropoleos; habitatores quoque eius omnes Chriſtiani ſunt. Sita eſt autem in interiori daroma* (id eſt auſtro) *iuxta Malathan*. Redditur, *Excellens, præſtans, ſuperabundans, reſtans, exuperans*. Alii *reſiduum, reliquum*. Latine *colonia*, quæ ex reſiduo, & ſuperabundanti civium deducebatur. SOCOTH. שוכות *Socoh*. Aliam *Socho* in planitie, habes ſupra verſ. 35. Vide ibi. Proximas fuiſſe ibidem annotavimus.

V. 49. DANNA. Hebr. דנה *Dannah*. *Iudicium*, vel *iuriſdictio* vertitur: forte quod ibi eſſet aliquis conventus iuridicus. Hiſpanice *chancilleria*. Alii exponunt, *Contentioſam*. CARIATHSENNA. Tria nomina uni & eidem urbi fuerunt: dicta enim fuit, *Kiriath-Sepher*; item *Debir*, uti vidimus ſupra verſ. 15. & nunc dicitur, *Kiriat-ſanah*, id eſt *urbs*, ſeu *civitas rubi*: vel quod rubis abundaret, vel quod rubus aliqua inſignis ibi eſſet. Alii in *ſanah*, volunt Samech poſitum pro Schin, exponuntque, *Urbem hiſtoriæ*, vel *enarrationis*, aut *repetitionis*, ſeu *diſputationis*, litteratorum hominum: ut tria ea urbis nomina in idem ferme ſignificatum incurrant. Si a שנן *ſchanan* eſſet, ut iſti volunt, aptius exponerem, *Civitatem acuminis*, ab ingeniorum acumine, quo cives præditi erant, quaſi altrix ingeniorum. Sed ſolet Samech poni pro Scin ſiniſtro, non pro dextro, quo *Schanan* ſcribitur.

V. 50. ANAB. ענב *Ghanab*. De hac diſſeruimus cap. XI. verſ. 21: ISTHEMO. Hebr. אשתמוה *Eſchtemoh*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Eſthemo civitas ſacerdotalis: nunc autem oſtenditur prægrandis vicus Iudæorum in daroma: qui locus ad Eleutheropoleos pertinet regionem*. Quidam a שתם *ſchatam* deducunt, quaſi *apertam, recluſam*; vel *obiuratam, occluſam*: nam verbum anceps eſt. Alii a שמה *ſchama*, vel שמם *ſchamam*, quaſi *afflatam, ſtupende deſolatam*: ab aliquo forte infelici eventu. Hæc vocabitur infra cap. XXI. 14. *Eſthemoagh*. ANIM. Hebr. *Ghanim* ענים. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Anim in tribu Iuda. Eſt vicus Anea iuxta alterum, de quo ſupra diximus ad orientalem plagam* (ſcilicet Eleutheropoleos) *reſpiciens, cunctis habitatoribus Chriſtianis*. Et paulo antea dixerant: *Anab, in tribu Iuda, nunc uſque vicus in finibus Eleutheropoleos. Eſt & alia villa grandis Iudæorum, nomine Anea*. Exponunt, *Fontes, oculos, ſcaturigines*; vel *reſonantes*; vel *afflictos, oppreſſos*.

V. 51. GOSEN. De hac diximus cap. x. verſ. 41. HOLON. Hebr. חולן *Cholon*. Hæc dicta videtur *Chilen* I. Paralipom. VI. verſ. 58. *Feneſtratam* exponere poſſumus. Et eſt oppidum in regno Valentino, *Feneſtrat*. GILO. Hebr. גלוה *Giloh*. In ea natus fuit Achithophel magnus ille conſiliarius David, II. Samuel. XV. verſ. 12. Significat *revelationem, detectionem*: vel *migrationem, deportationem, exilium*: forte quod in eam exules deportarentur. Quidam alienius, *Rotundam* exponunt, forſan a ſitus forma.

V. 52. ARAB. ארב. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Ereb in tribu Iuda: eſt hodieque villa in daroma, id eſt ad auſtrum, quæ Heromith nuncupatur*. Nomen habet vel ab inſidiis, latebris, latibulis; vel a prædationibus; aut a cataractis, quæ forte ibi eſſent. RUMA. Hebræa exemplaria conſtanter habent דומה *Dumah*, cum Daleth. Sed facile Reſch & Daleth invicem ſubſtituuntur, propter magnam inter ſe ſimilitudinem, ut cernere eſt in *Dodanim*, & *Rodanim*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Duma in tribu Iuda vicus grandis in daroma* (id eſt in auſtro) *hoc eſt ad auſtralem plagam in finibus Eleutheropoleos, decem & ſeptem ab ea milliaribus diſtans*. Et Rumah quidem *excelſam, elevatam* ſignificat, quaſi Romam, Hebraica notione. *Dumah* vero *ſilentium*; quaſi dicas, *Silentioſam, tacitam, taciturnam*; vel *ſilentiatam, redactam in ſilentium*; forte quod parva haberetur ipſius ratio, & pene negligeretur. Vide Notas in Iſaiæ XXI. verſ. 11. ESAAN. Hebr. אשען *Eſghan*. *Innixam* expoſueris, vel *innitentem*: quod forte fundata eſſet ſuper ſaxum aliquod, aut rupem, cui valide inniteretur. Quidam Hiſpanice *eſtribo* reddunt, id eſt *fulcrum*.

V. 53.

Digitized by Google

V. 53. IANUM. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Ianum in tribu Iuda: eſt villa Ianua in tertio milliario Legionis contra meridiem. Sed non videtur ipſa eſſe, quæ ſcribitur*. Recte, nam longe plus aberat a Legione Ianum Iudaica. A dormitatione nomen habet. Aliqui Hiſpanice reddunt, *La arrullada*. Alia Hebraica exemplaria *Ianua* legunt, quod Mem, & Samech ſint admodum affinia: & licebit interpretari *fugientem*, vel *fugitivam*. BETH-THAPHUA. Hebr. בית-תפח *Beth-tapbuach*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Beth-thaphua, in tribu Iuda, vicus trans Raphiam, millibus quatuordecim euntibus AEgyptum, qui eſt terminus Palæſtinæ*. Raphiam celebrem Phœniciæ urbem in extrema Palæſtina verſus AEgyptum, ultra Gazam, Anthedoni proximam, produnt Polybius Lib. V. pag. 422. Strabo Lib. XVI. pag. 759. Ioſephus Lib. XIII. Antiquit. cap. XXI. Plinius Lib. V. cap. XIII. Ptolemæus Lib. V. cap. XVI. *Beth-Thaphuach*, *domum*, ſeu *locum-pomi*, vel *mali*, ſignificat: quod locus eſſet optimorum pomorum fertilis. Italice *caſapomara*, Hiſpanice *mançanera*. APHECA. Hebr. אפקה *Apekah*. De altera Aſeritica diximus iam cap. XII. verſ. 18. & cap. XIII. verſ. 4. Hæc ſane Iudaica, non inepta coniectura, proxima fuiſſe videtur Beththaphuchæ, in finibus Palæſtinæ, cum qua hic coniungitur. *Rigidam*, vel *fortem* aliqui interpretantur, Hiſpanice *la rezia*. Alii *violentam*, & *impetuoſam*. Vel *alveum* aut *torrentem*: quod forſitan iuxta torrentem aliquem ſita eſſet. Nec deſunt qui *circumdatam*, nempe foſſis, & muris egregie vallatam, & cinctam. Vide I. Samuel. IV. verſ. 1.

V. 54. ATHMATHA. Hebr. חמטה *Chumtah*. Notant a limacibus, & cochleis, quibus abundaret, nomen nactam, Hiſpanice *la caracolera*. Alii a lacertis, quaſi *lacertoſam*, aut *lacertariam*, Hiſpanice *lagartera*. Aliqui *teſtudinem*, vel *teſtudinariam*: vel quod ibi horum reptilium eſſet copia; aut quod urbs in modum teſtudinis constructa eſſet. Vide Levit. XI. verſ. 30. CARIAT-ARBE. De hac egimus ſupra cap. XIV. verſ. 15. SIOR. Hebr. ציעור *Tzighor*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraici: *Sibor, locus contra faciem AEgypti: ſed & hodie oſtenditur villa nomine Sibor inter AEliam, & Eleutheropolim in tribu Iuda*. Si quis iſta minus probaverit, haud abſurde poterit ſuſpicari, forte hanc *Tzigbor* eſſe ipſam Tzoghar, in qua ſervatus fuerit Lot: nam & nomine convenit, eiſdem enim litteris radicalibus ſcribitur; & ſitu quoque, nam montana etiam erat. De Tzoghar plura annotavimus Geneſ. XIX. verſ. 22. Brocardus: *A Iericho quinque ſunt leucæ contra auſtrum ad oppidum Segbor, ſub monte Engaddi poſitum*. Et infra: *A Segbor ſupra mare mortuum ad unam leucam eſt aſcenſus montis Engaddi, ubi David aliquando latitavit*. Alter Burcardus, & Anſelmus Minorita, Tzoghar, vel Segor in littore orientali Aſphaltitis collocant: ſed puto eos falli, cum potius fuerit in occidentali, ubi certum eſt fuiſſe ei vicinam Engaddi. *Parvam*, *minimam*, ſignificat. Neſcio cur aliqui Hiſpanice interpretentur *eſtrecho*, id eſt *ſtrictum*.

V. 55. MAHON. Hebr. מעון *Maghon*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Mabon, in tribu Iuda, contra ſolis ortum daromæ*, id eſt auſtri. Nimirum erat in parte auſtrali Chananææ orientem verſus prope Aſphaltitis extremam oram. Ab hac proculdubio dictum eſt *deſertum Mabon*, I. Samuel XXIII. verſ. 24. CARMEL, vel *Charmel*, כרמל. Diverſus toto cælo a monte illo Carmelo maritimo ſortis Aſer, ſacris, & profanis litteris celebrato, de quo egimus ſupra cap. XII. verſ. 22. S. Hieronymus in Amos I. verſ. 2. *Charmel, & ſunt duo montes qui vocantur hoc nomine. Alter in quo fuit Nabal Carmelus maritus Abigail, ad auſtralem plagam. Alter iuxta Ptolemaidem, quæ prius vocabatur Acho, mari imminens, in quo Elias Propheta flexis genibus pluvias impetravit*. Et in XXIX. Iſaiæ verſ. 17. *Carmelus mons eſt in confinio Palæſtinæ, atque Phœnices Ptolemaidi imminens: licet & alius in Scripturis ſanctis mons Carmelus appelletur, in quo fuit Nabal Carmelus, homo ſtultus & iniquus, &c.* De Carmel urbe iſta montana ſortis Iudæ, Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Carmelus, ubi quondam Nabal Carmelus fuit. Et nunc villa eſt Carmelia* (vel Charmela, aut Chermula) *nomine, decimo lapide oppidi Hebron, vergens ad orientalem plagam: ubi & Romanum præſidium eſt poſitum*. Et quidem

Digitized by Google

de Romano præſidio in Notitia orientalis Imperii hæc habentur: *Equites ſcutarii Illyriciani, Chermulæ*, ſcilicet ſtativa habebant. Sed in ſequenti urbe Ziph iterum de Chermela redibit ſermo. *Charmel*, quidam exponunt *vinearum feracitatem*, ut nomen illud apud geographos in Africa celebre *Ampeluſia*; & oppidum in Bœtica *La Parra*. ZIPH. Diverſus quoque hic locus ab eo ſupra verſ. 24. Sed de iſto Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Ziph, mons ſqualidus, vel caliginoſus, ſive nebuloſus, iuxta Ziph, in quo ſedit David prope Chermelam, quæ in Scripturis ſanctis Carmelus appellatur, vicus hodie Iudæorum, unde fuit Nabal Carmelus*. Satis indicant hunc montem Ziph, vel in eo urbem vicinam fuiſſe alteri Ziph limitaneæ, de qua egimus ſupra verſ. 24. Situm trium horum locorum huius verſus accurate deſcribit Brocardus in hunc modum: *A Thecua duabus leucis inter orientem & auſtrum* Ziph *oppidum iuxta deſertum*, Ziphæorum *patria, ubi David vagabundus latuit. Huic contra auſtrum adiacet deſertum Mahon, in quo eſt mons Carmelus, iuxta quem Nabal repulit nuntios David. Ab hoc deſerto Mahon, inter auſtrum & orientem, parum diſtat mons Seir, ſive Idumæa. Quod ſi a memorato deſerto contra auſtrum vadas, occurrit terra Hamalech. Ante terram Hamalech contra mare mortuum eſt Cades-Barne, &c.* Et paulo antea præmiſerat a Bethlehem ad Thecuam eſſe duas leucas. IOTA. Hebr. יוטה *Iutah*. Hanc quidam exiſtimant deſcriptam ab Euſebio, & S. Hieronymo ſub nomine forſan depravato *Iethan*: dicitur ab eis civitas ſacerdotalis, ut ſane fuit *Iutah*, infra cap. XXI. verſ. 16. Vide ſupra verſ. 23. Ergo ſi id verum eſt, fuit Iutah in decimo octavo milliario ab Eleutheropoli verſus auſtrum, ut ibi diximus. Quidam Hiſpanice exponunt, *La apretada*: quod ego non aſſequor: potius a נטה *natah*, ſignificabit *extenſam*.

V. 56. IEZRAEL. יזרעאל *Iizreghel*. Diverſa eſt hæc Iezrael Iudaica, a celebri illa Iezrael ſortis Manaſſe, de qua, & de vocis notione, dicemus infra cap. XVII. verſ. 16. IUCADAM. Hebr. יקדעם *Iokdegham*. Sonat *ſuccendentem* vel *ſuccenſum populum*, vel *uſtrinam populi*. ZANOE. Hebr. זנוח *Zanoach*. Aliam Zanoach poſuit ſupra verſ. 34. in planitie, cum hæc ſit montana. Fortaſſe vicinæ erant, una in monte, alia prope in plano, ut de duabus Sochot diximus ſupra verſ. 35. & 48. Quidam notant, Hiſpanis a protenſo in longitudinem ſitu, *Zania* dici poſse.

V. 57. ACCAIN. Hebr. קין *Kain*, vel הקין *Hakain*. Exponunt *nidum*. Alii *poſſeſſionem*, Hiſpanice *grania*. Aliqui *haſtam*, *lanceam*, quod ibi forſan optime conficerentur. Nonnulli *cannam*. Hiſpanice *canar*, aut *canaveral*. Ab hac urbe putant dictos Kinæos, poſteros Iethro ſoceri Moyſis, quod iuxta eam incoluerint, ſeu poſſederint. Vide Num. XXIV. verſ. 21. vel ab altera eiuſdem nominis, ſupra verſ. 22. GABAA. גבעה *Ghibghah*. De hac videntur Euſebius, & S. Hieronymus in Locis, prodere: *Gabaa & Gabatha viculi contra orientalem plagam daromæ*, id eſt auſtri. Hinc quidam colligunt, hanc Iudaicam Gabaa fuiſse prope Mahonem, de qua dicebamus verſ. 55. Unde augurantur eam eſſe urbem, quæ I. Samuel. XXIII. verſ. 19. *Gabaa*, ſive *collis Hachilæ*, vocatur: quæ loca erant prope Ziphæos. Sed de colle Hachilæ dicemus ad eum locum I. Samuelis: nam eam deſcribunt uterque Brocardus. Exponitur, *Ghibghah*, *collis*. Quidam Hiſpanice, *La cueſta*; ſed non tam recte, ut *el collado, o cabeço*. THAMNA. Hebr. תמנה *Timnah*. De hac vide Notas ſupra verſ. 10. & Geneſ. XXXVIII. verſ. 12. Quidam a מנה *manah*, *numeratam*, ſeu *conſtitutam*, aut *reparatam*: vel active *numerantem*, ſeu *conſtituentem* exponunt. Alii *meridianam*, vel *auſtralem*.

V. 58. HALUL. Hebr. חלכול *Chalcul*, Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Eiul in tribu Iuda. Eſt & hodie in regione ad AEliam pertinente villa nomine Alula, iuxta Chebron*. Enodationes nominis varias afferunt. Aliqui deducunt a *chul*, exponuntque *manſionem*, vel *arenariam*. Alii *ægram*, *infirmam*: quod forte gravi cælo eſset. Hebræi quidam dictam volunt, quod ibi maneret avis Chul, quam ipſi putant eſse phœnicem. Et miror viros doctos hac nenia commotos: BESSUR. Hebr. בית-צור *Beth-tzur*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Beth-ſur in tribu Iuda, ſive Beniamin: & eſt hodie Bethſoron vicus euntibus nobis ab AElia Chebron in viceſimo lapide, iuxta quem fons ad radices montis ebulliens, ab eadem, in qua*

gi-

gignitur, *ſorbetur humo*. *Et Apoſtolorum Acta referunt eunuchum Candacis reginæ in hoc eſſe baptizatum a Philippo*. *Eſt & alia villa Beth-ſur in tribu Iuda*, *mille paſſibus diſtans ab Eleutheropoli*. Utra autem harum fuerit hæc noſtra, incertum: niſi quod ſitus Halhul præcedentis, cum qua coniungitur Beth-ſur, potius priori Beth-ſur convenire videtur. Diverſa hæc utraque Beth-ſura proculdubio eſt a Bethſura caſtro munitiſſimo, cuius crebra mentio in libris Machabæorum, & apud Ioſephum XII. Antiquit. cap. XIV. illud enim prope Ieruſalem fuit, quod Brocardus accurate deſcripſit. *Beth-tzur*, interpretantur *domum*, ſeu *locum anguſtiæ*, Hiſpanice *caſa angoſta*. Vel *domum arctationis*, *obſidionis*. Rectius, *domum petræ*, vel *rupis*; quod locus eſſet natura, & arte munitus. GEDOR, ſive *Ghedor* גדור. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Gedur in tribu Iuda*: *hodieque vocatur Gedrus*, *vicus prægrandis in decimo milliario Dioſpoleos* (ſeu Lyddæ) *pergentibus Eleutheropolim*. Huius urbis fit mentio I. Machabæor. XV. verſ. 39. & 40. videtur non procul abſuiſse a Iamnia. Exponitur, *Maceria*, *ſeptum*, *caula*, ſcilicet gregum. Vel potius, *Maceriata*, *ſepta*.

V. 59. MARETH. Hebr. מערת *Maghrath*. Quidam ſuſpicantur, hanc ipſam eſſe, quæ Iudicum XX. verſ. 33. appellatur *Maghareh Ghibagh* prope Gaba Beniamin, non longe a Ieruſalem. Ceterum locus ille videtur potius fuiſſe in ſorte Beniamin: & alioqui plerique pro appellativo accipiunt, ut ibi videbimus. Verum noſtram *Magharath* varie exponunt. Quidam *antrum*, *ſpeluncam*, *cavernam*, Italice *grotta*: alii *pratum*, *graminetum*: nonnulli *foſſam*: aliqui *nuditatem*, ſeu *nudatam*; quod in loco libero, ſpatioſo, & amplo eſſet. BETHANOTH. Hebr. בית-ענות *Beth-ghanoth*. Reddunt, *Domum occupationum*, *negotiorum*: vel *domum afflictionum*, ſeu *vexationum*. Aut *locum ſulcorum*: quod regio eſſet ubere gleba. ELTECON. Hebr. אלתקון *Elthekon*. LXX. *Elthecen*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Elthece in tribu Iuda*: *eſtque hodie Thecua vicus in nono ab AElia milliario contra meridianam plagam*, *de quo fuit Amos propheta*, *cuius ſepulcrum ibidem oſtenditur*. Et poſtea: *Thecua uſque hodie iuxta deſertum civitatis AEliæ vicus oſtenditur*: *unde & Amos propheta fuit*. S. Hieronymus Præfatione Commentariorum in Amos prophetam: *Amos propheta fuit de oppido Thecue*, *quod ſex millibus ad meridianam plagam abeſt a ſancta Bethlehem*. Brocardus: *A Bethlehem duabus leucis contra collem Achilæ eſt civitas Thecua in monte ſita*, *de qua fuit Amos propheta*. Alter Burchardus: *Inter Ceila & Bethlehem medio loco Thecua*, *ubi Amos propheta dormit*. *Cui ad occidentem adiacet deſertum Thecuæ*. Non ergo errant, qui Elthekon, Thecuam eſſe putant, Euſebium, & S. Hieronymum ſententiæ duces ſecuti. Significat *Elthekon*, *Dei*, vel *Fortis*, *ordinationem*, *rectitudinem*; ſeu *fortem directionem*, ſeu *correctionem*. Aliis eſt *poſſeſſio*, ſeu *fundus Valentis*, ſive *Dei*. Hiſpanice, *Grania de Dios*. Nonnulli exponunt, *Firmiter fixam*, Hiſpanice, *Bienbincada*, *Hita*. Vide infra cap. XIX. verſ. 44.

V. 60. CARIATH-BAAL. Hebr. קירית-בעל *Kieiath-Baghal*. Huius urbis tria ſunt nomina. *Kiriath-leghbarim*, id eſt *civitas ſilvarum*; *Baghalah*, id eſt *domina*; *Kiriath-Baghal*, id eſt *civitas Baal*, fortaſſe quod ibi Bahal, falſum numen aliquod, templo aliquo dicato coleretur. Quidam exiſtimant, hanc urbem II. Samuel. VI. 2. appellari *Baghale Iehudæ*, id eſt *Baales Iudæ*. Vide ſupra verſ. 9. & cap. IX. verſ. 17. AREBBA. Hebr. הרבה *Harabbah*, vel רבה *Rabbah*. De hac credo ſcripſiſſe Euſebium, & S. Hieronymum in Locis: *Eſt uſque hodie & alia villa Rebbo in finibus Eleutheropoleos ad ſolis ortum*. Quidam *magnam* antonomaſtice ex præfixo articulo interpretantur. Hiſpanice *la cumplida*. Propius, *multam*, *copioſam*, id eſt populoſam.

V. 61. IN DESERTO. Nomen מדבר *midbar*, *deſertum*, quidam a דבר *deber*, *peſte*, deducunt, quod locus ſit contrarius vitæ humanæ, quaſi peſtis vitæ. Alii a דבר *dabar*, *loqui*, derivant, per antiphraſim, quaſi ſit locus a locutione, & ſermone, ac commercio humano remotus. Nonnulli ex uſu Chaldaico a *ductu*, quod pecora eo paſcendi cauſa ducantur. Plerique a nomine *dabar* deflectunt, quod *ordinem rerum* ſignificat, & Mem particulam eſſe privativam, ſicuti in nominibus ממשק *mimſchak*, *locus carens irrigatione*; מסכן *miſchen*, *indigus*, Hiſpanice, *meſquino*; מאורה *meurah*, *caverna*, *ſpecus*, ſine luce, & aliis eiuſmodi: & ſignificare terram inordinatam,

tam, incultam, & vaſtam, in qua neque horti, neque arva, neque prata, aut arbores ſunt fructiferæ: & multo eſſe horridius, & vaſtius, quam ערבה *gharabah*, *campeſtria*, de qua voce diximus Numer. XXII. verſ. 1. quæ ſunt in planitie: deſertum vero etiam in montanis, & locis ſaxoſis, & aſperis, ut variis Scripturæ locis colligitur. Nonnulli Hebræorum notant, deſertum hic, & aliquot aliis Scripturæ locis, ſignificare vaſta loca, quæ neque coluntur, aut habitantur; aut quæ ſolis pecoribus nutriendis utilia ſunt, non etiam ſegetibus: nempe loca ubi greges, & animalia paſcuntur, Lucæ XV. verſ. 4. ſive ab hominibus ſint remota, ſive aliquot habeant civitates, atque pagos. BETH-ARABA. Hebr. בית-ערבה *Beth-Gharaba*. De hac diximus ſupra verſ. 6. MEDDIN. Hebr. מדין *Middin* ſonat *regionem*, *iuriſdictionem*, *iudicium*, *tribunal*. Vide Iudicum V. verſ. 10. SACHACHA. סככה. *Cooperta*, *contecta*, *obducta*, vel *tuguriata* exponitur.

V. 62. NEBSAN. Hebr. נבשן *Nibſchan*. Quidam reddunt *rubentem*, ſeu *rubram*, ex terræ, ſolique colore, quod eſſet argilloſa. *Ruborem* autem hic intelligunt, non acrem, & ſanguineum, ſed roſeum, qualis erubeſcentium eſt, nempe a בוש *buſch*, *erubeſcere*. Habet articulum emphaticum, ut alia nomina quæ ex appellativis propria evadunt. Hiſpanice, *Sazon roſada*. CIVITAS SALIS. Hebr. עיר מלח *ghir melach*, *urbs ſalis*. Ab hac nonnulli mare mortuum, mare ſalis in Scriptura vocatum volunt, quod ea urbs Aſphaltiti lacui immineret: ſic numcupata a ſale, qui ibi vel ex terra effoſſa, vel ex lapidibus, vel ex aqua concreta conficeretur. Fortaſſe quod ibi eſſent publicæ ſalinæ. Sic Salſulæ in Hiſpania dictæ, a ſalſis aquis. Iacobus Vitriacus in Ieroſolymitana Hiſtoria, cap. LIII. agens de mari mortuo, ait: *Habet autem iuxta ſe montem ſalis excelſum*. ENGADDI. De hac diximus plura in Geneſ. XIV. verſ. 7. Solinus cap. XXXVIII. *Engada oppidum infra Eſſænos fuit, ſed exciſum eſt: verum inclytis nemoribus adhuc durat decus, luciſque palmarum eminentiſſimis nihil vel ævo, vel bello derogatum*. Notitia Imperii *Gaddam* appellat: *Equites ſagittarii indigenæ Gaddæ*, ſcilicet morabantur. Brocardus: *Montes Engaddi ſunt valde alti, mirabilem præſeferentes diſpoſitionem, nam habent tam præruptas rupes caſum minitantes in valles ſubiectas, ut videntibus, & tranſeuntibus, timorem, & terrorem incutiant*. Ioſephus Lib. III. Belli, cap. II. Engaddam toparchiam facit. In eo oppido olim naſci conſueviſſe opobalſamum ſeu carpobalſamum, unde figurate dictum ſit, *Botrus Copher in vineis Engaddi*, Canticor. I. verſ. 13. & S. Hieronymus, & plerique alii annotarunt, & nos eo loco diſquiremus. Exponitur עין-גדי *ghen gedi*, *fons*, vel *oculus hædi*, ſeu *capreoli*. Hiſpanice, *Oio de chivo*, vel *oio de cabrito*. Sic dictum locum volunt, vel quod ibi fons eſſet, ex quo hædi, aut capreoli biberent, vel quod locus pulcher & elegans haberetur ob balſamum, ut ſunt capreolorum oculi.

V. 63. IEBUSAEUM AUTEM HABITATOREM IERUSALEM, &c. Ieruſalem fuiſſe in ſorte Beniamin, luce meridiana clarius dicitur infra cap. XVIII. verſ. 28. Ad hæc, quod tribuitur Iudæis, hoc ipſum dicitur de Beniaminitis Iudicum I. verſ. 21. quod Iebuſæos e Ieruſalem expellere non potuerint. E contra hic Ieruſalem poni videtur in ſorte Iudæ, ut etiam Pſalm. LXXVII. verſ. 68. ubi etiam & templum ipſum tribui Iudæ aſſignatur; cum tamen vaticinia Iacob Geneſ. XLIX. verſ. 27. & Moſis Deuter. XXXIII. verſ. 12. templum ipſum in ſorte Beniamin conſtituerint. Explanatores varie de his diſſerunt. Plerique Ieruſalem urbem duplicem, ſeu geminam faciunt, quaſi diviſam in duas præcipuas partes, quod & duale eius nomen Ieruſalaim ſatis indicat: & Iudam quidem poſſediſſe unam, ſeu alteram civitatis partem; Beniamin autem partem alteram, ubi poſtea ædificatum eſt templum, obtinuiſse, atque etiam arcem. Alii e contra, Iudam obtinuiſse montem Sion, in quo arx, & montem Moria, in quo templum, quæ erant auſtraliora loca urbis; Beniaminitis vero ceſſiſse reliquam urbem verſus Boream. Illud vero propenſius eſt, urbem limitaneam, in confinio utriuſque tribus conſtitutam promiſcue Iudæis, & Beniaminitis inhabitatam, atque ad utroſque communiter pertinuiſſe, & nunc iis, nunc illis attribui. Vide Iudic. I. verſ. 8. & 21. USQUE IN PRAESENTEM DIEM. Quidam hinc colligunt, hunc librum ante tempora Davidis, ſed poſt tempora Ioſue conſcriptum ab aliquo divi-

divino auctore: nam David expulit Iebuſæos e Ieruſalem, II. Samuel. v. Alii fortaſſe etiam poſt tempora Davidis ab Eſdra, aut ab alio ſacro propheta concinnatum: nam etſi David detruſerit Iebuſæos ex arce Sion, eoſque ſubiecerit, non tamen omnino ipſos exterminavit, ſiquidem manſerunt multi in Ieruſalem, ut par eſt credere, in ius & ditionem regum, & in religionem & ſacra Iudaica translati; ut eſt manifeſtum exemplum in Areuna Iebuſæo, a quo David emit aream II. Samuel. xxiv.

MENOCHII.

Verſ. 1. EDOM, Idumææ. DESERTUM SIN, ſcribitur per Tſade; & non eſt deſertum illud in quod menſe ſecundo ab egreſſu ex AEgypto venerunt Iſraelitæ, quod per Samech ſcribitur. Videtur deſertum hoc Sin extra Iudææ ſortem fuiſſe, iuxta auſtralem terminum lacus Aſphaltitis.

V. 2. MARE SALSISSIMUM, lacus Aſphaltites. LINGUA EIUS. *Lingua* ſinum ſignificat, ſeu promontorium aliquod huius lacus, & hoc videtur verius: nam Septuaginta habent λοφιαὶ, *cervicem*, *dorſum*; Chaldæus vero *cepha*, id eſt *petram*.

V. 3. ASCENSUS SCORPIONIS. Clivus eſt, vel mons, in quo vel ſcorpionum copia, vel quædam eorum figura, & ſimilitudo.

V. 4. TORRENS AEGYPTI. Rhinocolura, qui aliquando etiam Nilus dicitur, vel quia ab eo parum diſtat, vel quia cum eo per ſubterraneos meatus communicat. MARE MAGNUM, mare mediterraneum.

V. 6. BETH-HAGLA. Hæc Geneſ. L. dicitur *Area-Atad*. Diſtat a Iericho tribus milliaribus, ſita inter ipſam & mare ſalſum, ſeu mortuum. BOEN FILII RUBEN. Vel *Ruben* nomen alicuius Chananæi; vel, ſi ſit filius Iacob, dici poſſit Boen ad lapidem iſtum præclarum quippiam egiſſe, & loco nomen feciſse: quod eſt veriſimilius.

V. 7. GALGALA. Diverſa quibuſdam videntur ab iis in quibus Iſraelitarum caſtra fuiſse dicuntur cap. v. 9.

V. 8. CONVALLEM FILII ENNOM. Vallis Ieroſolymæ adiacens, ſic dicta ab Ennon quodam Iebuſæo. GEHENNON ſignificat vallem contriſtantem, vel decipientem, vel vallem divitiarum. Idem eſt gehennon, & gehenna, quæ Syriace infernum ſignificat. RAPHAIM, gigantum.

V. 9. A VERTICE MONTIS, qui adiacentem vallem Raphaim proſpicit. FONTEM NEPHTOA, cui ab aquarum perennitate nomen factum videtur. Nephtoa enim apertionem ſignificat, ſive ſculpturam. MONTIS EPHRON, monti Ephron adiacentia.

V. 10. USQUE AD MONTEM SEIR. Eſt alius hic mons ab eo qui in Idumæa Seir appellatur.

V. 11. PARTIS ACCARON EX LATERE. Linea ad occidentem protenſa, Accaron urbem a meridie incluſam prætcrit. IN IEBNEEL, urbem, quæ mari proxima, etiam Iamnia nominatur. Erant autem duæ civitates eodem nomine dictæ inter Dioſpolim & Azotum.

V. 14. DELEVITQUE EX EA CALEB, &c. Supra cap. x. 5. dictum fuerat Hebron captam a Ioſue, &c. nunc autem cum dicatur a Caleb expugnata, dicendum videtur fortaſse Chananæos iterum illam occupaſse, & a Caleb fuiſse receptam. Lyranus putat, Caleb vere, ac proprie urbes iſtas cepiſse; dici tamen Ioſue illas cepiſse per anticipationem, quia eius conceſſu, & auctoritate illas poſtea cepit Caleb.

V. 16. CARIATH-SEPHER. *Civitas litterarum*: ſic dicta, vel quod ibi academia eſſet inſtituta, in qua litteris daretur opera, vel quod antiquorum fuiſſet archivium, in quo vetera ſcripta monumenta poſt diluvium collocare ſolerent.

V. 17. FRATER CALEB IUNIOR ducere potuit Axam, quia nuptiæ inter patruum & neptem prohibitæ non erant in lege veteri.

V. 18. SUSPIRAVITQUE UT SEDEBAT IN ASINO. Ex Hebræo aliqui vertunt: *Lapſa eſt deſuper aſinum*, id eſt deſcendit; ut ad patris genua provoluta impetraret quod volebat. Alii vertunt: *Et confixit ſe deſuper aſinum*, fingens languorem, aut mæſtitiam, inclinata ſuper iumentum.

V. 19. TERRAM AUSTRALEM. Acceperat dotis nomine terram ad auſtrum, quæ & propter ſitus conditionem, & quia carebat aquis, admodum erat arida, & ſterilis: petit ergo irriguam.

V. 32.

V. 32. Omnes civitates viginti novem. Plures eſſe apparebit numeranti. Varii varia reſpondent. Expedita reſponſio eſt, ſi dicamus, civitates tantum fuiſſe 29. reliquas quæ ſimul cum civitatibus numerantur, villas eis adiacentes, quod ſacer textus indicat, cum ait: *Omnes civitates viginti novem, & villæ earum*.

V. 36. Urbes quatuordecim. Recenſitæ ſunt quindecim, ſed ex numeratis aliqua villa fuit.

V. 63. Iebusaeum autem habitatorem Ierusalem. Tenuerunt Iebuſæi arcem Sionis uſque ad tempora Davidis, a quo expugnata eſt, ut patet II. Reg. v. 7. Non potuerunt filii Iuda delere. Videtur Ieruſalem fuiſſe in tribu Beniamin, atque ideo illius expugnatio non pertinuiſſe ad tribum Iuda. Sed reſponderi poteſt cum Serario, Ioſue cap. xviii. quæſt. xiv. partem unam Ieruſalem ad tribum Beniamin pertinuiſſe, eam ſcilicet quæ Salem dicebatur, & ſeptemtrionalis erat; auſtralem vero, quæ dicebatur Iebus, fuiſſe tribus Iuda, quam poſtea cum occupare vellet Iudas, debuit etiam aliam oppugnare, quod conſentientibus Beniamitis factum eſt.

T I R I N I.

Verſ. 2. Lingua maris vocatur ſinus maris, quo ſpecie linguæ anguſtior maris pars in continentem excurrit. Sinus vero cuius hic fit mentio, eſt iuxta Idumæam. Simile de lingua maris habes Iſaiæ xi. verſ. 15. Quale dicatur hic *Mare ſalſiſſimum*: & quis ſit *Aſcenſus ſcorpionis*, dixi Numer. xxxiv.

V. 13. & 14. Ex Cariath-arbe, ipsa est Hebron, delevit Caleb tres filios Enac. Dices. Supra cap. x. verſ. 36. &c. xi. verſ. 21. dictum fuit, Ioſue cepiſſe Hebron, & Dabir, & percuſſiſſe in ore gladii utramque urbem, & interfeciſſe quotquot de Enacim in iis reperti fuerunt: quomodo ergo hic iam dicuntur hæc omnia patrata a Caleb? Reſpondeo. Poſt primas Ioſue victorias, cum nullum in hiſce captis urbibus poſuiſſet præſidium, ſed in Galgalæis fere caſtris iuncti hærerent Iſraelitæ, vel aliis alibi bellis detinerentur, iterum in eas irrepſerant Chananæi, & filii Enacim e vicinis civitatibus Philiſtinorum Gaza, Geth, & Azoto, in quibus relicti fuerant, ut dicitur cap. xi. verſ. 22. cumque natura loci, & arte munitiſſimæ eſſent urbes, facile eas tutari poterant. Certe, dum Hebronem a Ioſue peteret Caleb cap. xiv. verſ. 12. conſtat ibi iterum fuiſse Enacim: quare & bellum adverſus eos parabat Caleb; ſed poſt mortem demum Ioſue arma ſumpſiſse, feliciterque expugnaſse narratur cap. 1. Libri Iudicum, a verſ. 10. uſque 20. Unde quod hic de iiſdem expugnatis habemus, per proleпſin ſeu anticipationem refertur. Ita Maſius, Serarius, & alii.

V. 17. Othoniel frater Caleb. Petes: Si Othoniel fuit frater Caleb, quo iure dedit illi Axam filiam ſuam uxorem, ſi nuptiæ neptis cum patruo fuerint prohibitæ lege Moſaica? Ad hanc quæſtionem reſpondi Numer. xxxii. 12.

V. 19. Da mihi benedictionem. Chald. *poſſeſſionem*, & *hereditatem*, ſcilicet ampliorem. Nam hereditatis aſſignatio, quæ per modum dotis liberis fiebat ab antiquis patribus, *benedictio* vocabatur. Ex his vero conſtat, cum filiæ nuptui darentur viris ex ſua tribu, dotem ipſis dari ſolitam etiam ex prædiis, & agris: quod non licebat cum alteri ex alia tribu nuberent, ut patet Numer. ult. Dedit ei... irriguum superius et inferius. Hebraice: Dedit ei *gallot maiim*, id eſt *vortices aquarum*, ſeu ſcatebras e quibus quaſi terræ venis ebullientes aquæ volutatim protrudi videntur, ut fit in ſcatebris quorumdam fontium. Ita Maſius, & Magalianus. Et quidem duplicis generis ſcaturigines eiuſmodi dedit filiæ ſuæ Caleb, unas ſuperiores, quibus clivoſa; alias inferiores, quibus planioia loca irrigari poſſent. Quod ſane non exiguum donum æſtimari debet, maxime in Chananæa, quæ ob nimium ſolis ardorem aquis aſſiduo egeret, & pluvialibus ſubinde deſtitueretur. Sed gratificari volebat Caleb Othonieli, & quem præſagiebat ducem Iſrael olim futurum, voluit e vulgi numero vel ex nunc eximere, opibuſque, & gloria quanta poſſet, augere.

Tropologice (Procopius) irriguum ſuperius eſt oratio, & contemplatio; inferius, humiliatio, & mortificatio.

GOR-

Digitized by Google

GORDONI.

Verſ. 1. **D**ESERTUM SIN. Zin, per Tſade eſt in deſerto Idumææ, ad diſtinctionem alterius per Samech in magno deſerto. Et deſignat, tribum Iuda ex parte Idumææ ad meridiem terminari deſerto hoc.

V. 2. His quatuor verſibus dat terminos Iuda, orientalem, auſtralem, & ſeptemtrionalem. Hoc latus ultimum magnos habebat flexus, ex verſu decimo. Linea auſtralis vocatur *lingua*, quia hac forma procurrit in mare.

V. 3. EGREDITURQUE CONTRA ASCENSUM SCORPIONIS. Sic montes in eo tractu nominati ob curvitatem, aut formam ſcorpioni ſimilem. SINA, urbs eſt unde deſertum Sin nomen accepit. Alia eſt Cadesbarne, quam collocant geographi in deſerto Pharan. De his vide deſcriptores terræ ſanctæ.

V. 4. AD TORRENTEM AEGYPTI. Ad Rhinocoluram urbem fluit. Ergo linea hæc auſtralis ad mare mediterraneum finitur. Dividit hic fluvius AEgyptum a Palæſtina: ſic linea orientalis Iuda attingit totum littus maris mortui.

V. 5. Per linguam hic intellige extremam maris partem, excurrentem ſub hac forma.

V. 6. BETH-HAGLA eſt inter Iericho & mare mortuum.

V. 7. FONS ROGEL, forte a pede (rad. רגל) quod pedibus ibi veſtes lavarent.

*V.*8. HAEC EST IERUSALEM. Ante Davidem urbs hæc ſic vocata: & ſaltem ex parte aliqua eſt in tribu Beniamin.

V. 13. ENACH filius Arbe, & pater gigantum, ſeu Enachim.

V. 15. CIVITAS LITTERARUM, a ſchola publica. Vide Iudic. I.

V. 17. OTHONIEL FILIUS CENEZ FRATER CALEB. Multi legunt *fratris Caleb* cum Chald. & ita reddi poteſt Hebr. אחי cum Pagnino. Ceterum ſi *τὸ Frater* retineatur (ut habet noſtra editio) dicendum eſt, Othonielem non eſſe Calebi fratrem germanum, vel uterinum, ſed improprie fratrem ſeu cognatum. Iudic. cap. III. verſ. 9.

V. 19. BENEDICTIO, munus, donum, poſſeſſio. IRRIGUUM. Septuaginta *fontem* habent. Hebr. *ſcaturigines aquarum*. SUPERIUS, ET INFERIUS: ex utraque iſta parte agri.

V. 63. IEBUSAEUM AUTEM HABITATOREM IERUSALEM NON POTUERUNT FILII IUDA DELERE. Eſt anticipata narratio. Nam tempore Ioſue non eſt pugnatum contra Ieruſalem; ſed poſt eius mortem ex Iud. I. Si cauſam quæras, en duas: tum ad exercitum populi, ne torpens otio cogitaret de idolis; tum ob peccata: ob ea enim non ſtabat conditio pacti, ut ſupra ad initium cap. XIV.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 10. MONTEM SEIR. Eſt alius mons diverſus ab illo qui eſt in Idumæa.

V. 13. HEBRON, ex cap. x. 5. capta dicitur: quomodo ergo nunc expugnata ab eodem, niſi forte quia ab hoſtibus iterum recuperata fuit.

V. 17. FRATER CALEB IUNIOR. Potuit quidem iſte Axam ducere uxorem, quia tunc non erat prohibitum matrimonium inter patruum & neptem ex fratre.

V. 19. Dotis nomine acceperat terram auſtralem, ſed carentem aquis.

V. 32. CIVITATES VIGINTI NOVEM. Sunt quidem plures; ſed inter civitates recenſitæ ſunt villæ, ut habet textus.

V. 36. URBES QUATUORDECIM. Similiter, ut ita dicebam, non conſtabit numerus, niſi & villas adhibeas.

CA-

CAPUT XVI.

Sors Ephraim, urbes & viculi eorum, manſitque inter hos Chananæus tributarius.

1. CEcidit quoque ſors filiorum Ioſeph, ab Iordane contra Ie-
richo & aquas eius ab oriente: ſolitudo quæ aſcendit de
Iericho ad montem Bethel: 2. * & egreditur de Bethel Lu-
za: tranſitque terminum Archi, Atharoth: 3. & deſcendit
ad occidentem iuxta terminum Iephleti, uſque ad terminos
Beth-horon inſerioris, & Gazer: finiunturque regiones eius
mari magno: 4. poſſederuntque filii Ioſeph Manaſſes & E-
phraim. 5. Et factus eſt terminus filiorum Ephraim per cognationes ſuas: &
poſſeſſio eorum contra orientem Ataroth-addar uſque Beth-horon ſuperiorem.
6. Egrediunturque confinia in mare: Machmethath vero aquilonem reſpicit, &
circuit terminos contra orientem in Thanath-ſelo: & pertranſit ab oriente Ia-
noe: 7. deſcenditque de Ianoe in Atharoth & Naaratha: & pervenit in Iericho,
egrediturque ad Iordanem. 8. De Taphua pertranſit contra mare in Vallem arun-
dineti, ſuntque egreſſus eius in mare ſalſiſſimum: hæc eſt poſſeſſio tribus filio-
rum Ephraim per familias ſuas. 9. Urbeſque ſeparatæ ſunt filiis Ephraim in me-
dio poſſeſſionis filiorum Manaſſe, & villæ earum. 10. Et non interfecerunt filii
Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: habitavitque Chananæus in me-
dio Ephraim uſque in diem hanc tributarius.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 2. *Et egredietur de Bethel Luza.* Vocem *Luza* ſervant vetera manuſcripta ἄκλιτον: alii declinantes ſcribunt *Luzam*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. ET AQUAS, ſcilicet qua parte irrigatur aquis. LUZA. Chald. & LXX. *in Luzam:* ſcilicet valde eſt prope, ut unum interdum reputentur: vel eſt appoſitio; pro, ſcilicet Luzam. Vide infra cap. XVIII.

V. 3. MAGNO. Additum id ab Interprete explicationis cauſa.

V. 8. SALSISSIMUM: & id ſimiliter additum. Quidam mare mediterraneum intelligunt.

ESTII.

Verſ. 9. URBESQUE SEPARATAE SUNT FILIIS EPHRAIM IN MEDIO POSSESSIONIS FILIORUM MANASSE. Illud, *In medio poſſeſſionis*, non exacte intelligendum eſt quaſi in ipſo meditullio; ſed phraſis Hebræa eſt, id eſt in terra quæ tribui Manaſſe ſorte competebat. Quia enim ſortes conſtitutæ erant æquales, tribus autem Ephraim multo maior eſſet tribu Manaſſe, oportuit aliquam partem ſortis Manaſſe, nimirum urbes quaſdam cum villis ſuis contermi-

nas

nas ſorti Ephraim, ſeparari in poſſeſſionem filiorum Ephraim. Sic & Iuda participavit de ſorte Beniamin, ut eſt in fine capitis ſuperioris.

V. 10. ET NON INTERFECERUNT FILII EPHRAIM CHANANAEUM, QUI HABITABAT IN GAZER. An ideo non interfecerunt, an quia non potuerunt? Huius quæſtionis ſolutionem indicat nobis Scriptura capite ſequenti, ubi ſic legimus: *Nec potuerunt filii Manaſſe has civitates ſubvertere, ſed cœpit Chananæus habitare in terra ipſa. Poſtquam autem convaluerunt filii Iſrael, ſubiecerunt Chananæos, & fecerunt ſibi tributarios, nec interfecerunt eos.* Igitur initio, quando nondum erant multiplicati, non potuerunt eos ſubvertere; poſtea vero, cum invaluiſſent numero, potuerunt quidem eos interficere, ſed cupiditate ducti pepercerunt, facientes eos ſibi tributarios. Id autem factum eſt contra præceptum Domini Numer. XXXIII. ubi iubentur interfici.

MARIANAE.

Verſ. I. A B IORDANE CONTRA IERICHO ET AQUAS EIUS, ſcilicet fuit ſors Ioſeph. Hebr. *A Iordane Iericho* (num Iordanis ſic vocatur, quod alibi ſit?) & videtur nomen loci. Hic ſummatim deſignat præcipua loca quæ erant in poſſeſſione filiorum Ioſeph; deinde utriuſque tribus Ephraim, & Manaſſis exactius fines deſcribit.

V. 2. ET EGREDITUR DE BETHEL LUZA, pro in Luzam. Vides Luzam, a Bethel diſtingui, & erant tamen vicinæ.

V. 3. FINIUNTURQUE REGIONES filiorum Ioſeph MARI MAGNO. Hieronymus addidit *magno*, ad maiorem explicationem: nam eæ tribus a Iordane ad littus mediterranei maris extenduntur.

V. 6. EGREDIUNTURQUE CONFINIA IN MARE. De mediterraneo loquitur, a quo linea ſuperior, quæ ad ſeptemtrionem vergit, ducitur per Machmerath, quæ ad aquilonem eſt, & illa linea ab oriente habet Thanathſelo Iordani adiacentem. Deinde per ripam Iordanis pervenit ad Iericho verſus auſtrum.

V. 7. PERVENIT IN IERICHO, id eſt ad fines Iericho: nam ipſa urbs ad Beniamin pertinebat cap. XVIII. verſ. 21.

EGREDITURQUE AD IORDANEM. Finis huius lineæ eſt Iordanis extrema pars.

V. 8. DE TAPHUA PERTRANSIT CONTRA MARE, id eſt ad mare, ſcilicet mediterraneum: nam hic deſcribitur linea inferior & auſtralis a Iordane ad mare noſtrum. SALSISSIMUM, id eſt mortuum. Hoc Interpres addit, & videtur potius loqui de mari noſtro: nam tribus Ephraim non attingit mare mortuum, propter interiectam tribum Beniamin cap. XVIII. verſ 19.

V. 9. URBESQUE SEPARATAE SUNT; quaſi dicat: Præter hunc tractum obtinuit Ephraim quaſdam urbes illi datas in ea parte quæ tribui Manaſſe eſt data.

MALVENDAE.

Verſ. I. A B IORDANE CONTRA IERICHO. Hebr. *De Iordane Iericho*. Quidam: *A Iordane e regione Ierichuntis*: vel qua parte fluit prope, vel ex adverſo Iericho: ſeu qua parte adiacet agro Ierichuntino. ET AQUAS EIUS. Hebr. *me Iericho*. Quidam loci nomen proprium exiſtimant. Alii fontem illum celeberrimum iuxta Iericho, quem Eliſeus ex amaro dulcem reddidit, II. Regum II. verſ. 21. de quo ibi dicemus. Nonnulli exponunt: Ad eam partem agri Iericho, quæ irrigatur aquis. AB ORIENTE. Recte ſenſum expreſſit Hebr. *ad orientem*; id eſt, quæ aquæ Iericho ſunt ad orientem eius deſerti, quod aſcendit, &c. Oriens ergo hic non reſpectu Iordanis, & Iericho, ſed reſpectu deſerti eſt accipiendus: quod deſignatio ipſa ſortis, & ſitus locorum perſpicue evincit. SOLITUDO QUAE ASCENDIT. Hebræa ſunt ambigua: poſſunt enim reddi in recto, *Deſertum deſcendens*; quaſi dicat: Sors eſt *deſertum deſcendens*, &c. vel in obliquo, *In deſertum deſcendens*: ita tamen ut participium *deſcendens* hæreat in recto cum voce *ſors*, hoc ſenſu: Exivit ſors in deſertum, aſcendens; id eſt, quæ ſors aſcendit, &c. AD MONTEM BETHEL. Hinc apparet, nedum urbem, ſed montem ipſum appellatum *Bethel*, ab ipſa urbe: de qua plura diximus in Geneſ. XXVIII. verſ. 19. Brocardus: *A Samaria contra auſtrum, iuxta viam quæ ducit Sichem, ſunt duæ leucæ ad Beth-el in alto monte ſitam*. Eadem alter Burchardus.

Digitized by Google

V. 2. De Bethel luza. Hebr. *De Beth-el Luzah:* ut vox *Luzah* ſit in auferendi caſu quaſi appoſitio, & cognomen Bethelis; id eſt, de Bethel, quæ antea vocabatur *Luz*, vel *Luzah*, Geneſ. xxviii. verſ. 19. Alii *He* volunt eſſe locale: *De Bethel in Luz*, vel *verſus Luzam*. Unde videtur, *Beth-el*, & *Luzam* non fuiſſe unum & eumdem omnino locum; & hæc eſt veritas: nam certum eſt eum locum, quem Iacob Beth-elem appellavit, extra oppidum Luzam fuiſſe, nimirum ubi in campo ſub dio cubans viderat divinum illud viſum; ſed cum loci celebritas paulatim creverit vicinæ Luzæ priſcum nomen abolevit, & ſuum indidit: hincque Beth-elem modo eamdem, modo diverſam a Luza dici. Quidam nonnullos Hebræorum ſecuti, hanc Luzam, de qua hic eſt ſermo, exiſtimant non eſſe eam quæ ex Iacobi viſione Geneſ. xxviii. verſ. 19. vocata fuit Beth-el; ſed alteram non admodum remotam, a Bethelita quodam extructam, de qua Iudicum i. verſ. 26. Ita Tremellius, & Iunius. Sed id ego puto eſſe delirium: nam ſecunda illa vel altera Luza condita fuit a proditore illo in terra Hethæorum, quæ longe aberat a prima Luza, ſeu Bethel. Vide quæ de Hethæis notavimus in Geneſ. x. verſ. 15. & ſupra cap. i. verſ. 4. Terminum Archi, Atharoth. Obſervant, accentum Hebraicum Thiphcha appoſitum voci *Archi*, manifeſte diſtinguere eam a ſequenti Atharoth: ut non unius, ſed duorum diſtinctorum locorum nomina ſint Archi, & Atharoth. Unde reddunt: *Et tranſibit ad terminum Archi in Atharoth*. Notant eſſe hunc locum Erech, ex quo Chuſai ille amicus, & conſiliarius Davidis, qui infregit conſilium Archithophelis, denominatus eſt Archi, ſive Arcæus, II. Samuel xvi. verſ. 16. ſive Erecæus latina forma. ארכי *Arci* ſonat *longam*, *prolongatam*, *protenſam*: *ut Alba longa* in Latio.

Atharoth. Hebr. *Ghataroth*. Euſebius, & S. Hier. in Locis Hebraicis: *Atharoth iuxta Rammam in tribu Ioſeph*. Rammam eſſe Arimathæam urbem in Evangelio nobilem, ſuo in loco dicemus. Quidam hic norant, *Atharoth* agrum fuiſſe ſitum in termino Ephraim Beniaminis, & Iehudæ: quamobrem pro ratione termini variis nominibus diſtingui, infra verſ. 5. & 7. & I. Chronicorum ii. verſ. 54. Sed veroſimilius eſt diverſa eſſe עטרות *Ataroth*, ut infra verſ. 5. & 7. dicemus. Significat id nomen *coronas*, ſeu *coronatas*: quod ea urbs vel in modum coronæ conſtructa eſſet, vel inſignis, ac regia eſſet.

V. 3. Iuxta terminum Iephlethi. De hoc loco Euſebius, & S. Hieronymus hoc tantum: *Iephlethi in tribu Ioſeph*. Quidam hic *Iephlethi*, Iephlethæum exponunt, nomen gentilitium a Iephleth quodam filio Aſer, I. Paralipom. vii. verſ. 32. fortaſſe quod poſteri eius eam regionem incoluerint. At hic manifeſte in tribu Ioſeph ponitur, non in Aſer. Alii exiſtimant, Iephlethæum, eum ipſum eſſe qui Pelethæus, ſeu Phelethæus, per litteræ Tet in Thau mutationem, paſſim appellatur, ut II. Samuel. viii. verſ. 18. & cap. xv. verſ. 18. Exponitur יפלטי *Iaplethi*, *evaſor*, *perſuga*, ſive *perfugium*. Beth-oron inferioris. De utroque Beth-oron, inferiore, & ſuperiore, plenius diximus ſupra cap. x. verſ. 10. Gazer. Hanc elucidavimus ſupra cap. x. verſ. 33. Finiunturque regiones eius mari magno. Hebr. *Et erunt exitus eius in mari*; id eſt, tandem deſinit vel finitur terminus in mari, nempe mediterraneo. Quidam: *Et erunt exitus huius limitis in occidua plaga*.

V. 5. Atharoth-addar. עטרות-אדר *Ghatharoth-addar*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Atharoth civitas in tribu Ephraim; nunc vicus ad aquilonem Sebaſte* (id eſt Samariæ) *in quarto eius milliario Atharus dicitur*. Nominis *Atharoth-addar* ſignificatus, eſt *Atharoth ampla*, *magnifica*, *valida*.

V. 6. Machmethath. מחמתת *Machmetath*. Huius urbis ſitum nemo expedit. Brocardus: *Ab Aſur, quondam Antipatride, quatuor ſunt leucæ contra orientem ad Manathat* (forte Machmethath) *nunc Kato dicta & ſub monte Ephraim ſita, non longe a monte Saron. In hac Saraceni poſuerunt præſidium contra caſtrum peregrinorum. A Kato quatuor leucis contra auſtrum eſt mons Saron, & oppidon Sarona, de quo fit mentio in Actibus Apoſtolorum. De Aſur octo ſunt leucæ uſque ad Ioppen*. Ex his facile eruas ſitum Machmethath. Explicant rationem nominis varie. Quidam, *Percutiam morte*. Valentine, *Colp de mort*. Alii,

Deſi-

Digitized by Google

Deſideratam. Hiſpanice, *La deſſeada*. Nonnulli, *Arentem*. Aliqui, *Totam*, *totalem*, *quantam quantam*. Vide cap. XVII. verſ. 7. THANATH-SELO. Hebr. תאנת-שלה *Taanath-Schiloh*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Thenath Silo*, *in tribu Ioſeph: hodieque villa eſt Thenath in decimo milliario Neapoleos contra orientem deſcendentibus Iordanem*. Neapolis eſt Sichem. Facile crediderim hanc eſſe Ptolemæi *Tenam*, Lib. V. cap. XVI. nam & nomine conſonat, & urbs Samariæ, atque Neapoli coniuncta a Ptolemæo ponitur. *Thanath-Siloh*, exponitur, *Ficus-Silo*, Hiſpanice, *Higuera de Silo*. IANOE. Hebr. ינוחה *Ianochah*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Ianoe in tribu Ephraim. Hanc quoque cepit rex Aſſyriorum: & hodie vicus oſtenditur Ianon in Acrabathena regione in duodecimo lapide Neapoleos contra orientem*. Exponunt, *Quietem*, *quieſcentiam*, *repauſationem*: fortaſſe quod locus eſſet quietis, & amœnus, aut ſeceſſibus nobilis.

V. 7. IN ATHAROTH. Diſtincta hæc Atharoth a duabus illis ſuperius verſ. 2. & 5. Vide ſupra verſ. 2. NAARATHA. Hebr. נערתה *Nagharathah*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Naaratha in tribu Ephraim*, *& nunc eſt Noarath villa Iudæorum in quinto milliario Hierichus*. Redditur, *Excuſſa*, *puella*, *iuvencula*, forte quod pulchre conſtructa eſſet. Hæc I. Paralipom. VII. verſ. 28. *Nagharan* appellatur, eadem nominis ratione.

V. 8. TAPHUA. Hebr. תפוח *Taphuach*. Diverſa omnino hæc Thaphua Ephraimitica ab illa Iudaica ſupra cap. XV. verſ. 34. notio tamen nominis eadem, a pomis enim dicta videtur, quaſi *pomarium*, Hiſpanice *mançanar*. Brocardus: *A Therſa ad orientem in via, quæ ducit ad Iordanem*, *eſt terra Thaphuæ*, *ſex diſtans a Therſa leucis: & eſt quoque de ſorte Manaſſe*. Vide infra cap. XVII. verſ. 8. Verum hic Brocardi ſitus Thaphuæ parum convenit ei, quem recentiores ex vetuſtis geographicis tabulis exhibent; uti mox dicemus. CONTRA MARE, proculdubio mediterraneum; id eſt, verſus mare. IN VALLEM ARUNDINETI. Hebr. *Torrentem*, *fluvium*, vel *vallem cannæ*. Aiunt fuiſſe torrentem caricoſum, ſive cannoſum, ubi cannetum, ſeu arundinetum denſum eſſet, qui ſub Cæſarea Palæſtinæ, ſive Stratonis Turri in mare Syriacum influeret, uti in pervetuſtis geographicis tabulis expreſſum viſitur. Alii quam longiſſime eum ablegant, influentem in Iordanem; perperam. Aliqui ut nomen proprium relinquunt, *ad Fumen Kanæ*: putantque hunc locum eum eſſe, qui in Græcis Iudith VII. verſ. 16. vocatur torrens Mochmur, id eſt nigrum & atrum, quaſi paluſtrem, & arundinoſum: ut hic dicitur flumen Kanæ, id eſt arundine abundans. Verum id probare non poſſumus: nam in loco Iudith revera deſcribuntur loca orientalia verſus Iordanem, ut Betharaba, & torrens Ketzitz, nam is profecto eſt torrens Mochmur: a quibus quam longe ad occidentem abeſt torrens arundineti, intrans mare Syriacum ſub Cæſarea, uti antea dicebamus. Vide infr. cap. XVIII. verſ. 21. & I. Regum XVII. verſ. 3. IN MARE SALSISSIMUM. Nihil eſt quod quiſquam Noſtrum in crimen accerſat: non enim per *mare ſalſiſſimum*, Aſphaltitem intellexit, ut alibi ſolet: eo enim non pertingebant fines Ephraimitarum; ſed cum Hebraice tantum haberetur *in mare*, mediterraneum, & Syriacum proculdubio, viſum eſt ei addere *ſalſiſſimum*, quod proprium eſſe conſuevit veri maris epitheton.

V. 9. URBESQUE SEPARATAE SUNT &c. Quidam hic active reddunt: *Et urbes ſeparantes*, *diſtinguentes*, *dividentes*, *filiis* vel *pro filiis Ephraim*, *&c.* intelliguntque urbes limitaneas: unde reddunt: *Hæ autem civitates limitares* fuerunt *pro filiis Ephraim inter poſſeſſionem Menaſitarum*, *omnes civitates cum villis earum*. Nimirum iſtæ civitates limitares ſupra verſ. 5. 6. 7. & 8. commemoratæ, quæ erant inter poſſeſſionem Menaſitarum, ceſſerunt Ephraimitis. Alii paſſive: *Et urbes ſeparatæ*, vel nominaliter, *ſeparationum*, &c. Aliqui reddunt: *Et urbes*, *quæ ſeparatim deſignatæ erant filiis Ephraim*, &c. ut ſit ſenſus, præter ſuperius commemoratas, fuiſſe alias urbes intra Manaſſenſium terminos poſitas, quas tamen Ephraimitæ habebant, ut ſequenti capite apertius dicetur verſ. 8. & 9.

V. 10. USQUE IN DIEM HANC: nempe uſque in tempora Salomonis, quando penitus inde deletus fuit Chananæus. Huic loco lucem infert alter e I. Regum IX. verſ. 16. *Pharao rex Ægypti aſcen-*

dit, & cepit Gazer, ſuccenditque eam igni: & Chananæum, qui habitabat in civitate, interfecit: & dedit eam in dotem (ſive in munera, aut miſſilia) *filiæ ſuæ uxori Salomonis. Aedificavit ergo Salomon Gazer, &c.* TRIBUTARIUS. Hebr. *Et fuit tributo ſerviens*. Quidam: *Et fuit in tributum ſervientis*; id eſt, fuit tributarius, vectigalis, & ſervus.

MENOCHII.

Verſ. 1. CONTRA IERICHO, ET AQUAS EIUS, idem videtur eſſe cum eo quod dicitur cap. XVIII. 12. *Pergens iuxta latus Iericho ſeptemtrionalis plagæ*, ſive, ut alii vertunt, *ad latus Iericho a ſeptemtrione*. SOLITUDO QUAE ASCENDIT DE IERICHO AD MONTEM BETHEL. Vox *aſcendit*, non eſt referenda ad vocem *ſolitudo*, ſed ad vocem *ſors* poſitam hoc eodem verſiculo, ut notat Maſius, Montanus, & alii.

V. 2. ET EGREDITUR, funiculus ſcilicet menſorius, ſive linea terminorum. DE BETHEL LUZA, de Bethel, quæ prius Luza dicebatur.

V. 4. POSSEDERUNT. Quidam vertunt, *Diviſerunt*, inter ſe ſcilicet duæ tribus Ephraim, & Manaſſe.

V. 5. ET FACTUS EST TERMINUS FILIORUM EPRAHIM, &c. Ab hoc verſu uſque ad finem capitis deſcribitur poſſeſſio tribus Ephraim.

V. 6. CIRCUIT TERMINOS. Serarius putat legendum, *Circuit terminus*.

V. 8. MARE SALSISSIMUM. Idem *ſalſiſſimum* irrepſiſſe putat in textum idem Serarius: hic ſermo eſt de mari mediterraneo. Mare ſalſiſſimum in Scripturis appellari ſolet mare mortuum, ſive lacus Aſphaltites.

V. 9. IN MEDIO POSSESSIONIS FILIORUM MANASSE. Aſſignatis partibus regionis tribui Ephraim, & Manaſſe, cum ſpectatis circumſtantiis locorum apparuiſſet diviſionem æqualem non eſſe, attributa ſunt Ephraim quædam loca intra fines tribus Manaſſe, ut inæqualitas illa tolleretur. Ita Magalianus. Alii aiunt, lineam quæ duas has tribus diſterminabat, aliquando incurriſſe in terminos Manaſſe, aliquando receſſiſſe; hinc factum ut oppida aliqua eſſent Ephraim, quæ linea recta ducta, in tribu Manaſſe fuiſſent. Ita Lyranus, quem ſequitur Salianus.

V. 10. ET NON INTERFECERUNT FILII EPHRAIM CHANANAEUM. Hoc ipſum commemoratur Iudic. 1. 29. in quo peccarunt contra Domini iuſſum, qui iuſſerat gentes illas deleri, Deuteronomii XX. USQUE IN DIEM HANC. Longe poſtea venit civitas hæc in Iſraelitarum ditionem, cum ſcilicet Pharao AEgypti rex eam expugnavit, & filiæ ſuæ, quæ Salomoni nupſerat, in dotem dedit, ut habemus in Reg. hiſtor. III. Reg. IX.

TIRINI.

Verſ. 8. PER VALLEM ARUNDINETI intelligitur vallis arundinibus abundans, eo quod ſcateat aquis ſtagnantibus, limoſis, ac torpidis, in quibus ſere arundines ſuccreſcunt. Et propter has aquas ſubinde (ſed improprie) vertitur *torrens cannæ* ſeu *arundinis*, ut cap. ſeq. verſ. 9. Quidam putant hunc eſſe torrentem *Carith*, apud quem latuit Elias III. Reg. XVII.

V. 9. URBESQUE SEPARATAE SUNT A FILIIS EPHRAIM IN MEDIO POSSESSIONIS FILIORUM MANASSE. Id eſt, præter eas urbes quæ Ephraimitis in proprio circulo, a circulo fratrum ſuorum Manaſſenſium diviſo obtigerant, inſuper aliæ quædam urbes, intra circulum Manaſſenſium ſitæ (notæ quidem tum, ſed hic non nominatæ) communi conſenſu, ob amplitudinem illius tribus, ſeparatæ & adſcriptæ ſunt Ephraimitis. Hinc ſeq. cap. verſ. 9. urbes iſtæ Ephraimitarum dicuntur fuiſſe in medio urbium Manaſſe. Similia etiam in aliis circulis aliarum tribuum uſu ſubinde veniſſe, ut quædam iis oppida concluderentur; quæ tamen ad alienam tribum ſpectarent, ex ſeqq. capp. manifeſtum eſt, & cauſam alibi aſſignavi *a*.

V. 10. ET NON INTERFECERUNT FILII EPHRAIM CHANANAEUM QUI HABITABAT IN GAZER... TRIBUTARIUS. Præ ignavia, & avaritia tolerarunt Ephraimitæ Chananæum contra expreſſum Dei mandatum Deuteron. XX. Idcirco & hic, & Iudicum 1. & III. Reg. IX. & Oſeæ VII. id illis vitio vertitur; maxime ob ſcelera Chananæorum, quibus, ut fit, vicini Ephraimitæ facile contaminabantur.

tur. Duo genera ſcelerum mercatoribus familiarum notat Oſeas: *Chanaan*, inquit, *in manu eius ſtatera doloſa, calumniam dilexit*. Quæ cum tolerari non debuiſsent, turpis tamen lucri cauſa tolerarunt Ephraimitæ, en contagium eorumdem ſcelerum: *Et dixit Ephraim: Verumtamen dives effectus ſum*; quaſi dicat: Nil moror ſcelera, dummodo tributis illorum diteſcam. Sed non hic ſtatum. *Didicerunt opera eorum*, inquit Pſalmiſta *b*, *& ſervierunt ſculptilibus eorum, & factum eſt illis in ſcandalum*. Hos fructus referunt politici ex commercio infidelium: mores illorum imbibunt, ſuperſtitionibus eorum & impiis nuptiis implicantur, a cultu veri Dei, veraque fide divelluntur: atque ita ruinam ſibi non præſentem modo, ſed & æternam accerſunt. Simile peccatum filiorum Manaſse habes cap. ſeq. verſ. 13.

Nota, Chananæos hos progreſsu temporis uſque eo ſeſe communiviſse, præſertim ad littus maris, quod fere incolebant, mercaturæ facilius exercendæ cauſa; ut a Iudæis cum vel maxime vellent, expugnari non poſsent. Exemplo ſit hæc ipſa Ephraimitarum urbs Gazer, quam ne David quidem ſuam facere potuit; ſed Pharao demum rex AEgypti deſtitutam iam externo auxilio, vi cepit, incendit, & filiæ ſuæ, quæ Salomoni nupſerat, in dotem dedit, III. Regum IX. Quam ipſam hiſtoriam LXX. Interpretes, ut in quibuſdam codicibus reperitur, huic Ioſuano textui hic, teſte Magalliano, ſubnectunt.

(*a*) Numer. XXVI. verſ. 53. & 55.
(*b*) Pſalm. CV. verſ. 36.

GORDONI.

Verſ. 2. EGREDITUR DE BETHEL LUZA; hoc eſt in Luzam. Ita Septuaginta. Duo hæc loca ſunt vicina.

V. 6. EGREDIUNTURQUE CONFINIA IN MARE: intellige mediterraneum. Inde linea ducitur ad ſeptemtrionem, & per Iordanis ripam protrahitur ad Iericho, quæ urbs Beniaminea eſt. Finis huius tractus eſt pars extrema Iordanis.

V. 8. Hoc mare videtur eſse mediterraneum: agitur enim de linea a Iordane ad hoc mare. MARE SALSISSIMUM eſt mortuum mare.

V. 10. Tribuitur ut grave peccatum huic tribui Ephraim, quæ contenta tributo, hunc Chananæum non extinxit. Tempore vero Salomonis, Pharao rex AEgypti, Gazer, & Chananæos hos occupavit, deditque filiæ ſuæ quæ nupſerat Salomoni.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. SOLITUDO QUAE ASCENDIT DE IERICHO. Hebr. *Deſertum aſcendens a Iericho*. Sept. εἰς τὴν ἔρημον. Hic ſenſus eſt, intra terminos huius ſortis contineri quæ hic recenſentur. Et iuxta hoc, *τὸ ſolitudo*, in recto intelligitur ut pars rerum enumeratarum. *τὸ aſcendit*, Maſius refert ad ſortem.

V. 2. EGREDITUR, ſcilicet ſors, aut funiculus menſorius.

V. 5. Hinc uſque ad finem capitis deſcribitur ſors tribus Ephraim.

V. 8. Quamvis, ut dixi in Commentario, mare ſalſiſſimum ſoleat accipi pro mari mortuo, tamen hic eſt mediterraneum. Immo Serrarius putat, *ſalſiſſimum* irrepſiſſe.

V. 10. Gazer ſero venit in poteſtatem Iſraelitarum, ut vides III. Reg. IX.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Media tribui Manaſſe & filiabus Salphaad ſortes aſſignantur, & augetur ſors filiorum Ioſeph.

1. CEcidit autem ſors tribui Manaſſe: (ipſe enim eſt primogenitus Ioſeph) Machir primogenito Manaſſe patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habuitque poſſeſſionem Galaad & Baſan: 2. (*a*) & reliquis filiorum Manaſſe iuxta familias ſuas, filiis Abiezer, & filiis Helec, & filiis Eſriel, & filiis Sechem, & filiis Hepher, & filiis Semida. Iſti ſunt filii Manaſſe filii Ioſeph, mares, per cognationes ſuas. 3. (*b*) Salphaad vero filio Hepher filii Galaad filii Machir filii Manaſſe, non erant filii, ſed ſolæ filiæ: quarum iſta ſunt nomina, Maala & Noa & Hegla & Melcha & Therſa. 4. Veneruntque in conſpectu Eleazari ſacerdotis, & Ioſue filii Nun, & principum, dicentes: Dominus præcepit per manum Moyſi, ut daretur nobis poſſeſſio in medio fratrum noſtrorum. * Deditque eis iuxta imperium Domini poſſeſſionem in medio fratrum patris earum. 5. Et ceciderunt funiculi Manaſſe, decem, abſque terra Galaad & Baſan trans Iordanem. 6. Filiæ enim Manaſſe poſſederunt hereditatem in medio filiorum eius. Terra autem Galaad cecidit in ſortem filiorum Manaſſe qui reliqui erant. 7. Fuitque terminus Manaſſe ab Aſer, Machmethath quæ reſpicit Sichem: & egreditur ad dextram iuxta habitatores Fontis Taphuæ. 8. Etenim in ſorte Manaſſe ceciderat terra Taphuæ, quæ eſt iuxta terminos Manaſſe filiorum Ephraim. 9. Deſcenditque terminus Vallis arundineti in meridiem torrentis civitatum Ephraim, quæ in medio ſunt urbium Manaſſe, terminus Manaſſe ab aquilone torrentis, & exitus eius pergit ad mare: 10. ita ut poſſeſſio Ephraim ſit ab auſtro, & ab aquilone Manaſſe, & utramque claudat mare, & coniungantur ſibi in tribu Aſer ab aquilone, & in tribu Iſſachar ab oriente. 11. Fuitque hereditas Manaſſe in Iſſachar & in Aſer, Bethſan & viculi eius, & Ieblaam cum viculis ſuis, & habitatores Dor cum oppidis ſuis, habitatores quoque Endor cum viculis ſuis: ſimiliterque habitatores Thenac cum viculis ſuis, & habitatores Mageddo cum viculis ſuis, & tertia pars urbis Nopheth. 12. Nec potuerunt filii Manaſſe has civitates ſubvertere,* ſed cœpit Chananæus habitare in terra ſua. 13. Poſtquam autem convaluerunt filii Iſrael, ſubiecerunt Chananæos, & fecerunt ſibi tributarios, nec interfecerunt eos. 14. Locutique ſunt filii Ioſeph ad Ioſue, & dixerunt: * Quare dediſti mihi poſſeſſionem ſortis & funiculi unius, cum ſim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi Dominus? 15. Ad quos Ioſue ait: Si populus multus es, aſcende in ſilvam, & ſuccide tibi ſpatia in terra Pherezæi & Raphaim: quia anguſta eſt tibi poſſeſſio montis Ephraim. 16. Cui reſponderunt filii Ioſeph: Non poterimus ad montana conſcendere, cum ferreis curribus utantur Chananæi, qui habitant in terra campeſtri, in qua ſitæ ſunt Bethſan cum viculis ſuis, & Iezrael mediam poſſidens vallem. 17. Dixitque Ioſue * ad domum Ioſeph, Ephraim & Manaſ-

ſe:

ſe: Populus multus es, & magnæ fortitudinis, non habebis ſortem unam, 18. ſed transibis ad montem, & ſuccides tibi, atque purgabis ad habitandum ſpatia: & poteris ultra procedere cum ſubverteris Chananæum, quem dicis ferreos habere currus, & eſse fortiſſimum.

(a) Numer. xxvi. 30. (b) Numer. xxvii. 1. & xxxvi. 11.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 4. *Deditque eis iuxta*. Non eſt omittendum pronomen *eis*.

V. 12. *Et cœpit Chananæus habitare in terra ſua*. Pro *ſua* reciproco, quod eſt in vetuſtis libris, in aliis eſt *ipſa*, in aliis *iſta*.

V. 14. *Quare dediſti mihi poſſeſſionem*. Non eſt addendum *terram in*; quaſi dicat, *mihi terram in poſſeſſionem*.

V. 17. *Ad domum Ioſeph, Ephraim & Manaſſe*. Non præponas *&* ante *Ephraim*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. MACHIR PRIMOGENITO; pro, poſteris Machir primogeniti. GALAAD, id eſt Galaaditarum.

V. 2. RELIQUIS; quaſi dicat, dimidiæ tribui.

V. 4. FRATRUM, id eſt cognatorum:

V. 5. FUNICULI, id eſt portiones.

V. 9. VALLIS, pro ad vallem, ſeu torrentem. LXX. *ad vallem*. Chald. *ad fluvium*.

V. 10. MARE, ſcilicet magnum.

V. 11. BETHSAN. Hæc poſtea dicta Scythopolis, quod a Scythis habitata: eſt prope mare Galilææ. ET TERTIA PARS URBIS NOPHETH. Hebr. & Chald. *tres regiones* ſeu *climata*: ſcilicet ipſius Dor. LXX. *& tertia pars Nopheth, & vici eius*.

V. 13. TRIBUTARIOS, ſcilicet contra præceptum Domini; ſed iam Dux illorum non erat Ioſue præ ſenectute: Auguſt. quæſt. xx. in Ioſue.

V. 16. NON POTERIMUS ASCENDERE MONTANA, &c. Chald. & LXX. *Non ſufficit nobis mons, planitiem autem impediunt currus ferrei*, &c. FERREIS, id eſt falcatis, ſcilicet falcibus inſtructis.

E S T I I.

Verſ. 5. ET CECIDERUNT FUNICULI MANASSE DECEM. Per funiculum in Scriptura ſacra frequenter portio hereditaria intelligitur, ea phraſi qua menſurans pro menſurato ponitur. Nam funiculis terra in portiones diſtribui ſolet. Unde illud in Pſalm. xv. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*; id eſt, præclara hereditas obtigit mihi: quod explicatur verbis ſequentibus: *Etenim hereditas mea præclara eſt mihi*. Senſus ergo huius loci eſt, tribum Manaſſe habuiſſe decem portiones, ſive ſortem in decem partes ſubdiviſam, idque propter decem familias illius tribus. In tot enim familias tribus illa erat diviſa. Ceterum tribus Ioſeph propterea in duas integras tribus fuit diviſa, quia Ioſeph ex teſtamento Iacob patris, ſucceſſerat in primogenituram. Primogenito autem duplex hereditatis portio debebatur præ aliis fratribus. Iudas quidem primogenituram habebat, quantum ad principatum, ſed Ioſeph quantum ad portionem hereditatis. De quo ſic I. Paralipom. v. *Data ſunt primogenita eius filiis Ioſeph filii Iſrael: & non eſt Ruben reputatus in primogenitum, quia commaculaverat thorum patris ſui. Porro Iudas inter fratres fortiſſimus, & de ſtirpe eius Principes germinati ſunt*. Sic ibi.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. IPSE ENIM EST PRIMOGENITUS. Coniunctio *enim* non eſt in Hebr. neque in Gotth. & ſine illa procedit

dit parentheſis. MACHIR; id eſt, poſteris Machir cecidit ſors.

V. 2. ET RELIQUIS FILIORUM MANASSE; ſupple, fuit ſors: alioqui oratio defectiva eſt. Porro per reliquos filiorum intelligit dimidiam tribum Manaſſe, cui citra Iordanem ſors eſt data: nam pars altera a Moyſe ultra Iordanem accepit agros.

V. 4. DARETUR NOBIS POSSESSIO IN MEDIO FRATRUM, id eſt cognatorum: nam non habuere fratres Salphaad filiæ, de quibus agit. Aut *in medio fratrum patris noſtri*, ut mox dicitur.

V. 5. FUNICULI MANASSE DECEM: decem terræ tractus, ſive portiones: & vocantur *funiculi*, quoniam iis metiebantur, & dividebant poſſeſſiones.

V. 6. QUI RELIQUI ERANT. Hi erant poſteriori Machir primogeniti, quos nunc reliquos vocat comparatione aliorum de quibus ſermo erat.

V. 7. AB ASER, id eſt a finibus tribus Aſer. Attingit Manaſſe tribum Aſer ab aquilone, & tribum Iſſachar ab ortu, verſ. 10.

V. 8. IUXTA TERMINOS MANASSE FILIORUM EPHRAIM; ſupple, & filiorum; quaſi dicat: Taphua eſt quidem tribus Manaſſe ad eam partem qua attingit urbes Ephraim. Loquitur de iis urbibus quæ Ephraimitis datæ ſunt in complexu, & territorio tribus Manaſſe, cap. XVI. verſ. 8.

V. 9. TERMINUS VALLIS ARUNDINETI IN MERIDIEM TORRENTIS. Pro *valle*, & *torrente*, utrobique, *nahal*, quæ vox proprie *locum declivem* ſignificat, in quem aqua defluit, retinetque nomen, etiamſi nulla ſit aqua, quod & torrentis voci accidit: nam *torrens* vocatur alveus torrentis, etiamſi aqua non ſit. Hebr. *Deſcendit terminus in torrentem arundineti meridie* (pro a meridie, ſeu parte meridionali) *torrentis civitates iſtæ Ephraim*; ſupple, ſitæ ſunt. TERMINUS MANASSE AB AQUILONE. Hoc eſt, comparatione torrentis eius Ephraim, civitates illæ ſunt ad meridiem, Manaſſe ad aquilonem: quod proximus verſus magis explicat. AD MARE. Mediterraneum intellige, ad quod Manaſſes tribus pertingebat.

V. 11. TERTIA PARS URBIS NOPHETH. *Urbis* non eſt Hebr. ſed hoc, *Tria Nopheth*. Sept. *tertiam partem Nopheth, & vicos eius*. Itaque *Nopheth* volunt eſſe nomen proprium. Alii appellativum, & ſignificare regionem ſeu provinciam, vertuntque *tres regiones*; quaſi dicat: Sex civitates numeratæ conſtituunt tres regiones. Verum *Nopheth* eſt in ſingulari, & articulus ה *He* eſt nota genitivi; ſicque propius vero videtur vertendum locum ſic: *Tres* (ſupple partes) *Nopheth*, ſeu *regiones*, ſcilicet fuere hereditas eius tribus Manaſſis. Non potuerunt filii Manaſſes omnes ſuæ ſortis civitates

V. 12. SUBVERTERE. Hebr. *expellere civitates*, pro habitatores civitatum.

V. 13. FECERUNT SIBI TRIBUTARIOS, ſcilicet Chananæos. Hoc fuit contra præceptum Domini, ne cum eis fœdus facerent. Quare dediſtis mihi ſortem

V. 14. FUNICULI UNIUS? Hoc dicunt filii Ioſeph per contemptum, & per modum querelæ: nam verſ. 5. Manaſſe filiis dati ſunt decem funiculi.

V. 15. SUCCIDE TIBI SPATIA. Alii vertunt, *Elige tibi*, aut *para*; ſed ברא *bara* ſignificat inter alia *ſuccidere*: Ezech. XXIII. verſ. 47. quaſi dicat: Extirpatis dumis cole montem, urbes excita.

V. 16. NON POTERIMUS AD MONTANA CONSCENDERE. Hebr. *Non invenietur nobis mons*. Sed Hebræi, *Non invenietur*, explicant per, Non ſufficit, locus anguſtus eſt. CUM FERREIS CURRIBUS UTANTUR. Ratio cur non poſſint aſcendere, ut Noſter dicit, quia currus haberent. Hebr. *Et currum ferreum*, pro currus ferreos; quaſi dicat, iuxta Hebraica verba: Præterquam quod locus eſt anguſtus, non eſt facile illum expugnare propter currus ferreos, ſcilicet falcatos, quos habent hoſtes.

V. 18. POTERIS ULTRA PROCEDERE, CUM SUBVERTERIS CHANANAEUM. Ad utrumque reſpondet. Si currus ferreos habent, tu multus, & fortis es; ſi mons non ſufficit, eo capto, & extirpato, ad plana deſcendes. Hebr. *Quia expelles Chananæum* (ſupple, *quem dicis*, ut ſupplevit Hieronymus) *quod currus ferrei, & quod fortis ipſe*. Sed tu fortior eris.

MAL-

Digitized by Google

MALVENDAE.

Verſ. 1. IPSE ENIM EST PRIMOGENITUS IOSEPH. Hebr. *Quia ipſe primogenitus Ioſeph*. Notant, rationem reddi cur duæ partes ipſi Manaſſi ſint attributæ, ultra, & citra Iordanem, nimirum quia primogenitus eſſet. Vide legem Deuter. XXI. verſ. 17. Nam quod legitur Geneſ. XLVIII. verſ. 18. & ſequentibus, prælatum Ephraimum Manaſſi a Iahakobo, hoc non ad translationem primogenituræ referendum eſſe, ſed ad propheticam benedictionem ſobolis. MACHIR PRIMOGENITO MANASSE. Vide ſupra cap. XIII. verſ. 31. PATRI GALAAD. Quidam reddunt, *Principi Ghilhaditidos*, quod in ea regione imperaverit. Ita capiunt I. Paralipomen. II. verſ. 21. Sed revera Machirem genuiſſe filium Galaad, aperte infra verſ. 3. & Num. XXVI. verſ. 29. dicitur. VIR PUGNATOR. Hebr. *vir belli*, ſeu *prælii*, id eſt vir bellicoſus. Quidam reddunt, *Strenuus miles*. GALAAD ET BASAN: ſynecdochice, id eſt partem harum regionum: nam altera pars Galaaditidis, Gaditis; & altera pars Baſanitidis, Reubenitis ceſſerat, ut oſtenditur ſupra cap. XIII. præſertim verſ. 30. & 31. Qualiter autem poſſeſſio Galaaditidis, & Baſanitidis Machiri, eiuſque filiis obvenerit, ſcribitur ſupra cap. XIII. verſ. 31. & Numer. XXXII. verſ. 39. 40.

V. 2. ET RELIQUIS FILIORUM MANASSE, qui non acceperunt poſſeſſionem trans Iordanem. ABIEZER. Notant, hunc Numeror. XXVI. 30. appellari *Ighezer*. HEPHER. Hebr. *Chepher*. Hunc putant I. Paralip. VII. verſ. 15. vocatum *Chuphim*: quod non credo.

V. 3. SED SOLAE FILIAE. De his vide hiſtoriam Numeror. XXVII. verſ. 1. & ſequentibus.

V. 4. DOMINUS PRAECEPIT, &c. Vide de hac hiſtoria Numeror. XXXVI. DEDITQUE EIS, nimirum Ioſue, vel ſenatus. Alii Hebraica phraſi paſſive exponunt: *Et data fuit eis iuxta præſcriptum* IHUH *hereditas*, &c.

V. 5. ET CECIDERUNT FUNICULI MANASSE, DECEM. Nonnulli Hebræorum intelligunt, in hac forte dimidiæ tribus Menaſch fuiſſe decem hipparchias, ſeu præfecturas. Alii rectius decem portiones hereditatis accipiunt, nimirum quinque, pro quinque illis filiis Manaſſe qui numerantur verſ. 2. Abighezer, Chelek, Aſriel, Sechem, Semidagli; alias vero quinque ipſi Chepher in quinque eius filiabus: nam is nullos habuit filios mares, ſed filias.

V. 7. FUITQUE TERMINUS MANASSE AB ASER, MACHMETHATH. Diſtincta plane ſunt loca, *Aſer*, & *Machmethath*; & *Machmethath* eſt accuſandi caſus, de *Aſer in*, *ad Machmethath*; ut accentus Hebraicus manifeſte diſtinguit. *Aſer*. De hac proculdubio Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Aſer civitas tribus Manaſſe: nunc demonſtratur villa deſcendentibus a Neapoli* (Sichem) *Scythopolim, in decimoquinto lapide iuxta viam publicam*. *Machmethath*. De hac egimus cap. XVI. verſ. 6. FONTIS TAPHUAE. Hunc fontem prope Thaphuam fuiſſe, unde & nomen ſortitus eſt, facile credimus, & veteres geographicæ tabulæ demonſtrant.

V. 8. ETENIM IN SORTE MANASSE CECIDERAT, &c. Hunc verſum paulo obſcuriorem in Noſtro, nos ad verbum ex Hebræo reddidimus (*Menaſeh fuit terra Thaphuach: & Thaphuach ad terminum Menaſeh filiis Ephraim*.) Quidam ſic vertunt: *Ipſius Menaſeh fuit terra Thaphuach: at Thaphuach, quæ erat ad terminum Menaſeh, vel quæ erat contermina Menaſeh, eſt filiorum Ephraim*. Alii: *Terra Thaphuæ erat Manaſſis: verum ipſa Thaphuach apud fines Manaſſis, erat filiorum Ephraim*. Aliqui: *Fuit autem ipſius Manaſſe terra Thaphuach: eſt enim Thaphuach iuxta terminum Manaſſe, filiis Ephraim*. Nonnulli: *Manaſchis quidem eſt regio Thaphuachi: ſed Thaphuach in termino Manaſchis, eſt filiorum Ephraimi*. Exponuntque: Ager quidem Thaphuanus, cum ſuis videlicet municipiis, & pagis, fuit in ditione Manaſſenſium; at ipſa urbs Thaphua, quamvis ſita eſſet intra fines Manaſſenſium, tamen erat in hereditate Ephraimitarum, ab ipſis poſſeſſa. Vide cap. XVI. verſ. 9. Sed de *Thaphuach* vide cap. XVI. verſ. 8.

V. 9. VALLIS ARUNDINETI. De hac diximus ſupra cap. XVI. verſ. 8. AD MARE, mediterraneum, & Syriacum proculdubio, ut etiam omnes intelligunt,

Digitized by Google

quod terræ promiſſæ ad occidentem erat. Sic verſu ſequenti capitur mare.

V. II. FUITQUE HEREDITAS MANASSE IN ISSACHAR, ET IN ASER. Addunt, utriuſque, Ephraimi, & Manaſſis ſortem contingere Iſſacharianos, & Aſeritas. BETHSAN. De hac celebri urbe, quæ *Scythopolis*, id eſt *Scytharum civitas*, poſtea fuit appellata, accurate diſſeruimus in Antichr. Lib. III. cap. XII. pauca nunc addimus. Vide de ea I. Machabæor. V. verſ. 52. & II. Machabæor. XII. verſ. 29. Ioannes Moſchus in Prato Spirituali cap. L. *Scythopolis, ſecunda eſt Palæſtinæ metropolis*. Vvillermus Tyrius Lib. VIII. Belli Sacri cap. IV. *Tertia Palæſtina, cuius metropolis eſt Bethſan, ſive Scythopolis: cuius hodie dignitatem obtinet Nazaræa Eccleſia*. Iacobus Vitriacus in Hiſtoria Ieroſolymitana, cap. LVI. *Fuit autem quondam ſedes archiepiſcopalis in urbe Scythopoli, quæ dicitur Bethſan, inter montes Gelboe & Iordanis fluvium in campeſtribus ſita. Eſt autem fertilis valde, rivis & fontibus irrigua, quæ quondam tertiæ Palæſtinæ: & univerſæ Galilææ metropolis extitit: ſed propter dignitatem loci, & reverentiam Dominicæ conceptionis translatus eſt archiepiſcopatus ad civitatem Nazarenam.* Brocardus: *A Suna duæ ſunt leucæ ad civitatem Bethſan, eundo contra orientem, & parum declinando ad auſtrum, inter montem Gelboe & Iordanem: diſtat autem media leuca a Iordane. Hæc Bethſan ſecundum Ioſephum alio nomine vocatur Scythopolis. Iuxta hanc civitatem eſt mons Gelboe, extendens ſe verſus occidentem ad duas leucas. A Bethſan ſunt duæ leucæ verſus occidentem ad Iezrael, &c.* Similia habet alter Brocardus de Monte Sion. Hebraice dicitur בית-שאן *Bet-ſchean*, & contracte ביתשן *Bethſchan*, ut I. Samuel. XXXI. verſ. 10. & 12. Significat *domum*, ſeu *locum quietis*, *tranquillitatis*, *amœnitatis*, *recreationis*. Hiſpanice *caſa de huelga*. IEBLAAM. Hebr. יבלעם *Iblegham*. Hanc haud longe abfuiſſe a Mageddo, aperte ſignificatur II. Regum, IX. verſ. 27. Exponitur, *Deglutiens*, *abſorbens*, *devorans*, *præcipitans populum*, forte quod copioſiſſimi populi capax eſſet; vel quod cælo & aere noxio incolas conſumeret. Hiſpanice, *Traga-pueblo*. Quidam notant, hauc expuncto Iod initiali, appellari *Bilgham*, I. Paralipom. VI. verſ. 70. & *Gath-rimon*, infra cap. XXI. verſ. 25. HABITATORES DOR. De iſta diximus ſupra cap. XI. verſ. 2. ENDOR. Hebr. *Ghen-Dor*, id eſt *fons Dor*. Suſpicio eſſe poſſet, fontem Dor prope ipſam Dor fuiſſe, a qua nacta fuerit appellationem; ſed longe ſe res habet, cum Dor fuerit maritima, Endor autem ad montem Thabor extiterit. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Endor, quæ eſt in Iezrael, ubi filii Iſrael ſe ad prælium præparantes, caſtra poſuerunt: & eſt hodie grandis vicus Endor iuxta montem Thabor ad meridiem in quarto milliario*. Et poſtea: *Endor in tribu Manaſſe, ubi pythoniſſa a Saule rege Iudææ conſulitur. Diximus & ſupra de Endor, quæ eſt iuxta oppidum Naim, in cuius portis Salvator filium viduæ ſuſcitavit. Eſt autem circa Scythopolim*. Brocardus: *A monte Thabor contra Eurum eſt una leuca ad villam Endor, quæ ſitum habet iuxta montem Hermonim: qui tamen non eſt mons proprius & diſtinctus: ſed iugum quoddam humile, ſeu tumor quidam a monte Hermon contra montem Thabor procedens*. Alter Burchardus: *In latere montis Hermon modici, ſuper torrentem Ciſon eſt villa Endor, ubi ad inſtantiam Saulis pythoniſſa ſuſcitavit Samuelem*. Equidem Endor prope torrentem Ciſon extitiſſe, ſatis Pſalm. LXXXII. verſ. 10. & 11. innuitur. THENAC. Hebr. *Thaghanach*. De hac egimus cap. XII. verſ. 21. MAGEDDO. De hac vide cap. XII. verſ. 21. ET TERTIA PARS URBIS NOPHETH. Videtur Noſter intellexiſſe *Nepheth* proprium nomen alicuius urbis in tribu Manaſſe, quod etiam exiſtimavit Forſterus. Unde Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis aiunt: *Nepheth, in tribu Manaſſe*: diverſamque ſtatuunt a *Nephoth*, ſeu *Nepheth-Dor*, de qua egimus ſupra cap. XI. verſ. 2. Alii vero pro appellativo accipiunt, ac varie interpretantur: 1. *tres regiones*; 2. *tres termini*; 3. *tra climata*; 4. *tres provinciæ*; 5. *tres illi tractus*; 6. *trinitas*, *triplicitas regionis*, ſeu *tractus*; 7. *tertia pars regionis*; 8. *ternarius rami*, vel *ſurculi*, id eſt tractus. Quidam *tres* iſtas *regiones* exponunt, tres illas urbes proxime memoratas, nempe Ghen-Dor, Thaghanach, & Meghiddo, cum ſuis quamque municipiis & pagis, quas volunt fuiſſe in tractu illo Dorio.

Recte

Recte obſervatum Explanatoribus, omnes iſtas urbes hic recenſitas, Beth-ſean, ſive Scythopolim, Ieblegham, Ghen-Dor, Thaghanach, Meghiddo, & infra verſ. 16. Iizreghel, cum oppidis & pagis ſuis, poſitas fuiſſe in magno illo campo qui Iudith I. verſ. 8. dictus eſt *Eſdrelon*, corrupto vocabulo, ut quidam exiſtimant, ab urbe Iezrael, quæ in eo ſita erat, & poſtea vocatus eſt *Campus Sabæ*, a caſtro Sabæ ibi exædificato, de quo campo, ſeu valle multa notavimus in Geneſ. XII. verſ. 10. & Geneſ. XIV. verſ. 17. Sed quædam nunc addimus. Iacobus Vitriacus Hiſtoriæ Ieroſolymitanæ cap. LIII. *Iordanis ex ſtagno Genezareth totus egrediens per centum fere milliaria regionem adiacentem irrigans, per vallem illuſtrem, quæ vallis ſalinarum dicitur, in mare mortuum ſe infundit. Fluvius autem Iordanis multas ex ſe præbet commoditates univerſæ regioni: reddit enim hortos irriguos, & terram fructiferam, &c.* Brocardus: *Et adverte, quod campus iſte Mageddo, Eſdrelon, & planities Galilææ, ſunt fere unus & idem campus: ſed nomina illa omnia hodie in oblivionem abierunt, vocaturque campus Sabæ, a quodam caſtello quod Saba nuncupatur, diſtans a civitate Aphec quantum eſt iactus arcus. Cingitur campus ille ab oriente mari Galilææ, & Iordane; ab auſtro monte Ephraim & Samaria; ab occidente partim monte, Ephraim, & partim monte Carmelo; ab aquilone montibus Phœniciæ, & Libano: videturque iuxta longitudinem habere decem leucas, & iuxta latitudinem ſex.* Alter Burchardus: *Campus magnus, qui Mageddo dicebatur. In Iudith autem campus magnus Eſdrelon. Eſt autem in rei veritate campus ille planities Galilææ, quæ cingitur ab oriente mari Galilææ, & Iordane; ab auſtro monte Ephraim, & Samaria; ab occidente partim monte Ephraim, partim monte Carmelo; ab aquilone montibus Phœniciæ, qui Phœniciam dividunt & Galilæam:* & *habet in latitudine quinque milliaria plene Theutonica, vel amplius: fertilis ſupra modum vini, & frumenti, & omnium bonorum, quæ gignere ſolet humus: & aere ſaluberrimo.* Vide in Iudith I. 8.

V. 12. HAS CIVITATES SUBVERTERE. Hebr. *Ad hereditare, exterminare, expellere hereditate, urbes iſtas*: metonymiam eſſe notant, *Expellere* habitatores *urbium iſtarum*. Quidam: *Expellere a civitatibus illis* Chananæum. Equidem ſtatim in principio non potuerunt eos exterminare: nam ita Deus prædixerat fore, Exodi XXIII. verſ. 29. & 30. & cauſa ibi redditur.

V. 13. POSTQUAM AUTEM CONVALUERUNT. Hebr. *Et fuit cum obtinuerunt*. Vel *valide apprehenderunt, roborati ſunt, obfirmati ſunt, invaluerunt, prævaluerunt*. Vide de hoc verſu Iudic. I. verſ. 28. NEC INTERFECERUNT EOS. Hebr. *Et expellendo, non expulit eum*; id eſt, ſed omnino non expulit eum, ſcilicet poſteritas Ioſeph.

V. 14. FILII IOSEPH, utraque tribus Manaſſe & Ephraim, ut doctiores Explanatores intelligunt, & apparet ex verſ. 16. & 17. QUARE DEDISTI MIHI POSSESSIONEM SORTIS ET FUNICULI UNIUS? Hebr. in *hereditatem ſortem unam, & funiculum unum*? id eſt partem unam. Exponunt: Cum ſimus duæ tribus, cur tantum unam portionem dediſti, cui poſſidendæ una tribus ſatis eſſet? Nam bona pars hereditatis illis aſſignatæ a Chananæis detinebatur. ET BENEDIXERIT MIHI DOMINUS? Hebr. *Uſquequo, uſque ſic benedixit me IHUH?* Varie elucidant: 1. *Ita quod huc uſque benedixit mihi Iehova?* 2. *In tantum hucuſque benedixit mihi Iehovæ?* 3. *Prout adhuc benedixit mihi Iehova?* 4. *Adeo ut hucuſque benedixerit mihi Iehova?* 5. *Uſquequo ſic benedixerit mihi Dominus?* 6. *Donec hucuſque benedixerit mihi Dominus?* 7. *Cum hucuſque benedixerit mihi Dominus?* 8. *Et Dominus me hactenus tam ubertim locupletaverit?* id eſt, ad tantum numerum me excreſcere voluerit. In poſtremo enim cenſu, qui actus eſt paulo ante tranſgreſſum Iordanis, inventa ſunt Manaſſitarum quinquaginta duo millia ſeptingenti; & Ephraimitarum triginta duo millia quingenti, Numer. XXVI. verſ. 34. & 37. quæ ſumma eſt octoginta quinque millium & ducentorum hominum.

V. 15. ET SUCCIDE TIBI SPATIA. Notant verbum ברא *bara* in Kal, ſignificare *creare*; in Pihel vero ברא *bere*, ſignificationem habere contrariam: nam non Deo, ſed creaturæ tribuitur, neque ſignificare creare res, ſed *res creatas expurgare, removere, tollere e medio*, ne am-

pluis ſint conſpicuæ, & extent, *expurgare auferendo aliquid*, quaſi dicas, *decreare*. Varie reddunt. I. *Et expurgabis tibi ibi*; id eſt, repurgabis tibi locum ad habitandum ibi. II. *Et exſcindes*, *præcides*, *ſuccides tibi ibi*: proprie, *& decreabis tibi*; id eſt, dirues, & ſuccides denſam ſilvam; quaſi dicas: Locum habitabilem efficies tibi ibi ſucciſa ſilva. Alii exponunt: Præcide tibi ibi arbores, & ligna, ſeu materiam cæduam ad ædificandum urbes in terra Pherezæi. III. *Et parabis*, *præparabis*, *tibi ibi*; ſubaudi, locum ad manendum. Comparant enim verbum *Bere*, cum Latino eiuſdem, aut ſimilis ſoni, *Paro*. IV. a ברה *barah*: *Et eliges tibi ibi*. V. *Et dilatabis tibi ibi*. Ego nolui verbum a genuina ſignificatione dimovere: *Et creabis tibi ibi*; id eſt, aptabis, expurgabis tibi: locum expurgatum, conſpicuum, firmum conſtitues tibi ibi. Eodem modo capitur id verbum infra verſ. 18. IN TERRA PHEREZAEI. De hac gente diximus abunde Geneſ. XIII. verſ. 7. Quidam hic pro appellativo capiunt, ac *villicos*, *paganos*, *agreſtes* interpretantur, id eſt homines barbaros, procul ab urbibus in pagis, viculiſque, ac locis non muro cinctis, ſed irruptioni obnoxiis degentes; vel graſſatores, irruptores, ex rapto vivere ſolitos. RAPHAIM. De his egimus in Geneſ. XIV. verſ. 5. gigantes fere omnes interpretantur. Aliqui tamen, Geneſ. XIV. verſ. 5. & Geneſ. XV. verſ. 20. & hic, proprium nomen gentis eſſe volunt, quæ ultra citraque Iordanem habitaverit. QUIA ANGUSTA EST TIBI POSSESSIO MONTIS EPHRAIM. Hebræa varie exprimunt. I. *Quia properantior eſt tibi mons Ephraim*: vel *quia urgentior*, *feſtinantior eſt tibi*, *&c.* id eſt, ſi te urget, & coanguſtat, ſeu coarctat mons Ephraim; id eſt, ſi ibi anguſte habitabis. II. Quidam Hebræorum: *Quia remotior*, *longinquior tibi mons Ephraim*. III. *Si anguſtior*, *arctior*, *difficilior*, *tibi mons Ephraim*. Iam ſenſum huius verſus tripliciter concipiunt. I. Si tibi anguſtior, aut longinquior videtur mons Ephraim quam ubi commode habitare poſſis, confer te in ſilvoſa illa loca quæ adhuc Pherezæi, & Rephaimi obtinent, & ibi eradicata materia, pulſiſque barbaris, aperi ibi locum & habitationi, & culturæ. II. *Aſcende in iſtam ſilvam*, *& præcide tibi illic*: *& in terram Pherizæi*, *& Raphæorum*: *ſiquidem anguſtus eſt tibi mons Ephraim*, in quo ſilva iſta eſt; quaſi dicat: Aſcende in montem iſtum ſilvoſum Ephraim, & ſucciſa, vel extirpata ſilva, effice tibi illic locum: & quia mons anguſtus tibi erit, perge inſuper in terram Pherizæorum, & Raphæorum, & iis barbaris pulſis, eorum loca occupa. III. *Aſcende in loca ſilvoſa Pherezæorum*, *& Raphaimorum*, *& para tibi ibi habitationem*: nam mons ipſe Ephraim difficilis aditu, & captu videtur propter currus falcatos Chananæorum, qui in ſubiecta valle habitant, ut verſ. ſequenti dicitur.

V. 16. NON POTERIMUS AD MONTANA CONSCENDERE. Hebr. *Non invenietur nobis mons*. Varie reddunt. I. *Non invenietur pro nobis mons*; id eſt, non continget nobis mons, non potiemur montanis illis. II. *Non obtinebitur a nobis mons*. III. *Non poſſumus montem iſtum aſſequi*. Exponunt: Quia hoſtes facilius loca montoſa defendent; vel quia a nobis adiri non poterit propter currus falcatos Chananæorum, qui in ſubiecta valle morantur. IV. *Non ſufficiet*, *non ſatis erit*, *nobis mons iſte*; ſubaudi, ad habitandum. Vide de hac phraſi Numeror. XI. verſ. 22. CUM FERREIS CURRIBUS UTANTUR CHANANAEI. Hebr. *Et currus* (ſingulare, curratura) *ferri in omni Chenaghanæo*. Particulam *&*, quidam pro cauſali *quia* accipiunt, quaſi dicat: Nam, vel quando quidem currus ferrei ſunt ipſis Chananæis. Alii: *Præterea currus ferrati ſunt apud omnes Cenabanæos*. Ferratos exponunt metonymice, id eſt falcibus inſtructos. Fuerunt apud veteres præſertim orientales, *falcati currus* ſingulares, *& bigæ*, & *quadrigæ falcatæ*, quas *drepanophoros*, vel *currodrepanos* appellarunt, de quorum forma, & uſu multa ex Xenophonte, Diodoro Siculo, Q. Curtio, Plutarcho, Auctore de rebus bellicis, qui Notitiæ imperii ſubiicitur, AEliano, Arriano, Suida, Vegetio, Iulio Frontino, annotarunt Briſſonius Lib. III. de regno Perſarum, & Stevvechius Commentario ad Lib. III. Vegetii, cap. XXIV. Sed locum Livii ab illis prætermiſſum opportune ſubiicio, ex Lib. XXXVII. cap. XL. & XLI. *Falcatæ autem quadrigæ armatæ in hunc maxime modum erant*: *cuſpides circa temonem ab*

iugo

Digitized by Google

iugo decem cubita extantes, velut cornua habebant.: quibus quidquid obvium daretur transfigerent. Et in extremis iugis binæ circa eminebant falces, altera æquata iugo, altera inferior in terram devexa: illa, ut quidquid ab latere obiiceretur, abſcinderet; hæc, ut prolapſos, ſubeunteſque contingeret. Item ab axibus rotarum utrimque binæ eodem modo diverſæ deligabantur falces. Lucretius Lib. III.

Falciferos memorant currus abſcindere membra.

IEZRAEL. Euſebius, & S.Hier. in Locis Hebraicis: *Iezrael in tribu Manaſſe: hodieque prægrandis vicus oſtenditur in campo maximo inter Scythopolim & Legionem. Fuit autem terminus Iſſachar.* Beniamin Tudelenſis pag. 50. Itinerarii ſui: *Zarezin veni, quæ Iezreghel, ubi magna quædam ædes eſt.* Brocardus: *A Bethſan, id eſt Scythopoli, ſunt duæ leucæ verſus occidentem ad Iezrael, quæ olim erat una ex civitatibus regalibus in Iſrael: ſed hodie vix habet viginti domos, vocaturque* Zarazin, *in pede montis Gelboe ad occidentem ſita: ante cuius introitum eſt ager* Nabot. *Habet Iezrael pulchrum proſpectum per totam Galilæam uſque ad Carmelum, & montes Phœnices, montemque Thabor, & Galaad.* Alter Burchardus: *De Bethſan quatuor leucis in pede montis Gelboe fons eſt Iezrael. De iſto fonte ad dimidiam leucam eſt Iezrael civitas quondam regalis, nunc vix habet viginti domos, in pede occidentali montis Gelboe ſita: ubi adhuc vidi agrum* Nabot *Iezraelitæ.* Significat יזרעאל *Itzreghel, ſtationem Dei:* quod terra fertilis eſſet, & ſemina mirifice progerminarent.

V. 18. SED TRANSIBIS AD MONTEM, ET SUCCIDES TIBI, ATQUE PURGABIS AD HABITANDUM SPATIA. Hebr. *Quia mons erit tibi, quia ſilva ipſe, & creabis eum.* Quidam: *Mons enim erit tibi, quia ſilva eſt: ſuccides ergo eam.* Alii: *Sed mons ille tuus erit, in quo eſt ſilva: hunc para.* Nonnulli: *Quia mons tuus eſt, ſi ſilva eſt, at præcidito eam.* Aliqui: *Sed montem habiturus es: etſi enim ſilva eſt, exſcindes ipſam.* Montem hunc quidam Gelboe intelligunt, alii univerſe montana quævis loca proxima, qualia plurima fuiſſe in ſorte Ioſephitarum, certum eſt. Sed melior Explanatorum pars montem Ephraim rectius accipit. ET POTERIS ULTRA PROCEDERE. Hebr. *Et erit tibi egreſſiones, exitus, eius*; id eſt, quilibet ex egreſſibus ſeu exitibus eius. Noſter intellexit, inde ad quamcumque partem poteris exire ac procedere, ad dilatanda ſpatia habitationis tuæ. Aliqui, *exitus* interpretantur loca alia quæ monti adiacent, nempe valles, & campos, in quos e montibus deſcenditur, & exitur: unde reddunt: *Habebis inſuper exitus illius.* Quidam exponunt: *Et erunt tibi exitus eius*; id eſt, aditus omnes ad invadendum hoſtem, & te te recipiendum commoditates tibi ceſſuræ ſunt; hoſti minime futuræ, cum tu loco ſuperior ſis futurus. Nonnulli, *exitus*, id eſt fructus, proventus ex cultura montis, vel termini eius. CUM SUBVERTERIS CHANANAEUM, QUEM DICIS FERREOS HABERE CURRUS, ET ESSE FORTISSIMUM. Hebraica ad verbum expreſſimus (*Quia exterminio funditus delebis Chenaghanæum, quia currus ferrei ei: quia obtentus ipſe.* Alii diverſimode. I. *Exterminabis enim Chananæum, quamvis currus ferreos habeat, quamvis fortis ſit.* II. *Cum pelles, quandoque pelles, quippe pelles Chananæum, quia currus ferreus ipſi, quia robuſtus ipſe*; id eſt, cauſa autem quamobrem pelles, quia currus ferreus ipſis, cuius nullus erit uſus adverſum te, in monte nimirum aſpero, & impedito habitantem: idque ex eo fiet, quia robuſtus ipſe, nempe vel mons, vel currus; mons quidem difficilis & fortis, currus vero gravis, ſi in adverſum montem eſt enitendum. III. *Nam expelles Cenabanæum, quamvis currus ferrati ſint ei, quamvis robuſtus ſit.* Exponunt: Secure pronuntiat fore ut expellant Chananæos ex promiſſione Dei, ſupra cap. XIII. verſ. 6. Hæc autem omnia cum ſuis tribulibus Ioſue quodammodo agit pertinacius, ne aut illi plus æquo ſibi velut cognationis iure aſſumerent, aut alii male de fide, & æquitate ipſius ſuſpicari poſſent. Nam omnino gentiles eius ad promiſſionum divinarum contemplationem oportuit revocari, ut in excidium Chananæorum porro incumberent freti virtute Dei.

MENOCHII.

Verſ. 1. MACHIR PRIMOGENITO MANASSE, immo & unigenito; ſed ita loqui ſolet Scriptura, ut

etiam eos vocet primogenitos qui fratres nullos habent. Sic Chriſtus in Evangelio Matth. 1. dicitur Virginis primogenitus. VIR PUGNATOR, ſcilicet in Ægypto, ubi vixit. HABUITQUE POSSESSIONEM; non ipſe, ſed qui ab ipſo ducebant originem filii, & nepotes. GALAAD ET BASAN, trans Iordanem.

V. 3. SALPHAAD VERO, &c. Hiſtoriam filiarum Salphaad habes Numer. cap. XXVII. Vide ibi dicta.

V. 5. FUNICULI DECEM. Familiæ erant ſex, ſcilicet Abiezer, Helec, Eſriel, Sechem, Semida, & Hepher. Porro ex Hepher natus eſt Salphaad, qui maſculos non genuit, ſed filias quinque ſuſcepit. Hiſce quinque filiabus portio ſua, ſive, ut loquitur Scriptura, funiculus ſuus aſſignatus eſt; totidem vero maſculorum funiculi erant: omnes ergo decem. Nota tamen, quinque portiones, quæ filiabus Salphaad obtigerunt, ſimul ſumptas, uni æquales fuiſſe portioni maſculorum: ſic enim ſervatur in partitione iuſtitia.

V. 6. FILIAE MANASSE, filiæ Salphaad, de quibus dictum eſt.

V. 11. FUITQUE HEREDITAS MANASSE IN ISSACHAR, ET IN ASER, &c. Hoc eſt, habuit tribus Manaſſe in duabus dictis conterminis tribubus urbes, & vicos, qui hic numerantur. Cur ita factum ſit, non dicitur. Vide notata capite ſuperiore num. 9. ET TERTIA PARS URBIS NOPHETH. LXX. τὸ τρίτον τῆς μαφετά, vel potius ναφεζά. Maſius putat, non de tertia urbis parte, ſed tractus, vel regionis ſermonem eſſe. Serarius accipit verba ut ſonant, præſertim cum LXX. conſentiant, nec ratio urgens aliud ſuadeat.

V. 12. NEC POTUERUNT FILII MANASSE, &c. Cur delere non potuerint, ratio habetur Iudic. II. 20. *Quia*, inquit, *irritum fecit gens iſta pactum meum .... ego non delebo gentes, &c.*

V. 13. FECERUNT SIBI TRIBUTARIOS. In quo peccarunt contra Domini præceptum, Deuter. XX. 16. *De his autem civitatibus*, inquit, *quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittas vivere.*

V. 14. FILII IOSEPH, tribus Ephraim, & Manaſſe. QUARE DEDISTI MIHI POSSESSIONEM SORTIS, ET FUNICULI UNIUS; Queſtæ ſunt tribus illæ, quod ambæ ſimul non plus iam in datis, amplis alioqui portionibus, vacuæ, quietæ, & a Chananæis liberatæ terræ obtineret, quam ſi una tribus eſſent, vel quam uni tribui ſatis eſſet.

V. 15. ASCENDE IN SILVAM, &c. Efficite, ne habitetis anguſte, ſilvas ſuccidite, Pherezæos, & Raphaim ſedibus ſuis expellite, & vos illas occupate. Per vos ſtat quominus laxe habitetis.

V. 16. FERREIS CURRIBUS, falcatis, vel aliter ad uſum belli inſtructis.

V. 18. TRANSIBIS IN MONTEM, montanam ſcilicet regionem.

TIRINI.

Verſ. 5. CECIDERUNT FUNICULI MANASSE, DECEM: nempe quinque filiis Manaſſe maribus (verſ. 2.) obvenerunt ſortes quinque; aliæ quinque obtigerunt quinque filiabus Salphaad, qui filius fuerat ſexti filii Manaſſe. Sed hæ quinque poſteriores partes filiarum ſimul iunctæ non plus agri complectebantur, quam una priorum quintarum quæ maribus obtigerant: in quinque tamen partes hic diſpeſcitur quæ non erat niſi una, & ſexta dici potuiſſet, quia iam tum ab initio in quinque partes ſecundum numerum quinque filiarum diverſis viris nuptarum dirempta fuit. Ita Maſius, & Serarius. De his filiabus Salphaad vide Num. XXVII. & XXXVI.

V. 14. FILII IOSEPH. Hoc eſt, duæ tribus Ephraim & Manaſſe, cum iam reſiderent in circulo ſuarum poſſeſſionum, experirenturque ſe nimis anguſte habitare, queruntur apud Ioſue, Eleazarum, & reliquos principes: QUARE DEDISTI MIHI POSSESSIONEM SORTIS ET FUNICULI UNIUS, CUM SIM TANTAE MULTITUDINIS, & in duas tribus diſſectus? Non queruntur hæ duæ tribus quod pro una tantum ſumptæ eſſent, vel quod in generali ſortitione non obtigiſſet illis niſi portio unius tribus; ſed quod ambæ ſimul in ciſiordana regione non plus agri iam de facto poſſiderent quam uni tribui ſatis eſſet. Nam licet ſat amplæ portiones, & quæ duabus tribubus ſufficerent, ipſis forte obtigiſſent; quia tamen hæ maiori ex parte adhuc a Chananæis occupabantur, uſui ipſis non erant: hinc pro dilatandis ſpatiis ſuis inſtant apud Ioſue, & alios principes populi.

V. 15.

Digitized by Google

V. 15. AD QUOS IOSUE AIT: ASCENDE IN SILVAM, ET SUCCIDE TIBI SPATIA; & verſ. 18. TRANSIBIS AD MONTEM, ſeu ad regionem montanam, quæ adhuc eſt in poteſtate Pherezæorum, & Raphaim gigantum; quaſi dicat: Habebis ſat ſpatii ſi ſilvas illas exſcindere volueris, & vicinas ſolitudines cultas reddideris.

V. 16. RESPONDERUNT FILII IOSEPH: NON POTERIMUS, neque auderemus ſaltus illos, & ſilvas in montanis exſcindere, cum pertineant ad Pherezæos, & Raphaim, in vicinis campeſtribus degentes, quos diffidimus nos ſuperare poſſe, cum & urbes incolant munitiſſimas, *Bethſan*, *& Iezrael*, & *ferreis*, ſeu falcatis *curribus utantur*, quibus nos caremus. Sed perſtitit Ioſue in ſententia, hortatus eos in Deo confidere, cuius ope non modo montes illos, & ſilvas, ſed & urbes omnes campeſtres Pherezæorum quantumvis munitiſſimas expugnent, faciantque ſuas, atque ita de anguſtioribus ſpatiis queri deſinant.

GORDONI.

Verſ. 1. & 2. MACHIR PRIMOGENITO; id eſt, poſteris Machir, primogeniti ſors evenit. Item RELIQUIS FILIORUM MANASSE; ſupple, ſors cecidit. Hi reliqui, ſunt pars illa media quæ cis Iordanem ſortem habet.

V. 5. FUNICULI MANASSE DECEM, ſeu portiones. Vide Pſal. CXXXVIII.

V. 6. QUI RELIQUI ERANT. Hi ſunt poſteri Machir primogeniti. Et hos vocat hic reliquos; id eſt, extra hos de quibus iam loquebatur.

V. 7. AB ASER, id eſt a finibus tribus Aſer.

V. 9. DESCENDITQUE TERMINUS VALLIS, *ad vallem*, ut habent Septuaginta.

V. 11. BETHSAN, poſtea dicta Scythopolis, non longe a mari Galilææ. ET TERTIA PARS URBIS NOPHETH. *Nopheth* non eſt appellativum, ut aliqui putant. Septuag. *Tertia pars Nopheth*, ſupple regionis, *& vici eius*: ſcilicet ſors eſt Manaſſe.

V. 13. FECERUNT SIBI TRIBUTARIOS. Hoc contra præceptum Domini fecerunt, & poſt ducatum Ioſue.

V. 14. & 17. Petitionem eludit, & popularem tumultum prudenter comprimit Ioſue: & in conſenſione latet vis aliqua ironiæ.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. PRIMOGENITUS, immo unigenitus; ſed ſic ſolet loqui Scriptura, ut vides Matth. 1. ubi Chriſtus, qui unicus erat, vocatur primogenitus. GALAAD ET BASAN, trans Iordanem.

V. 3. SALPHAAD. Vide hiſtoriam Num. XXVII.

V. 6. His quinque filiabus ſua dicta eſt portio, & todidem portiones, quæ obtigerunt filiabus ſimul ſumptæ, erant æquales uni portioni maſculorum.

V. 14. FILII IOSEPH. Hæ tribus Ephraim, & Manaſſe queſtæ ſunt de exigua ſorte ſua.

CA-

CAPUT XVIII.

Mittuntur qui deſcribant terram reliquarum ſeptem tribuum, & aſſignatur ſors Beniamin.

1. Congregatique ſunt omnes filii Iſrael in Silo, ibique fixerunt tabernaculum teſtimonii, & fuit eis terra ſubiecta. 2. Remanſerant autem filiorum Iſrael ſeptem tribus, quæ necdum acceperant poſſeſſiones ſuas. 3. Ad quos Ioſue ait: Uſquequo marcetis ignavia, & non intratis ad poſſidendam terram, quam Dominus Deus patrum veſtrorum dedit vobis? 4. Eligite de ſingulis tribubus ternos viros, ut mittam eos, & pergant atque circumeant terram, & deſcribant eam iuxta numerum uniuſcuiuſque multitudinis: referantque ad me quod deſcripſerint. 5. Dividite vobis terram in ſeptem partes: Iudas ſit in terminis ſuis ab auſtrali plaga, & domus Ioſeph ab aquilone. 6. Mediam inter hos terram in ſeptem partes deſcribite: & huc venietis ad me, ut coram Domino Deo veſtro mittam vobis hic ſortem: 7. quia non eſt inter vos pars Levitarum, ſed ſacerdotium Domini eſt eorum hereditas. Gad autem & Ruben, & dimidia tribus Manaſſe, iam acceperant poſſeſſiones ſuas trans Iordanem ad orientalem plagam: quas dedit eis Moyſes famulus Domini. 8. Cumque ſurrexiſſent viri, ut pergerent ad deſcribendam terram, præcepit eis Ioſue, dicens: Circuite terram, & deſcribite eam, ac revertimini ad me: ut hic coram Domino, in Silo, mittam vobis ſortem. 9. Itaque perrexerunt: & luſtrantes eam, in ſeptem partes diviſerunt, ſcribentes in volumine. Reverſique ſunt ad Ioſue in caſtra Silo. 10. Qui miſit ſortes coram Domino in Silo, diviſitque terram filiis Iſrael in ſeptem partes. 11. Et aſcendit ſors prima filiorum Beniamin per familias ſuas, ut poſſiderent terram inter filios Iuda & filios Ioſeph. 12. Fuitque terminus eorum contra aquilonem a Iordane: pergens iuxta latus Iericho ſeptemtrionalis plagæ, & inde contra occidentem ad montana conſcendens, & perveniens ad ſolitudinem Bethaven, 13. atque pertranſiens iuxta (*a*) Luzam ad meridiem, ipſa eſt Bethel: deſcenditque in Ataroth-addar, in montem qui eſt ad meridiem Beth-horon inferioris: 14. Et inclinatur circuiens contra mare ad meridiem montis qui reſpicit Beth-horon contra africum: ſuntque exitus eius Cariath-baal, quæ vocatur & Cariathiarim, urbem filiorum Iuda. Hæc eſt plaga * contra mare, ad occidentem. 15. A meridie autem ex parte Cariathiarim egreditur terminus contra mare, & pervenit uſque ad fontem aquarum Nephtoa. 16. Deſcenditque in partem montis, qui reſpicit vallem filiorum Ennom: & eſt contra ſeptemtrionalem plagam in extrema parte vallis Raphaim. Deſcenditque in Geennom (id eſt vallem Ennom) iuxta latus Iebuſæi ad auſtrum: & pervenit ad fontem Rogel, 17. tranſiens ad aquilonem, & egrediens ad Enſemes, id eſt fontem ſolis: 18. & pertranſit uſque ad tumulos, qui ſunt e regione aſcenſus Adommim: deſcenditque ad Abenboen, id eſt lapidem Boen filii Ruben: & pertranſit ex latere aquilonis ad campeſtria:

deſcen-

deſcenditque in planitiem, 19. & prætergreditur contra aquilonem Beth-hagla: ſuntque exitus eius contra linguam maris ſalſiſſimi ab aquilone in fine Iordanis ad auſtralem plagam: 20. qui eſt terminus illius ab oriente. Hæc eſt poſſeſſio filiorum Beniamin per terminos ſuos in circuitu, & familias ſuas. 21. Fueruntque civitates eius, Iericho & Beth-hagla & Vallis Caſis, 22. Beth-Araba & Samaraim & Bethel 23. & Avim & Aphara & Ophera, 24. Villa Emona & Ophni & Gabee: civitates duodecim, & villæ earum. 25. Gabaon & Rama & Beroth, 26. & Meſphe & Caphara, & Amoſa 27. & Recem, Iarephel & Tharela, 28. & Sela, Eleph, & Iebus, quæ eſt Ieruſalem, Gabaath & Cariath: * civitates quatuordecim, & villæ earum. Hæc eſt poſſeſſio filiorum Beniamin iuxta familias ſuas.

(*a*) Gen. XXVIII. 19.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Remanſerant autem*. Non mutes præteritum pluſquam perfectum in perfectum *remanſerunt*.

V. 4. *Iuxta numerum uniuſcuiuſque multitudinis*. Alii pro *numerum* ſcribunt *terminum*, minus recte.

V. 14. *Contra mare, ad occidentem*. Non eſt omittendum *ad*, ſeu *& occidentem*, quod Interpres explicationis gratia addidit.

V. 28. *Civitates quatuordecim, & villæ earum*. Sequitur in quibuſdam libris *fueruntque omnes civitates viginti ſex*, ſed iugulandum.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. SILO, eſt ad ſeptemtrionem Bethel. Quidam putant eſſe Galgala. TESTIMONII, ſcilicet ubi Dei teſtimonia, id eſt præcepta.

V. 7. SACERDOTIUM DOMINI; id eſt, quæ dantur pro miniſterio, quo ſerviunt Domino.

V. 13. MERIDIEM, ſcilicet reſpectu Luzæ, quæ ad ſeptemtrionem reſpectu Beniaminicæ ſortis. EST BETHEL. Supra cap. XVI. diſtinguuntur.

V. 14. MARE. ſcilicet ſalſum, ſeu mortuum. AFRICUM, id eſt partem meridionalem.

V. 15. EX PARTE, id eſt *extremitate*, ut eſt Hebr. Chald. vertit, *a finibus*,

V. 19. LINGUAM. Chald. *littus*. LXX. *collem*, ſcilicet promontorium. Vide ſupra cap. XV. AB AQUILONE; quaſi dicat, linguam reſpicientem aquilonem. AUSTRALEM PLAGAM, ſcilicet Iordanis: ad eam enim partem influit in mare.

V. 20. QUI, ſcilicet Iordanis.

V. 22. BETHEL. Altera, quæ & Luza, de qua ſupra, eſt in tribu Ephraim. Vide Iudic. I.

V. 28. IERUSALEM. Dicitur pars quædam eius eſſe in tribu Iuda. CARIATH. De hac dicitur fuiſse Zacharias Propheta, occiſus inter templum & altare; de quo Matth. XXIII.

ESTII.

Verſ. 21. FUERUNTQUE CIVITATES EIUS, IERICHO &c. Obiicitur. At Iericho iam erat ſubverſa, vetitumque ſub anathemate ne quis eam reædificaret, quamvis id tandem factum ſit, ſed cum eiuſdem anathematis effectu, ut patet III. Reg. XVI. Sed reſpond. Quamvis Iericho ſubverſa fuerit, locus tamen in quo ruinæ erant civitatis, ceſſit tribui Beniamiticæ. Nec erat illicitum eum locum poſſidere, aut etiam colere, & habitare, dummodo in civitatem muraram, & clauſam non erigeretur. Quin etiam poſtquam tempore Regum in civita-

Digitized by Google

tatem muratam fuit reædificata, ſumpta ſemel de illa temeritate pœna, ut dicto Lib. III. cap. xvi. narratur, non fuit poſtea deſtructa; quin & ipſe Chriſtus in ea fuit a Zachæo exceptus.

V. 28. ET IEBUS, QUAE EST IN IERUSALEM. Hæc civitas fuit quidem in ſorte tribus Beniamin, ſed numquam tamen a Beniamitis tota potuit in poteſtatem redigi, quia manſerunt in arce Iebuſæi uſque ad tempora Davidis, qui arce expugnata eos inde expulit, atque ex eo tempore ſedes regni effecta, magis a filiis Iuda quam Beniamin inhabitari cœpit. An dicendum, Ieruſalem quidem fuiſſe ſortis Beniamiticæ, ſed poſtea, quia tribus Iuda maior erat, partem unam ſortis Beniamiticæ conterminam ſorti Iuda, eidem tribui Iuda ceſſiſſe: ſicque impletum ſit quod præceperat Moyſes, ut pluribus maior, paucioribus minor portio terræ ex ſorte daretur? Vide ſupra Annot. cap. xv. verſ. 9. itemque Iud. 1. & xix.

MARIANAE.

Verſ. 1. CONGREGATIQUE SUNT OMNES FILII ISRAEL IN SILO. Silo, Bethel, Galgala in tribu Beniamin erant: Galgala ad ortum, Bethel ad ſeptemtrionem, Silo ad auſtrum. Dixit Ioſue ad tribus ſeptem:

V. 3. USQUEQUO MARCETIS? Heb. *remiſſi eſtis*, vel *vacatis*, non captatis portiones terræ?

V. 4. ELIGITE DE SINGULIS TRIBUBUS. Hebr. *Date vobis* (pro, ex vobis) *tres viros ad tribum* (pro. ex tribu; ſupple, quaque.) IUXTA NUMERUM UNIUSCUIUSQUE MULTITUDINIS. Hebr. *iuxta hereditatem eorum*; hoc eſt, quantum terræ ſingulæ urbes habeant, id conſiderent.

V. 5. DIVIDITE VOBIS TERRAM IN SEPTEM PARTES. Hoc verſ. proximo dicitur; nunc autem Hebr. ſic habent: *Dividite vos eam* (pro, in ea) *in ſeptem partes*; quaſi dicat: Ne ſimul omnes eatis, ſed per partes luſtrate. Vulgatæ verba ſic etiam accipi poſſunt. Deſcribite

Verſ. 6. MEDIAM INTER HOS. Non eſt hoc in Hebræo, ſed additum. Hoc tantum eſt: *Et vos deſcribite terram in ſeptem partes*. Itaque non ſolum quæ erat media inter tribus Iuda & Ioſeph dividi mandat, ſed totam provinciam, præter ea quæ Iuda, & Ioſeph data erant. Dicerem *reliquam præter hos*: nam multo maior terræ pars media inter eas tribus non erat. Aut expungerem illud, *Mediam inter hos*, quod neque Sept. habent, neque Chald. Levitis nihil date.

V. 7. SACERDOTIUM, id eſt proventus ſacerdotii, EST EORUM HEREDITAS, ſcilicet Levitarum.

V. 12. TERMINUS EORUM CONTRA AQUILONEM, id eſt terminus aquilonaris Beniamin. LATUS IERICHO. Vides eam urbem eſſe in tribu Beniamin. BETHAVEN. Hæc urbs, & Luza erant in tribu Ephraim, ſed ad partem auſtralem earum tranſibat linea Beniamin, quæ illi ſeptemtrionalis erat. Et vides Luzam eſſe Bethel. Sed altera Bethel erat in tribu Beniamin, a qua Luza diſtinguitur, cap. xvi. verſ. 2.

V. 14. CIRCUIENS CONTRA MARE. Hebr. *ad angulum maris*, id eſt occidentis: nam tribus hæc ad mare noſtrum non pertingebat, ſcilicet Beniamin: ſic Chald. per *mare* intelligit occidens. Itaque *contra mare*, eſt verſus occaſum. AD MERIDIEM MONTIS, id eſt ad partem meridionalem montis eius. CONTRA AFRICUM, id eſt ad meridiem. Itaque linea tranſit ad meridiem eius montis, & mons ipſe eſt ad meridiem urbis Bethhoron.

V. 15. A MERIDIE AUTEM. Poſt deſcriptam lineam ſeptemtrionalem, & occiduam, deſcribit meridianam lineam. CARIATHIARIM. Hebraica vox ſignificat *civitatem ſilvarum*, forte quod ſilvas circum haberet. CONTRA MARE, id eſt ad mare, ſcilicet occidens; quaſi dicat: Linea hæc auſtralis flectitur ad occaſum.

V. 16. CONTRA SEPTEMTRIONALEM PLAGAM, id eſt ad ſeptemtrionem, ſcilicet vallis Raphaim, qui non ſunt in tribu Beniamin, ſed Iuda; linea tamen Beniamin auſtralis attingit partem eorum ſeptemtrionalem, ſcilicet Raphaim. Egreditur linea

V. 17. FONTEM SOLIS: interpretatio *Enſemes* eſt, addita ab Interprete, quod in aliis vocibus facere potuiſſet. Exit ad linguam

V. 19. MARIS SALSISSIMI AB A-

QUI-

Digitized by Google

QUILONE. Pars ea quam linguam vocat, ſive littus ſit, ſive promontorium, pars eſt maxime aquilonaris eius maris. Porro Iordanis ea pars extrema eſt eius maxime auſtralis: id ſignificat, cum ait: *In fine Iordanis ad auſtralem plagam*.

V. 20. QUI EST TERMINUS ILLIUS AB ORIENTE. *Illius*, ſcilicet tribus linea, orientalis ripa Iordanis eſt, qua aſcendit a mari mortuo ad Iericho. Fuerunt urbes tribus Beniamin,

V. 22. BETHEL. Altera in tribu Ephraim, quæ & Luza verſ. 12. & Iudic. 1. verſ. 22.

V. 28. IEBUS, QUAE EST IERUSALEM. Vides binomiam eam urbem fuiſſe: dicta eſt *Iebus*, quod in Iebuſæis eſſet gentis caput. CARIATH. Hæc vox *urbem* ſignificat, aut *oppidum*. Sed erat etiam nomen proprium eius urbis.

MALVENDAE.

Verſ. 1. IN SILO. Huius urbis ſitus ita deſcribitur Iudic. cap. XXI. verſ. 19. *Quæ ſita eſt ad ſeptemtrionem urbis Bethel, & ad orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam, & ad meridiem oppidi Lebona*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Silo in tribu Ephraim, in quo loco arca teſtamenti manſit, & tabernaculum Domini uſque ad tempora Samuelis. Eſt autem in decimo milliario Neapoleos* (id eſt Sichem) *in regione Acrabithena*. Beniamin pag. 48. *Inde* a Suna *leucis tribus Sanctus Samuel de Silo eſt, oppidum videlicet olim Siloh dictum, a Ieruſalem duabus paraſangis diſtans, ubi magnum templum eſt, in eoque ſepulcrum Samuelis prophetæ a Chriſtianis ex Ramatha, quæ eadem Ramah eſt, huc translatum poſt exactos inde Iſmaelitas, oppidumque captum, ubi antea Samuelis corpus in Iudæorum ſynagoga ſepultum cuſtodiebatur. Eſt autem nunc, ut dixi, in Silo eximium, & magnum templum, cui nomen eſt ab ipſis impoſitum, Sancto Samueli de Silo: & ad hunc uſque diem manet*. Brocardus: *Duabus leucis ab Ieruſalem in angulo, qui eſt inter occidentem & ſeptemtrionem, eſt mons Silo, qui nunc ad Sanctum Samuelem dicitur, ubi fuit arca Domini longo tempore, & tabernaculum fœderis, quod fecerat Moſes in deſerto*. Silo fuiſſe in tribu Ephraim, nedum Euſebius, & S. Hieronymus, ſed etiam Pſalmus LXXVII. verſ. 60. & 67. affirmant. שלוה *Schilo* recte reddetur latine *tranquilla*, *felix*, *fortunata*, *auguſta*. Ioſephus Lib. V. Antiquit. cap. 11. *Ieſus autem caſtris e Galgalis in montana translatis, ſacrum tabernaculum in urbe Silunte fixit: quod is locus propter pulchritudinem viſus ſit idoneus, in quo tantiſper maneret, dum maior commoditas ædificandi templi ſe præberet*.

V. 3. USQUEQUO MARCETIS IGNAVIA. Participium מתרפים *mitraphim*, ex formula Hithpahel, ſignificatum intendit. Quidam notant ſignificare, iſtam remiſſionem & ignaviam, atque animi mollitiem & ſegnitiem ipſos ſibi peperiſſe, atque ignaviæ cauſam non aliunde eſſe niſi ab interna ſua culpa. Ego exiſtimo, magnam, & pudendam eorum deſidiam denotari. Varie reddunt. I. *Uſquequo vos ceſſatis?* vel *ſegnes*, *remiſſi*, *negligentes eſtis?* II. *Quouſque vos ignavi eſtis?* III. *Quouſque eſtis ceſſatores?* IV. *Uſquequo vos vacatis?* id eſt ſegnes eſtis, & animo remiſſo? V. *Quouſque vos remiſſe agetis?* VI. *Quouſque vos torpentes*, vel *deorſum deverſi?* VII. *Quouſque remiſſos exhibetis vos?*

V. 4. ET PERGANT ATQUE CIRCUMEANT TERRAM. Hebr. *Et ſurrexerunt, & ambulare ſe fecerunt in terra*. Verbum הלך *halac*, poſitum hic in Hithpahel, ſignificationem auget; id eſt, *attente*, *diligenter*, *ſtrenue*, *gnaviter*, *perambulabunt*, *peragrabunt terram*, cuncta ſolerter perluſtrantes. Sic infra verſ. 8. IUXTA NUMERUM UNIUSCUIUSQUE MULTITUDINIS. Hebr. *ad os hereditatis eorum*. Quidam, *Secundum poſſeſſionem ſuam*; id eſt, ſecundum poſſeſſionem ſuarum tribuum, quæ ipſis eventura eſt, ſive tot partes, quot ſunt reſiduæ tribus, quæ accepturæ ſunt poſſeſſiones. Se ipſum declarat verſu ſequenti, cum ait:

V. 5. DIVIDITE VOBIS TERRAM IN SEPTEM PARTES. ויתחלקו *veiitchalleku*, volunt habere ſignificationem intranſitivam, ut eiuſmodi verba ex Hithpahel; unde reddunt: *Et ſeſe partientur in ea*, vel *eam*, *ſeptem partibus*. Vel, *Et facient ſe diſtribuere eam in ſeptem partes*. Aut, *Et dividentur in ea in ſeptem partes*. Ego coniugationem Hithpahel hic eam vim habere exiſtimo, ut quam accuratiſſime, & regulatiſſime terram in ſeptem par-

partes curet diſtribuere.

V. 6. MITTAM VOBIS HIC SORTEM. Quidam annotant, alloqui hic Ioſue ipſam concionem, nondum enim delecti metatores fuere. Alii exponunt: Pro vobis hic ſortem mittam, id eſt pro tribubus veſtris, ut infra verſ. 8. & 10. Mittendos alloquitur, ac ſi tribus allocutus eſſet, quæ mittebant eos. Syllepſis.

V. 7. SED SACERDOTIUM DOMINI EST EORUM HEREDITAS. Aliqui ſynecdochen eſſe volunt, *Sacerdotium Domini*, pro miniſterium Domini. Sed hic Levitæ univerſe vocantur ſacerdotes ipſi, & iis inferiores levitæ, a tribu ſcilicet. Alii metonymiam eſſe aiunt, ſacerdotium pro hoſtiis, decimis, aliiſque rebus, quæ Deo oblatæ, Levitarum erant proventus.

V. 9. IN SEPTEM PARTES DIVISERUNT, SCRIBENTES IN VOLUMINE. Hebr. *Et deſcripſerunt eam per urbes, in ſeptem partes, ſuper librum*. Quidam exiſtimant hos metatores in tabella geographica deſcripſiſſe ac deformaſſe terram in ſeptem tribus dividendam, deſignatis urbibus, oppidis, pagis, & locorum diſtantiis. Alii, in libello ſcripſiſſe numerum urbium, & oppidorum, agrorumque, locorum inſuper naturam, ſitum, bonitatem. Quod vero ait, *Per urbes*, oppida, pagos, vicos, cortes, etiam intelligere non eſt dubium. Unde vertunt aliqui, *Oppidatim*. Ioſephus Lib. V. Antiquit. cap. III. *Mox eos viros miſit ad metiendam terram adiunctis ad eos quibuſdam geometriæ peritis, qui propter hanc ſcientiam errare ac falli non poterant: iiſque mandata dedit, ut æſtimationem agrorum iuxta bonitatem terræ facerent. Nam Chananææ natura talis eſt, ut videre liceat campos magnos, & frugum, ac fructuum feraciſſimos, qui collati ad aliam terram admodum uberes videri poſſent: quod ſi iidem ad Ierichuntinum, aut Ieroſolymitanum agrum conferantur, iam non magni pretii videbuntur: cum tamen ii agri parvi ſint, & bona ex parte montani; ſed quantum ad fertilitatem attinet, nullis aliis ſecundi. Hanc ob rem voluit iuxta æſtimationem potius, quam iuxta menſuram ſortitionem fieri, quod nonnumquam unum iugerum pro mille aliis valeat. Decem viri autem huic negotio deſtinati, perluſtrata regione, & æſtimatione terræ peracta, ſeptimo menſe reverſi ſunt ad eum in Siluntem.*

V. 11. ET ASCENDIT SORS. Futurum יעל *iaghal* poteſt eſſe ex formula Kal: *Et aſcendit*, id eſt educta, extracta eſt; ſeu obvenit, obtigit. Vel ex Hiphil: *Et aſcendere fecit*; vel *fecit ut aſcenderet ſors*. Quidam: *Eduxit enim ſortem*, puta Iehoſuagh: ex una quidem urna Beniaminis nomen, ad quem ſors una erat perventura; ex altera vero urna prodiit pars, vel portio ad Beniaminem hac ſortitione obventura.

V. 12. CONTRA AQUILONEM A IORDANAE. Hebr. *Ipſi angulo*, vel *ad angulum ſeptemtrionis a Iardene*. Quidam exponunt, In angulo verſus aquilonem a Iardene; id eſt, in divertigio Iardenis, quo magis adhuc ad orientem divertit. Notant deſcribi primum limites aquilonares ab oriente verſus occidentem, qui quadamtenus iidem prope ſunt cum auſtralibus limitibus Ioſephitarum; inchoari autem fines illos ab Iordanis ea fere parte qua tranſierant Iſraelitæ. BETHAVEN. De hac diximus ſupra cap. VII. verſ. 2. & Geneſ. XXVIII. verſ. 19.

V. 13. IUXTA LUZAM AD MERIDIEM, IPSA EST BETH-EL. De Luza, & Beth-el diſſeruimus ſupra cap. XVI. verſ. 2. ATAROTHADDAR. De hac egimus cap. XVI. verſ. 5. BETH-ORON. Vide cap. X. verſ. 10. & cap. XVI. verſ. 3.

V. 14. CARIATH-BAAL. QUAE VOCATUR ET CARIATH-IARIM. De hac urbe diſſeruimus ſupra cap. XV. verſ. 60.

V. 15. EGREDITUR TERMINUS CONTRA MARE. Hebr. *Et exibit terminus in mare* ſive *ad mare*. Quidam *in Iammah* nolunt He ſignificare motum ad locum, ſed potius motum a loco, redduntque: *Et exibit terminus a mari*, ſeu *ab occidente*: haud inepto argumento: nam erat Cariath-iagharim in ultima Beniaminitarum ora verſus occidentem, ſed ita ut intra Iudæorum fines exiſteret: inde vero non ultra limes verſus mare ſeu occidentem pergebat, ſed retro verſus orientem aut aquilonem redibat ad fontem Naphthoæ, ut liquet ex cap. XV. verſ. 9. Verum non dimoverim He finale a ſolemni ſuo uſu, atque iſtud, *Et exibit terminus in*, vel *ad mare*, facile expoſuerim, verſus mare ſeu occidentem, huc illuc, nempe uſque ad Cariath iarim protendi ter-

mi-

Digitized by Google

minum ; quaſi dicat : Ab auſtro hic eſt terminus occidentalis . AD FONTEM AQUARUM NEPHTHOA. De hoc fonte diximus cap. xv. verſ. 9.

V. 16. PARTEM MONTIS QUI RESPICIT VALLEM FILIORUM HENNOM . Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Ghebennon, quod interpretatur vallis Ennon, & ab hac quidam putant appellatam Gehennam : cecidit autem in ſortem tribus Beniamin iuxta murum Ieruſalem contra orientem* . De hoc monte, & valle Hinom, plura diſſeruimus ſupra cap. xv. verſ. 8. FONTEM ROGEL. De eo egimus cap. xv. verſ. 7.

V. 17. ENSEMES, ID EST FONTEM SOLIS: de quo diximus cap xv. verſ. 7.

V. 18. USQUE AD TUMULOS. Heb. גלילות *Geliloth* . Non eſt dubium *Geliloth* hic eſſe eumdem locum qui ſupra cap. xv. verſ. 7. appellatus eſt *Ghilghal*. Sed hic, & ibi quidam diverſum ſtatuunt a *Galgala* .ubi caſtra ſtativa Iſraelitarum fuere ; eo argumento, quod *Geliloth* eſſe vicina *clivo Adummim* , ut hic, & ibi dicitur : Adummim autem certum eſt ſuiſſe inter Ieruſalem & Ierichuntem; cum tamen Galgala ſtativa ultra Ierichuntem verſus Iordanem eſſent, atqui hanc Geliloth eam eſſe volunt cuius extat mentio Iudicum III. verſ. 19. Verum nihil opus eſt diverſas ſtatuere, cum nihil neceſſe ſit intelligere Galgalam iſtam, vel Geliloth, adeo vicinam fuiſſe aſcenſui Adummim, ut non propior Iordani quam Iericho fuerit. Quidam hic exemplo Noſtri appellative reddunt : *Et exibit ad limites, terminos, tractus, confinia*, vel *tumulos*, qui e regione *clivi Adummim* . Sic infra cap. XXII. verſ. 10. videtur capi vox *Geliloth*: ſed ſatius eſt e cap. xv. verſ. 7. nomen proprium *Galgala* intelligere . Nec deſunt , qui hanc *Geliloth*, ſeu *Galgalam* eamdem omnino faciant cum illa inferius cap. XXII. verſ. 10. ASCENSUS ADOMMIM. Hunc locum deſcripſimus cap. xv. verſ. 7. ABENBOEN . De hoc etiam loco egimus cap. xv. verſ. 6. AD CAMPESTRIA. Hebr. *ad* ערבה *gharabah* , plerique pro appellativo accipiunt , *campeſtrem* , *ſolitudinem*, *planitiem* , *deſertum* : de qua voce egimus Numer. XXII. verſ. 1. Et certe conſtat, hic deſertum ſeu eremum fuiſſe Iudææ ſortis , in qua extiterit *Beth-hagharabah* , uti vidimus cap. xv. verſ. 6. Alii proprium nomen urbis eſſe volunt *Gharaba* , quæ etiam mox hoc ipſo verſu vocatur *Harabah*, & verſ. 22. *Beth-barabah*: eadem omnino quæ *Beth-barabah* , ſupra cap. xv. verſ. 6. IN PLANITIEM. Hebr. *in* ערבה *gharabah* , eadem omnino vox quæ paulo ſuperius hoc eodem verſu, quam omnes fere ut propriam urbis quæ dicta ſit *Bethbarabah* , accipiunt . Varie hunc verſum transferunt. I. *Et pertranſit ad latus , quod eſt e regione planitiei ad aquilonem , & deſcendit in Araba* . II. *Et porrigebatur ad latus oppoſitum deſerto ad aquilonem , deſcendebatque ad Arabam* . III. *Et pertranſivit ad humerum contra planitiem ad aquilonem , & deſcendit in Harabah*. IV. *Et pertranſiens ad latus , quod eſt e regione Araba ſeptemtrionalis , deſcendit in campeſtria* . V. *Inde tranſiens ad latus quod eſt e regione Harabæ aquilonem verſus , deſcendit Harabam*.

V. 19. ET PRAETERGREDITUR CONTRA AQUILONEM BETH-HAGLA . De Beth-hagla diximus cap. xv. verſ. 6. Hanc quidam putant eſſe Bethuliam , Iudith IV. verſ. 5. Hunc verſum ex verbo reddidimus (*Et tranſibit terminus ad ſcapulam Beth-ghoglah in aquilonem : & erunt exitus eius termini ad linguam maris ſalis in aquilonem ad extremitatem Iarden in auſtrum . Iſte terminus auſtri* .) Clarius alii in hunc modum : *Poſtea transit terminus ad latus Beth-choglæ verſus aquilonem , ſuntque exitus ipſius termini in ſinum maris ſalſi aquilonarem in extremitatem Iardenis meridianam . Hic eſt terminus meridianus* . Nimirum extremitas ſeu finis meridionalis Iordanis, ubi commiſcetur lacui Aſphaltiti, eſt lingua ſeu ſinus Aſphaltitis ſtagni aquilonâris. CONTRA LINGUAM MARIS SALSISSIMI. De hac locutione diximus ſupra cap. xv. verſ. 2.

V. 21. BETH-HAGLA. Perperam quidam hanc diverſam ſtatuunt ab ea verſ. 19. quam volunt fuiſſe in tribu Iuda . VALLIS CASIS. Hebr. *Vallis Ketzitz*. Videtur hæc fuiſſe quæ Iudith VII. verſ. 16. appellatur *Torrens mochmur* , id eſt *torrens ater* , ſeu *niger* . Vide ſupra cap. XVI. verſ. 8. Hebr. עמק קציץ *ghemek ketzitz* exponitur *vallis* , *profunditas* , *planities*, *abrupta* , *inciſa*. Quidam notant poſſe Hiſpanice dici *valtaiada* . Vide I. Regum XVII. verſ. 3.

V. 22.

V. 22. Beth-Araba. Hebr. *Beth-Gharabah*. De qua vide ſupra verſ. 18. & cap. xv. verſ. 6. & 61. niſi hæc Beniaminica diverſa ſit ab illa Iudaica. Samaraim. Hebr. צמרים *Tzemaraiim*. II. Paralip. xiii. verſ. 4. dicitur mons *Tzemaraiim* fuiſſe in monte Ephraim, unde coniectantur vel montem ab urbe, vel urbem a monte nomen accepiſse, quam in latere auſtrali eius montis conſtituunt, ut montem etiam Tzemaraiim in latere auſtrali montis Ephraim extitiſſe notant. Dualis forma, vel geminos montes, vel duos eius vertices aut cacumina deſignat. Nomen a lanis dicitur, fortaſse quod in eo monte tonderentur optimæ lanæ; quaſi Hiſpanice dicas, *Dos vellones*: vel a denſitate, quod mons arboribus, & fruticibus denſus, & obſitus eſset.

V. 23. Avim. Hebr. עוים *Ghavuim*, vel העוים *Haghavuim*. Forſan ſic dicta, quod in ea habitarent Ghavæi, ſive Chevæi, qui etiam degebant in Gabaon. Nam Hevæi viciſſim ſcribuntur cum Chet, & Ghain. Vide Deuteron. ii. verſ. 23. & ſupra cap. xiii. verſ. 4. Significat *curvam*, *perverſam*, Hiſpanice *la corva*, *la torcida*: fortaſse a ſitu. Alii *contortos* interpretantur, Hiſpanice *los tuertos*, *los torcidos*. Aphara. Hebr. הפרה *Happarah*, vel פרה *Parah*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Aphara in tribu Beniamin. Eſt & hodie vicus Effrem in quinto milliario Beth-elis, ad orientem reſpiciens*. Exponitur *fructificans*, *fructuoſa*, *fertilis*: vel *vacca*, *iuvenca*, *iunix*: forſan quod ibi optimæ iuvencæ alerentur. Ophera. Hebr. עפרה *Ghophrah*. Hæc ſita dicitur in terra Sughal, I. Samuel. xiii. verſ. 17. quæ terra vulpibus abundaſse videtur, quod & nomen ipſum notat. Ghophrah a pulvere dicta videtur, quaſi *pulverulenta*, Hiſpanice *la polvereda*. Vide Iudicum iv. verſ. 11.

V. 24. Villa Emona. Hebr. כפר העמונה *Cephar haghammonah*. *Cephar* dicitur a כפר *caphar*, *texit*, *oblivit*, *picavit*, id eſt *villa*, ſeu *pagus*, quod tecta habeat, & ex materia glutinoſa conſtruatur. *Cephar ghamonah* ſignificat *villam populoſam*. Ophni. Hebr. העפני *Haghophni*, vel עפני *Ghophni*, ex tranſpoſito ענף *ganaph*, ſignificat *ramoſam*, *frondoſam*. Neſcio cur aliqui *vitoſam*, ſeu *viticoſam*, Hiſpanice *parrera*, exponant, cum id vox Hebraica non ſignificet, niſi quod viti tribuitur Ezechiel. xix. verſ. 10. Gabee. Hebr. גבע *Gabagh*. Hæc eſt famoſa Gabaa patria Saulis, Iſaiæ x. verſ. 29. & I. Samuel. xi. 4. nefario illo ſtupro Beniaminitarum Levitæ uxori illato notiſſima, Iudicum xix. & xx. Beniamin pag. 49. Itinerarii: *Inde, a Silo, profectus tribus peractis paraſangis verſus montem Moria, Peſipuam veni, quæ Ghibgha Saulis patria eſt, alias Ghibgha Beniamin dicta*. Brocardus: *A Magnis* (Machmas) *verſus auſtrum, eſt una leuca ad Gabaa Saulis, ubi oppreſſa fuit uxor Levitæ: ubi & Saul natus fuit*. Porro Machmas fuiſse vicinam Beth-aven ad orientem, item & Bethel, & Gabaæ, ex I. Samuel. xiii. verſ. 2. & 5. colligitur. Abfuiſse autem ab Ieruſalem novem millibus, Euſebius, & S. Hieronymus in Locis affirmant. *Gabagh*, *collem*, ſeu *clivum* ſonat, Hiſpanice *collado*, *cueſta*, *coſtera*: quod in colle ſita eſset.

V. 25. Gabaon. De hac egimus ſupra cap. ix. verſ. 17. Rama. Hebr. הרמה *Haramah*, ſive רמה *Ramah*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Rama in tribu Beniamin civitas Saulis, in ſexto milliari ab AElia, ad ſeptemtrionalem plagam contra Beth-el. Meminit huius & Ieremias*, cap. xxxi. 15. & cap. xl. I. Matthæus ii. verſ. 18. Beniamin, Itinerarii pag. 49. *Illinc*, ab Ghibgha Saulis, *profectus, poſt tres paraſangas veni in Rama, quæ olim Haramah: cuius murorum, & ædificiorum pars ab antiquis uſque temporibus manet: idque lapidum inſcriptionibus adhuc extantibus confirmatur: oſtenduntur que veſtigia & ruinæ ac ſitus maximæ quondam urbis. Viſiturque adhuc Iſraelitarum ager, Iſraelitarum ſepulcris instructus multis, duorum milliarium ſpatio longus*. Brocardus: *A Gabaa euntibus una leuca contra auſtrum occurrit Rama civitas, ſed quæ hodie eſt villa, ſita in monte ad ſiniſtram itineris ducentis in Ieruſalem. Hinc tres ſunt leucæ eundo contra auſtrum ad civitatem Ieroſolymitanam*. Ioſephus Lib. VIII. Antiquit. cap. xii. de Baaſa rege Iſrael: *Poſtremo cum exercitu aggreſſus eſt urbem non ignobilem Ramathonem, diſtantem quadraginta ſtadiis a Ieroſolymis*. Vide I. Regum. xv. verſ. 17. *Ramah*, *excelſam*, *elevatam*, *altam* ſonat, quod in edito loco ſita eſſet. Be-

RO-

Digitized by Google

ROTH. Hebr. *Becroth*. De hac egimus ſupra cap. IX. verſ. 17. nam erat civitas Gabaonitarum.

V. 26. MESPHE. Hebr. *Mitzpheh*. Diverſa hæc Mitzpheh ab illa Galaaditica, de qua cap. XI. verſ. 3. & ab illa Iudaica ſupra cap. XV. verſ. 38. Hanc haud abſurde exiſtimant illam eſſe Mitzpheh, in qua comitia, & iudicia populi Iſraelitici peragi ſolita, Scriptura commemorat, præſertim I. Samuel. VII. quippe quæ non procul abeſſet a ſacræ arcæ ſtatione, quæ erat in Silo, urbe Ephraimitica: & iſtæ duæ ſortes, Beniaminica, & Ephraimitica proximæ inter ſe erant. Vide Iudic. XX. verſ. 1. CAPHARA. Hebr. *Hacephira*, vel *Chephirah*. De qua diſſeruimus ſupra cap. IX. verſ. 17. nam hæc quoque fuit urbs Gabaonitarum. AMOSA. Heb. המוצה *Hamotzah*, vel מוצה *Motzah*. De hac nihil amplius dicere poſſumus quam ſignificationem nominis, quæ eſt vel *exiens*, Hiſpanice *la ſalida*; vel *inventa*, aut *expreſſa*; vel *maſſa azyma*; aut *acer*, *quiſquilia*, *gluma*.

V. 27. RECEM. Heb. רקם ſonat *acu pictam*, *variegatam*, *phrygionicum*, vel *phrygionicam*, Hiſpanice *recamada*: vel quod urbs pulchra, & variegata eſſet; aut quod in ea fortaſſis opera Phrygiana conficerentur. IAREPHEL. Hebr. ירפלא *Iirpheel*. Exponitur, *Medicina*, *ſanatio*, *fortis*, vel *Dei*; ſeu *medicina divina*. Quidam Hiſpanice reddunt, *Fuerte cura*: forſan quod ibi optimi medici, ſeu medicamenta eſſent; aut quod ibi ſtudia medicinæ & artes colerentur. THARELA. תראלם *Tharalam*. Poſſit explicari, *Ordo*, *ratio*, *ſeries adiurationis*, vel *exploratio*, *indagatio adiurationis*: vel quod in ea docerentur exorciſmi, ac traderentur, eſſentque plures exorciſtæ ibi, quales illi Actor. XIX. verſ. 13. & apud Ioſephum Lib. VIII. Antiquitatum cap. II. vel quod ibi iuramenta examinarentur, & explorarentur.

V. 28. SELA. Hebr. צלע *tzelagh*, *coſtam*, vel *latus* ſignificat. Inepte quidam hoc, & ſequens nomen pro appellativis capiunt, exponuntque, *Et latus ducis*, vel *& latus magnum*; cum fuerint nomina propria duarum urbium: alioquin numerus quaterdenarius urbium hoc verſu expreſſus non conſtaret. Huius urbis fit mentio II. Samuel. XXI. verſ. 14. in qua ſepultus fuit Saul. ELEPH. Hebr. האלף *Haeleph*. Licet interpretari *doctrinam*, *bovem*, *chiliadem*: quod forte mille domibus conſtaret; aut quod ibi eſſet publica doctrinarum academia, vel puerorum inſtitutio; aut quod optimis bobus abundaret. IEBUS. Hebr. יבוסי *Iebuſi*. Quidam exponunt: *Et Iebuſæi civitas*, ſeu *urbs*, *ipſa eſt Ieruſalaim*. Vide ſupra cap. XV. verſ. 8. & 63. & Iudicum I. verſ. 8. & 21. GABAATH. Hebr. גבעת *Gigbghath*, *collem*, ſeu *clivum* ſignificat. Vide infra cap. XXIV. verſ. 33. CARIATH. Hebr. *Kiriath*, nomen proprium urbis, quod alioqui Hebræis *civitatem* univerſe ſignificat, ſic dicta a קרא *karah*, id eſt ab hominum concurſu, & frequentia; vel a קיר *kir*, quod parietibus conſtet, & muris cincta ſit; vel a קורה *korah*, id eſt plurium ædificiorum conſignatione; quaſi dicas, tignorum plurium ſtructura, contignatio, tignorum compages.

Recte, & opportune monent, in catalogo urbium huius Beniaminiticæ ſortis, ut etiam in aliis aliarum tribuum urbium indicibus, non omnes urbes, omniaque loca commemorata fuiſſe, ſed celebriora modo; & præſertim quæ vel ad fines oſtendendos, vel de hiſtoria quapiam memorabilia erant, & quæ primum tribules incolere incipiebant. Quapropter non eſſe mirandum, quod paſſim in ſacris narrationibus, urbium nomina in hac, vel illa tribu poſitarum, occurrunt, quarum in iſtis catalogis nulla mentio extat: plurimæ enim præteritæ ſunt; multæ etiam poſteris temporibus conſtructæ; nonnullæ etiam mutatæ.

MENOCHII.

Verſ. 1. CONGREGATIQUE SUNT, &c. quicumque totius populi perſonam ſuſtinebant. Pontifex, ſacerdotes, proceres, ſeniores, familiarum capita, & præcipui quilibet. In hoc autem conventu duo potiſſimum tractata ſunt, alterum de Domini movendo tabernaculo; alterum de ducendis hereditatum reſiduarum ſortibus. IN SILO, quæ eſt urbs in tribu Ephraim. IBIQUE FIXERUNT TABERNACULUM. Non in aliqua domo, ut putat Abulenſis, ſed ſub dio, ut pluribus annis fuerat in deſerto. Porro ra-

tio,

tio cur ex Galgalis in Silo tranſlatum fuerit tabernaculum, hæc eſſe videtur, ut commodius illud adire poſſent filii Iſrael: nam Galgala erant quaſi in ipſo limine terræ ſanctæ, ac proinde æquum fuit ut ad interiora transferretur. FUIT EIS TERRA SUBIECTA, domitis Chananæis.

V. 2. SEPTEM TRIBUS, QUAE NECDUM ACCEPERANT POSSESSIONES SUAS. Per aliquot annos interrupta eſt terræ diviſio, vel quod aliquibus e populo ſuſpicio incidiſſet, quaſi minus bona fide, aut minore ſaltem peritia fieret diviſio; vel quod (ut colligitur ex extremo capite ſuperiori, & verſiculo tertio ſequenti) timerent Chananæos qui nondum erant deleti.

V. 4. IUXTA NUMERUM UNIUSCUIUSQUE MULTITUDINIS: ut æquam ſingulæ tribus pro ratione ipſarum multitudinis hereditatem accipiant. DOMUS IOSEPH AB AQUILONE, non reſpectu totius terræ promiſſæ, ſed tribus tantum Iuda.

V. 6. MEDIAM INTER HOS TERRAM: reliquam terram, quæ nondum diſtributa eſt. Serarius putat ſcriptum fuiſſe in Latino textu, *Aliam*, non autem *mediam*: nam terra, quæ dividenda erat ſeptem tribubus, non erat media inter tribum Iuda & duas tribus Ephraim, & Manaſſe, excepta ea parte quæ uni tribui Beniamin obtigit, ut patet ex verſic. II. & ſeqq.

V. 7. QUIA NON EST INTER VOS PARS LEVITARUM, &c. Eſt ratio, cur in ſeptem tantum partes dividenda ſit terra, quia ſcilicet Levitæ ſortem non habebant in Iſrael, ſacerdotio contenti, & proventibus illi adiunctis.

V. 11. ASCENDIT SORS, de urna ſcilicet.

V. 12. FUITQUE TERMINUS, &c. Termini huius tribus ſeptemtrionales deſcribuntur, qui ab Iordane porriguntur, non uſque ad mare mediterraneum, quod tamen Lib. V. cap. III. aſſeruit Ioſephus, ſed uſque ad Ataroth-addar.

V. 14. ET INCLINATUR, &c. Termini ſunt occidentales a dicta iam urbe Ataroth-addar uſque ad Cariath-baal urbem tribus Iuda. CONTRA MARE, verſus occidentem: nam mare mediterraneum erat ad occidentem terræ ſanctæ.

V. 15. A MERIDIE AUTEM, &c. Notantur termini auſtrales, ſive ad meridiem, qui eidem erant tribui Iudæ aquilonares; ſed contrario hic modo deſcribuntur, ab occidente ſcilicet in orientem, ab urbe ſcilicet Cariathiarim uſque ad eam Iordanis lingulam, ſeu ſinum, quo in mare ſalſum influit num. 15. 16. 17. 18. & 19. ubi aquilonaris terminus maris eiuſdem eſt auſtralis terminus ipſius Iordanis; itemque auſtralis Beniamitarum termini extremum in orientali parte.

V. 20. QUI EST TERMINUS ILLIUS AB ORIENTE, Iordanis ſcilicet.

V. 21. FUERUNTQUE CIVITATES EIUS, &c. Notandum vel urbium iſtarum aliquibus alia etiam eſſe nomina, vel non omnes tribus huius urbes hic eſſe recenſitas, cum infra duæ cap. XXI. nominentur, quæ hic præteritæ ſunt.

V. 28. IERUSALEM recenſetur inter urbes tribus Beniamin, quia urbis huius pars, quæ erat ad ſeptemtrionem, ad Beniamin pertinuit; quæ vero ad meridiem, ad Iudam. Abulenſis putat vel urbis alterius permutatione Ieruſalem a Beniamitis relictam tribui Iuda; vel animi potius parvitate, ac deſperatione, cum diffiderent a ſe Iebuſæos expugnari umquam poſſe.

TIRINI.

Verſ. 1. CONGREGATIQUE SUNT OMNES FILII ISRAEL IN SILO. Poſt bella enim confecta, obtentamque tranquillitatem, e primo Chananææ veſtibulo, id eſt e Galgalis, caſtra moverant, & ad interiora terræ progreſſi, iubente utique Deo, in Silo, ſeu Siluntem tranſtulerant, unaque cum caſtris tabernaculum fœderis, quod illic remanſit fixum ad tempora Davidis, quo fugiente Saulem translatum videtur in Nobe, I. Regum XXI. & XXII. Sed quo anno, & qua de cauſa e Silo tranſlatum ſit, eſt incertum; niſi quod Ierem. VII. verſ. 12. & Pſalm. LXXVII. verſ. 60. inſinuetur id factum propter idololatriam, & alia ſcelera populi Iſraelitici. Erat vero Silo in ſorte tribus Ephraim *a*, loco pulchro, & peramœno *b*, diſtans Ieroſolyma trium ſorte horarum itinere, ſeptemtrionem verſus. Urbs in monte ſita, & robuſtiſſimarum

rum circumpoſita tribuum, Iudaicæ, Manaſſææ, & Ephraimiticæ, ab omnibus hoſtium incurſibus undique tuta. Hodie vocatur *Mons Samuelis*, & a Brocardo, & Breitenbachio *Rama*.

V. 2. Septem tribus, quae necdum acceperant possessiones suas. Cauſam tantæ moræ ſupra expoſui cap. XIII.

V. 28. Iebus, quae est Ierusalem. Variis hæc nominibus olim vocabatur, quæ vide expoſita apud Lyranum, & Villalpandum, Serarium, & Sanctium *c*. Eius primum conditorem Ioſephus facit nunc Melchiſedech, nunc Davidem; ſed Davidi non poteſt niſi ea pars urbis adſcribi, quæ in monte Sion ab eo conſtructa, poſtmodum *civitas David* vocata fuit. Porro Ieruſalem hic ſtatuitur in tribu Beniamin, cum tamen ſupra, cap. XV. verſ. 8. & 63. dicta fuerit eſſe in tribu Iuda. Nimirum utriuſque tribus fuit ſecundum diverſas ſui partes, ut dixi Deut. XXXIII. verſ. 12. Nam pars ſuperior auſtralis, ubi erat mons Sion, ad tribum Iuda ſpectabat; pars inferior ſeptemtrionalis cum intermedio monte Moria, ad tribum Beniamin. Sed Beniaminitæ cum deſperarent ſe poſſe partem ſuam Iebuſæis extorquere, ceſſerunt eam tribui Iudæ ſi eam armis obtineret, uti poſtmodum obtinuit David, & regni ſui caput conſtituit, & de ſuo nomine *civitatem David* vocari iuſſit. Ita Abulenſis. Hanc Tacitus *d* vocat *urbem famoſam & arduam ſitu*; Plinius *e longe clariſſimam urbium orientis*; Ieremias *f urbem perfecti decoris, gaudium univerſæ terræ*. De cuius amplitudine, ſplendore, rebuſque bello geſtis nihilominus admiranda conſcribi poſſent, quam de urbe Roma conſcripſit Lipſius, & Stapletonus. Sed iam pro his remitto lectorem ad Ariam, Adrichomium, Abulenſem, Salmeronem, & Villalpandum.

(*a*) Pſalm. LXXVII. verſ. 27.
(*b*) Ioſeph. Lib. V. Antiq. cap. I.
(*c*) Lyranus in Gen. XXVIII. Serar. in cap. X. Ioſue quæſt. 12. Sanctius in II. Reg. V. verſ. 6.
(*d*) Tacitus initio Lib. V. Hiſtoriæ.
(*e*) Plin. Lib. V. cap. XIV.
(*f*) Ieremias Threnor. II.

GORDONI.

Verſ. 1. & 8. Silo. Congregantur filii Iſrael in Silo, & figitur ibi tabernaculum teſtimonii, iam attritis hoſtibus. Silo civitas eſt in tribu Ephraim ex Pſal. LXXVII. & quidem ut in Galgalis, ita etiam nunc in Silo manſiſſe tabernaculum ſub dio, plurium eſt, & probabilior ſententia. Ceterum tradunt Iudæi tabernaculum in Silo manſiſſe annis 369. Sed duo hic ſunt, nempe tabernaculum, & arca. Et quidem arca Silunte hæſit uſque ad extrema Heli tempora, quando ex I. Reg. IV. capta fuit a Philiſtæis. Ego quidem ab hac terræ diviſione (quando Galgalis deportatum eſt tabernaculum) uſque ad mortem Heli, ſeu ducatum Samuelis, reperio annos 348. At vero tabernaculum arcæ hæſit Silunte uſque ad finem fere Samuelis, quando in Nobe reperitur I. Reg. XXVII. verſ. 3. nec umquam in Silo ſacrificaſſe legitur Samuel, ſed in Maſpha. Vide ſup. cap. IX. verſ. 27. de loco orationis.

V. 11. & 12. Datur ſors tribui Beniamin, in qua erant Silo, Bethel, & Galgala: tamen Bethaven, & Luza erant in tribu Ephraim. Volunt ſane aliqui Luzam eſſe Bethel; & alteram eſſe Bethel in tribu Beniamin: ut infra Iudic. cap. XXI. verſ. 2.

V. 15. Deſcripſit lineas ſeptemtrionalem & occidentalem; nunc deſcribit meridionalem. Cariathiarim, *civitas ſilvarum*.

V. 16. Vallis Raphaim terminus eſt; ſed eſt in tribu Iuda.

V. 19. Contra linguam maris salsissimi: littus, vel promontorium maris mortui.

V. 22. Eſt Bethel altera in tribu Ephraim, ut dixi verſ. 12. Vide Iudic. I.

V. 28. Iebus, quae est Ierusalem. Ergo binomia eſt.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 1. Convocati ſunt principes, & actum eſt de loco tabernaculi, & de reliquarum tribuum ſortibus. Cur vero ex Galgalis ſit tranſlatum tabernaculum in Silo, ratio videtur commoditas populi adeundi tabernaculum: nam Galgala erant in confinibus terræ ſanctæ.

V. 2. Per annos paucos interrupta videtur diviſio terræ: cauſa fuit vel occupatio, vel forte quod non omnes con-

ſentirent in hactenus factas diviſiones.

V. 11. In his urbium nominibus varietas eſt, ut colligi poteſt ex cap. xxi.

V. 28. Ieruſalem ponitur inter urbes Beniamin, quia altera pars urbis, nempe ſeptemtrionalis, erat in tribu Beniamin.

C A P U T XIX.

Aſſignantur ſortes ſex tribubus, Simeon, Zabulon, Iſſachar, Aſer, Nephthalim, Dan, & Ioſue.

1. ET egreſſa eſt ſors ſecunda filiorum Simeon per cognationes
ſuas: fuitque hereditas 2. eorum in medio poſſeſſionis filio-
rum Iuda: Berſabee & Sabee & Molada 3. & Haſerſual,
Bala & Aſem 4. & Eltholad, Bethul & Harma 5. & Si-
celeg & Bethmarchaboth & Haſerſuſa 6. & Bethlebaoth &
Sarohen: civitates tredecim, & villæ earum. 7. Ain & Rem-
mon & Athar & Aſan: civitates quatuor, & villæ earum:
8. omnes viculi per circuitum urbium iſtarum uſque ad Baalath Beer Ramath*
contra auſtralem plagam. Hæc eſt hereditas filiorum Simeon iuxta cognationes
ſuas, 9. in poſſeſſione & funiculo filiorum Iuda: quia maior erat: & idcirco
filii Simeon poſſederunt in medio hereditatis eorum. 10. Ceciditque ſors tertia
filiorum Zabulon per cognationes ſuas: & factus eſt terminus poſſeſſionis eorum
uſque Sarid. 11.* Aſcenditque de Mari & Merala, & pervenit in Debbaſeth, uſ-
que ad torrentem qui eſt contra Ieconam. 12. Et revertitur de Sared contra
orientem * in fines Ceſeleththabor: & egreditur ad Dabereth, aſcenditque contra
Iaphie. 13. Et inde pertranſit uſque ad orientalem plagam Gethhepher & Tha-
caſin: & egreditur in Remmon, Amthar & Noa. 14. Et circuit ad aquilonem
Hanathon: ſuntque egreſſus eius Vallis Iephtahel, 15. & Cateth & Naalol &
Semeron & Iedala & Bethlehem: civitates duodecim, & villæ earum. 16. Hæc
eſt hereditas tribus filiorum Zabulon per cognationes ſuas, urbes & viculi ea-
rum. 17. Iſſachar egreſſa eſt ſors quarta per cognationes ſuas. 18. Fuitque eius
hereditas, Iezrael & Caſaloth & Sunem 19. & Hapharaim* & Seon, & Anahar-
ath 20. & Rabboth & Ceſion, Abes, 21. & Rameth, & Engannim, & En-
hadda, & Bethpheſes. 22. Et pervenit terminus eius uſque Thabor & Scheſima
& Bethſames: eruntque exitus eius Iordanis: civitates ſedecim, & villæ earum.
23. Hæc eſt poſſeſſio filiorum Iſſachar per cognationes ſuas, urbes & viculi ea-
rum. 24. Ceciditque ſors quinta tribui filiorum Aſer per cognationes ſuas: 25.
fuitque terminus eorum Halcath & Chali & Beten & Axaph 26. & Elmelech & Amaad
& Meſſal: & pervenit uſque ad Carmelum maris & Sihor & Labanath. 27. Ac
revertitur contra orientem Bethdagon: & pertranſit uſque Zabulon & vallem
Iephthael contra aquilonem in Bethemec & Nehiel. Egrediturque ad lævam
Cabul, 28. & Abran & Rohob & Hamon & Cana, uſque ad Sidonem ma-
gnam. 29. Revertiturque in Horma uſque ad civitatem munitiſſimam Tyrum,
& uſque Hoſa: eruntque exitus eius in mare de funiculo Achziba: 30. & Amma
& Aphec & Rohob: civitates vigintiduæ, & villæ earum. 31. Hæc eſt poſſeſ-
ſio filiorum Aſer per cognationes ſuas, urbeſque & viculi earum. 32. Filiorum
Neph-

Digitized by Google

Nephthali ſexta ſors cecidit per familias ſuas: 33. & cœpit terminus de Heleph & Elon in Saananim, & Adami, quæ eſt Neceb, & Iebnael uſque Lecum, & egreſsus eorum uſque ad Iordanem: 34. revertiturque terminus contra occidentem in Azanotthabor, atque inde egreditur in Hucuca, & pertranſit in Zabulon contra meridiem, & in Aſer contra occidentem, & in Iuda ad Iordanem contra ortum ſolis: 35. civitates munitiſſimæ, Aſsedim, Ser, & Emath, & Reccath & Cenereth, 36. & Edema & Arama, Aſor, 37. & Cedes & Edrai, Enhaſor 38. & Ieron & Magdalel, Horem & Bethanath & Bethſames: civitates decem & novem, & villæ earum. 39. Hæc eſt poſseſſio tribus filiorum Nephthali per cognationes ſuas, urbes & viculi earum. 40. Tribui filiorum Dan per familias ſuas egreſsa eſt ſors ſeptima: 41. & fuit terminus poſseſſionis eius Sara & Eſthaol, & Hirſemes, id eſt civitas ſolis. 42. Selebin & Aialon & Iethela, 43. Elon & Themna & Acron, 44. Elthece, Gebbethon & Balaath, 45. & Iud & Bane & Barach & Gethremmon: 46.* & Meiarcon & Arecon, cum termino qui reſpicit Ioppen, 47. & ipſo fine concluditur. Aſcenderuntque filii Dan, & pugnaverunt contra Leſem, ceperuntque eam: & percuſſerunt eam in ore gladii, & poſsederunt, & habitaverunt in ea, vocantes nomen eius Leſem Dan, ex nomine Dan patris ſui. 48. Hæc eſt poſseſſio tribus filiorum Dan, per cognationes ſuas, urbes & viculi earum. 49. Cumque compleſset ſorte dividere terram ſingulis per tribus ſuas, dederunt filii Iſrael poſseſſionem Ioſue filio Nun in medio ſui, 50. iuxta præceptum Domini, urbem quam poſtulavit, Thamnath Saraa in monte Ephraim: & ædificavit civitatem, habitavitque in ea. 51. Hæ ſunt poſseſſiones, quas ſorte diviſerunt Eleazar ſacerdos & Ioſue filius Nun, & principes familiarum ac tribuum filiorum Iſrael, in Silo, coram Domino ad oſtium tabernaculi teſtimonii, partitique ſunt terram.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 8. *Contra auſtralem plagam*. Quod ſequitur in quibuſdam exemplaribus, *Fuerantque omnes civitates decem & ſeptem*, ſuperfluit.

V. 11. *Aſcenditque de Mari, & Merala*. Cave ne vitioſe ſcribas *Medalaa* pro *Merala*:

V. 12. *In fines Ceſeleththabor*. Vetera manuſcripta habent plurale *fines*, pro ſingulari *finem*.

V. 15. *Et Iedala & Bethlehem*. Scribendum eſt *Iedala*, per *d* mutam in ſecunda ſyllaba, & *l* liquidam in tertia; non *Ierala*, per *r* liquidam in ſecunda, aut *Iedaba* per *b* mutam in tertia: ſcriptum enim eſt *Ierala* per *r* liquidam, pro *Iedala* per *d* mutam, quod eſt in aliis libris, & conſentit Hebræo: nam *Iedaba* nullius eſt auctoritatis.

V. 19. *Et Seon & Anabarath*. Pro *Seon* quadrilitero, non ſcribas *Senon*, neque *Seron*, quinque Litterarum.

V. 46. *Et Meiarcon & Arecon*. In quibuſdam veteribus manuſcriptis, pro *Meiarcon*, legitur *Aquæ Hiercon*, quæ interpretatio eſt primæ ſyllabæ *Me*.

COMMENTARIA

S. A.

Verſ. 9. MAIOR ERAT, ſcilicet quam ut eum funiculum ſolus Iudas poſſidere deberet.

V. 12. FINES, id eſt limites.

V. 13. GETHHEPHER. Civitas Ionæ Prophetæ.

V. 15. BETHLEHEM. Altera eſt in tribu Iuda.

V. 22. Thabor, non longe eſt a Nazareth.

V. 35. Cenereth. Ab hac dictum mare Geneſareth.

V. 47. Et ipso fine concluditur. Hebr. & Chald. *Et exiit terminus filiorum Dan ab eis*; quaſi dicat; Defuit eis poſſeſſio, ſeu habitatio. Lesem. Hæc poſtea Cæſarea Philippi dicta, ſita ad radices Libani.

V. 49. Sui, id eſt ipſorum; quaſi dicat, inter ipſos.

V. 51. Sacerdos, ſcilicet ſummus. Partitique sunt. Hebr. & Chald. *Fines fecerunt dividendi*.

ESTII.

Verſ. 1. & 2. Fuit hereditas filiorum Simeon in medio possessionis filiorum Iuda. Quæritur quomodo ſingulæ tribus acceperint diſtinctas poſſeſſiones, ſi, ut hic dicitur, una tribus in medio alterius poſſeſſionem acceperit? immo & civitates quæ hic attribuuntur tribui Simeon, ſupra legantur attributæ tribui Iuda? nempe cap. xv. Reſpondeo, quare, aut quomodo id factum ſit, indicatur verbis paulo poſt ſequentibus, ubi dicitur: *Hæc eſt hereditas filiorum Simeon iuxta cognationes ſuas, in poſſeſſione & funiculo filiorum Iuda: quia maior erat, & idcirco filii Simeon poſſederunt in medio hereditatis eius*. Ubi quod habemus, *Quia maior erat*, Hebr. eſt *maior erat ipſis*, id eſt maior quam pro numero ipſorum, & quam a filiis Iuda coli poſſet. Nempe tribus Iuda partim ſorte, partim bello, cum eſſet tribus bellicoſiſſima, plus terrarum acceperat quam opus habebat.

V. 17. Issachar egressa est sors quarta. Quæritur de portionibus terræ quæ erant ſorte diſtribuendæ, an æquales fuerint, an inæquales? Putant quidam inæquales fuiſſe, quia capite præcedenti iubetur deſcribi terra iuxta numerum uniuscuiusque multitudinis: & Num. xxvi. verſ. 54 dicitur: *Pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem*. Et hi volunt Deum ſic ſortes temperaſſe, ut maior portio maiori, ſeu numeroſiori tribui obtingeret, minor minori. Sed nihil eſt neceſſe, ad hoc miraculum confugere extra Scripturam. Dici enim poteſt portiones fuiſſe æquales, aut certe quaſi æquales, ſed ita ut potuerint nonnihil extendi additione partis vicinæ, & ſic alias contrahi, idque ſcilicet pro magnitudine, vel parvitate eius tribus, quæ illam terræ portionem beneficio ſortis accepiſſet.

V. 49. & 50. Dederunt filii Israel possessionem Iosue filio Nun, in medio sui.... in monte Ephraim. Nota, quod Ioſue, quamvis eſſet dux, & iudex populi, non tamen pro libito ſibi vendicavit partem aliquam terræ quam inhabitaret poſſidendam, ſed poſtulavit a populo certam terræ portionem in ſua tribu, & obtinuit.

MARIANAE.

Verſ. 1. Et egressa est sors secunda filiorum Simeon per cognationes suas. Hebr. *Et egreſſa eſt ſors ſecunda ipſi Simeon, tribui filiorum Simeon ad familias eorum*.

V. 2. Bersabee et Sabee. *Et*, pro id eſt. Cogimur unam civitatem in duabus vocibus intelligere propter numerum tredecim civitatum, qui mox ſubiicitur. Alioqui urbes tribus Simeon eſſent quatuordecim. Ramath.

V. 8. Contra australem plagam, id eſt ad auſtrum. Portio Simeon erat in tribu Iuda.

V. 9. Quia maior erat: ſcilicet quam pro eorum numero funiculus maior erat, id eſt portio terræ eis data, ſcilicet tribui Iuda; ideo pars eius tribui Simeon datur.

V. 12. In fine Ceseleththabor. Hebr. *in terminum*, aut *ſuper terminum eius* revertitur ſors Zabulon.

V. 13. Gethepher: patria Ionæ Prophetæ, IV. Reg. xiv. verſ. 25. in ea tribu.

V. 15. Semeron. *Samaria* in tribu Zabulon. Bethlehem, altera Bethlehem eſt in tribu Iuda; ideo dicitur, *Cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda*: Matth. 11. verſ. 1.

V. 16. Haec est hereditas tribus filiorum Zabulon. Vox *tribus* non eſt in Hebr. neque in Gotth. Sept. tamen poſuerunt, & ex iis Hieronymus.

V. 22.

V. 22. THABOR. Hic mons eſt in tribu Zabulon, verſ. 12. & prope illum Nazareth, linea tamen Iſſachar tranſit prope eum montem; aut eſt alter eo nomine. EXITUS EIUS; id eſt, limes extremus eſt Iordanis, & uſque eo pertingit.

V. 26. AD CARMELUM MARIS. Mari noſtro adiacet is mons prope Ptolemaidem: ſicque vocatur, quod alter mons Carmelus ſit ad auſtrum, ubi Nabal Carmelus, a mari remotus. Hieronymus Iſaiæ xxix. Amos I.

V. 29. EXITUS EIUS IN MARE. Extremus limes tribus Aſer mare eſt, ſcilicet noſtrum. DE FUNICULO ACHZIBA; id eſt, incipiens a termino (id eſt funiculus) Achziba uſque ad Tyrum, & Sidonem.

V. 34. AZANOTTHABOR. In tribu Nephthalim eſt mons alius *Thabor* dictus. Ter ponitur in hoc cap. verſ. 12. verſ. 22. & hic, & videntur eſſe tres montes hoc nomine, ſed ex cognominibus diſtincti ſuis locis. ET IN IUDA AD IORDANEM. *Iuda* nomen eſt loci, aut urbis: alioqui qui potuit Nephthalim attingere tribum Iuda, interpoſitis Zabulon, Iſſachar, & Ephraim ad Iordanis ripam? niſi forte dicas de navigatione loqui, qua ea parte Iudam uſque perveniebat ea tribus commercii gratia, unde copiæ parantur.

V. 35. CENERETH. Ab hac urbe mare Cinereth, ſeu Genezar, quod & mare eſt Tiberiadis. Lacus vocatur mare. Eſt in tribu Nephthali.

V 41. HIRSEMES: pro ע *H* poſuit, *Hir* pro עיר. ID EST CIVITAS SOLIS. Ab Interprete additum *id eſt*, & bene.

V. 46. QUI RESPICIT IOPPEN. Hebr. *e regione Ioppe*. Vides quo loco primas ſedes acceperit tribus Dan, ſcilicet ad mare noſtrum, nec procul Simeone, & Iuda.

V. 47. ET IPSO FINE CONCLUDITUR. Hebr. *Et exiit terminus filiorum Dan ab ipſis*. Hebræi exponunt: *Exiit terminus filiorum Dan* (ſupple, anguſtus) *ab ipſis*, id eſt præ ipſis & eorum multitudine: ſic novas ſedes quæſierunt pars illorum. Ego exponerem ſimplicius: *Exiit terminus ab ipſis*; id eſt, a loco illis deſignato, alio profecti ſunt quidam, ſecus quam aliæ tribus, in ſuis ſedibus manentes. LESEM. Hæc urbs ſeptemtrionalis maxime & prope Libanum, multa habuit nomina, *Leſem*, & *Dan*, ut hic dicitur; *Lais*, & *Cæſarea Philippi*. Hanc cepit tribus Dan, quod portio illis data prius eſſet anguſta, ut verſ. 47.

V. 51. SORTE DIVISERUNT. Hebr. *hereditare fecerunt*. ELEAZAR SACERDOS, ſcilicet ſummus. PRINCIPES FAMILIARUM. Familiæ fuerunt 57. præter octo alias Levitarum: Numer. xxv. verſ. 5. & deinceps. PARTITIQUE SUNT TERRAM. Hebr. *Et finierunt dividere terram*: ſic Chald.

MALVENDAE.

Verſ. I. FUITQUE HEREDITAS EORUM IN MEDIO POSSESSIONIS FILIORUM IUDA. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis opportune monent: *Nec movere debet quempiam, ſi interdum civitates Iudæ eaſdem in tribu Simeonis, vel Beniamin reperiat. Tribus enim Iuda bellicoſiſſimis viris pollens, & crebro adverſarios ſuperans, in omnibus tribubus tenuit principatum: & idcirco etiam aliarum tribuum ſortes in eius interdum funiculo nuncupantur: alioquin in medio tribus Iudæ habitaſſe Simeonem Scriptura manifeſtiſſime docet*. Tribum Simeonis non habituram propriam hereditatem, ſed ipſi in aliena tribu obventuram poſſeſſionem, iam olim prædixerat Iahacob Geneſ. LXIX. 7. ut ibi annotavimus.

V. 2. BERSABEE. Hæc cenſetur in tribu Iuda, ſupra cap. xv. verſ. 28. de qua ibi vide. SABEE. Hebr. *Sebagh*. Hanc plerique putant eamdem eſſe dimidiato nomine cum proxime præcedente *Beer-ſebagh*, alioqui non conſtaret numerus tredecim urbium, quæ hic numerantur verſ. 6. nam erunt haud dubie quatuordecim, ſi *Sebagh* diſtincta urbs eſt a *Beer-ſebagh*. Unde in earumdem tredecim urbium enumeratione I. Paralipom. IV. verſ. 28. ut ſupervacanea omiſſa eſt *Sebagh*: additum autem id nomen hic ad maiorem memoriam nobilis & inclytæ urbis, fœdere & ſacrificio Abrahami cum Abimelecho illuſtratæ, Geneſ. XXI. quocirca hic exponunt: *Beer-ſebagh quæ & Sebagh*, vel *Beer-ſebagh, id eſt Sebagh*. Tremellius, & Iunius hæc annotant: *Schebah, ſupra cap. xv. verſ. 26. Schemah, & ea eſt*

vi-

Digitized by Google

videtur, *quæ* I. *Chronicor.* IV. *verſ.* 32. *Thocen vocatur : nam omnia utrobique conveniunt, hac excepta, quæ ibi alioquin omitteretur*. Neque obſtat quod eſſe cum ea videantur urbes quatuordecim : nam forſan recenſitus eſt magnus aliquis & inſignis pagus, qui tamen urbs non fuerit, ut Chatzar-ſughal. Vide ſupra cap. XV. verſ. 32. & 36. MOLADA. Et hæc ponitur in tribu Iuda ſupra cap. XV. verſ. 26. de qua ibi diximus

V. 3. HASER SUAL. Hæc quoque fuit in tribu Iuda, cap. XV. verſ. 28. quam ibi elucidavimus. BALA. Hebr. בלה *Balah*. Hæc etiam in ſorte Iudæ recenſetur cap. XV. verſ. 29. & inſerto Ghain, appellatur *Baghalah* : & I. Paralipom. IV. verſ. 29. *Bilvah*. Exponitur, *Confuſa*, *mixta*. Hiſpanice *la rebuelta*. Vel *producta*, *prolongata*, aut *vetuſta*, *antiqua*, *inveterata*. ASEM. Hebr. *Ghatzem*. Et hæc inter Iudaicas urbes deſcribitur cap. XV. verſ. 29. de qua vide ibi.

V. 4. ELTHOLAD. Hæc quoque urbibus Iudaicis accenſetur cap. XV. verſ. 30. quam ibi elucidavimus. BETHUL. בתול Hanc notant I. Paralipom. IV. verſ. 30. appellari *Bethuel*, & ſupra cap. XV. verſ. 30. *Cheſil*: ibi vide. Exponitur, *Virginitas*, aut *virginitas Dei*. Ridiculum quod quidam volunt hanc eſſe Bethuliam hiſtoriæ Iudith ; cum procul hinc illa Bethulia abfuerit in Galilæa, ut in eum Librum dicemus. HARMA. Hebr. *Chormah*. Hæc etiam in ſorte Iudæ reponitur cap. XV. verſ. 30. de qua vide ibi.

V. 5. ET SICELEG. Hæc quoque ſorti Iudæ tribuitur cap. XV. verſ. 31. quam ibi expoſuimus. BETHMARCHABOTH. בית-המרכות *Beth-hammarcaboth*. Hæc non enumerata fuit cap. XV. inter Iudaicas urbes, cum tamen in ea ſorte eſſet quæ Simeonitis ceſſit. Significat *domum curruum*, ſeu *carrucarum*, vel *quadrigarum*, quod ibi forraſſe conficerentur. HASERSUSA. חצר-סוסה *Chatzar-ſuſa*. Neque huius mentio facta in catalogo Iudaicarum urbium cap. XV. Exponitur, *Atrium*, *prædium*, *villa*, *pagus equitatus*, ſeu *equitii*, quod forte ibi optimi equi educarentur. Aliqui tamen exiſtimant, hanc ſupra cap. XV. verſ. 27. dictam *Chatzar-gadah*: nam nomina ſignificatione conveniunt, ſiquidem גרה *gadah* turmam, & סוסה *ſuſah* equitatum ſignificat. Vide ibi. I. Paralipom. IV. verſ. 31. dicitur *Ghatzar-ſuſim*, id eſt *villa equorum*.

V. 6. BETH LEBAOH. בית-לבאות, id eſt *domus*, vel *locus leænarum*. Hæc inter urbes Iudaicæ tribus ſupra cap. XV. verſ. 32. vocatur *Lebaoth*, id eſt *leænæ* : ibi vide. Volunt quidam, hanc I. Paralipom. IV. verſ. 31. numcupari *Beth-birei* בית-ברי, vel *Beth-beri* בית-ברי, id eſt *domum*, vel *locum pinguis*, *obeſi*, *opimi*, *ſaginati*: quod forſan ibi pecora ſaginarentur. SAROHEN. Hebr. שרוחן *Scharuchen*. Aliqui putant hanc ipſam eſſe quæ ſupra cap. XV. verſ. 36. in catalogo Iudaico appellatur *Sagharaim*, id eſt *geminæ portæ*. Etymon *Saruchen* vix eruunt : niſi divines, *Quæ odorifera*, vel *cui odor*.

V. 7. AIN. Hebr. *Ghain*. Et hæc connumeratur inter urbes ſortis Iudæ, cap. XV. verſ. 32. ibi vide. REMMON. Hebr. *Rimon*. Iſta etiam inter urbes Iudaicas cenſetur cap. XV. verſ. 32. de qua vide ibi. ATHAR. Hebr. *Ghether*. Et hæc quoque in catalogo urbium Iudaicarum ſcribitur cap. XV. verſ. 42. de qua vide ibi. ASAN. Hebr. *Ghaſan*. Hanc quoque inter urbes ſortis Iudaicæ poſitam, ſupra cap. XV. verſ. 42. deſcripſimus.

V. 8. BAALATH BEER RAMATH, CONTRA AUSTRALEM PLAGAM. Hebr. בעלת-באר *Baghalath-Beer*. Quidam ſuſpicantur hanc eſſe *Beer-ſebagh*, limitem auſtralem Chananææ. Eſt enim ac ſi dicas, *Domina*, *hera putei*, vel *habens puteum*: conſtat autem *Beer-ſebagh* puteum habuiſſe, a quo nomen ſortita eſt : cui opinioni congruit quod ſtatim ſubditur de Ramath auſtrali. Alii exiſtimant eſſe illam Baalath, quam ædificavit, ſeu inſtauravit Salomon in terra ſolitudinis, I. Regum IX. verſ. 18. ac poſitam in confinio Simeonitarum, & Danitarum volunt e verſ. 44. infra. Alii annotant, hanc *Bahalath-beerem* eſſe Bahalam illam I. Chronic. IV. 29. atque unam & eamdem urbem eſſe Bahalath-beerem, & Ramath auſtralem, ſeu meridianam ; unde reddunt, *Uſque ad Bahalath-beerem*, *ſive Ramatham meridianam*, quæ I. Samuel. XXX. verſ. 27. dicitur, *Ramoth-meridiei*, ſeu *auſtri*. Vide Iudicum IX. verſ. 21.

V. 10. SARID. Notant, ultimam fuiſſe civitatem Zebulonis in angulo meridiano, termino occidentali. Recentiores ſacri

topo-

Digitized by Google

topographi poſitam deſcribunt in promontorio ipſo montis Carmeli, quod excurrit in mare. Nonnulli volunt ſitam ſub monte Carmelo, qua parte ille ad meridiem ſpectat. Significat *reſiduam*, quod eſſet extrema Zabulonicæ ſortis in termino occiduo verſus auſtrum. שריד *ſarid*, quidam *peltam*, vel *ſcutum* interpretantur, quaſi in peltæ formam conſtructa eſſet. Quod ego non capio. Aptius *miniatam*, vel *rubricatam* expoſueris, quod forte ibi minium effoderetur.

V. 11. Merala Hebr. מרעלה *Marghalah*, *trementem*, vel *tremulam* ſonat: maritimam urbem quidam exiſtimant. Nec multum aberraverit qui hanc *Gettam*, vel *Iebbam* Plinii Lib. V. cap. xix. ſuſpicatus fuerit, quæ prope Carmelum in ora maritima erant. Debbaseth. דבשת *Dabbaſchet* ſignificat *melleam*, vel *mellitam*, forte ab abundantia mellis: vel *tuberatam*, ſeu *gibbeam*, aut *gibboſam*; quod in Carmeli gibbo aliquo aut clivo poſita eſſet. An ipſa *Iebba* Plinii, de qua paulo ante dicebam? Usque ad torrentem, qui est contra Ieconam. Hunc torrentem, ſeu fluvium plerique putant eſſe Belum, ſeu Pagidam, arenis vitri nobilem, de quo vide Notas ſupra cap. xi. verſ. 8. De *Ieconam*, ſeu *Ioknegham* egimus cap. xii. verſ. 22. Notant, hanc urbem angulum ſeptemtrionis Zebulonis ſtatuiſſe in eodem termino occiduo.

V. 12. Et revertitur de Sared. Obſervant. deſcribi iam terminos auſtrales aſcendendo ab occidente orientem verſus. Contra orientem. Hebr. *in orientem*, *ortum ſolis*. Quidam, *Ad orientem*; id eſt, ad ortum ſolis. Ridicule. Alii, *In anticam partem verſus ortum ſolis*. Nonnulli, *Antrorſum*, vel *in anteriorem plagam verſus ortum ſolis*; ſeu ad partem mundi anteriorem, quæ vergit ad orientem ſolis. Sed ego geminationem ſynonymi, indicare puto verum, ac directiſſimum orientem; quaſi dicat, recta prorſus orientem verſus. Sic infra verſ. 13. Ceseleth Thabor. Hebr. *Chisloth Thabor*. Quidam priorem vocem pro appellativa exponunt: *Ilia*, *latera*, *devexitates Thabor*: & ſignificari putant eas partes montis quæ circiter medio loco ſunt, quas Galli appellant *les flancs*; Itali *i fianchi*; Græci τὴν ὑπώρειαν. Alii nomen proprium loci eſſe volunt, cum LXX. & Noſtro, de quo Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Appellaturque hodie villula Chaſalus in octavo lapide Diocæſareæ* (ſeu Sephoris) *ad radicem montis Thabor in campeſtribus*. Et infra: *Appellatur autem & quidam vicus Chaſalus iuxta montem Thabor in campeſtribus in octavo milliario Diocæſareæ ad orientem reſpiciens, ſicut ſupra diximus*. Et poſtea: *Chaſelath iuxta Thabor terminus Zabulon: diximus de ea & ſupra ſub nomine Chaſalus*. Quidam obſervant hanc urbem I. Paralipom. vi. verſ. 77. appellari *Thabor*; & infra cap. xxi. verſ. 34. *Karthah*. Vide I. Paralipom. vi. verſ. 77.

Thabor Ieſu Chriſti æterni Filii Dei transfiguratione inclytus, & alioqui celebris mons Galilææ, a Græcis Itabyrius, vel Atabyrius numcupatus fuit. Polybius Lib. V. pagina 413. *Montibus ſuperatis, proxime ad Atabyrium acceſſit. Id oppidum in colle ſitum eſt, ex plano leniter ſe attollente, ad cuius ſummum verticem ſtadia numerantur quindecim*. Ioſephus Lib. IV. Belli cap. iv. *Itaburius mons inter campum magnum & Scythopolim ſitus, cuius altitudo quidem triginta ſtadiis conſurgens, ſeptemtrionali tractu inacceſſa eſt: in vertice autem viginti ſtadiorum planities patet*. Eadem habet Hegeſippus Lib. IV. Excidii cap. v. qui tamen Thabyrium vocat. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Eſt autem mons Thabor in campo maximo* (Galilææ Eſdrelon) *ad occidentalem plagam Legionis*. Et infra: *Thabor terminus Zabulon. Eſt autem mons in medio Galilææ campo, mira rotunditate ſublimis, diſtans a Diocæſarea* (Sephori) *decem millibus contra orientalem plagam: qui confinium quoque inter tribu Iſſachar, & Nephthali fuit*. S. Beda in Libello de Locis Sanctis, cap. xvii. *Mons Thabor in medio Galilææ campo, in tribus millibus manens ad boream, a Geneſareth diſtat, ex omni parte rotundus, herboſus valde, & floridus, altitudine triginta ſtadiorum. Vertex ipſe campeſtris, & multum amœnus, viginti & tribus ſtadiis, dilatatur: ubi grande monaſterium, grandi quoque ſilva circundatur: tres eccleſias habens, iuxta quod Petrus ait, Faciamus hic tria tabernacula: locus muro cinctus grandia geſtans ædificia*. Iacobus Vitriacus Hiſtoriæ Ieroſolymitaræ cap. liv. *Mons Thabor ſublimis eſt & arduus valde, in quo*

Do-

ridiem, *iuxta Endor*. Brocardus: *Eſt & alius mons Hermon minor, qui diſtat a Nazareth duabus leucis, a monte vero Thabor verſus auſtrum paulo plus una leuca: in cuius latere aquilonari eſt civitas Naim, ubi Dominus filium viduæ unicum a mortuis ſuſcitavit*. Eadem habet alter Burchardus.

V. 14. ET CIRCUIT AD AQUILONEM HANATHON. Hebr. *Et circumducetur ad eum terminus de aquilone Chanathon*. Hebraicum illud איתי *otho*, plerique Hebræorum accipiunt pro הוא *hu*; exponuntque: *Et gyrabit terminus ipſe*, vel *limes idem*, *ab aquilone Chanathon*. Alii ſumunt pro לו *lo*: *Et circuibit terminus ei a ſeptemtrione Chanathon*. *Ei*, nimirum ipſi Zebuloni. Quidam putant *ei* abundare. Alii exponunt: *Et gyrat terminus ſibi.* Nonnulli: *Et circuibit ipſum terminus*. Illud vero, *Ab aquilone Chanathon*, ambiguum videtur: nam poteſt intelligi, terminum circuiſſe & ambiviſſe a ſeptemtrione urbem Chanathon, ut eam ab ea parte intra Zebulonitarum fines incluſerit; vel quod terminus de aquilone deſcenderet verſus auſtrum in urbem Chanathon. Prior ſenſus eſt rectior, quem ſic quidam ſua translatione expreſſerunt: *Unde divertit terminus ille aquilonem verſus Channathonem*. Nomen huius urbis (חנתון *Chanaton*) aiunt ſignificare vel *lancearium*, *haſtarium*, quod ibi optimæ haſtæ conficecerentur, vel aſſervarentur; vel *bratioſam*, vel *caſtrametationem*. VALLIS IEPHTAHEL. Sonat *Iephthael*, *fontem*, vel *divinam apertionem*, quod fortaſſis ibi ſe aperiret fertilis, & amœna vallis.

V. 15. CATETH. Hebr. קטת *Katthath*. Hanc quidam putant Iudicum 1. verſ. 30. appellari *Kitron*, egregiam, & primariam urbem ſortis Zebuloniticæ, ex qua veteres incolas Zebulonitæ expellere nequiverunt. Significat *diſſectam*, ſeu *diſſecatam*, Hiſpanice *la rota*, *o la partida*. NAALOL. Hebr. נהלל *Nahalal*; ſed Iudicum 1. verſ. 30 *Nahalol* vocatur. Ratio nominis, *Elevata*, *laudata*, vel *conducta*. Ex loco Iudicum inſignis, & primaria urbs fuiſſe videtur, ex qua Zebulonitæ Chananæos eiicecere non potuerunt. SEMERON, vel *Samaria*. Diverſa hæc ab illa celebri Samaria in ſorte Ioſephitarum, in qua ſedes regum Iſraeliticorum fuit, de qua egimus ſupra cap. XI. verſ. 1. IEDALA. Hebr. ידאלה *Iidalath*. Exponitur, *Manus coniuratio*, vel *manus adiuratio*, ſeu *iuramentum*. Alii *manum fortem*, ſeu *divinam* interpretantur. BETHLEHEM. Non eſt hæc illa ortu Ieſu æterni Filii Dei clara, quæ erat in tribu Iuda, de qua vide Geneſ. XXXV. verſ. 19. CIVITATES DUODECIM. At numeratæ videntur novemdecim. Notant, plures recenſitarum in proximarum & confinium tribuum ſortibus extitiſſe, & tamquam limites deſcriptas: ad hoc, nominatos grandes aliquot & inſignes pagos, qui ad magnitudinem urbium non pertingerent, quæ iuſtæ duodecim erant.

V. 18. FUITQUE EIUS HEREDITAS, IEZRAEL. Hebr. *Et fuit terminus eorum ad Iizreghel*. Exponunt: Et fuit terminus auſtralis, nimirum ab occidente verſus orientem: nam in iſtis finibus deſignandis fieri initium obſervant ab angulo auſtrali apud occidentem, procedique inde ad ortum verſus; ut in deſcribendis Zebulonitarum limitibus factum eſt ſupra verſ. 10. & 12. *Iezrael*. De ea diximus ſupra cap. XVII. verſ. 16. CASALOTH. Hebr. כסלות *Ceſulloth*. Notant aliqui diverſam hanc eſſe ab illa *Cheſiloth*, ſupra verſ. 12. quæ ſita erat in latere montis Thabor quo aquilonem ſpectat, & Zabuloniæ ſortis erat: hanc autem fuiſſe eidem monti auſtralem, ac ſitam inter Iezrael & Sunam. Alii volunt hanc eſſe illam quæ I. Machabæor. IX. verſ. 2. dicitur *Cheſuloth*; ſed ibi exemplaria Græca, & Latina conſtanter habent *Meſaloth*, quam quidam putant eſſe *Meſal* ſortis Aſer infra verſ. 26. Significat *ilia*, vel *latera*, aut *ſtultitias*. SUNEM. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Sunem in tribu Iſſachar: & uſque hodie vicus oſtenditur nomine Sunem, in quinto milliario Thabor montis contra auſtralem plagam*. Et poſtea: *Sunam, ubi fuit illa mulier Sunamitis: eſt autem hodie vicus in finibus Sebaſte in regione Acrabithena, vocabulo Sanim*. Beniamin in Itinerario, pag. 48. *Hinc* a Mareſſa *quinque paraſangarum itinere peracto in Torondolos Gabraleris veni, quæ Sunam quondam vocabatur*. Brocardus: *De Aphec ad unam leucam contra orientem ſiniſtram verſus, extra viam, quæ ducit Iezrael, in latere auſtrali montis Hermon eſt civitas Suna, celebris miraculo, quod per Eliſæum Do-*

minus in ſuſcitatione pueri mortui fecit. A Suna duæ ſunt leucæ ad civitatem Bethſan eundo contra orientem, & parum declinando ad auſtrum. Bethſan eſt Scythopolis. Haud longe Sunam abſuiſſe a monte Gelboe, & Iezrael, ſatis colligitur e I. Samuel. XXVIII. verſ. 4. & cap. XXIX. verſ. 1. Claram ſuiſſe hoſpitio Eliſæi, & ortu Abiſag formoſiſſimæ puellæ, nimis eſt pervagatum. Reddunt *dentatam*, *ſomnolentam*, *duplicatam*, *coccineam*, *annoſam*.

V. 19. HAPHARAIM. Hebr. חפרים *Chapharaim*, latine ſonat *foſſæ geminæ*. Recentiores ſacri topographi aiunt locum eſſe amœnum & ubere gleba, diſſitum a Nazareth quindecim millibus, quem Saraceni appellant *Hapharcan*. SEON. Hebr. שיאין *Sehion*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Seon, ſive Soen in tribu Iſſachar, hodieque oſtenditur villa iuxta montem Thabor*. Aiunt fuiſſe inter Thabor & Genaſaram. A נשה *naſah* deducunt, quaſi *elevatam*, *altam*; ſortaſſis poſitam in ea parte montis Hermon, qua Sion vocabatur, Deuteron. IV. verſ. 48. Alii *ſonantem* exponunt, Hiſpanice *la ſonada*. Nonnulli *tranquillam*, *quietam*. ANAHARATH. Hebr. אנחרת *Anacharath*, ſignificat *accenſam*, *ardeſcentem*, *naſutam*, *frementem*, vel *ronchum*.

V. 20. ET RABBOTH. Notant, hic iam deſcribi terminum occidentalem ab angulo auſtrali in aquilonem ducentem, atque incipere a רבית *Rabbith* urbe poſita in angulo meridionali termini occidentalis. Eam interpretantur *multam*, *magnificam*, *populoſam*. CESION. Hebr. קשיון *Kiſchion*. Hanc quidam putant appellari *Kedes* I. Paralip. VI. verſ. 72. Alii a torrente Ciſon, vel Kiſon, prope quem erat, accepiſſe nomen exiſtimant. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Ciſion, in tribu Iſſachar, civitas ſeparata Levitis*: infra cap. XXI. verſ. 28. addunt: *Ciſon torrens iuxta montem Thabor, ubi contra Siſaram dimicatum eſt*. Torrentem Ciſon fluere a parte orientali montis Thabor, ſupra verſ. 12. obſervabamus. Sed & Beniamin pagina 38. Itinerari: *Sub monte ipſo Carmelo ad latus, Chiſon flumen deſcendit*. Vide Iudicum IV. verſ. 7. Significat *kiſchion*, *perplexam*, *intricatam*, forte ob mœandros torrentis. Alii *duram* interpretantur. ABES Hebr. אבץ *Abetz*: poteſt exponi *byſſina*, quod forte ibi byſſus, præſtantiſſimum ligni genus, proveniret: vel *lutulenta*, ſeu *cœnoſa*, quaſi *Lutetia*. Quidam præſepi affine nomen habere aiunt, quod *abus* cum Samech eſt *præſepe*; at cum Tzade ſcribitur *Abetz*.

Verſ. 21. RAMETH. Hebr. *Remeth*, *excelſam*, ſeu *elevatam* ſonat, a ſitu fortaſſe. Notant hanc appellari *Iarmuth* infra cap XXI. verſ. 29. & *Ramoth* I. Chronicor. VI. verſ. 73. ENGANNIM. Hebr. עין גנים *Ghen-gannim*, id eſt *fons hortorum*. Aliam eiuſdem nominis elucidavimus in tribu Iuda ſupra cap. XV. verſ. 34. Hæc Iſſachariana I. Paralipom VI. verſ. 34. dicitur *Ghanem*. ET ENHADDA. Hebr. עין-חדה *Ghen-chaddah*. Notant, ab iſta urbe incipi delineationem termini aquilonaris ab occidente in orientem. *Ghen-chaddah* reddunt *fontem novum*. Rectius *fontem acutum*, Hiſpanice *fuente aguda*, vel *fontem lætitiæ*. Hiſpanice, *fuente*, *alegria*. BETHPHESES. בית-פצץ *Beth-fhatzetz*. Exponunt *domum diſperſionis*, ſeu *domum liberationis*, ſeu *libertatis*: ubi oculis, & corpore quis ſpatiari libere poſſet.

V. 22. USQUE THABOR. De quo egimus ſupra verſ. 12. Sed hic aliqui Thabor, non ipſum montem accipiunt, ſed urbem eo nomine, quæ ſupra verſ. 12. & infra cap. XXI. verſ. 28. appellatur *Dobrath*, ſeu *Dabrath*, de qua diximus verſ. 12. SEHESIMA. Hebr. שחצומה *Schachtzomah*, ex ratione nominis videtur poſſe exponi *faſtuoſa*, *ſuperba*, aut *feraria*, quod forſan in ea varii generis feræ alerentur. BETHSAMES, *domum*, ſeu *ædem*, aut *fanum ſolis*, vel *locum ſolis* ſignificat. Diſtincta toto cælo ab iſta Iſſachariana eſt illa *Bethſemes* Iudaica, de qua egimus cap. XV. verſ. 10. & tertia illa Naphthalitia, de qua infra verſ. 38.

V. 25. FUITQUE TERMINUS EORUM HALCATH. Notant, in deſcribendis ſortis Aſeriticæ limitibus duci hic funiculum in termino occidentali, ab aquilone in meridiem, fere ſecundum maris mediterranei oram. *Halcath*. Hebr. חלקת *Chelkath*. Hæc eſt prima urbs Aſeriticæ poſſeſſionis in angulo aquilonari, termini occidentalis. Significat *partem*, *portionem*, *poſſeſſionem*. Hiſpanice *partida*. Hanc quidam putant I. Paralipom. VI. verſ. 75. appellari *Chukok*. Vide infra verſ. 34. & cap. XXI. verſ. 31. CHALI.

Vel

Vel *ægram* ; ſeu *morboſam* , aut *orarium*, *precatorium*, quod ibi ad preces conveniretur ; vel *ornatam* , *pulchram* exponere poſſumus . BETHEN. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Bathne in tribu Aſer: & nunc appellatur vicus Bethebem in octavo milliario Ptolemaidis contra orientem* . Significat *ventrem* , vel *uterum* , quod forte in modum ventris conſtructa eſſet: vel forſan dicta fuit a fructu illo *Batenim* , de quo diximus ſupra cap. XIII. verſ. 26. & Geneſ. XLIII. verſ. 11. quod eorum is locus ferax eſſet. AXAPH. Hebr. *Acſaph*, quidam hanc eamdem eſſe volunt cum illa quam deſcripſimus ſupra cap. XI. verſ. 1. Ego diverſam ſuſpicor , magiſque aquilonarem , & magis maritimam hanc. Vide ibi.

V. 26. ELMELECH. Hebr. אלמלך *Almelech* . Licet interpretari , *fortem regem* , Hiſpanice *fuerte rey* , vel *non regem*. AMAAD. Hebr. עמעד *Ghamghad*. Poteſt ſignificare, *Populus uſque*, vel *uſque ad populum*, aut *populi teſtimonium*. MESSAL. Hebr. מישאל *Miſchal*, inſerto Aleph ; quæ ſine Aleph , *Maſal*. dicitur I. Paralipom. VI. verſ. 74. *Poſtulationem*, ſeu *poſtulſionem*, vel *dominium* ſignificat. De hac puto ſcribere Euſebium, & S. Hieronymum in Locis: *Moſal, in tribu Aſer, iuxta Carmelum ad mare , civitas ſeparata Levitis* . AD CARMELUM. Hebr. *in Carmelo* . De hoc celebri monte diſſeruimus ſupra cap. XII. verſ. 22. ET SIHOR, ET LABANATH. Hebr. *Et in Sichor-Libnath* . Plerique putant utramque vocem unius & eiuſdem loci nomen eſſe , quem nonnulli putant eſſe eam urbem, quæ Iudicum I. verſ. 31. vocatur *Ghacho*, quam noſtri vocant Ptolemaidem , de qua eo in loco dicemus . Alii exiſtimant eſſe Belum, vel Pagidam amnem , de quo vide ſupra verſ. 11. & cap. XI. verſ. 8. שיחור-לבנה *Sichor-libnah* vero interpretantur *Nilum cryſtallinum* , vel *cryſtalliferum* ob vitreas arenas inſignem. *Sichor* enim Nilum ſignificare notavimus ſupra cap. XI. verſ. 3. *Libnath* vero a colore albo vel candido nomen habet: Quidam tamen *Sichor-libnath* , *obſcuram* ; aut *nigram lunam* exponunt. Alii vero ſecuti LXX. & Noſtrum duo diſtincta nomina, & loca, coniunctione interpoſita, conſtituunt; *Sichor*, & *Libnath*, & *Sichor*, *Belum*, vel *Pagidam* fluvium eſſe volunt: *Libnath* autem *promontorium album*; de quo Plinius Lib. V. cap. XIX. quod non longe a Belo aberat ſupra Achonem, ſeu Ptolemaidem : ideo Achonis hic non fieri mentionem quia incluſa erat his terminis , eius autem fieri mentionem Iudicum I. verſ. 31. Fortaſſe *Sichor Libnath* ſignificet *opacitatem populeti* , quod is locus populeto ſive his arboribus populis denſus & opacus eſſet: לבנה *libneh* enim *populum albam* ſignificat, Gen. XXX. verſ. 37.

V. 27. AC REVERTITUR CONTRA ORIENTEM , &c. Notant , iam hic depingi terminos auſtrales ab occidente in orientem . BETHDAGON. Aliam eiuſdem nominis deſcripſimus ſupra in tribu Iudæ, cap. XV. verſ. 41. ubi & etymon elucidavimus. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis : *Bethdagon locus , in quo duæ tribus Zabulon & Iſſachar habent confinia* . Recte quidam hic pro Iſſachar reſtituendum monent Aſer: nam ad Aſer, non ad Iſſachar pertinuiſſe Bethdagon, clare hoc loco dicitur. ZABULON. Complures pro tribu , ſeu ſorte accipiunt : alii pro nomine proprio peculiaris cuiuſdam urbis in eadem tribu: & ſorte utrumque verum fuerit. De urbe Zabulon Ioſephus Lib. II. Belli, cap. XXV. *Ceſtius in validiſſimam Galilææ civitatem contendit Zabulon, quæ appellatur virorum , & ab Iudæorum finibus Ptolemaida diſcernit . Cumque offendiſſet eam civibus deſtitutam (in montes enim multitudo refugerat) omnigenum autem rerum plenam , illas quidem militibus diripiendas conceſſit : ipſum vero oppidum, quamvis admiratus eſſet eius pulchritudinem , quippe domus habebat ſimiliter ut apud Tyrum & Sidona & Berytum ædificatas, incendit* . De ratione nominis diximus Geneſ. XXX. verſ. 20. ET VALLEM IEPHTHAEL . De qua egimus ſupra verſ. 14. ubi aſſignatur ſorti Zabulon ; hic vero adſcribi videtur Aſeritis ; ſed facile id contingere potuit in limitaneis hiſce urbibus , quæ confinibus ſortibus viciſſim accenſeri ſolent . CONTRA AQUILONEM . Hebr. *ad aquilonem* . quod coniungi poteſt cum antecedentibus , ſcilicet cum valle Iephthael , id eſt in vallem Iephthael , quæ eſt ad aquilonem ; vel cum ſubſequentibus , nempe ad aquilonem Bethameki , & Nehielis , quem ſenſum accentus Hebraici magis indicant . Quidam

hic reddunt : *Et in vallem Iiphthach-el ad aquilonem, & in Beth-emec, & Nehiel.* Alii: *Et in vallem Iiphthach-elis, ad aquilonem Beth-hemeki, & Nehielis.* Bethemec. Hebr. בית-עמק *Beth-ghemek* exponitur *domus*, ſeu *locus vallis*, aut *planitiei*, vel *campi*, ſeu *profunditatis*, quod in valle aut planitie, ſeu in loco depreſſo eſſet. Nehiel. Hebr. נעיאל *Neghiel*. Hanc per metatheſim LXX. vocant *Aniel*, de qua Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Aniel in tribu Aſer : eſt quædam villa nomine Betoænea in quintodecimo lapide a Cæſarea, ſita in monte contra orientalem plagam, in qua & lavacra dicuntur eſſe ſalubria.* Interpretantur *Neghiel*, *motionem*, ſeu *vagationem fortem*, ſeu *motionem Dei*. Vide infra verſ. 38. Ad laevam Cabul. Hebr. *ad Chabul de ſiniſtra.* Exponunt : A ſiniſtra, id eſt ab aquilone. Quidam reddunt: *Ad Chabulem ſiniſtrorſum*; id eſt, ab ea parte quæ maxime ſeptemtrionalis eſt. Porro *Chabul*, fere omnes intelligunt eam ipſam eſſe regionem, quæ I. Regum ix. verſ. 13. deſcribitur, de qua ibi accuratius dicemus. Unde inferunt, longo poſt Ioſue tempore hunc eius librum vel ſcriptum, vel concinnatum fuiſſe, cum Hiramus rex Tyri id nomen Chabul ei regioni primis indiderit. Nec tamen deſunt qui hic Chabul ſingularem aliquam, & certam urbem Aſeritarum accipiant.

V. 28. Abran. Hebr. עברון *Ghebron*. Quidam volunt hanc eſſe eam quæ infra cap. xxi. verſ. 30. & I. Paralipom. vi. verſ. 74. *Ghabdon* appellatur, ut facile in hac lingua Reſch & Daleth ob magnam ſimilitudinem facile commutantur : data enim Levitis ſcribitur. *Ghebron* autem ſignificat *tranſitorium*, quod forte ibi eſſet publicus tranſitus ad varias regiones. Hiſpanice *paſſaie, o puerto*. Rohob. Hebr. רחוב *Rechob*. Alia eiuſdem nominis in eadem forte Aſeritica ponitur infra verſ. 30. Utra autem harum aſſignetur Levitis infra cap. xxi. verſ. 31. & I. Paralip. vi. verſ. 75. incertum. Significat *latitudinem*, *plateam amplam*. Hamon. Hebr. חמון *Chammon*. Hæc tribui Nephthali adſcribitur I. Paralip. vi. verſ. 76. ſi tamen non ſit alia: ut fere in limitaribus urbibus fieri ſolet, quæ confinibus ſortibus ſolent eſſe communes. Licet interpretari *ſolarium*, *apricarium*, id eſt locum calidum, & ſoli expoſitum. Et Cana, usque ad Sidonem magnam. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Cana, uſque ad Sidonem maiorem eſt quippe & altera minor, ad cuius diſtinctionem maior hæc dicitur. Fuit autem Cana in tribu Aſer, ubi Dominus noſter atque Salvator aquam convertit in vinum: unde & Nathanael verus Iſraelita Salvatoris teſtimonio comprobatur : & eſt hodie oppidum in Galilæa gentium.* Hinc plerique Explanatores, & ſacri topographi duas Canaas conſtituunt, alteram quæ extabat apud Zabulonios in Galilæa inferiore, quatuor circiter horarum itinere ab Ptolemaide verſus euroauſtrum, ſupra vallem Carmeli, quæ minor dicebatur, celebris in Evangelio, initio miraculorum Chriſti de aqua in vinum mutata, Ioannis ii. Alteram hanc iſtam in tribu Aſer, de qua nunc agitur, quæ poſita erat in Galilæa ſuperiore, ſive Gentium non procul a Sidone, quæ maioris cognomentum habuit. Sed ego divinare non poſſum unde iſtas duas Canaas hauſerint. Certe ex Scriptura nuſpiam ; ex verbis autem Euſebii, & S. Hieronymi paulo ante deſcriptis, ineptiſſime ac falſiſſime, cum luce meridiana fulgentius Euſebius, & S. Hieronymus non duas Canaas, ſed duas Sidones, maiorem, & minorem diſtinguant: vero, an falſo, nunc ego non diſputo ; ſed cum maiorem, & minorem dicunt, ipſos de Sidone, non de Cana loqui, qui non viderit, funditus cæcum eum eſſe oportet. Qui cauſantur locum eſſe corruptum, prorſus ineptiunt. Ego non dubito hanc noſtram Kanah Aſeriticam eam ipſammet eſſe cuius in Evangeliis celebris, nec ſemel mentio fit: quod & Euſebius & S. Hieronymus diſertiſſime teſtantur. De Kanah Brocardus: *Ab Acone contra Eurum, primo occurrit Cana Galilææ, quatuor diſtans leucis ab Acone.* Alter Brocardus: *Primo poſt Aconem ad quatuor leucas occurrit Cana Galilææ, ubi Dominus aquas convertit in vinum.* Nec ab hoc ſitu diſcrepat noſtra hæc Aſeritica Kanah: nam hic non dicitur, eam prope Sidonem fuiſſe, ſed limitem Aſeritarum a Cana uſque ad Sidonem magnam fuiſſe protenſum. קנה *Kana* ſignificat *acquiſitionem*, *poſſeſſionem*; vel *cannetum*, *arundinetum*, quod forſan arundinum eſſe ferax.

Uſ-

Uſque ad Sidonem magnam. Hanc clauſulam explanatam habes ſupra cap. XI. verſ. 8.

V. 29. In Horma. Hebr. הרמה *Haramah*, vel *in Haram*. De hac puto ſcribere Brocardum: *Hinc, a Cana Galilææ, ſunt duæ leucæ verſus meridiem ad villam Ramam nomine, quæ ſita eſt ſub monte, qui Nazareth uſque pertingit*. Quidam volunt hanc eſſe quæ poſteris temporibus dicta eſt Sarepta Sidoniorum: quod ego non probo. *Ramah*, *excelſam* ſignificat, quod in edito loco ſita eſſet, ut id nomen ob ſitum commune fuit pluribus urbibus Chananææ: Usque ad civitatem munitiſſimam Tyrum. Hebr. *Et uſque ad urbem munitionis Tzor*. Quidam reddunt: *Uſque ad urbem munitam petræ*; id eſt, quæ ſita erat in rupe alta, natura, & arte munita. Sed omnes hic *Tzor*, vel *Sor*, Tyrum celeberrimam Phœniciæ urbem intelligunt, mutato Tzade in Thau. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Sor, Tyrus, metropolis Phœnicis, in tribu Nephthali*. Rectius in tribu Aſer; ſed erant confines tribus iſtæ. Hinc Latini olim Tyrum *Sarram* vocarunt ab Hebraico, ſeu Phœnicio vocabulo *Tzor*, vel *Sor*. Aulus Gellius Lib. XIV. Noctium Atticarum, cap. VI. *Quibus urbibus, regionibuſque vocabula iam mutata ſint, quod Tyrus Sarra ante dicta ſit*. Probus Grammaticus ad Virgilii Georgica: *Tyrus enim Sarra quandoque dicta eſt, ut Homerus docet, quem etiam Ennius ſequitur auctorem cum dicit*:

Pœnos Sarra oriundos.

Servius in illud II. Georgic.

...& Sarrano dormiat oſtro;

hæc ſcribit: *Id eſt Tyria purpura, quæ enim nunc Tyrus dicitur, olim Sarra vocabatur, a piſce quodam, qui illic abundat, quem lingua ſua Sar appellant*.

Iuvenalis:

....aut pictæ Sarrana ferentem,
Ex humeris aulæa togæ.

Nempe ſatyra X. ubi vide veterem Scholiaſtem. Feſtus: *Sarra, Tyrus inſula, quæ nunc Epiros eſt*, id eſt continens: & hanc putat genuinam eſſe lectionem, tametſi Scaliger emendet:

Sarra prius inſula, quæ nunc Epiros eſt.

Hoc etiam tempore barbari eam *Sur*, vel *Suri* appellant.

Etymon nominis varie elucidant. Quidam ab Hebraico צור *tzur*, id eſt *rupe*; *petra*, *ſaxo*, deducunt, atque ideo ſic dictam, quod in petra fuerit extructa, atque inſtar promontorii, mari, & tempeſtatibus maris fuerit oppoſita; ſive etiam propter robur, munitiones, & firmitudinem, quibus egregie fuit inſtructa. Quo alluſiſſe videtur Zacharias eleganti paranomaſia, etymon nominis veluti explicans cap. IX. verſ. 3. *Et ædificavit* (*Tzor*) *Tyrus*, (Matzor) *munitionem* (propugnaculum) *ſibi*. At Servius, uti paulo antea referebamus, lingua Phœnicia a *Sar* piſce quodam, qui illic abundat, vocatam exiſtimat: forte ex concharum genere, ex quibus purpura naſcitur: unde *Serranum oſtrum*. Nec multum a vero abfuerit rationem nominis eſſe Phœniciam.

De Tyro, quia eius claritudinem exponere ad intelligentiam Scripturarum non parum conducit, nonnulla veterum teſtimonia promemus. Strabo Lib. XIX. pag. 756. *Poſt Sidonem maxima & antiquiſſima Phœnicum eſt Tyrus, cum Sidone & magnitudine, & forma, & antiquitate comparanda, multis fabulis celebrata. Homerus Tyri non meminit: Coloniæ tamen in Africam & Hiſpaniam uſque ad loca extra columnas deductæ Tyrum plurimum celebraverunt. Tyrus tota inſula eſt, ac fere eodem modo habitata, quo Aradus ad continentem aggere eam annectente, ut cum Alexander eam obſideret. Portus duos habet, alterum clauſum, alterum apertum, quem Ægyptium vocant. Dicunt in ea domos altiores fieri quam Romæ: ideo etiam parum abfuit aliquando quin tota urbs terræmotibus deleretur. Cladem accepit ab Alexandro expugnata. Has tamen calamitates omnes ſuperavit, & ſe recollegit, cum navigationibus, qua re Phœnices ſemper aliis præſtitere, tum purpurarum captura. Tyria enim purpura optima omnium perhibetur, & piſcatio ipſa proxima eſt, & cetera cuncta quæ ad inficiendas veſtes pertinent, in promptu ſunt. Diſtat Tyrus a Sidone ſtadiis ducentis non amplius. Poſt Tyrum eſt antiqua Tyrus triginta ſtadiis diſtans*. Plinius Lib. V. cap. XIX. *Tyrus quondam inſula, præalto mari ſeptingentis paſſibus diviſa*. Diodorus, & Curtius ſtadiis tantum quatuor dividunt: *Nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens: olim partu clara, urbibus genitis, Lepti, Utica, & illa Romani imperii æmula, terrarum orbis*

Digitized by Google

bis avida Carthagine: etiam Gadibus extra orbem conditis. Nunc omnis eius nobilitas conchylio atque purpura conſtat. Circuitus novemdecim millium paſſuum eſt: intra Palætyro (id eſt, antiqua Tyro) *incluſa. Oppidum ipſum viginti duo ſtadia obtinet.* Pomponius Mela Lib. I. cap. XII. *In Phœnicia eſt Tyros, aliquando Inſula, nunc annexa terris, ab impugnante quondam Alexandro iacto opere.* Ptolemæus Lib. V. cap. XV. *Et Tyrus continenti annexa.* Q. Curtius Lib. IV. Rerum Alexandri cap. V. *Tyrus & claritate, & magnitudine ante omnes urbes Syriæ, Phœniceſque memorabilis.* Et cap. XV. *Tyrus urbs & vetuſtate originis, & crebra fortunæ varietate ad memoriam poſteritatis inſignis: condita ab Agenore, diu mare, non vicinum modo, ſed quodcumque claſſes eius adierunt, ditionis ſuæ fecit. Et ſi famæ libet credere, hæc gens litteras primo aut docuit, aut didicit. Coloniæ certe eius pene orbe toto diffuſæ ſunt, Carthago in Africa, in Bœotia Thebæ, Gades ad Oceanum, credo libero commeantes mari, ſæpiuſque adeundo terras ceteris incognitas, elegiſſe ſedes iuventuti qua tunc abundabant: ſeu quia crebris motibus terræ (nam hoc quoque traditur) cultores eius fatigati, nova & externa domicilia armis ſibimet quærere cogebantur. Multis ergo caſibus defuncta, & poſt excidium renata, nunc tamen longa pace cuncta refovente, ſub tutela Romanæ manſuetudinis acquieſcit.* Expugnatam ab Alexandro magnis operibus Tyrum, fuſe deſcribunt Diodorus Siculus Lib. XVII. Plutarchus in Alexandro, Q. Curtius Lib. IV. & Arrianus Lib. II. Rerum Alexandri, Iuſtinus Lib. XI. Vulpianus Iuriſconſultus in Digeſtis, Titulo de Cenſibus: *Sciendum eſt, eſſe quaſdam Colonias iuris Italici, ut eſt in Syria Phœnice ſpendidiſſima Tyriorum colonia, unde mihi origo eſt, nobilis regionibus, ſerie ſæculorum antiquiſſima, armipotens, fœderis quod cum Romanis percuſſit, tenaciſſima. Huic enim Divus Severus & Imperator noſter ob egregiam in rempublicam, imperiumque Romanum inſignem fidem, ius Italicum conceſſit.*

De eius conditu Herodotus Lib. II. n. 44. *Eſſe autem a Tyro condita, uſque ad ſua tempora, annorum duo millia ac trecentos.* Ioſephus Lib. VIII. Antiquitatum cap. III. *Tyrus condita eſt ducentis quadraginta annis antequam templum extrueretur.* Eadem Euſebius in Chronico. Unde Dionyſius Alexandrinus in Periegeſi, *Antiquamque Tyrum.* Iuſtinus Lib. XVIII. *Tyriorum gens condita a Phœnicibus fuit, qui terræ motu vexati, relicto patrio ſolo, Aſſyrium ſtagnum primo, mox mari proximum littus incoluerunt, condita ibi urbe, quam a piſcium ubertate Sidona appellaverunt: nam piſcem Phœnicies ſidon vocant. Poſt multos deinde annos a rege Aſcaloniorum expugnati, navibus appulſi, Tyron urbem ante annum Troianæ cladis condiderunt*, &c. Hæc Iuſtini facile illuſtrant illud Iſaiæ XXIII. verſ. 12. ubi Tyrus *filia Sidonis*, quaſi a Sidoniis condita, appellatur. Tyrum mire celebrarunt, multaque de ea vaticinati ſunt Iſaias cap. XXIII. Ezech. cap. XXVI. XXVII. XXVIII.

Sed & iuvat recentiores de Tyro prodentes audire. Vuillermus Tyrius Lib. VII. de Bello ſacro, cap. XXII. *Egregiam Phœnices metropolim Tyrum, vetuſtiſſimum Agenoris & Cadmi domicilium pervenerunt: ubi circa illum egregium, & ſæculis admirabilem fontem hortorum, & puteum aquarum viventium caſtrametati, in pomariis late patentibus, & multa commoditate refertis, nocte quieverunt una.* Accuratiſſime poſtea eam deſcribit Lib. XIII. initio. Iacobus Vitriacus in Hiſtoria Ieroſolymitana cap. XLIII. *Tyrus egregia & famoſiſſima civitas in corde maris ſita, ex omni parte fere marinis fluctibus circumdata, portum idoneum, & ſecuram infra mœnia præbens navibus ſtationem. Eſt autem metropolis & caput univerſæ Phœnicis provinciæ, muro, & antemurali & turribus eminentibus circumſepta, piſcium fertilitate commodiſſima, fontibus & rivis aquæ dulcis irrigua, vineis & hortis, arboribus fructiferis, & agris frugiferis fertilis & amœna. In cuius territorio in loco aliquantulum edito eſt fons ſive puteus, ſupra quem feſſus ex itinere dicitur quieviſſe Dominus, cum tranſiret per fines Sidonis & Tyri: habet autem aquas limpidiſſimas intrinſecus ita copioſe ſcaturientes, quod omnia pomaria & hortos olerum & univerſam irrigat regionem. Hunc Salomon in Canticis, puteum aquarum viventium appellat. Eſt autem extra civitatem, iuxta muros eiuſdem lapis quidam tam ab indigenis, quam peregrinis in honore magno & reverentia habitus, eo quod ſuper illum dicitur ſediſſe Dominus, & docuiſſe turbas confluentes: nec tamen gentilium voluit ingredi civitatem. Hanc autem civi-*

ta-

tatem antiquiſſimam poſt diluvium dicitur fundaſſe Tyras filius Iapheth Geneſ. x. qui fuit Noe filius, & a nomine ſuo Tyrum appellavit. Hebraice autem dicitur Sor, & nos vulgariter eam Sur appellamus, &c. Brocardus: *Tyrus urbs nedum in profanis, verum & in ſacris litteris celebratiſſima, in qua veteris ſuæ maieſtatis adhuc plurima viſuntur veſtigia. Hanc primum aiunt conditam a Tygra filio Iapheth, ſed a Phœnice inſtitutam. Magnum habet murorum ambitum, & ut mihi probabile eſt, amplior & maior eſt civitate Aconenſi: formam habet rotundam, rupi duriſſimæ inſidens, & undique mari circumdatur, niſi quod a fronte civitatis, hoc eſt, ab oriente patet aditus, quem primo Nabuchodonoſor, & deinde Alexander Magnus fecerunt urbem continenti contiguam reddentes. Verum is introitus hodie munitus eſt quadruplici muro fortiſſimo, ſpiſſo & alto, duodecim turribus, & propugnaculis intra eos collocatis. Huic tam forti ædificio adhæret arx, caſtrum munitiſſimum in rupe & corde maris, ſitum, ſeptum turribus & ornatum palatiis egregiis: crederes, ſi illud vidiſſes, nulla potentia facile expugnabile. Eſt ſedes archiepiſcopalis in hac urbe habens ſub ſe eccleſias Sidonienſem, Aconenſem, Paneenſem, & Berytenſem. Ante portam eius orientalem ad iactum duarum ſagittarum oſtenditur locus, in quo Chriſtus prædicavit; & ubi mulier extulit vocem de turba, dicens: Beatus venter qui te portavit.* Eadem omnino habet alter Burchardus, & Anſelmus Minorita, qui addit: *Tyrus forte diſtat ab Ieruſalem quadraginta leucis, forte triginta milliaribus noſtris*, id eſt Germanicis. Beniamin pag. 37. Itinerarii: *Ex Sidone autem itinere unico diſtat Tyrus nova, elegans urbs, commodiſſimo portu inſtructa, quem intra ſe continet, admittitque naves inter duas turres utrimque conſtructas: ita ut ærea catena a publicanis portorium adminiſtrantibus, ex altera in alteram turrim extenta, omnis exitus & aditus navibus per noctem præcludatur, nullusque poſſit aliquid e navibus ablatum aſportare. Neque exiſtimo illum portum huic ſimilem in orbe terrarum inveniri. Urbs ipſa, uti dixi, pulchra eſt. Sunt illic vitrarii artifices, qui vitrum conficiunt Tyrium dictum, præſtantiſſimum & maximæ in omnibus regionibus æxiſtimationis. Invenitur etiam ibidem ſaccharum optimum & probatiſſimum. Conſcendentibus Tyri novæ muros, antiqua Tyrus conſpicitur, mari olim obruta & obducta. Quod ſi quis ſcapha aut lintre mare ingredi velit, turres, fora, & plateas, & palatia in fundo deſpicit. Eſt autem nova Tyrus mercatu publico, ad quem undique convenitur, celebris.* Atque hactenus de Tyro. HOSA. Hebr. חוסה *Choſah*, vel *in Chos*. Significat *protectorium, latibulum, refugium, receptum*, vel *conniventiam, commiſerationem*: DE FUNICULO ACHZIBA. Hebr. *de fune Achzibah*. Quidam: *E regione quæ Achzib ſpectat*; id eſt, pertinebat ille tractus ubi funiculus iſte conſidebat in mare. finiebaturque ad regionem urbis Achzib. Alii, *A tractu ad Achzibum pertinente*. Nonnulli, *De tractu in quo ſita eſt Achzib*. Aliqui hic חבל *Chebel* non pro *funiculo*, aut *regione*, ſeu *tractu* accipiunt, ſed pro nomine propro cuiuſdam urbis accipiunt: *De Chebel ad Achzib*.

Achziba. Heb. *Achzibah*, vel *in Achzib*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Achziba in tribu Aſer, in qua alienigenæ permanſerunt. Hæc eſt Ecdippa in nono milliario Ptolemaidis pergentibus Tyrum* Fuit Ecdippa oppidum maritimum inter Ptolemaidem & promontorium album, de quo Ioſephus Lib. I. Belli, cap. XI. Plinius Lib. V. cap. XIX. Ptolemæus Lib. V. cap. XV. Id plerique volunt poſteris temporibus *Scandarium*, ſeu *Scandalium* fuiſſe nuncupatum. Villermus Tyrius Lib. XI. Belli ſacri, cap. XXX. *Eodem anno 1116. rex Balduinus anxius quomodo urbem Tyrenſium, quæ ſola urbibus maritimis ab hoſtibus detinebatur, ſuo mancipare poſſet imperio, inter Ptolemaidam, & prædictam Tyrum, caſtrum ædificat, in eodem loco, ubi Alexander Macedo ad expugnandam eamdem urbem olim dicitur fundaſſe idem præſidium, & de ſuo nomine Alexandrium vocaſſe. Eſt autem locus fontibus irriguus, vix quinque milliaribus a Tyro diſtans, in littore maris conſtitutus. Hunc locum hodie appellatione corrupta populares appellant Scandalium. Arabice enim Alexander Scandar dicitur, & Alexandrium Scandarium: vulgares vero* R, *in* L, *converſa, dicunt Scandalium.* Eadem habent Iacobus Vitriacus in Hiſtoria Ieroſolymitana, cap. XXIX. & XLIII. Brocardus, & alii. Vide Iudith 11. verſ. 22.

V. 30. AMMA. Hebr. עמה *Ghummah*, *tectam, aſconditam*, ſeu *populoſam* ſignificat,

Hiſ-

Hiſpanice *la puebla*. APHEC. Hebr. אפק *Aphek*. Hæc Iudicum I. verſ. 31. vocatur *Aphik*: de ea egimus ſupra cap. XII. verſ. 18. & cap. XIII. verſ. 4. Exponitur, *Vis*, *violentia*, *impetus*, *fluxus*, *torrens*, *alveus*. ROHOB. Hebr. *Rechob*. Alia hæc eſt ab illa verſ. 28. ſupra. Hanc illam eſſe exiſtimo de qua ſcripſimus Numer. XIII. verſ. 22.

V. 33. ET COEPIT TERMINUS, nimirum orientalis ab aquilone ad meridiem. DE HELEPH. Hebr. חלף *Cheleph*. Coniectant hanc urbem haud procul a Iordanis fontibus abſuiſſe. Significat *commutationem*, *tranſitum*, quod illac fortaſſe celebrior tranſitus eſſet ad varias regiones. ET ELON. Hebr. *de*, *ab Elon*. Quidam hic non pro nomine proprio, ſed appellativo capiunt: *De querceto in Tzaghnanim*. *Elon* enim *quercum*, ſeu *quercetum* ſignificare, obſervatum nobis in Geneſ. XII. verſ. 6. & Gen. XIII. verſ. 18. Et forte nomen Elon huic urbi inditum quod ibi *quercetum* eſſet. Italice *la quercia*. SAANANIN. Hebr. in צענגים *Tzaghananim*; quaſi indicet, *quercetum*, ſeu oppidum illud *Elon* fuiſſe in *Tzaghananim*. Aliqui *Tzabanangim* loca humiliora, humidiora, paluſtria interpretantur, qualia erant apud ſtagnum Samechonitidem. Nonnulli, quia id nomen Iudicum IV. verſ. 11. in aliquibus Hebraicis codicibus duali forma effertur, Tzaghanaim, factum volunt a duabus ibi notiſſimis, & perpetuis paludibus. Alii ſic locum dictum volunt, a vagis, & ſæpe tranſmigrantibus hominibus, quaſi mobilibus & inſtabilibus, cum ibi ſua tabernacula collocarent. Ibi enim Heber Cinæus cum ſuis gentibus hominibus vagis tentoria poſuerat, Iudic. IV. verſ. 11. ubi etiam affirmatur *Elon in Tzaghananim* prope *Kades* urbem Nephtalicam fuiſſe: ET ADAMI, QUAE EST NECEB. Hebr. *Et Adami Nekeb*. Plerique Noſtrum ſecuti, unam & eamdem urbem exiſtimant, *Adami Nekeb*; redduntque: *Et de* אדמי, *Adami foſſa*. נקב *Nekeb*, *cavitatem*, *foſſam*, *perforationem*, *fiſtulam*, *execrationem ſignificat*. Hanc nonnulli putant eſſe *Adam* illam ſupra cap. III. verſ. 16. Ibi vide. Significat *rubram*, *rufam*. Hiſpanice *villa roxa*. IEBNAEL. Hebr. *Iabneel*. Alteram vidimus in tribu Iuda cap. XV. verſ. 11. De nominis etymo ibi diximus. LECUM. Hebr. לקום *Lakkum*, a *lambitione* videtur nomen habere, vel ſi compoſita vox eſt, *Ad ſurgere*, quod in ſurrecto eſſet loco. ET EGRESSUS EORUM USQUE AD IORDANEM. Hebr. *Et fuit exitus eius Iarden*: pluralis numerus eſt *exitus*, vel eſt enallage numeri, vel Iordanis fuit egreſſiones eius. Quidam: *Definebatque in Iordanem*; id eſt, Iordane finiebatur ſeu terminabatur.

V. 34. REVERTITURQUE TERMINUS CONTRA OCCIDENTEM. Hic iam deſcribuntur termini auſtrales ab Iordane ſeu oriente verſus occidentem, ſeu mare mediterraneum. AZANOTTHABOR. אזנות תבור proprie ſignificat *aures Thabor* montis. Hebræi intelligunt caput, & ſummum faſtigium montis. Aliqui extremitatem montis. Nonnulli eam partem montis quæ auricularum ſeu anſarum formam exprimit. Sic ſupra verſ. 12. dicuntur *cheſiloth Thabor*, *ilia*, ſeu *devexa Thabor*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Azanoth*, *terminus Nephtalim: eſt autem nunc vicus ad regionem Diocæſareæ* (ſive Sephoris) *pertinens*, *in campeſtribus*. Huius loci quidam fieri mentionem putant I. Machab. IX. verſ. 15. ubi quod Græca, & Latina exemplaria habent, *Uſque ad montem Azoti*, ipſi emendant, *Uſque ad Aznotas montem*, de qua lectione ibi diſquiremus. HUCUCA. Hebr. חקוקה *Chukokah*, ubi He videtur locale, *in Chukok*, nam ita ſine He appellatur hæc urbs I. Paralipom. VI. verſ. 75. ubi tamen tribui Aſer adſcribitur; niſi ſit alia. Augurantur ſitam fuiſſe in eo auſtrali angulo quo Aſeritæ, & Zebulonitæ attingebant Nephtalitas. *Statuariam*, *ſculptricem*, *deſcriptricem* ſignificare videtur. Alii a foro nomen deducunt; quaſi Luſitanice dicas, *Foreyro*. De hac proculdubio ſcribunt Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Icoc ſortis Nephtalim in confinio trium tribuum: id eſt, in tribu Zabulon ad auſtralem plagam: in tribu Aſer ad occidentem: porro in tribu Iuda ad ſolis ortum*. Hæc mirifice hunc verſum illuſtrant. Sed *Chukok* limitanea civitas viciſſim potuit & ad Aſeritas, & ad Nephtalitas pertinere. Forſan eſt *Chelkath* ſupra verſ. 25. ET IN IUDA AD IORDANEM. Vide ſupra cap. XV. verſ. 5.

V. 35. ASSEDIM, Hebr. הצדים *Hotzid-*

ziddim, vel *Tzidim*. Exponunt *latera*, Hiſpanice *las laderas*; vel *inſidias*, ſeu *retia*. Quidam cum ſequenti Tzer coniungunt, & unum eumdemque locum faciunt, *Tzidim-Tzer*; quaſi dicas, *Latera-Tzer*. SER. Hebr. צר *Tzer*. LXX. pro Tzor, id eſt Tyro, acceperunt. Perperam, nam nihil Tyrus ad hanc tribum. *Anguſtiam* ſignificat, fortaſſe quod in arctis & anguſtis locis ſita eſſet. EMATH. Hebr. חמת *Chamath*, celebrem eam urbem eſſe nonnulli exiſtimant, quam late deſcripſimus Lib. IV. de Antichriſto, cap. XVII. & in Geneſ. X. verſ. 18. cuius mentio etiam extat ſupra cap. XIII. verſ. 5. *Calidam*, ſeu *ſolarem* ſignificat. Quidam *calidam*, a calidis, & ſalubribus, ſeu ſulphuratis aquis, nempe thermis: aliqui *utrem* vel *lagenam* interpretantur: quod vel in modum utris aut lagenæ conſtructa eſſet; vel quod eiuſmodi vaſa optima ibi conficerentur. Alii tamen eam ipſam eſſe exiſtimant quæ infra cap. XXI. verſ. 32. *Chamoth-Dor* appellatur; & I. Paralipom. VI. verſ. 76. dicitur *Chamon*. RECCATH. רקת *Rakkath*. Hanc nonnulli ſuſpicantur forte eam eſſe quæ infra cap. XXI. verſ. 32. vocatur *Karthan*; alioquin *Karthan*, quæ ibi in tribu Nephtali recenſetur, prætermiſſa hic eſſet, ſi non eſt *Rakath*. *Vacuam*, *tenuem*, *ſputoſam*, aut *ſalivoſam*, Italice *ſpumaram* ſonat. Eamdem I. Paralipom. VI. verſ. 76. volunt appellari *Kiriathaim*, id eſt *geminam civitatem*. CENERETH. Hebr. כנרת *Cinnereth*. De hac urbe, & ſtagno Cinereth diximus abunde in Numer. XXXIV. verſ. 11. Ab ea enim urbe lacui nomen factum facile credunt: unde colligunt, terminos, Nephtalitarum ad uſque ſtagnum Geneſareth, ubi urbs Cinereth poſita erat, pertendiſſe. Dicta eſt poſtea Tiberias, unde & mare Tiberiadis. Brocardus: *A Bethulia eſt una leuca ad civitatem Tiberiadis, eundo ſcilicet inter orientem & auſtrum ſupra mare Galilææ, a qua mare Galilææ dictum eſt mare Tiberiadis. Hæc olim vocata eſt Cinereth, & ab ea mare Cinereth: ſed ab Herode inſtaurata in honorem Tiberii Cæſaris, Tiberias eſt vocata. Habet ſolum fertile, & pingue: terminaturque ad eam regio Decapoleos.* *Citharam* ſignificat, vel quod citharæ formam, ut etiam lacus ipſe, exprimeret.

V. 36. EDEMA. Hebr. אדמה *Adamah*. Hanc putant eam ipſam eſſe, quæ ſupra verſ. 33. dicta fuit *Adami*. *Rufam*, *rubram*, *argilloſam* interpretantur. ARAMA Hebr. הרמה *Haramah*, vel *Ramah*. Multarum urbium in Chananæa id nomen fuit, ob ſitum proculdubio, quod in excelſis & elevatis locis extructæ eſſent. ASOR. Hebr. חצור *Chatzor*. Euſebius, & S. Hieronymus in locis Hebraicis: *Azor in tribu Nephtalim, quam Aſſyriorum rex populaſſe ſcribitur*, nempe II. Regum XV. verſ. 29. Prope Kades fuiſſe, ex eodem loco Regum intelligitur, & ex præſenti Ioſue loco, in quibus cum Kades coniungitur. Eius mentio extat I. Machabæor. XI. verſ. 67. & apud Ioſephum XIII. Antiquit. cap. VIII. Diſtabat a Tyro orientem verſus octo leucis, & a Paneade ſeu Cæſarea Philippi verſus boream, ſex leucis: poſteris temporibus vocata eſt Antiopia. Eam deſcripſimus ex Brocardo, cap. XI. verſ. 1. Exponitur *curtale*. Hiſpanice *corral*.

V. 37. CEDES. Hebr. *Kedes*, de ea diximus accurate ſupra cap. XII. verſ. 22. Hæc infra cap. XX. verſ. 7. & I. Paralipom. VI. verſ. 76. & Iudicum IV. verſ. 6. vocatur *Kedes in Galilæa, in monte*, ſeu *tribu Naphthali*, ad diſcrimen alterius *Kedes* in tribu Iſſachar, I. Paralipom. VI. verſ. 72. quæ ſupra verſ. 20. appellatur *Kiſion*. EDRAI. Hebr. אדרעי *Edreghi*. Diverſa hæc ab illa regni Baſan ultra Iordanem, de qua egimus Numer. XXI. verſ. 33. Quidam interpretantur *forte brachium*. Italice *forte braccia*. Alii *pulchram paſtionem*, vel *magnificam*, *amplam paſturam*. ENHASOR. Hebr. עין-חצור *Ghen-Chatzor*. *Oculus*, ſeu *fons*, *Chatzor*. Hiſpanice, *Fuen corral*. Alii exponunt *fontem munitum*. Hiſpanice *fuen cerrada*.

V. 38. IERON. Hebr. יראון *Iiron*. A ראה *raah* eſt, *viſibilis*, *aſpectabilis*, Hiſpanice, *la viſtoſa*. A ירא *iare*, *timenda*, *pavenda*, *reverenda*. Aliqui *pauroſam* reddunt. MAGDAL-EL. Hebr. מגדל-אל *Migdal-El*, id eſt *granditas*, ſeu *magnitudo Dei*: aut *turris Dei*, vel *turris fortis*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Magdil-El, in tribu Nephtalim: & hodie parvus vicus oſtenditur in quinto milliario Dore pergentibus Ptolemaidem*. HOREM. Hebr. חרם *Chorem*, *anathema*, *devotionem*, *excommunicationem*, *internecionem* ſignificat. Quidam

Digitized by Google

dam exponunt *deſertum*. Hiſpanice *yermo*. BETHANATH. Hebr. בית-ענת *Beth-Gbanath*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Beth-ana in tribu Nephtalim: & eſt villa nomine Beth-anea in quinto a Cæſarea lapide: in qua dicuntur lavacra eſſe ſalubria: quam & ſupra ſub nomine Aniel poſuimus*. Fruſtra ſunt qui, quæ Euſebius, & S. Hieronymus de *Neghiel*, ſeu *Aniel* Aſeritica produnt, ad Bethghanath Naphthaliticam transferunt, atque hic pro Cæſarea Palæſtinæ, Cæſaream Philippi, aut Diocæſaream, id eſt Sephorim, ſubſtituunt. Perſpicue enim illi hæc non de *Beth-anath*, ſed de *Aniel* referunt. Vide ſupra verſ. 27. Quidam *locum*, ſeu *domum reſponſionis*, vel *echo*, Hiſpanice *caſa de echo*, interpretantur. Alii *domum afflictionis*, ſeu *oppreſſionis*, vel *paupertatis*, aut *ieiunii*. BETH-SAMES. Hebr. *Beth-ſemes*. Longe alia hæc ab illa Iudaica cap. xv. verſ. 10. & ab illa Iſſachariana ſupra verſ. 22. *Domum*, *ædem*, ſeu *fanum ſolis* ſignificat: vel quod in ea templum aliquod ſolis exiſteret; aut quod ample ſoli expoſita eſſet, quam undequaque feriret.

V. 41. SARA. Hebr. *Tzareghah*. De hac diximus ſupra cap. xv. verſ. 33. ESTHAOL. De hac etiam vide eodem loco. HIR-SEMES. Hebr. עיר-שמש *Ghir-Schemeſch*, id eſt *urbs ſolis*. Quidam exiſtimant hanc eſſe quæ in catalogo urbium Iudaicarum, cap. xv. verſ. 10. numcupatur *Beth-ſames*. Alii volunt eam eſſe quæ I. Regum IV. verſ. 9. dicitur *Beth-ſames*, & Iudicum I. verſ. 35. *Har-cheres*, id eſt *mons ſolis*: nam ſignificatione conveniunt.

V. 42. SALEBIN. Hebr. שעלבין *Schaghalabbin*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Selebin, in tribu Dan, uſque hodie grandis vicus oſtenditur in finibus Sebaſtenis nomine Selaba*. Hanc, & ſequentem Aialon, vicinas inter ſe, & ipſi *Ghir-ſemes*, colligitur e I. Iudicum, verſ. 35. ubi *Saghalbim* appellatur. Significat *vulpinam prudentiam*, ſeu *vulpis ædificium*. AIALON. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Aialon urbs fortis Dan ſeparata Levitis: eſt & hodie vicus alius haud procul a Nicopoli. Sciendumque quod pro Aialon* LXX. *ediderunt, Ubi erant urſi*: nimirum unam ſpeciem pro alia ſubſtituentes, nam איל *aial cervus*. Diximus de hac urbe plura ſupra cap. x. verſ. 12. Alia videtur quibuſdam fuiſſe Aialon in tribu Ephraim I. Paralipom. VI. verſ. 69. ſed revera non eſt. Vide ibi Com. & alia in tribu Zabulon, Iudicum XII. Hæc noſtra videtur adſcribi Biniamitis, I. Paralipom. VIII. cap. verſ. 13. & II. Paralipom. XI. verſ. 10. A *cervis* nomen habet, quaſi *cervariam*, Hiſpanice *cervera*, dicas. Vide I. Samuel. XIV. verſ. 13. IETHELA. Hebr. יתלה *Iitlah*. *Pendentem*, vel *ſuſpenſam* ſonat, a ſitu fortaſſe. Sic in Tuſcia *Aquapendente*.

V. 43. ELON. אלון *elon* ſignificat *quercum* vel *alnum*, ſeu *quercetum*, Italice *quercia*. Diſtincta hæc ab illa Naphthalitica ſupra verſ. 33. Hanc quidam putant I. Regum IV. verſ. 9. appellari *Elon-Beth-Chanan*, id eſt *Quercum domus pietatis*. Niſi ſint diverſa loca, quod plerique ſcribunt. THEMNA. Hebr. *Thimnathah*. Hæc ſupra cap. xv. verſ. 10. & 57 accenſetur Iudæis: ſed non eſt dubium Iudaicam fortem & Simeonitis, & Danitis magna ex parte ſuffeciſſe. Egimus plenius de ea Geneſ. XXXVIII. verſ. 12. ACRON, ſeu *Acharon*. Hebr. *Ghekron*. Hæc quoque ponitur in Iudaico catalogo ſupra cap. XV. verſ. 45. quam plene deſcripſimus cap. XIII. verſ. 3.

V. 44. ELTHECE. Hebr. *Elthekeh*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Elthechoh in tribu Dan, ſeparata Levitis*. Nonnulli hanc putant eſſe Iudaicam *Elthekon* ſupra cap. XV. verſ. 59. ſed Euſebius, & S. Hieronymus diſtinguere videntur. Vide ibidem, ubi & rationem nominis elucidavimus. GEBBETHON. Hebr. גבתון *Gibbeton*. Hæc aſſignatur Levitis cap. XXI. verſ. 23. eius mentio extat I. Regum xv. verſ. 27. ubi inſignis & munita urbs Philiſthinorum fuiſſe deſcribitur. *Eminentem*, ſeu *excelſam* interpretantur, quod forte in colle, aut loco edito poſita fuerit: Hiſpanice *empinada*. BALAATH. Hebr. *Baghalath*. Quidam ſuſpicantur eſſe *Beghaloth* Iudaicam, ſupra cap. xv. verſ. 24. vel *Baghalah*, quæ *Kiriath-iegharim*, de qua diximus cap XV. verſ. 9. & 60. Vide I. Regum IX. verſ. 18.

V. 45. IUD. Hebr. יהד *Iehud*. Licet exponere, *Iaculum*, vel *iaculatricem*: forte

quod

Digitized by Google

quod vel ibi optima iacula & tela conficerentur; vel quod gens iaculandi arte polleret. Alii *confeſſionem*, *laudem*, *celebritatem* exponunt, quod eſſet celebre oppidum. ET BANE, ET BARACH. Noſter duo oppida, ſeu loca, interiecta coniunctione, intellexiſſe videtur. Hebr. cum Makaph, unus tantum locus deſcribitur בני-ברק *Bene-berak*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Bane in tribu Dan. Barac in tribu Dan, uſque hodie prope Azotum, Bareca viculus appellatur*. Quidam *Bene-berak* exponunt *filios berak*. Alii *filios fulguris*; forſan quod terra fulguribus eſſet obnoxia. GETHREMMON. Hebr. גת-רמון *Gath-rimmon*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Geth-remon, alia civitas in tribu Dan ſeparata Levitis: eſt autem nunc villa prægrandis in duodecimo milliario Dioſpoleos* (id eſt Lyddæ) *pergentibus ad eam de Eleuteropoli*. Alia fuit *Gath-rimon* in tribu Manaſſis infra cap. XXI. verſ. 25. Exponitur *prelum*, ſeu *torcular mali Punici*, ſeu *malogranati*. Forte quod ibi ex malogranatis ſuccus, vel vinum exprimeretur. Perperam alii reddunt *hortum malogranati*; Hiſpanice *huerta de granados*: גן *gan* enim eſt *hortus*; גת *gath*, *prælum*, *torcular*..

V. 46. MEIARCON. Hebr. מי הירקון *Me-haiarkon*. Redditur *aquæ iercon*, *aquæ viriditatis*, ſeu *oleris*, Hiſpanice *aquas verdes*. Alii *aquæ robiginis*, ſeu *flavedinis*. Forſan ſulphuratas. ARECON. Hebr. הרקון *Harakkon*, ſeu *Rakon*. Poſſis reddere *tenuem*, *exilem*; vel *diaphanam*, *translucentem*; aut *acu pictam*, *Phrygionicam*: quod in ea præſtantia eiuſmodi opera conficerentur. CUM TERMINO QUI RESPICIT IOPPEN. Hebr. *cum termino contra Iapho*. Exponunt: Id eſt, cum toto illo tractu qui erat coram, ſive e regione Iapho; hoc eſt, qui adiacebat Iapho. Quidam: *Cum limite e regione Ioppes*; id eſt, generatim cum omnibus urbibus quæ in conſpectu Ioppes erant poſitæ. Alii: *Cum termino* ſuo *e regione Iaphuntis*; id eſt, cum omnibus locis quæ Ioppes agro affinia fuerunt. IOPPEN. Hebr. יפו *Iapho*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Ioppe oppidum Palæſtinæ maritimum, in tribu Dan*. Clara & inſignis urbs Ioppe memorabili portu. Strabo Lib. XVI. pag. 759. *Ioppe, iuxta quam Ægypti littus ante verſus ortum ſolis porrectum, ad ſeptemtrionem manifeſte, notabiliter deflectitur, veluti in puncto deflectitur. Ibi quidam Andromedam ceto expoſitam fabulati ſunt. Locus ſatis editus eſt, ita quidem, ut inde tradant Ieroſolyma conſpici Iudæorum metropolim. Quin & Iudæi portu hoc utuntur, uſque ad mare degreſſi. Sed portus hi latronum receptacula ſunt. Horum fuere ſilva & Carmelus. Locus hic adeo hominibus abundavit, ut ex Iamnia proximo vico, & circumvicinis habitationibus quadraginta hominum millia armarentur*. Ioſephus Lib. III. Belli cap. XXIV. *Ioppe natura eſt importuoſa: namque in aſperum, ceteraque arduum littus deſinit, ac ſummis utrimque cornibus leviter incurvum; quæ vaſte ſuperſunt, & ingentibus procellis pelagus turbant: ubi etiam nunc Andromadæ catenarum ſignis extantibus, fabulæ veteris fides oſtenditur. Adverſus autem aquilo feriens littora, ſummos in obiectas cautes fluctus affligit, ſolitudineque intutiorem efficit ſtationem*. Egeſippus Lib. III. Excidii, cap. XX. Ioſephi veſtigia ſecutus: *Res poſtulare videtur, ſitum littoris eius, quo prætexitur Ioppe, breviter exponere: Importuoſa eſt natura civitas, cuius ab ora maris littus aſperum directumque, ſed cornibus utrimque leviter inflexum: in quibus profunde rupes, ſaxaque ingentia, quæ mari prominent: & cum de imo maris ſurgant, in mare excurrunt tamen: unde etiam Andromedam illic fuiſſe, cum ceto obiectaretur, formæ locorum atque ipſæ rerum ſpecies prodere videntur, non mediocrem vetuſtis fabulis fidem accommodantes. Cædentibus itaque littus adverſum boreæ flatibus, immane quantum undæ attolluntur: quæ ſcopulis illiſæ fragorem ingentem excitant, atque in fluctus relapſæ, inquietum reddunt, ut plus periculi in portu, quam in deſerto ſit*. Mela Lib. I. cap. XI. *Eſt Ioppe ante diluvium, ut referunt, condita: ubi Cephea regnaſſe eo ſigno accolæ affirmant, quod titulum eius, fratriſque Phinei, veteres quædam aræ cum religione plurima retinent. Quin etiam rei celebratæ carminibus, ac fabulis, ſervatæque a Perſeo Andromedæ clarum veſtigium belluæ marinæ oſſa oſtentant*. Plinius Lib. V. cap. XIII. *Ioppe Phœnicum, antiquior terrarum inundatione, ut ferunt. Inſidet colli præiacente ſaxo, in quo vinculorum Andromedæ veſtigia oſtendunt. Colitur illic fabuloſa Derceto*:

& cap. XXXI. *In Phœniceo mari eſt ante Ioppen, Paria, tota oppidum, in qua obie-ctam belluæ Andromedam ferunt*: & Lib. IX. cap. V. *Belluæ, cui expoſita fuiſſe dicebatur Andromeda, oſſa Romæ apportata ex oppido Iudææ Ioppe, oſtendit inter reliqua miracula in ædilitate ſua* Marcus Scaurus, *longitudine pedum quadraginta, altitudine coſtarum Indicos elephantos excedente, ſpinæ craſſitudine ſeſquipedali*. Solinus cap. XXXVII. *Ioppe oppidum antiquiſſimum orbe toto, utpote ante inundationem terrarum conditum. Id oppidum ſaxum oſtentat quod vinculorum Andromedæ veſtigia adhuc retinet, quam expoſitam belluæ non irritus rumor circumtulit. Quippe oſſa moſtri illius Marcus Scaurus inter alia miracula in ædilitate ſua Romæ publicavit. Annalibus nota res eſt. Menſuræ quoque veracibus libris continentur, ſcilicet, quod coſtarum longitudo exceſſerit pedes quadraginta, excelſitas elephantis fuerit Indicis eminentior: porro verticuli ſpinæ ipſius, latitudine ſemipedem ſunt ſupergreſſi*. Meminere Ioppes Ptolemæus Lib. V. cap. XVI. Dionyſius in Periegeſi, & alii. Beniamin in Itinerario, pag. 49. *Quinque abhinc* (nempe a Rama, ſive Ramula) *leucis eſt Gapha, olim Iapho, aliis Ioppe dicta, ad mare ſita*. Diſtare ab Ieruſalem viginti quatuor milliaribus, auctor eſt Vuilliermus Tyrius Lib. VIII. cap. I. Brocardus: *Ieruſalem vero a Ioppe diſtat octo leucis inter occidentem & aquilonem*. S. Hieronymus epiſtola CXXIX. ad Dardanum: *Ab Ioppe uſque ad viculum veſtrum Bethlehem, quadraginta ſex millia ſunt*. Fuiſſe prope Lyddam, ſeu Dioſpolim, dicitur Actor. IX. verſ. 38. Hebræis ſignificat *pulchram, decoram, formoſam*. Inſignis in Scripturis habetur, & Ionæ fugientis, & Machabæorum hiſtoria.

V. 47. ET IPSO FINE CONCLUDITUR. Hebr. *Et exivit terminus filiorum Dan ab eis*; id eſt, ſubtractus fuit ab illis; quaſi dicat: Deſtituit eos terminus; hoc eſt, fuit minor & anguſtior quam ut eos capere poſſet: non habuerunt regionem capacem tantæ multitudinis. Defecit filiis Dan locus ſufficiens ad habitandum, ideo coacti ſunt novas quærere ſedes. Hiſpanicus Interpres: *Y faltoles termino a los hiios de Dan*. Quidam reddunt: *Prodierat autem terminus filiorum Danis minor ab eis*, id eſt infra eos, ſeu quam illis ſufficeret: *quapropter aſcendentes filii Danis pugnaverunt contra Leſchemum*, &c. Notant, Danitas ſive anguſtis terminis concludi ſe arbitratos, ſive a vicinis Chananæis arctius compreſſos, loca alia ſibi quæſiviſſe. Alii convertunt: *Porro egreſſus eſt terminus filiorum Dan ab ipſis*; id eſt, filii Dan egreſſi ſunt extra terminum ſuum, nimirum extra eam hereditatem, quæ ipſis divina ſorte obtigerat, emigraſſe, aliaſque poſſeſſiones quæſitum eſſe profectos. Cum enim illas ſedes adverſus Amorrhæos obtinere non poſſent; ſed e planis locis cogerentur in montes, ac ne inde quidem prohibere hoſtes quirent, ſe in urbem Leſem verſus Boream contulerunt. Nonnulli: *Et ab his exit limes filiorum Dan*; id eſt, in his tractibus & regionibus finitur, ac definit terminus Daniticæ ſortis. Qui ſenſus eſt Noſtri. ASCENDERUNTQUE FILII DAN, ET PUGNAVERUNT CONTRA LESEM, &c. Tota hæc hiſtoria occupatæ a Danitis urbis Leſem, fuſius deſcribitur Iudic. XVIII. ubi eam accurate enarrabimus: certum eſt enim contigiſſe poſt mortem Ioſue: atque hic tantum ſummatim & proleptice perſtringi, occaſione hereditatis Daniticæ, quæ hic deſcribitur. Unde etiam colligunt hunc Librum, ut modo ſcriptus extat, poſt mortem Ioſue fuiſſe conſcriptum, vel quibuſdam additis & interiectis, auctum & concinnatum.

V. 50. THAMNATH SARAA. Hebr. תמנת-סרח *Thimnath-Serach*. Hanc deſcriptam habes infra cap. XXIV. verſ. 30. Quidam methatheſi ſic dictam volunt pro *Thimnath-Cheres*, ut diſerte appellatur Iudic. II. verſ. 9. Significat autem *auſtrum*, ſeu *auſtralem ſolis*. Alii, *Thimnath-Serach*, exponunt *auſtralem redundantiæ*, vel *ſuperfluitatis*; vel ex ſignificato Chaldaico, *fœtoris, graveolentiæ, ſitus, pædoris*. Augurantur fuiſſe urbem non magnopere æſtimandam ob aridum & fœdum ſolum. Longius etymon petunt, qui interpretantur *imaginem ſolis*. Fortaſſe quod ibi Ioſue monumentum aliquod inſigne, præclari illius miraculi ſtantis ſolis conſecraverit. De qua re dicemus cap. XXIV. verſ.

V. 51. HAE SUNT POSSESSIONES, &c. Abſoluta iam partitione, & diſtributione terræ per ſortes, & poſſeſſiones ſingulis tribubus Iſrael; non fuerit abs re ad maio-

Digitized by Google

maiorem hiſtoriæ lucem, breviter & ſummatim, quæ boni auctores de magnitudine terræ Chanaan, & de præcipuis limitibus ſingularum ſortium & tribuum prodidere, pauca delibare.

S. Hieron. epiſt. cxxix. ad Dardanum: *A Dan uſque ad Berſabee vix centum ſexaginta millium in longum ſpatio tenditur.* Brocardus: *Longitudo terræ ſanctæ ab aquilone incipit a monte Libano, iuxta Cæſaream Philippi, extenditurque contra auſtrum uſque ad Berſabee Iuda, quæ eſt contra deſertum, complectens plus minuſve ſexaginta ſeptem leucas. Latitudinem vero eius non adeo exacte obſervavi.* Recentiores vero explanatores, & topographi ferme triginta leucarum, ſeu itineris trium dierum ſtatuunt latitudinem. Ioſephus Lib. V. Antiquit. cap. III. *Apud Siluatem Ieſus, aſſumpto Eleazaro cum ſenatu, ac tribuum principibus, diviſit regionem novem tribubus, & Manaſſitarum dimidiæ parti, cuique tribui pro eius magnitudine, agrum-admetiens. Cumque ad ſortes ventum eſſet, tribui Iudæ obvenit tota ſuperior Iudæa pertinens uſque Ieroſolyma: latitudo vero eius Sodomiticum lacum attingebat. In hac ſorte urbes erant Aſcalon & Gaza. Secundo loco Simeonis ſortita eſt Idumææ partem Ægypto & Arabiæ conterminam. Beniaminitæ deinde regionem ſortiti ſunt, quæ a Iordane amne uſque mare protenditur: latitudo vero eius patet Ieroſolyma inter & Bethela. Anguſtiſſima autem hæc ſors fuit, propter agri bonitatem: Ieroſolyma enim & Ierichuntem acceperunt. Ephraimi autem tribus terram a Iordane uſque Gadera in longum protenſam ſortita eſt; in latum patentem a Bethelis uſque ad magnum campum* (Galilæi, ſeu Eſdrelonis.) *Manaſſetidis item dimidia pars agrum a Iordane uſque Dora urbem: latitudine uſque Bethſana, quæ nunc Scythopolis vocatur. Poſt hos Iſſacharis in longum patentem a flumine* (Iordane) *uſque Carmelum montem: latitudinis vero mons Itabyrius fuit terminus. Zabulonitæ uſque Geneſaritem lacum terram Carmelo & mari contiguam ſunt ſortiti. Quæ autem regio poſt Carmelum ſita eſt, Convallis ex re nomen habens, tota Aſeritis ceſſit, qua ad Sidonem eſt obverſa. In hac portione fuit Arſe, alio nomine Actipus. Quæ vero ad orientem ſpectant uſque Damaſcum urbem, & ſuperior Galilæa Nephtalitis obtigit, uſque Libani montem & Iordanis fontes, qui ex hoc monte oriuntur, qua fines ſunt Arces urbis verſus ſeptentriones ſitæ. Porro Danitæ adepti ſunt quidquid vallis ad occidentem ſolem vergit, Azoto & Doris terminati. Horum eſt Iamnia & Gitta, & totus ager, qui ab Acarone pertingit uſque ad montem, a quo Iudæ tribus initium fecit. Ad hunc modum ſex gentium a filiis Chananai denominatarum regionem Ieſus diviſit, & novem cum dimidia tribubus habitandum dedit. Amorrhæam enim, & ipſam ab uno ex filiis eius dictam Moyſes iam ante duabus cum dimidia tribubus diviſerat. Sidoniorum autem, Arucæorum, Amathæorum, & Arithæorum agri nihil ad hanc diviſionem pertinuerunt.* Hactenus Ioſephus. Brocardus: *Porro memorata longitudo terræ Chanaan plus minuſve ſexaginta ſeptem leucarum, decem tantum complectitur tribus. Tribus Iuda ſuperiorem obtinuit regionem, quæ in longitudine quidem extenditur ab Ægypto uſque in Ieruſalem: diciturque intervallum illud occupare ſeptem dietas: in latitudine vero incipit a lacu Aſphaltite, hoc eſt a mari mortuo, & definit uſque ad mare magnum in occidente. Tribui Simeonis obvenit pars in ipſa tribu Iudæ, nempe quæ eſt iuxta Ægyptum circa montana Arabiæ. Beniaminitæ ſortiti ſunt poſſeſſionem ſuam a Iordane uſque ad mare magnum in longitudine: latitudo vero eius eſt ob Ieruſalem uſque in Bethel, quatuor fere complectens leucas. Tribus Ephraim ſortem ſuam accepit a Iordane fluvio uſque ad Gaderam, quæ eſt iuxta Ioppen: & tranſverſo uſque ad campum magnum, ubi incipit Galilæa. Tribus Manaſſe una medietas incipit a Iordane, & terminatur ad mare magnum: & in tranſverſo, quæ eſt latitudo eius, definit in Bethſan. Tribus Iſſachar ſecundum longum incipit a Iordane, & terminatur ad Carmelum iuxta Mageddo: in latitudine vero habet Bethſan & montem Thaborinum extremitates. Tribus Zabulon habet Carmelum & lacum Geneſareth extremitates longitudinis: & in latitudine a monte Thabor verſus Nazareth, quinque occupat leucas. Tribus Aſer occupat totam terram a Carmelo maris uſque ad Sidonem magnam, in longitudine ſcilicet viginti leucarum continens ſpatium: in latitudine vero extenditur a mari magno uſque Naſon, & Aſor per ſpatium novem leucarum. Tribus autem Nephtalim accepit partes orientales uſque ad Damaſcum, Galilæam ſuperiorem, a mari Galilææ, uſque ad mon-*

tem

tem Libani, fonteſque Iordanis includens: & hæc in longitudine: iuxta latitudinem vero tranſit ab Aſor uſque ad regionem Thraconitidis. Tribus Dan occupat loca convallis iuxta mare magnum ab auſtro terminata ad Azotum, ab aquilone ad Doram, habens ſcilicet a tribu Iuda Azotum, Accaron, & Geth: & a Beniamin Iamniam & Ramatha uſque ad Ioppen. Et ut in ſumma dicam, tota terra ſancta a Iordane uſque ad mare magnum, quæ eſt latitudo eius, ab oriente ſcilicet in occidentem non videtur excedere ſedecim leucas (forte germanicas longiores.) *In longitudine vero, quæ ab aquilone in auſtrum computatur, a Dan ſcilicet, quæ nunc Belenas, ſive Cæſarea Philippi dicitur, uſque ad Berſabee, quæ nunc Giblim appellatur, habet circiter ſexaginta quatuor aut ſex leucas*, Germanicas, quæ Hiſpanicis maiores ſunt. Hucuſque Brocardus. Atqui ut illa Ioſephi, & iſta Brocardi ſuas in quibuſdam difficultates & nodos patiantur; tamen ceteris aliis maiorem auctoritatem & firmitudinem retinent: nec omnia quidem ad vivum reſecare poſſumus. Habes lector plurimos terræ promiſſæ recentiores deſcriptores, nec paucos Libri Ioſue Explanatores, quos conſulas: ac cum primis Maſium, qui in his perveſtigandis inſigni uſus eſt diligentia, & eruditione.

MENOCHII.

Verſ. 2. IN MEDIO POSSESSIONIS FILIORUM IUDA. Quod quomodo intelligendum ſit, vide num. 9. BERSABEE, ET SABEE: eſt duplex nomen unius tantum civitatis, alioqui non eſſent tantum tredecim urbes, ut dicitur num. 6. ſed quatuordecim, ut patet numeranti.

V. 9. QUIA MAIOR ERAT. In Heb. eſt, *Quia fuit pars filiorum Iuda multa præ ipſis*, id eſt maior quam ipſis neceſſaria eſſet, aut quam ipſis deberetur. Credibile eſt portionem Iudæ attributam, Geometrarum errore, fuiſſe maiorem, ſunt enim artium initia fere rudia, & necdum ars metiendi agros ad eam perfectionem quam nunc habet, deducta.

V. 10. TERMINUS POSSESSIONIS, &c. Hic eſt terminus occidentalis pergendo ab auſtro aquilonem verſus, ab urbe ſcilicet Sarid uſque ad torrentem qui eſt e regione urbis Iechonam.

V. 12. ET REVERTITUR. Hoc, & ſequenti verſiculo deſcribitur auſtralis terminus ab occidente orientem verſus progrediendo, ſcilicet a Sarid uſque ad urbem Remmon.

V. 13. AMTHAR, ET NOA. Videntur hæ duæ urbes terminum orientalem conſtituere ab auſtro ad ſeptemtrionem, ab Remmon ad Noam.

V. 14. VALLIS IEPHTHAEL. Septemtrionalis terminus ab oriente in occidentem, a Noa uſque ad torrentem, in vallem nimirum Iephthael, uſque ad mare mediterraneum.

V. 15. CIVITATES DUODECIM; plures tamen numerantur in textu, quare quod ſupra monuimus, dicendum celebriores interdum vicos numerari, qui tamen ſubtilius rem exigenti, in civitatum numerum venire non poſſint.

V. 18. FUITQUE EIUS HEREDITAS, &c. Civitates ſex, quæ duobus hiſce verſibus numerantur, fuerunt terminus auſtralis tribus Iſſachar. IEZRAEL, civitas omnium facile princeps, de cuius valle vide cap. XVII. num. 16.

V. 20. RABBOTH, &c. Rabboth cum reliquis quatuor urbibus, quæ proxime numerantur, ſunt terminus occidentalis ab auſtro ad aquilonem progrediendo. Serarius ait, perveniſſe hanc tribum uſque ad mare mediterraneum: quod ex eo colligit, quia mons Carmelus, ex Ioſepho, ad hanc tribum pertinebat: Carmelus autem fere mari imminet.

V. 21. ENHADDA, &c. Enhadda cum reliquis quatuor urbibus quæ hoc, & ſequenti verſiculo recenſentur, ſunt terminus eiuſdem tribus ad aquilonem.

V. 22. EXITUS EIUS IORDANIS. Terminatur tribus hæc Iordane ad orientem.

V. 25. FUITQUE TERMINUS EORUM HALCATH. Tribus Aſer terminus occidentalis quadam ex parte ab aquilone in meridiem progrediendo.

V. 27. AC REVERTITUR, &c. hoc eſt latus auſtrale ab oriente in occidentem.

V. 28. EGREDITURQUE AD LAEVAM, &c. latus orientale ab auſtro in aquilonem: & hoc etiam verſiculo continetur latus ſeptemtrionale ab oriente in occidentem, quia iſti duo termini orientalis,

Digitized by Google

lis, & aquilonaris una veluti gyratione ſimul explicantur.

V. 33. COEPIT TERMINUS DE HELEPH. Terminus orientalis deſcribitur tribus Nephthali, qui a ſeptemtrione verſus auſtrum per urbes monſtratur. Hæ vero cum ad Iordanem fere ſitæ ſint, ſit ut & ipſe a ſuo exortu, ac fonte Iordanis, uſque ad ſe ipſum in Geneſareth mare influentem recte dicatur terminus orientalis.

V. 34. REVERTITURQUE TERMINUS, &c. Terminus auſtralis ab oriente in occidentem, idem ſcilicet qui Zabuloni erat aquilonaris, ſed hic urbibus duabus indicatus, quæ in ipſa tribu Nephthali ſitæ ſunt. ET IN ASER CONTRA OCCIDENTEM. Terminus occidentalis indicatur idem qui tribui Aſer erat orientalis. ET IN IUDA AD IORDANEM CONTRA ORTUM SOLIS. Non ſignificatur tribum Nephthali eſſe conterminam tribui Iudæ, ſed quod facili & opportuna, vel per Iordanem navigatione, vel per eius littus profectione iungatur, & quodammodo vicina, & affinis ſit tribui Iudæ; ita ut licet ſit verſus aquilonem extrema tribus Nephthali, per commercium tamen cum aliis tribubus, propter iter facile, & expeditum, iungatur, & earum bona participet, & nominatim tribus Iuda. Terminus porro aquilonaris huius tribus erat Libanus mons.

V. 38. CIVITATES DECEM ET NOVEM. Numeranti apparet plures eſſe; ſed quomodo hoc intelligendum ſit, diximus hoc cap. num. 15.

V. 41. ET FUIT TERMINUS. Termini tribus Dan non aliter hic explicantur quam aliquarum urbium, quæ tamen unum aliquem ordinem non tenent, enumeratione, ſed ex qua apparet maximam huius tribus partem tribus Iudæ terminis incluſam fuiſſe, ob eamdem ſcilicet cauſam, propter quam intra eoſdem tribum Simeon receptam fuiſſe diximus hoc cap. num. 9.

V. 49. IUXTA PRAECEPTUM DOMINI: cuius mentio quædam fieri videtur ſupra cap. XIV. 6. illis verbis Calebi ad Ioſue: *Noſti quod locutus ſit Dominus ad Moyſen hominem Dei de me, & te in Cadesbarne.*

V. 50. THAMNATH SARAA, quæ Iud. II. 9. dicitur Thamnath Saræ.

TIRINI.

Verſ. 8. & 9. HEREDITAS FILIORUM SIMEON.... IN POSSESSIONE ET FUNICULO erat FILIORUM IUDA, QUIA funiculus Iuda MAIOR ERAT quam ei conveniret: ſicque abſciſſa ab eo particula quæ Simeonicæ tribui ſedem præberet. Videtur enim, inquit Abulenſis, errore priorum Geometrarum, putantium ſat eſſe ſpatii in Palæſtina omnibus tribubus ad habitandum laxiſſime, tribui Iudaicæ, quæ prima ſuas terras inhabitatum ierat, pluſculum ſpatii conceſſum fuiſſe. Qui error a ſecundis Geometris, penitius omnia explorantibus, ac pro ſeptem reliquis tribubus iuſſu principum rurſus terram metientibus, mox deprehenſus, ac correctus fuit. Atque ita contigit divina providentia, impleri prophetiam Iacobi Patriarchæ, qua non minus de Simeone quam Levi prædixerat, Geneſis XLIX. *Dividam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael.* Nam ſacerdotes, & levitæ per omnes tribus diſperſi habitabant; Simeonis vero poſteri licet certam ſedem ſortiti ſint, quia tamen hoc, quem iam dixi, errore aliquo modo propriis ſedibus primo privati ſunt, nec niſi correcto errore, tribu Iuda ſinum ſuum pandente, illoſque invitante, & excipiente, in alienæ tribus terminis, quaſi in alieno hoſpitio collocati fuerunt, poſſunt etiam aptiſſime dici inter Iſraelitas diſperſi fuiſſe.

V. 50. THAMNATH SARAA IN MONTE EPHRAIM. Unicam imperatori ſuo Ioſue urbem hanc iure hereditario poſſidendam dederunt Iſraelitæ, non amplam, uberem, aut amœnam, ſed anguſtam, aridam, ac pene dirutam: quæ ab arborum graveolentia, & ſoli ſterilitate cognomentum *Sarab* ſortita videtur, inquit Arias Montanus. Et ſita erat in *monte Gaas*, Ioſue ultimo verſ. 30. & Iudicum II. verſ. 9. & II. Regum XXIII. verſ. 30. id eſt, *in monte tempeſtatis, commotionis, & procellæ*. In cuius ſeptemtrionali latere etiam ſepeliri voluit. Hanc Ioſue tanti imperatoris animi modeſtiam non ſat mirari potuit ſancta Paula, teſte S. Hieronymo *a*, cum ſacra Palæſtinæ loca viſeret; videretque, tam præclarum ducem, tot tantiſ-

tiſque rebus geſtis, tot & tantis victoriis inſignem, tam modeſte ac demiſſe ſeipſum in diviſione terræ tam nobilis, tam fecundæ geſſiſſe, nec ſibi ſuæque familiæ niſi locum perexiguum, vilem, aſperum, ruinoſum, vel potius dirutum delegiſſe: ſed neque pro ſua auctoritate delegiſſe, verum a populo ut ſibi daretur petiiſſe, & quidem ultimo loco, dum aliis iam abunde proviſum, & omnibus ex voto factum eſſet ſatis. In quo ſane veri Ieſu Domini noſtri figuram geſſit, cui cum omnia tradita eſſent a Patre, delegit ſibi ſemper locum viliſſimum in Bethlehem, in ſtabulo, in præſepi, in cruce.

Nota. Hæc eadem urbs, quæ hic vocatur *Thamnath-Saraa*, vel *Serech*, ut eſt in Hebræo, poſtea ut patet cap. 11. Iudic. verſ. 9. traiectis retrograde litteris, in honorem Ioſue vocata fuit *Thamnath-Cheres* (ſic enim eſt in Hebræo) id eſt *imago ſolis*: quia Iſraelitæ ſuper monumento Ioſue imaginem ſolis collocarant, ut *ſolis-ſtitii* eius apud poſteros iugis eſset memoria. Ita Rabbini, & Maſius, & Adrichomius, & Arias. Poſterioribus temporibus videtur locus celebrior redditus, immo ex celeberrimis totius Palæſtinæ: nam cum in decem Toparchias Iudæam totam dividerent Romani, ab hac urbe unam legimus, teſte Plinio *b*, nominatam fuiſſe *Thamniticam*.

(*a*) Hieron. in Vita Paulæ.
(*b*) Plin. Lib. V. cap. XIV.

GORDONI.

Verſ. 1. Tribus Simeonis partem accepit ſuam; ſed termini eius ad mundi plagas more aliarum non deſcribuntur: quia, ut habet contextus verſ. 9. habitare datum eſt illi in medio filiorum Iuda.

V. 2. Bersabee et Sabee: non duo ſunt loca, ſed unus ſub duobus nominibus. Coniunctio &, exponens particula eſt. Hinc I. Paralip. IV. alterum omittitur. Et idem docet noſter textus, habens verſ. 6. tantum tredecim eſſe civitates: alioqui eſſent ibi urbes quatuordecim.

V. 9. Datur ratio cur ſors Simeonis ſit poſita in ſorte tribus Iuda.

V. 11. Ascenditque, &c. Sors hæc eſt Zabulon uſque ad verſ. 17.

V. 13. Gethepher, IV. Reg. verſ. 14. eſt patria Ionæ.

V. 15. Bethlehem, in tribu Zabulon. Eſt altera in tribu Iuda. Matth. 1. verſ. 2.

V. 22. Thabor, mons in tribu Zabulon iuxta Nazareth. Eo tamen ſere pertingit linea Iſſachar, cuius ſors deſcribitur a verſ. 17.

V. 26. Ad Carmelum maris, ſcilicet magni, & iuxta Ptolemaidem. Eſt alius mons Carmelus ad auſtrum. Hieronym. Iſaiæ XXIX.

V. 34. Mons Thabor nominatur hoc capite ter, verſ. 12. verſ. 22. & verſ. 34. unde ſuſpicantur tres eſse montes Thabor cognomine diſtinctos. Probabile eſt Iuda hic eſse nomen peculiare loci.

V. 35. A Cenereth urbe, nomen Genezareth, quod vocatur mare Tyberiadis, in tribu Nephthali.

V. 41. & 41. Duæ hic notantur urbes: una eſt *Hirſemes*, עיר שמש, *civitas ſolis*; altera eſt *Leſem*, iuxta Libanum; & Dan etiam vocata eſt, & Lais, & Cæſarea Philippi.

V. 49. Ioſue Euphratem, accepit urbem Thamnath Saraa, ubi tempore Hieronymi videbatur eius ſepulcrum. Quod aliqui addunt appoſitam ſepulcro ſolis imaginem, habet dubiam fidem.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 10. Terminus possessionis. Hic eſt terminus occidentalis eundo ab auſtro ad aquilonem, nempe ab urbe Sarid ad torrentem qui eſt e regione Iechonam urbis.

V. 15. Civitates duodecim. Plures ſunt in textu; ſed ſunt duodecim potiores.

V. 38. Civitates decem et novem. Intellige potiores; alioqui plures videntur ut iam dicebam verſ. 15.

CA-

CAPUT XX.

Sex refugii civitates, & qui ad eas poſſint confugere: & quamdiu ibi remanere debeant.

1. ET locutus eſt Dominus ad Ioſue, dicens: Loquere filiis Iſ-
rael, & dic eis: 2. Separate urbes fugitivorum, (a) de qui-
bus locutus ſum ad vos per manum Moyſi; 3. ut confugiat
ad eas quicumque animam percuſſerit neſcius: & poſſit eva-
dere iram proximi, qui ultor eſt ſanguinis: 4. cum ad unam
harum confugerit civitatum, * ſtabit ante portam civitatis, &
loquetur ſenioribus urbis illius ea quæ ſe comprobent inno-
centem: ſicque ſuſcipient eum, & dabunt ei locum ad habitandum. 5. Cumque
ultor ſanguinis eum fuerit perſecutus, non tradent in manus eius: quia ignorans
percuſſit proximum eius, nec ante biduum, triduumve, eius probatur inimicus.
6. Et habitabit in civitate illa, donec ſtet ante iudicium cauſam reddens facti ſui,
& moriatur ſacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore: tunc revertetur homi-
cida, & ingredietur civitatem & domum ſuam de qua fugerat. 7. Decreveruntque
que Cedes in Galilæa montis Nephthali, & Sichem in monte Ephraim, & Car-
iatharbe, ipſa eſt Hebron, in monte Iuda. 8. Et trans Iordanem contra orien-
talem plagam Iericho, (b) ſtatuerunt Boſor, quæ ſita eſt in campeſtri ſolitudi-
ne, de tribu Ruben, & Ramoth in Galaad de tribu Gad, & Gaulon in Baſan
de tribu Manaſſe. 9. Hæ civitates conſtitutæ ſunt cunctis filiis Iſrael, & advenis
qui habitabant inter eos: ut fugeret ad eas qui animam neſcius percuſſiſſet, &
non moreretur in manu proximi, effuſum ſanguinem vindicare cupientis, donec
ſtaret ante populum expoſiturus cauſam ſuam.

(a) Numer. xxxv. 10. Deut. xix. 2. (b) Deuter. iv. 43.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 4. *Stabit ante portam*. Non eſt addenda coniunctio *ſtabitque*, tametſi Hebraice legatur.

COMMENTARIA

SA.

Verſ: 2. MANUM MOYSI. LXX. *Moyſen*.

V. 3. ANIMAM, id eſt hominem, ſeu aliquem viventem. NESCIUS, id eſt per errorem: & ſic infra.

V. 5. ANTE BIDUUM, TRIDUUMVE. Hebr. *ab heri*, & *nudiuſtertius*, id eſt antea.

V. 6. DECREVERUNTQUE. Chald. *Conſtitueruntque*. Hebr. *Et ſanctificaverunt*, id eſt paraverunt, ſeu dedicaverunt. LXX. *Et diſtinxerunt*, quo verbo uti ſolent pro conſtituere: ſic illud, *Et diſtinxit in labiis ſuis*; & illud, *Quæ diſtinxerunt labia mea*.

xxxv. verſ. 9. & ſeqq. Deuteron. iv. verſ. 41. & ſeqq. & Deuteron. xix. verſ. 2. & ſeqq. *Urbes fugitivorum* . מקלט *Miklath* omnia iſta complectitur : *Urbes recollectionis* , *ſuſceptionis* , *contractionis* , *refugii* , *receptus* , *retractus* , *evaſionis* , *aſyli* , ubi contrahantur , recolligantur , & retineantur fugitivi. Hiſpanice : *Cividades de acogimiento, refugio, eſcapamiento* . Vide Numer. xxxv. verſ. 6. & Deuter. xix. verſ. 3. & 4. Sic verſ. 3.

V. 3. Animam percusserit. Hebr. *percutiens animæ* , ſeu *animam* , id eſt quempiam . Vel percutiens aliquem, ut eum anima & vita privet. Et possit evadere iram proximi, qui ultor est sanguinis. Perite expreſſit Hebræa , *A redemptore, vindice, & propinquo ſanguinis* . Vide Levit. xxv. verſ. 25. & Numer. xxxv. verſ. 12. 19. 21. גואל דם *goel dam* dicebatur *redemptor* , *aſſertor* , *vindex ſanguinis* , qui iure propinquitatis, ſeu conſanguinitatis ultor ſanguinis erat, id eſt propinqui ſui cruenta morte interfecti . Quaſi dicat: Ne forte interficiat eum proximus, ſeu cognatus eius, qui interfectus fuerit : nam id ei licebat ex lege Numer. xxxv. verſ. 19. & 21.

V. 4. Ante portam civitatis. Hebr. *oſtium portæ urbis* , ubi nimirum publici & iuridici conventus de more Hebraico haberi ſolebant . Et loquetur senioribus urbis illius ea quae se comprobent innocentem . Hebr. *Et loquetur in auribus ſeniorum urbis eius verba ſua* . Quidam : *Exponet autem audiente ſenatu eius urbis cauſam ſuam* . Alii : *Et expoſuerit audientibus ſenioribus illius civitatis rationes ſuas* ; id eſt, quæcumque faciunt in rem , & cauſam ſuam.

V. 5 Nec ante biduum, triduumve, eius probatur inimicus. Hebr. *Et non proſequens odio ipſe ab heri , & nudius tertius* , id eſt antea . Synecdoche .

V. 6. Et moriatur sacerdos magnus. Hebr. *Uſque ad mori ſacerdotem magnum* . Recte ſubaudiunt, ſi cauſa a magiſtratu cognita imprudens feciſſe iudicabitur, ut manifeſte dicitur Numeror. xxxv. verſ. 24. 25. Cur autem iis miſeriis expectanda eſſet ſacerdotis maximi mors, & Hebræi, & Noſtri plurimas reddunt cauſas. Vide nobis Annotata in Num. xxxv. verſ. 25.

V. 7. Decreveruntque. Hebr. *Et conſecraverunt* , ſcilicet in aſyla : nam aſylorum religio magna . Iulius Pollux Lib. I. Onomaſtici, cap. x. *Sed ſi aliquod aſylum fuerit, latebram vocabis & refugium: ſacros terminos , in quibus ſervis ſecuritas præbetur . Terra autem diis dedicata , ſacra tellus dicitur , & orgas , quam terram incultam , Deoque ſacram interpretantur* . Servius ad illud AEneidos II.

.... Iunonis aſylo ,

inquit: *Templo , unde nullus poſſit ad ſupplicium extrahi. Dictum aſylum quaſi aſyrum . Hoc tem non eſt in omnibus templis , niſi quibus conſecrationis lege conceſſum eſt . Primo autem apud Athenienſes ſtatutum eſt ab Herculis filiis : quos iſ ſequebantur ii , qui erant a patre oppreſſi , ficut docet in VII. Statius, vel quod fugienti illuc ſpolia non detrahebantur : ſyla enim Græce aut furta , aut ſpolia dicuntur . Hoc aſylum etiam Romulus imitatus eſt , unde eſt : Quem Romulus acer aſylum rettulit* . Non eſt dubium aſylorum religionem ab Hebræis ad alias gentes dimanaſſe , cacozelia diaboli , qui ſe Dei ſimiam conatur effingere . Ergo aſyli Herculis apud Athenienſes præter Statium, & Servium , meminit quoque Plutarchus in Theſeo. De alio Herculis aſylo in AEgypto apud oſtium Nili Canopicum agit Herodotus Lib. II. cap. cxiii. De aſylo Apollinis , & Dianæ apud Daphnem Antiochiæ, ſcribit Strabo Lib. XVI. pag. 750. & liber II. Machab. cap. iv. verſ. 33. & 34. De aſylo Neptuni in Calauria inſula , Strabo Lib. VIII. pag. 373. De aſylo Dianæ Epheſiæ, Cicero Verrina vi. Strabo Lib. XIV. pag. 641. De aſylo Hebes apud Phliaſios agit Pauſanias II. Corinthiacorum, pag. 56. & de altero Aleæ Minervæ apud Tegeates in Peloponneſo, idem Pauſanias in Laconicis , pag. 86. De aſylo in Samothracia, Diodorus Siculus Lib. III. pag. 132. De aſylo Palico in Sicilia, idem Diodorus Lib. XI. pag. 288. Romuli aſylum notiſſimum eſt , e Dionyſio Halicarnaſſeo Lib. II. Livio Lib. I. cap. viii. Virgilio Lib. VIII. AEneidos , Ovidio III. Faſtorum, Plutarcho in Romulo, Strabone Lib. V. pag. 230. Livius Lib. XXXV. cap li. *Templum eſt Apollinis Delium* ; *ubi & in fano lucoque , ea religione , & eo iure ſancto , quo ſunt templa , quæ aſyla Græci appellant* . Tacitus

citus Annal. III. *Crebreſcebat enim Græcas per urbes licentia, atque impunitas aſyla ſtatuendi. Complebantur templa peſſimis ſervitiorum: eodem ſubſidio obærati adverſus creditores, ſuſpectique capitalium criminum receptabantur*. DECREVERUNTQUE. Notant, nempe cis Iordanem, ut ex antitheſi, & determinatione ſequentis verſus manifeſto colligitur. IN GALILAEA. Heb. גליל *Galil*. Hic primum occurrit celebris provinciæ mentio, ſacris litteris nobilitatæ. *Galil* proprie ſignificat *limitem*, *confinium*, *orbem*, *circumterritorium*, *circumregionem*, a circumferentia, ſeu rotunditate, vel ſphæricitate dictam; quaſi dicas, *Circumferentiam*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Duæ ſunt Galilææ, ex quibus una Galilæa gentium vocatur, vicina Tyriorum finibus, ubi & Salomon viginti quinque civitates donavit Hiram regi Tyri in ſorte tribus Nephtalim. Altera Galilæa circa Tiberiadem & ſtagnum Geneſareth in tribu Zabulon*. Illam *ſuperiorem*, hanc *inferiorem* appellant. Utramque accuratiſſime deſcripſit Ioſephus Lib. III. Belli cap. III. Meminere Galilææ Strabo Lib. XVI. pag. 763. Plinius Lib. V. cap. XIV. Ptolemæus Lib. V. cap. XVI. Vide Iſaiæ IX. verſ. 1. Kedes autem in Galilæa gentium, ſeu ſuperiore erat. Ioſephus Lib. V. Antiquit. cap. III. *In Nephtalitide Kedeſis, quæ eſt in Superiore Galilæa*.

V. 8. ET TRANS IORDANEM CONTRA ORIENTALEM PLAGAM IERICHO. Hebr. *Et de trans, ultra, ipſi Iordani Iericho, in ortum*. Quidam: *Trans Iordanem vero Ierichuntis ad orientem*; id eſt, qua parte Iordanis fluit non procul ab urbe Ierichuntina verſus orientem. Alii: *Ultra Iordanem vero e regione Iericho, ad orientem*. Nonnulli: *Trans Iardenem autem e regione Ierichunti orientem verſus*. Sic vero loquitur, quod ille locus celebris eſſet, quo Iſraelitæ traiecerunt Iordanem in Chananæam ingredientes.

V. 9. CIVITATES CONSTITUTAE. מועדה *moghadah* proprie eſt participium paſſivum fœmineum formæ Hiphil verbi יעד *iaghad*. Alii pro nomine ſubſtantivo exponunt. I. *Urbes conſtitutionis*; id eſt, de communi omnium ſententia publice in aſyla conſtitutæ. II. *Urbes conventionis*, *congregationis*, id eſt perfugii, ſive refugii, ad quas conveniebant, & congregabantur occiſores. III. *Civitates conventus*, ut Latini loquuntur, qui *conventus* appellant iuridicos, quos Hiſpanice dicimus *audiencias*, *chancillerias*, ubi publice ius dicebatur. Sic Plinius Lib. III. cap. III. de Hiſpania inquit: *Nunc univerſa provincia dividitur in conventus ſeptem*, id eſt in ſeptem publica loca, quo provinciales cauſa iuris accipiendi conveniebant. Ita hic civitates iuridicorum conventuum dicuntur, quia in his publica iudicia de homicidis exercebantur. DONEC STARET ANTE POPULUM EXPOSITURUS CAUSAM SUAM. Hebr. *Uſque ad ſtare eum ad facies conventus*. Quidam: *Donec ſtetiſſet coram cœtu*, vel *concilio*, aut *ſenatu*; id eſt, donec cognitum eſſet de cauſa eius. Alii: *Donec ſiſteretur coram comitiis*; id eſt, donec cauſa eius eſſet agitata coram iudicibus. Nonnulli: *Donec ſteterit coram cœtu*; id eſt, donec cauſam in iudicio dixerit, & iudicium fit paſſus ab iis fieri, quorum fidem, & cognitionem imploraverat.

MENOCHII.

Verſ. 2. DE QUIBUS LOCUTUS SUM, Numer. cap. XXXV. & Deuter. XIX. Vide ibi dicta.

V. 3. ANIMAM PERCUSSERIT: hominem occiderit. NESCIUS: ſoli enim involuntarii homicidæ, & culpa carentes, iure aſyli gaudebant. Vide Deuter. XIX. verſ. 4. PROXIMI QUI ULTOR EST SANGUINIS, cognati ſcilicet, cui permiſſum eſt occidere percuſſorem propinqui ſui, abſque alia iudicis condemnatione, quocumque loco eum reperiret.

V. 4. STABIT ANTE PORTAM CIVITATIS: in portis enim civitatum prætoria conſtituebantur, & ibi exercebantur iudicia.

V. 5. NEC ANTE BIDUUM, TRIDUUMVE, EIUS PROBATUR INIMICUS. Ex quo capi poteſt coniectura, non dolo, ſed caſu occiſum. Quod dicitur, *Ante biduum, triduumve*, in Hebr. eſt, *Ab heri, & nudiuſtertius*, quod phraſi Scripturæ idem eſt quod *antea*.

V. 6. DONEC STET ANTE IUDICIUM, ex verſione LXX. textus noſter lucem accipit. Habent illi: *Et non morietur homicida a perſequente ſanguinem, quoad uſque conſiſterit coram ſynagoga in iudicium*,

Mo-

Moriatur sacerdos magnus, Pontifex. Cura refugii urbibus, & exiliis, Pontificis mors exules liberaret, varii varias afferunt rationes. Vera ratio, quia ſic iuſſit Dominus. Sic autem iuſſiſſe videtur ut hac figura ſignificaretur vera illa libertas, quæ nobis per Chriſtum Pontificem parta eſt. Hic enim vere maximus Pontifex eſt, ut docet ſanctus Paulus ad Hebræos, & per homicidas illos ſignificantur omnis generis peccatores.

V. 9. Et advenis, proſelytis tamen, & ad Iudaiſmum converſis. Sunt tamen qui velint, etiam gentiles in gentiliſmo permanentes, ius aſyli in his civitatibus habuiſſe.

T I R I N I.

Verſ. 2. Urbes fugitivorum. De his urbibus egi fuſe Numer. xxxv. Hic ſolum adverſus Andream Maſium, qui ſcelerum odio, iuſtitiæque zelo videtur Chriſtianorum aſyla improbare, nota, graviſſimas, urgentiſſimaſque ob cauſas, ſicut olim urbes quædam refugii erant apud Iudæos, ſic etiam modo apud Chriſtianos templa, cœmeteria, cænobia, religioſaſque domos pro aſylis concedi. Primo, quia ſic divini Numinis ſumma monſtratur maieſtas, dum ei dicata loca & domus adeo habentur ſacroſanctæ, ut, etiamſi hominibus illatum ſit damnum, & vel publicum, vel privatum bonum pœnas exigat, ob illius tamen reverentiam ſecurus quis in illis ſit; neque audeat illum quiſpiam inde extrahere, ibi attingere, aut violare. Secundo, maior quædam & ſublimior de divinis rebus vulgo conciliatur opinio, dum vident in aris, templis, & religioſis domibus tantum eſſe miſeris mortalibus opis ac præſidii. Tertio conſulitur multorum innocentiæ: inicitur quoddam veluti frenum incitatæ adverſariorum iracundiæ ac furori: tempus datur & ei qui ad aſylum venit, ſubeundæ pœnitentiæ, & aliis qui eum inſequuntur, & ad necem depoſcunt, maturioris conſilii capeſſendi. Et ut nulla eſſet alia utilitas, hæc ſane perinſignis eſt, per aſylorum religionem etiam in bellis, & urbium expugnationibus cohiberi ac retundi, ſi non omnino, & ſemper, ſaltem ut plurimum, & maiori ex parte, hoſtiles mucrones, bacchanteſque in cæde & ſanguine alibi dextras hic miteſcere, ac veluti fractas & debilitatas elangueſcere. Unde ſanctus Auguſtinus *a* Dei Chriſtique gloriam etiam apud gentiles maxime illuſtratam fuiſſe ſcribit, cum capta a Gothis Barbaris urbe Roma, in Chriſtianorum templis tuti manerent & intacti quotquot ad ea ſeſe contuliſſent. Vide plura de his apud Azorium noſtrum *b*; & de aſylis gentilium, Ciceronem, Iuſtinum, Pauſaniam, Gellium, Ulpianum, Tiraquellum, & Alexandrum ab Alexandro *c*.

Moraliter tot urbes refugii, & aſyla ſignificant multiplex pœnitentiæ poſt peccata confugium, tum in hac vita ad ſacramenta, & opera pia; tum in altera, ad Purgatorium. Ita Serarius, & alii.

(*a*) S. Auguſt. Lib. I. de Civitate cap. 1. & xxxiv.
(*b*) Azor. Lib. I. Moral. cap. 1x.
(*c*) Cicero in Verrem. Iuſtin. Lib. XXVIII. Pauſanias in Atticis, Corinthiacis, Laconicis, Achaicis. Gellius Lib. X. cap. xi1x. Ulpian. in Lib. *Quid fugitivus*: & in Pandectas, &c. Alex. Lib. III. cap. xx.

G O R D O N I.

Verſ. 2. De his urbibus vide Num. cap. xxxv. verſ. 14. & item Exodi cap. xxi. verſ. 13. & Deuter. cap. xix. Urbes iſtæ ſex numero ſunt. I. Cades in Nephthali. II. Sichem in Ephraim. III. Hebron in Iuda. IV. Boſor in Ruben. V. Ramoth in Galaad. VI. Gaulon in Manaſſe. Vide quæ dixi ſupra.

V. 3. & 5. Animam, viventem, hominem. Neſcius, per ignorantiam, errorem. Ante biduum, triduumvae; hoc eſt, ante non fuit inimicus. Hæc fiunt ne occiſor moriatur.

Ex Eiusdem Auctario.

Verſ. 3. Neſcius. Vide Deuter. xix. 4. Soli enim culpa carentes gaudebant privilegio aſyli. Proximi, cui ſcilicet permiſſum erat ubicumque occidere homicidam.

CA-

tuor. 32. De tribu quoque Nephthali civitates confugii, Cedes in Galilæa, & & Hammoth-dor, & Carthan, cum ſuburbanis ſuis, civitates tres. 33. Omnes urbes familiarum Gerſon, tredecim, cum ſuburbanis ſuis. 34. Filiis autem Merari Levitis inferioris gradus per familias ſuas data eſt de tribu Zabulon, Iecnam & Cartha 35. & Damna & Naalol, civitates quatuor cum ſuburbanis ſuis. 36. † De tribu Ruben ultra Iordanem contra contra Iericho civitates refugii, Boſor in ſolitudine, Miſor & Iaſer & Iethſon & Mephaath, civitates quatuor cum ſuburbanis ſuis. 37. De tribu Gad civitates confugii, Ramoth in Galaad, & Manaim & Heſebon & Iaſer, civitates quatuor cum ſuburbanis ſuis. 38. Omnes urbes filiorum Merari per familias & cognationes ſuas, duodecim. 39. Itaque civitates univerſæ Levitarum in medio poſſeſſionis filiorum Iſrael fuerunt quadraginta octo 40. cum ſuburbanis ſuis, ſingulæ per familias diſtributæ. 41. Deditque Dominus Deus Iſraeli omnem terram, quam traditurum ſe patribus eorum iuraverat: & poſſederunt illam, atque habitaverunt in ea. 42. Dataque eſt ab eo pax in omnes per circuitum nationes: nulluſque eis hoſtium reſiſtere auſus eſt, ſed cuncti eorum in ditionem redacti ſunt. 43. Ne unum quidem verbum, quod illis præſtiturum ſe eſſe promiſerat, irritum fuit, ſed rebus expleta ſunt omnia.

(*a*) Num. xxxv. 2. (*b*) I. Paralip. vi. 2. (*c*) Sup. xiv. 14.

B R U G E N S I S

Romana Correctio.

Verſ. 4. *De tribubus Iuda & Simeon*. Legendum eſt plurale *tribubus*, non ſingulare *tribu*.

Lectionum Varietas.

V. 21. *Urbes confugii, Sichem*. Alias annotavimus, in pluribus manuſcriptis inveniri numerum ſingularem *urbs*, pro plurali *urbes*; ſimiliter quoque infra verſ. 27. 31. 36. & 37. pro plurali *civitates*, legi ſingulare *civitatem*, aut *civitas*, quemadmodum ſupra verſ. 13. ab omnibus conſtanter legitur.

V. 36. *De tribu Ruben ultra Iordanem contra Iericho civitates refugii, Boſor in ſolitudine Miſor, & Iaſer, & Iethſon, & Mephaat, civitates quatuor cum ſuburbanis ſuis*. De vario huius verſus ſitu, lectione, interpunctione, omiſſione denique late egimus olim in Notationibus noſtris. Romani Patres ſecuti ſunt quod maxime vulgatum eſt, niſi quod præpoſuerunt tribum Ruben tribui Gadis.

Notationes.

V. 21. 27. 32. 36. Quod his locis multi codices numero multitudinis habent, *Urbes*, aut *civitates confugii*, multi numero ſingulari legunt; & quidem verſu 21. novemdecim ex manuſcriptis noſtris, *Urbs confugii Sichem* ſcribunt; viceſimo ſeptimo, novemdecim, *confugii civitatem Gaulum*; triceſimo ſecundo, vigintiquinque, *civitatem confugii Cedes*; trigeſimo ſexto, quatuor, *civitatem confugii Ramoth*. Omnibus his locis Alphonſus Toſtatus ſingularem legit numerum (quamquam adiunctus textus habeat pluralem;) & quidem verſu triceſimo ſecundo, &, quo aptius conveniat, triceſimo ſexto nominandi caſum, *civitas*; atque hoc poſteriori loco, triceſimo ſexto inquam verſu, etiam quatuor ſcripta nominandi caſu *civitas* legunt. Hebræis, & Chaldæis univerſis his locis numerus eſt ſingularis; ſed Græci libri variant: nam 27. verſu plurali numero; 21. & 36. ſingulari; 32. Complutenſis plurali, alii legunt ſingulari. Verſibus igitur 21. & 36. nec non 32. Latinarum lectionum ex preferendæ videntur, quibus ſingularis eſt numerus; quin & 27. verſu lectio eadem merito præferatur. Una enim horum quatuor locorum ratio eſt, quod ſingulis ſingulæ confugii civitates recenſeantur, nec numerus conveniat plurium, ubi ſcribatur unica. Verſibus 13. & 37. ubi duo reliqua aſyla Hebron, & Boſor nominantur, idem militat argumentum; ſed priori quidem nu-

numerus ſingularis conſtanter ab omnibus legitur: de poſteriori vero proxima notatione dicemus. Loca autem I. Paralip. VI. 57. & 67. quæ cum ſimillima ſint, numero leguntur plurali, & quidem Græco conſentiente, atque poſteriori præſertim loco Hebræo commode, ſi diſtinguantur, exponuntur: *Porro filiis Aaron dederunt civitates ad confugiendum Hebron, & Lobna, &c.* & verſu 67. *Dederunt ergo eis urbes ad confugiendum Sichem cum ſuburbanis ſuis in monte Ephraim, & Gaſer &c.* ita ut *civitates*, ſeu *urbes* ad omnes ſequentes referatur; ad *confugiendum* autem ad proximam tantum. Sic Toſtatus, & Lyranus.

V. 37. Magna hoc loco exemplarium, nec tantum Latinorum diverſitas eſt. Quædam verſum hunc 37. *De tribu Ruben, ultra Iordanem, contra Iericho, civitates refugii, Boſor in ſolitudine Miſor, & Iaſer, & Iethſon, & Mephaath, civitates quatuor, cum ſuburbanis ſuis,* omnino non legunt. Correctoris Latina exemplaria antiquiora; ex noſtris Brugenſe, quod eſt Cathedralis Eccleſiæ D. Donatiani Brugenſis; Lobienſe, quod Lobienſis eſt monaſterii. P. atque M. a Domino Hunnæo contributa (ſunt enim D. M. N. Auguſtini Hunnæi, quæ alphabeti litteris inſigniuntur) & medium a Plantino tranſmiſſum. Leodienſis codex legit; ſed facile conſpicitur ab initio omiſiſſe. H. & I. in textu quidem prætereunt: adſcribunt autem H. in proximo margine; I. in ſupremo paginæ vertice. N & latus Plantini codex prætermittunt, cum hunc verſum, tum illum, qui civitates filiis Merari ex Gadis hereditate aſſignatas enumerat: & illud quidem nobis ſervit; hoc autem contra omnium eſt fidem. In Maſſoreth Iudæorum ſane vetuſta verſus iſte, qui urbes a Rubenis tribu datas recenſet, non agnoſcitur: ex quo in antiquiſſimis Bibliorum Hebraicorum exemplaribus non extare colligitur. Bibliorum Venetorum Textus Hebraicus, & Chaldaicus non legunt: notatque Kamhius, ſe in antiquis exemplaribus, niſi quibuſdam, non inveniſſe. Toſtatus Hebræis ſui temporis codicibus deeſſe aſſerit. Verum qui fiat, cum verſu capitis iſtius ſeptimo ſcriptum ſit: *Et filiis Merari, per cognationes ſuas de tribubus Ruben & Gad & Zabulon, urbes duodecim*: hic Zabulonitarum, & Gaditarum urbes recenſeantur; Rubenitarum vero prætermittantur? Quomodo vero filiorum Merari duodecim ſint civitates, & Levitarum quadraginta octo, niſi eæ quas Rubenitæ contulerunt, addantur? An id forte hoc loco contingit, quod I. Paralip. VI. 60? ibi enim enumeratis undecim dumtaxat civitatibus, ſubiungitur: *Omnes civitates, tredecim per cognationes ſuas.* An hic forte ſimiliter ſolis octo recenſitis ſubiungatur: *Omnes urbes filiorum Merari per familias & cognationes ſuas duodecim?* & iterum: *Itaque civitates univerſæ Levitarum .... fuerunt quadraginta octo?* Sed undenam uſque adeo & multis & diverſis libris civitates Rubenitarum quatuor addantur? Græci enim libri, Chaldaici Complutenſes, Syriacus A. Maſii, & plurimi Hebraicorum, & Latinorum quatuor civitates filiis Merari ex Rubenis hereditate aſſignatas connumerant. An additiția ſint quæ univerſis his leguntur libris? profecto non facile id aſſerendum eſt: verumtamen cum ſibi mutuo diſſimilia ſint, ita ut ex eadem profluxiſſe ſcaturigine non videantur, non temere omnino quis ſuſpicetur. Quæ enim Hebraice, & Chaldaice ponuntur, ab eis quæ Græce, & Latine leguntur non parum diſcrepant. Nulla enim Hebraice, & Chaldaice, vel *Iordanis*, vel *Ierichuntis*, vel *civitatis refugii*, vel *ſolitudinis Miſor* mentio eſt, ut Græce, atque Latine. Sed ſi alicuius civitatis refugii non debuit mentio prætermitti: quodcumque enim aſylorum hoc capite commemoratur, *civitas refugii* cognominatur; ex quo etiam aliis iſtius capitis partibus hæc difformia oſtenduntur. Latinorum codicum, qui quidem legunt, ea eſt inter ſe diverſitas, ut nec loco, nec modo eodem habeant: id quod ſtatim declaraturi ſumus. Ex his autem adiectitia hæc eſſe colligas. Certe vir Doctiſſimus Andreas Maſius, quæ nunc Hebraice leguntur, additiția exiſtimare videtur: quæ Græce LXXII. Interpretes non de Hebræo tranſtuliſſe, ſed de ſuo, explicandæ ſententiæ cauſa, addidiſſe docet: quæ latine ex Græco, non ex Hebræo expreſſa: id quod non obſcure apparet, aſſerit. Prioris Libri Paralipomenon ſexto capite, urbes quatuor, quas conceſſit Rubenitica tribus filiis Merari, concorditer leguntur ab omnibus hoc modo: *Trans Iordanem quoque, ex adverſo Iericho, contra orientem Iordanis, de tribu Ruben, Boſor in ſolitudine cum ſuburbanis ſuis, & Iaſſa cum ſuburbanis ſuis, Cademoth quoque & ſuburbana eius, & Mephaath cum ſuburbanis ſuis.* Hoc forte loco adiuti fuerunt interpretes Græci, ſi, quæ in Ioſue ediderunt, de ſuo addiderint. Nam ut partes reliquæ ſimillimæ ſunt; ita parum diverſa ſunt nomina. Eadem ſunt autem cum eis, quæ Hebræi codices hoc Ioſue loco habent. Verumenimvero, ſi iſta non leguntur, neceſſe eſt ſubaudiantur: neque enim alioqui ſumma confici poſſit. Nihil autem a nobis ſtatuitur, nec legenda decernuntur, nec tollenda definiuntur. Corrector

hac

hac de re in hunc modum ſcripſit : „ Item „ F. Nota, quod illud quod dicitur, *De tribu* „ *Ruben ultra Iordanem* , quidam antiqui & „ Hebræi,& Latini non habent hic, videli- „ cet de quatuor civitatibus quas tradiderunt „ Levitis . Alii novi & Hebræi, & Latini , „ ſed & ſatis antiqui habent; verumtamen, „ quia invenio Græcum habere, conſtat mi- „ hi antiquos Hebræorum hoc habere : & „ poſtea agitur de tribu Gad . Et infra ſe- „ cundum Hebræum & Græcum *fuerunt* XLVIII. „ quod etſi omnes [non] nominarentur, „ propter illas, dico, de Ruben , vel alias, „ nihilominus tot fuerunt ; ſimile I. Pa- „ ralip. VI. d. *Civitates tredecim*, nec nomi- „ nantur niſi 10. vel 11. “ Hæc hunc in locum Epanorthotes

Ea porro exemplaria in quibus iſta leguntur , in quibus verſus iſte , qui datas a Rubenitis civitates enumerat , habetur , multum inter ſe diſcrepant : id quod paulo ante indicavimus . Nam verſum hunc neque eodem loco, neque eodem modo legunt . Pleraque Latinorum exemplarium tertio loco habent : primum enim civitates , quæ filiis Merari ex Zabulonis ſorte datæ ſunt , enumerant ; deinde eas quæ ex Gadis ; tertio quæ ex Rubenis . Sed decem noſtrorum manuſcriptorum , Zabulonitarum civitatibus Rubenitarum ſubiungunt , ac tertio Gaditarum urbes ponunt , conformiter libris Græcis, Hebraicis , & Chaldaicis . Eo etiam ordine Toſtatus enarrat : atque hoc eſt , quod Epanorthotes dicit , poſtquam de Rubenis tribu egerat : „ Et poſtea agitur de tribu Gad . “ Latinum exemplar Collegii Trilinguis ſcriptum anno CIↃIↃIII. XXXII. hunc de Rubenitarum , civitatibus verſum , triceſimo octavo verſui ſubiecit . Nam enumeratis Zabulonitarum & Gaditarum civitatibus, ſubiungit : *Omnes urbes filiorum Merari per familias & cognationes ſuas , duodecim*. Sequitur : *De tribu Ruben ultra Iordanem contra* &c. Fortaſſe in eo , ex quo iſtud deſcriptum eſt , exemplari non fuit , ſed ex altero huic additus eſt, cum putaret ſcriptor , verum alioqui non eſſe quod ſcripſerat, filiis Merari urbes duodecim datas, neque quod ſcribendum ſequebatur, Levitarum civitates ſimul quadraginta octo eſſe. Tantum de verſus iſtius ordine, nunc de verborum diverſa lectione .

Communis lectio ea eſt quæ initio Notationis in hunc locum producta eſt . Bibliorum autem Complutenſium, & Regiorum Latinus textus tantum , *De tribu Ruben civitates* , &c. legit : verba hæc, *Ultra Iordanem contra Iericho*, prætermittit . Alphonſus Toſtatus Inter-

pres adeo ſedulus , ut vix quidquam prætereat , non attingit . Hebraicis , & Chaldaicis libris omittuntur : ad hunc enim habent modum : *Et de tribu Ruben Beſer , & ſuburbana eius , & Iahaſa , & ſuburbana eius , Cedemoth , & ſuburbana eius , & Mephaath , & ſuburbana eius , civitates quatuor* . Verum Græci libri etſi aliter atque aliter legunt . Germanici cum Aldino habent : καὶ πέραν τοῦ ἰορδάνου κατὰ ἰεριχὼ ἐκ τῆς φυλῆς ῥουβὶν , ἔδωκε τὴν πόλιν τὸ φυγαδευτήριον τοῦ φονεύσαντος τὴν βοσὸρ , ἐν τῇ ἐρήμῳ τῇ μισώρ , καὶ τὰ περισπόρια αὐτῆς , καὶ τὴν ἰαζὴρ , καὶ τὰ περισπόρια αὐτῆς , καὶ τὴν γεδσὼν , καὶ τὰ περισπ. αὐτῆς , καὶ τὴν μαφὰ , καὶ τὰ περισπ. αὐτῆς , πόλεις τέσσαρες . Regia editio ſcribit : καὶ πόλεις τοῦ ἰορδάνου τὴν ἰεριχὼ ἐκ τῆς φυλῆς ῥουβὶν , τὴν πόλιν τὸ φυγαδ. τοῦ φον. τὴν βοσὼρ , καὶ τὰ περ. αὐτῆς , καὶ τὴν ἰαζὴρ , καὶ τὰ περ. αὐτῆς , καὶ τὴν κεδσὼν , καὶ τὰ περ. α. , καὶ τὴν μαφὰ , καὶ τὰ περ. α. τέσσ. πόλεις . Prolixius recitantur, ut & alia advertantur . Maſii editio e diverſis correcta exemplaribus legit : καὶ πέραν τοῦ ἰορδ. τῆς ἰεριχὼ , ἐκ τῆς φ. ῥουβὶν , τὴν πόλιν τοῦ φυγαδευτηρίου τοῦ φον. , τὴν βοσὸρ , ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς μισὼρ , καὶ τὰ περισπ. αὐτῆς , καὶ τὴν ἰασσὰ , καὶ τὰ περ. α. , καὶ τὴν γεδσὼν , καὶ τὰ περ. α. , καὶ τὴν μαφὰ , καὶ τὰ περ. α. , π. τ. Itaque ut in omnibus pene Latinis, ſic & in Græcis libris verba illa , *Ultra Iordanem contra Iericho* , leguntur .

Quod ſequitur *civitates refugii* , undecim noſtrorum ſcriptorum , numero ſingulari *civitatem refugii* legunt . Similiter Toſtatus , ſed qui magis congruat , primo caſu , *civitas refugii* . Suffragantur his Græci codices , & manifeſta ratio , quod unica hic recenſeatur refugii civitas , Boſor in ſolitudine Miſor ſita .

Non enim ante , ſed poſt *Miſor* diſtinctio collocanda eſt , ut recte quidam libri collocant . Neque enim Miſor ex civitatibus eſt de ſorte tribus Ruben filiis Merari datis : nam ſic quinque eſſent cum ſumma ſit quatuor civitatum cum ſuburbanis ſuis : ſed ut nomen vel ipſius ſolitudinis , vel potius regionis in qua eſt ſolitudo , poſitum eſt ; atque id ex Græco perſpicuum fit , ἐν τῇ ἐρήμῳ τῇ μισώρ , vel, ut emendatoria habent exemplaria , ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς μισώρ . Notandum eſt autem id quod Deuter. IV. verſ. 43. Hebraice de ſitu Boſor dicitur , בַּמִּדְבָּר בְּאֶרֶץ הַמִּישֹׁר *Bammidbar beres hammiſor* , Septuagintaduos vertiſſe : ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐν τῇ γῇ τῇ πεδινῇ ; Latinum ſimiliter tranſtuliſſe : *In ſolitudine quæ ſita eſt in terra campeſtri* . Rurſum quod Ioſue XX. verſ. 8. de eiuſdem ſitu legitur, בַּמִּדְבָּר הַמִּישֹׁר *Bammidbar bammiſor* , illos reddidiſſe , ἐν ἐρήμῳ ἐν τῷ πεδίῳ ; hunc expoſuiſſe , *quæ ſita eſt in* *cam-*

campeſtri ſolitudine. Non videntur igitur exiſtimaſſe, *Miſor* proprium eſſe nomen aut ſolitudinis, aut regionis; ſed appellativum, quod campum ſeu planitiem deſignet. Nam & aliis Scripturæ locis hac ſignificatione in uſu eſt. Clariſſimus eſt locus III. Regum xx. verſ. 23. ubi ſervi Regis Syriæ dixiſſe leguntur: *Dii montium ſunt dii eorum, ideo ſuperaverunt nos; ſed melius eſt ut pugnemus contra eos*. בַּמִּישׁוֹר *bammiſor in campeſtribus*, [ſeu, ut LXX. reddiderunt, κατ' εὐθὺ *in plano*] *& obtinebimus eos*. Quod ſi non exiſtimavit Latinus Interpres, proprium nomen eſſe *Miſor*, qui factum ſit quod hoc loco, *Boſor in ſolitudine Miſor* ſitam, Latina verſione legamus? niſi ipſi forte, quæ Græce legebat, exprimere viſum fuerit. Sed cum Græcorum Interpretum eadem fuiſſe ſenteotia videatur, undenam hoc loco ut proprium nomen Græce ſcribitur? Ioſue XIII. cap. verſ. 9. 16. 17. 21. ubi Rubenis hereditas deſcribitur, Græci Hebræam vocem *Miſor*, quam Latinus nunc *campeſtria*, nunc *planitiem* reddit, ut nomen proprium reliquerunt. Iterum Ierem. XLVIII. cap. verſ. 21. 24. ubi legimus nos: *Et iudicium venit ad terram campeſtrem ſuper Helon & Iaſa .... & ſuper Boſra, & ſuper omnes civitates terræ Moab* (quo ex loco patet, Boſra, ſive Boſor fuiſſe in campis Moabiticis) Græci tranſtulerunt: *Et iudicium venit ad terram ipſius Miſor* (τῦ μισὼρ) *ſuper Chelon*, &c. Itaque iam proprium, iam appellativum nomen intellexiſſe videntur. Verum cum ſuperiora loca, quæ ex Deuteronomii quarto, & Ioſue xx. capite producta ſunt, & viciniora ſint, & de ſitu Boſor expreſſius ac particularius agant, non omnis eximitur ſcrupulus, qui fiat hic ut proprium nomen legi?

Sed Græca Regis editio aufert *in ſolitudine Miſor*, id quod etiam ab Hebræis, & Chaldæis libris omittitur. Unum ex noſtris Latinis antigraphis O ſignatum, *Miſor* dumtaxat tollit, libro Paralipomenon conſentanee: atque hanc huius verſus partem ita legit: *Civitatem confugii Boſor in ſolitudine, Iaſa, & Cademoth, & Maſphaat*. Civitates quas *Iaſa, & Cademoth* appellat, Hebræo, & Chaldæo, ac libro Paralipomenon ſimiliter; alia exemplaria *Iaſe*, & *Iethſon*, ſive *Gethſon* nominant. Græca quomodo vocent, ſuperius videre licuit. Pro Ἰαζὴρ autem certum eſt, inquit Maſius, ſcribi debere Ἰασσὰ ex libro Paralipomenon. Nam Ἰαζὴρ mox dabitur ex tribu Gad. Quam Maſphaath numcupat ſuperius citatum exemplar, multi Latinorum codicum conſonantibus quibuſdam Græcis, *Maſpha* dicunt. Maſius *Mapha* Græce ſcribendum docet: atque ita ſcribit Latina Octateuchus eximiæ vetuſtatis & integritatis, quam Patres Societatis Ieſu cum multis aliis manuſcriptis nuper a confractione redemerunt. Latina Lovanienſium editio conformiter Hebræo, atque Chaldæo, & Paralipomenis *Mephaat* legit. Tres iſtæ poſteriores civitates ſupra XIII. capitis verſ. 18. inter poſſeſſiones tribus Rubenis enumerantur. Toſtato diverſa plane eſt, & mira iſtius partis lectio: *Boſor in ſolitudine, Iethſon, Miſor, & Ocbo, civitates quatuor cum ſuburbanis ſuis*. Nihil mirum quod tres iſtas poſteriores civitates ignotas dicat, nec decimo tertio capite recenſitas. Satis patet corruptam eſſe lectionem præſertim quoad medias civitates. Hæc de verſus iſtius intricatiſſimi variis lectionibus notata ſint.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. COGNATIONUM, id eſt familiarum. PER SINGULAS, id eſt in ſingulis.

V. 5. RELIQUIS, ſcilicet qui non erant de familia Aaron.

V. 11. PATRIS ENAC. Vide ſup. cap. xv.

V. 18. ANATHOTH patria Ieremiæ, tribus milliaribus ab Ieruſalem.

V. 25. GETH-REMMON. Duplex erat: ſic multæ civitates eodem nomine in terra ſancta.

V. 26. INFERIORIS GRADUS: ſcilicet non erant ſacerdotes. Hebr. Chald. & LXX. *reliquis*: ſic & infra.

V. 41. OMNEM; at non ſecundum omnem partem; vel dedit poſtea. Auguſt. quæſt. XXI. in Ioſ. ait datam omnem, partim in poſſeſſionem, partim in exercitationem, ſcilicet belli.

V. 42. NULLUSQUE; pro, fere nullus; vel nullus duce Ioſue, ſecundum Auguſt. quæſt. XXII.

V. 43. REBUS, id eſt re ipſa.

ES-

ESTII.

Verſ. 13. DEDIT ERGO FILIIS AARON SACERDOTIS HEBRON CONFUGII CIVITATEM. Quæritur quomodo hoc conſiſtat cum eo quod dictum eſt cap. XIV. Hebron fuiſſe datam in poſſeſſionem Caleb, immo & illi manſiſſe uſque in præſentem diem? Reſpondeo. Ipſa Scriptura hoc loco ſe explicat, ita ſubiungens: *Agros vero & villas eius dederat Caleb filio Iephone ad poſſidendum*. His enim verbis tantum abeſt ut ſignificetur, ipſam Hebron non pertinuiſſe ad Caleb (quod clare teſtatum eſt cap. XIV.) ut potius occupatio ſit, qua cauſa redditur cur tantum dixerit, ſuburbana Levitis, ſeu filiis Aaron data, & de agris ac villis nihil addiderit: qui nimirum agri ac villæ circumiacentes ad illum pertinebant, cuius erat ipſa civitas.

V. 39. ITAQUE CIVITATES UNIVERSAE LEVITARUM IN MEDIO POSSESSIONIS FILIORUM ISRAEL FUERUNT QUADRAGINTA OCTO CUM SUBURBANIS SUIS. Non mireris tot civitates Leviticæ tribui aſſignatas quæ erat ex minimis, cum aliæ tribus tantum haberent circiter duodecim civitates: nempe quia iſtæ civitates non fuerunt ſolis Levitis datæ, ſed tantum ut ſimul cum hominibus aliarum tribuum in illis habitarent; ſicut nunc clerus habitat cum laicis in omnibus oppidis. Erant autem huius rei plures rationes. Prima, ut per eos tamquam peculiares Dei miniſtros cultus Dei retineretur, & conſervaretur in toto populo. Secunda, ut a toto populo ſuſtentarentur ratione ſui miniſterii. Tertia, ut populum docerent, non tantum ea quæ religionis ſunt, ſed etiam ea quæ ad mores, & vitam ſecundum legem Dei inſtituendam pertinent. Atque ob eaſdem rationes etiam nunc tempore novi teſtamenti ſacerdotes, & miniſtri ſacrorum per omnes civitates, aliaque maiora loca diſperſi ſunt. Vide Noſtra in IV. diſtinct. XXIV.

MARIANAE.

Verſ. 1. AD ELEAZARUM SACERDOTEM, ET IOSUE. Prius ſacerdos nominatur, deinde Ioſue. Contra in Moyſe: prius ipſe nominatur, deinde Aaron, & Eleazarus, quia Moyſes ipſe ſacerdos erat. ET AD DUCES COGNATIONUM. Sententia redditur. Hebr. *capita patrum*, id eſt capita domus patrum, ut cap. XXII. verſ. 14. hoc eſt principes, quo nomine aliis locis vocantur. COGNATIONUM, id eſt familiarum. Ad eos acceſſere principes Levitarum, ut referrent quæ urbes, & quo ordine eſſent datæ Levitis.

V. 5. ET RELIQUIS FILIORUM CAATH. Hebr. *Et filiis Caath reliquis ex familiis*. Videtur loqui littera de aliis filiis Caath, qui non erant poſteri Aaron: nam ex Caath venit Aaron, venere etiam alii. Hieronymus de ſuo addidit: *Id eſt Levitis qui ſuperfuerant*.

V. 9. QUARUM ISTA SUNT NOMINA. Hebr. *Quas vocavit eas in nomine*; id eſt, qui appellat eas, hoc appellat nomine. Quod clarius Hieronymus expreſſit.

V. 11. CARIATH-ARBE PATRIS ENAC. Memento cap. XIV. extremo, *Arbe*, a quo illa civitas ſic eſt dicta, dixiſſe fuiſſe hominem maximum inter Enacim: id ipſum repetitur: ita *patris* ſume pro principis *Enac* pro Enacim, ſingulare pro plurali.

V. 18. ANATHOTH. Patria hæc Ieremiæ Prophetæ, tribus non amplius ab Ieroſolyma diſſita millibus.

V. 24. GETHREMMON. Duæ erant civitates hoc nomine, ut proximus verſus indicat.

V. 26. INFERIORIS GRADUS, ſcilicet qui non erant ſacerdotes. Hebr. *reliquis*: nempe *reliquos* vocat eos qui ex Aaron poſteris non erant: ſic Septuag. & Chald. Idem diſcrimen verſ. 34. ſed ibi agit de filiis Merari, quos omnes *reliquos* vocat, quoniam facta mentione de Caathitis, & Gerſonitis, illi reliqui erant, de quibus ageretur.

V. 36. ULTRA IORDANEM CONTRA IERICHO, nec Hebr. eſt, nec in Gotth. neque in Regiis, & videtur ex margine in contextum migraſſe; ſed & illud, CIVITATES REFUGII, Hebr. non eſt, nec Chald. Sept. tamen poſuere. BOSOR IN SOLITUDINE, MISOR. *In ſolitudine*, *Miſor* Hebr. non eſt, ſed huc translatum ex cap. XX. verſ. 8. ET IASER ET IETHSON ET MEPHAATH. Hebr.

Beſer cum ſuburbanis ſuis, *& Iabza cum ſuburbanis ſuis*, *& Cedemoth cum ſuburbanis ſuis*, *& Mephaath cum ſuburbanis ſuis*, *civitates quatuor*. Unde colligitur, noſtra videri hoc loco eſſe vitiata, cum ponantur civitates quinque, ſi ſingulas numeres; ac nec ſumma prodit 48. urbium, quas Levitis datas ait verſ. 40. Itaque illud, *In ſolitudine*, *Miſor*, nec Hebr. eſt, nec Chald. nec in Sept. In Gotth. multo aliter legitur quam in noſtris, ſed ibi vitioſe.

V. 37. De tribu Gad. Hoc ordine hic verſus ponatur ut eſt Hebr. & ut regionum ordo poſtulat; non ante tribum Ruben, ut plerique codices vitioſe habent.

V. 40. Cum suburbanis suis, singulae per familias distributae. Hebr. *Fuerunt civitates hæ urbs urbs* (id eſt ſingulæ urbes) *& ſuburbana eius per circuitum eius*, *ſic omnibus urbibus his*. Quibus verbis repetit, quod in ſingulis urbibus dictum erat, datas omnes cum ſuburbiis.

V. 42. Dataque est ab eo pax, ſcilicet a Deo. Hebr. *Quieſcere fecit*: quod ſummam tranquillitatem datam ſignificat, tum populo, tum externis.

V. 43. Ne unum quidem verbum. Omnia quæ promiſerat, conceſſit. Fidelis eſt Deus in iis quæ promittit. An id nos cum Deo facimus?

MALVENDAE.

Verſ. 1. Accesseruntque, &c. Notant, conferendum eſſe hoc caput cum I. Paralipomen. vi. verſ. 54. & ſequentibus: eadem enim utrobique tractantur. Principes familiarum. Hebr. *Capita patrum*. Quidam, *Principes patrum*. Alii, *Primates inter patres*. Nonnulli, *Primores paternarum familiarum*. Sed vox proprie ſignificat præcipuos, primarios, præſtantiores, digniores inter patres, & ſenatores: qua ratione proculdubio ſumenda, cum ſecundo loco ponitur in hoc verſu: nam duodecim viri terræ dividundæ, non ſingularum familiarum, ſed ſingularum tribuum primates erant.

V. 2. In Silo. Exponunt: Nimirum coram Iehova: nam tentorium conventus eo fuerat e Galgalis exportatum, ſupra cap. xviii. verſ. 1.

V. 3. Dederuntque filii Israel, &c. Quidam exponunt: Dederunt ſcilicet in uſum, & habitationem, manente interea dominio directo penes tribus quibus ſorte obvenerant; ut exemplum Chebronis docet infra verſ. 11. Sed ego magis crediderim, Levitas donatarum urbium, & ſuburbanorum prædiorum verum & directum dominium habuiſſe, uti ſatis colligitur e Levit. xxv. verſ. 32. 33. & 34. atque Chebronem ſimpliciter ipſis datam a Calebo, tametſi agei Chebronis extra prædia ſuburbana, manſerit ipſi Calebo. Sed de his affatim Explanatores.

V. 4. Civitates tredecim. De quibus infra verſ. 11. & ſeqq.

V. 5. Et reliquis filiorum Caath. Reliquos appellat, id eſt non Aharonitas, de ſtirpe Aaron, non ſacerdotes, ſed Levitas tantum genere, & profeſſione. Sic infra verſ. 20. & 26. Civitates decem: de quibus verſ. 20. & ſeq.

V. 6. Civitates numero tredecim: de quibus infra verſ. 27. & ſeqq.

V. 7. Urbes duodecim, de quibus infra verſ. 34. & ſeqq.

V. 9. Quarum ista sunt nomina. Hebr. *Quas vocabit eas in nomine*, vel *vocavit*, id eſt is qui illis dedit nomina; quaſi dicat: Quæ ita vocantur ex nomine, vel quarum ſequuntur nomina. Quidam: *Quæ nominatim ſic vocantur*. Alii: *Quæ nominatim dicentur*, vel *explicabuntur*. Nonnulli: *Quas legere poterit* lector *nominatim*. Poſſis exponere: *Quas vocabit*, id eſt enumerabit, percenſebit, *nominatim*; ſubaudi, liber iſte, ſeu auctor libri.

V. 14. Estemo. Hebr. אשתמוע *Eſthemoagh*. Hæc ſupra cap. xv. verſ. 50. dicitur *Eſthemoh*. Videtur ſignificare *auditam*, *famoſam*, *celebrem*, de qua rumor & fama ſonabat.

V. 15. Holon: de qua vide ſupra cap. xv. verſ. 51.

V. 16. Ain. Vide ſupra cap. xv. verſ. 32.

V. 18. Anathoth. Hebr. *Ghanathoth*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Anathoth civitas ſortis Beniamin*, *ſacerdotibus ſeparata*, *in tertio ab Aelia milliario*: *de qua & Ieremias propheta fuit*: & in Ieremiæ 1. *Anathoth viculus contra ſeptemtrionem Ieruſalem in tertio milliario*. Sed Ioſephus Lib. X. Originum, cap. x.

Cum-

Cumque aliquando libuiſſet ei (Ieremiæ) *natale ſolum Anathoth reviſere, quod Ieroſolymis viginti ſtadiis eſt diſitum*: quatuor ſtadia minus quam Euſebius ponit. Brocardus: *A Bethel per duas leucas non longe a Rama Beniamin, eſt Anathoth viculus ſacerdotum, de quo Ieremias propheta fuit oriundus. Iuxta Anathoth inter orientem & auſtrum incipit deſertum illud, quod eſt inter Ieruſalem & Iericho, quod nunc deſertum Quarentanæ dicitur, & extenditur uſque ad mare Galilææ, & uſque ad deſertum Thecuæ, & Engaddi, iuxta mare mortuum.* Huius deſerti Quarentanæ, ſic dicti quod in eo Chriſtus quadraginta dies & quadraginta noctes ieiunaſſet, plurima mentio apud Iacobum Vitriacum, Brocardum, & alios recentiores terræ ſanctæ deſcriptores. Vertitur *oppreſſiones*, *humiliationes*: vel *reſponſiones*; forte quod iis locis voces redderentur, quales in echo. Quidam volunt, hanc urbem nomen accepiſſe a quodam viro nomine Anathoth, nepote Beniamin, I. Paralipom. VII. verſ. 8. Almon. Hebr. עלמון *Ghalmon*. Hæc I. Paralipom. VI. verſ. 60. vocatur *Ghalemeth*. *Iuventutem*, *adoleſcentiam* ſignificat utrumque nomen, fortaſſe quod valida iuventute polleret: niſi mavis *abſconditam*, *occultam* interpretari. Nec deſunt qui ab Ghalemeth nepote Beniamin appellatam putent, I. Paralipom. VII. verſ. 8. Plerique exiſtimant, hanc eſſe eam quæ II. Samuel. III. verſ. 16. & cap. XVI. verſ. 5. *Bachurim* dicitur: neſcio ob quam cauſam, niſi quod ſignificatione conveniunt, nam *bachurim* exponitur *iuventutes*. Sed de *Bachurim* ſuo dicemus in loco.

V. 22. Cibsaim. Hebr. קבצים *Kibtzaim*. Hanc notant, I. Paralipom. VI. verſ. 68. *Iokmeghaam* appellari, de qua ibi dicemus. *Kibtzaim* ſonat *congregationem*, *collectionem*, *hordam duplicem*, ſeu *geminam*.

V. 25. Geth-remmon. Hebr. *Ghathrimmon*. Diſtincta hæc Manaſſitica ab illa Danitica verſus præcedentis, de qua egimus ſupra cap. XIX. verſ. 45. Hanc noſtram Manaſſenſem eam eſſe volunt, quæ cap. XVII. verſ. 11. vocata eſt *Ibleghaam*: ibi vide, & II. Samuel. VI. verſ. 10. & I. Paralipom. VI. verſ. 70.

V. 27. De dimidia tribu Manasse: nimirum quæ erat ultra Iordanem in terra Baſan, ubi erat Golan. Vide de Deuteron. IV. verſ. 43. & ſupra cap. XX. verſ. 8. Bosram. Hebr. *Begnestherah*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Beeſthara in tribu Manaſſe ſeparata Levitis, in regionibus Baſanitidis*. Obſervant, hanc I. Paralipom. VI. verſ. 71. dici *Ghaſhtaroth*, de qua plenius egimus Geneſ. XIV. verſ. 5.

V. 28. Cesion. Hebr. *Kiſion*. Hæc videtur appellari *Kedes* I. Paralipom. VI. verſ. 72. Vide ſupra cap. XIX. verſ. 20. & 37. ſed longe diverſa ab illa Kedes Nephthalica, urbe confugii, infra verſ. 32. & ſupra cap. XIX. verſ. 37. & cap. XX. verſ. 7.

V. 29. Iaramoth. Hebr. *Iarmuth*. Vide de hac ſupra cap. XIX. verſ. 21. Longe alia hæc Iſſachariana ab illa Iarmuth Iudaica cap. XV. verſ. 35. de qua egimus in cap. X. verſ. 3.

V. 30. Abdon. Hebr. עבדון *Ghabdon*, ita quoque vocatur I. Paralipom. VI. verſ. 74. ſed volunt quidam hanc ſupra cap. XIX. verſ. 28. appellari *Ghebron*: ibi vide. *Ghabdon*, *ſervitium*, ſeu *ſervitutem* ſonat: fortaſſe quod gens rata ſervitio eſſet; vel quod ibi eſſent plura ſervitia.

V. 31. Helchath. Hebr. *Chelkath*. Videtur hæc *Chukok* numcupari I. Paralipom. VI. verſ. 75. Sed vide quæ notavimus ſupra cap. XIX. verſ. 25. & 34.

V. 32. Hammoth-dor. Licet interpretari *calidas Dor*: forte quod ibi eſſent aquæ calidæ & ſalubres, nempe thermæ. Vel *chamoth*, *antiquam*, *priſcam*, *caſcam*: quod דור *dor* Hebræis ætatem ſignificet. Hanc plerique putant eſſe quæ ſupra cap. XIX. verſ. 35. *Chamath* numcupatur; & quæ I. Paralipom. VI. verſ. 76. *Chamon* dicitur. Sed Chamon, ſi tamen non eſt alia, tribui Aſer adſcribitur ſupra cap. XIX. verſ. 28. Fieri potuit ut in confinibus tribubus aliquæ urbes nunc huic, nunc alteri ſorti ceſſerint. Carthan. Hebr. קרתן *Karthan*. Exponitur, *Contignatio*, *conſtructio tignorum*, *civitas*; & lingua Phœnicia *Carthago*. Hæc I. Paralip. VI. verſ. 76. appellatur *Kiriathaim*, id eſt *duplex civitas*, ſeu *gemina carthago*: quod forſan bipartita eſſet. Nec deſunt qui exiſtiment, hanc eamdem eſſe quæ ſupra cap. XIX. verſ. 35. numcupatur *Rakath*. Vide ibi Com.

V. 34. Filiis autem Merari Levitis inferioris gradus per

FAMI-

Digitized by Google

FAMILIAS SUAS. Hebr. *Et familiis filiorum Merari Levitarum reliquorum*. Notant, vocari Meraritas reliquos, quod poſtremo loco enumerentur, quaſi Levitæ inferioris gradus; quorum ultimo loco extracta ſit ſors. Qui ſenſus eſt Noſtri. Quidam: *Porro cognationibus Meraritarum qui reſidui fuere*. Alii: *Reliquis familiis filiorum Merari, qui & ipſi Levitæ erant*. Nonnulli: *Denique familiis filiorum Merari Levitarum reſtantium*. Sic verſ. 40. IECNAM. Hebr. *Iokneghам*. Vide ſupra cap. XII. verſ. 22. & cap. XIX. verſ. 11. & I. Paralipom. VI. verſ. 68. CARTHA. Hebr. *Kartabah*. Hanc quidam volunt eam fuiſſe quæ ſupra cap. XIX. verſ. 12. numcupatur *Chisloth Thabor*; id eſt *ilia*, vel *devexa* montis *Thabor*: & I. Paralipom. VI. verſ. 77. ſimpliciter *Thabor*. Karthah autem eiuſdem ſignificatus eſt cum Karthan ſupra verſ. 32. Vide I. Paralipom. VI. verſ. 77.

V. 35. DAMNA. Hebr. *Dimnah*: de qua vide ſupra, cap. XIX. verſ. 13.

V. 36. BOSOR. Hebr. *Betzer*: de qua vide in Deuteron. IV. verſ. 43.

V. 40. CUM SUBURBANIS SUIS, SINGULAE PER FAMILIAS DISTRIBUTAE. Ego verſum iſtum in mea Translatione verbatim expreſſi (*Erunt urbes iſtæ, urbs, urbs, & ſuburbia eius circuitibus eius: ſic omnibus urbibus iſtis.*) Alii ita reddunt. I. *Fuerunt civitates iſtæ ſingulæ, & ſuburbana earum, per circuitum ipſarum: ſic omnibus civitatibus iſtis*. II. *Fuerunt urbes iſtæ ſingulæ, & ſuburbana earum per circuitum ſuum: ita ſe res habuit per omnes urbes iſtas*; id eſt, ſingulæ harum urbium habuerunt ſua ſuburbana: omnibus, inquam, urbibus iſtis aſſignata fuerunt ſua ſuburbana. III. *Fueruntque hæc oppida ſingula ſeorſim poſita, circum vero illa agri ſuburbani: idque de ſingulis his oppidis intellige.* IV. *Sunt autem civitates iſtæ, civitas, civitas,* id eſt *unaquæque cum ſuburbanis ſuis circa ipſam: ſic de ſingulis civitatibus iſtis*. V. *Erunt civitates iſtæ, civitas, civitas, & expulſoria eius, circuitus eius: ſic omnibus civitatibus iſtis*. VI. *Erant urbes iſtæ, unaquæque habens ſua ſuburbana circum ſe: ita ſe habebant omnes iſtæ urbes*.

V. 41. DEDITQUE DOMINUS DEUS ISRAELI OMNEM TERRAM, &c. Exponunt, revera Deum dediſſe eis omnem terram, licet Iſraelitæ ſua negligentia, aut ignavia partem aliquam eius intermitterent. Aliqui optima ratione factum putant ut Iſraelitæ non ſtatim omnem terram, ſed paulatim occuparent: ne ſi in ipſo primo terræ ingreſſu hoſtes ex omnibus locis funditus eliminaſſent, & ipſi haud numero pares fuiſſent ad loca omnia implenda; creviſſent beſtiæ ac feræ, & urbes deſertas infeſtas Iſraelitis reddidiſſent. Quæ ratio explicatur Exodi XXIII. verſ. 29.

V. 42. DATAQUE EST AB EO PAX IN OMNES. Hebr. *Et requiem dedit* IHUH *eis*. Alii: *Reddiditque Iehovah ipſos quietos*. Alii: *Et quietem largitus eſt Iehova illis*, id eſt ſummam pacem, & tranquilitatem. Vide ſupra cap. I. verſ. 13. PER CIRCUITUM, vel *circumquaque, undequaque*; puta, nemine amplius audente eos infeſtare, ut infra cap. XXIII. verſ. 1. NULLUSQUE EIS HOSTIUM RESISTERE AUSUS EST. Hebr. *Et non ſtetit vir in faciebus eorum, de omnibus inimicis*, vel *malevolis, eorum*. Quidam: *Neque fuit quiſquam qui reſiſteret illis ex omnibus inimicis eorum*. Alii: *Neque quiſquam ſtetit in conſpectu ipſorum, ex omnibus hoſtibus ipſorum*. Nonnulli: *Et non reſtitit quiſpiam in faciem ex omnibus inimicis eorum*. Aliqui: *Neque conſtitit quiſquam ante faciem eorum, ex omnibus hoſtibus eorum*: nimirum quos Iſraelitæ aggreſſi eſsent, ab eis hoſtiliter laceſſiti. Semper, & ubique Iſraelitæ feliciter cum hoſtibus pugnarunt, niſi poſt mortem Ioſue, & ſeniorum, quando labeſcente religione, pietate, ac diſciplina, res Iſraelitarum in peius abire cœperunt.

V. 43. NE UNUM QUIDEM VERBUM, &c. Hunc verſum nos ex Hebræo ad verbum reddidimus (*Non cecidit verbum de omni verbo bono, quod locutus fuit* IHUH *ad domum Iſrael: omne venit.*) Alii ita convertunt. I. *Non eſt omiſſa res ulla ex omni bona re, de qua locutus fuerat Dominus ad domum Iſraelis: omnis evenit*. II. *Non excidit quidquam ex ullis rebus bonis, quas elocutus fuerat Iehova domui Iſraelis: cuncta evenerunt*. Exponuntque: Inter quas res bonas iſta ipſa reponenda eſt, quæ habetur Exodi XXIII. verſ. 29. 30. de non expellendis momento inimicis ex promiſſa terra; ſed paulatim. Interpres Hiſpanicus: *No ſalto palabra de todas las buenas palabras que hablo Iehova a la ca-*

ſa

ſa de Iſrael: todo vino, vel *ſe cumplio*. Vel *no falto coſa de todas las buenas coſas*, &c. quaſi dicat, *de todas promeſas que prometio*, &c. III. *Non cecidit*, *non intercidit*, id eſt non evanuit, non fuit irritum, *quidquam ex omnibus rebus bonis*, *quas dixerat*, id eſt pollicitus fuerat de fortuna, & felicitate Iſraelitarum in terra promiſſa: *domui Iſrael*, id eſt filiis Iſrael, *omnia evenerunt*, ſcilicet ut pollicitus fuerat: idque ut oſtendatur Deus verax ac fidelis in omnibus promiſſis ſuis.

MENOCHII.

Verſ. 2. DOMINUS PRAECEPIT, &c. Non negligebantur Levitæ a Ioſue, & aliis terræ diviſoribus, ſed prius tribubus fuit portio aſſignanda regionis, & tum demum ex quaque tribu eligendæ civitates, quæ Levitis darentur. Nec Levitæ contra officium faciunt, cum petunt ſibi urbes: nam honeſte petitur quod iure debetur: nec damnari poſſunt quaſi importuni, quia licet Ioſue, & populus parati eſſent dare, flebant iſta Levitarum petitione ad tribuendum proniores.

V. 3. DEDERUNTQUE FILII ISRAEL, adhibita ſcilicet forte, ut patet hoc cap. num. 4. 6. & 10.

V. 4. IN FAMILIAM CAATH FILIORUM AARON SACERDOTIS. Quatuor hoc capite ſtatuuntur Levitarum partes. Prima eſt ſacerdotum, qui omnes Aaronis poſteri erant, & de ſtirpe Caath. Secunda reliquorum Levitarum de ſtirpe Caath, ſed non ſacerdotum, quia Aaronis poſteri non erant, cuius familiæ tantum ſacerdotium tributum fuerat, & Pontificatus. Tertia Levitarum Gerſonitarum. Quarta Levitarum Meraritarum. CIVITATES TREDECIM. Primæ Levitarum parti, hoc eſt ſacerdotibus datæ ſunt civitates tredecim, quarum novem erant ex tribu Iuda, & Simeon, reliquæ quatuor ex tribu Beniamin. Fuit profecto mirabile, tot urbes tam paucis ſacerdotibus tribui. Nam in tranſitu Iordanis, hoc eſt quatuordecim annis ante terræ diviſionem. ſacerdotes omnes fere fuerunt viginti quatuor, ut ex Serarii ſupputatione patet Ioſue cap. v. quæſt. 1. Itaque etiamſi quater decies multiplicentur, nondum tamen poterant hoc tempore diviſionis eſſe quadringenti ſacerdotes. Et ſi per tredecim liceat dividere hos quadringentos, apparebit non potuiſſe eſſe in ſingulis urbibus ſacerdotes 31. ſed populus cum Levitis largus eſſe voluit; & non quantum creviſſent ſpectavit, ſed quantum creſcere in poſterum poſſent.

V. 5. RELIQUIS FILIORUM CAATH; qui cum non eſſent de ſtirpe Aaron, ſacerdotes non erant.

V. 11. CARIATH-ARBE PATRIS ENAC. Vide dicta cap. XIV. num. 15.

V. 12. AGROS VERO ET VILLAS, &c. Non fuerat conceſsa Hebron Caleb ut ipſa potiretur, ſed tantum ager circumiectus. Ipſe tamen Hebron oppugnavit, & expugnanti præmium propoſuit, non ſolum quia eam capi publice intererat; ſed etiam quia tenentibus eam Chananæis ipſe cum ſuis ab hoſtium excurſionibus tutus non fuiſset. Ita Magalianus. Serarius vero hoc cap. quæſt. IX. putat Caleb Levitis Hebron donaſse, ſibi vero agrum & vicos retinuiſse: in quo ſecutus eſt Toſtatum; qui etiam docet, Levitas in urbibus aſſignatis habitandi tantum ius habuiſse: ceterum vectigalia, alioſque proventus, ſi qui erant, verbi grat. ex lapidicinis, aut auri, argentive fodinis, & ſimilibus, ad eas tribus pertinuiſse, in quibus urbes illæ Levitarum ſitæ erant. Itaque ſi quid tale habuit Hebron, Calebo manſit.

V. 16. AIN, ET IETA. Paralip. Lib. I. cap. VI. *Ietæ* nulla mentio; pro *Ain* vero eſt *Aſan*. Ex Hebræis aliqui dicunt, varietatem ex eo oriri, quia cum ex aſſignatis civitatibus, quædam eſsent in Chananæorum poteſtate, interim ſuffectæ ſunt aliæ, dum quæ fuerant conſtitutæ, in poteſtatem Iſraelitarum venirent. Itaque in uno textu ſubſtitutas legi, in alio vero primario deſignatas. Verius fortaſse dici poſset, loca quædam duplici nomine vocari, aut decurſu temporis in vocabulis mutationes aliquas factas fuiſse.

V. 17. DE TRIBU AUTEM FILIORUM BENIAMIN, GABAON, &c. In Paralip. Lib. I. cap. VI. 60. nulla ſit mentio urbis *Gabaon*, & pro *Almon* ſcriptum eſt *Almath*, utraque vox ſignificat iuventutem. Quare hæc ipſa urbs II. Reg. III. *Bathurim*, quod etiam vocabulum iuven-

iuventutem ſignificat, nuncupatur.

V. 20. Reliquis vero per familias filiorum Caath, qui ſacerdotes non erant, cum ab Aarone prognati non eſſent.

V. 26. Inferioris gradus, qui ſcilicet ſacerdotes non erant.

V. 27. Filiis quoque Gerson, &c. Sequitur ſors Gerſonis loco tertio: quamvis enim primogenitus eſſet Levi, primam tamen ſortem non eſt aſſecutus inter Levitas: nam propter Aaronis familiam præcipuam, penes quam ſacerdotium erat, & Pontificatus, prælati ſunt Caathitæ, ad quos Aaron, & Moſes pertinebant.

V. 34. Inferioris gradus, qui ſacerdotes non erant, ut dixi num. 26.

V. 36. Iaser. Hæc civitas eſt in textu LXX. ſed non in Hebræo. Vide Serarium. Civitates quatuor. Quomodo quatuor, cum ſint numeratæ quinque? Serarius putat, Miſor eſſe eamdem cum Boſor, & ex textu Septuaginta irrepſiſſe in noſtram editionem Latinam. Sententia conſtabit, ſi dicamus Miſor in noſtro textu per appoſitionem exprimi, ut ſenſus ſit: Boſor in ſolitudine, quæ eſt Miſor; quæ Miſor alio nomine appellatur.

V. 41. Deditque Dominus Israeli omnem terram, &c. ei ſcilicet aſſignavit, & ad eam totum ius dedit. Multam tamen adhuc ſuperfuiſſe terram acquirendam, cum hæc dicerentur, patet ex cap. XIII. ſupra. & infra XXIII. Hæc autem vera ſunt ſecundum modum & formam promiſſionis factæ, ut ſcilicet temporibus congruis Deus daret terram promiſſionis, cum ſcilicet ipſi ſufficerent ad inhabitandum. Vide Exodi XXIII. 29. & Deuter. VII. 22. Et possederunt illam, atque habitaverunt in ea. Intellige pro maiori parte, nonnihil fere in ſingulis tribubus reſervando acquirendum.

V. 42. Dataque est ab eo pax, &c. ut nulla vicina natio Iſraelitas auderet vexare. Nullusque eis hostium resistere ausus est: fere nullus, ait Sa. vel Ioſue exercitum ducente, ut explicat S. Auguſtinus, qui etiam illud *reſiſtere* interpretatur *laceſſere*.

TIRINI.

Verſ. 36. Misor redundat, vel adnectendum Iaſeri, ut unam eamdemque cum ea urbem conſtituat. Alioquin urbs una redundaret.

V. 39. Civitates Levitarum fuerunt quadraginta octo. Totidem enim iuſſerat eis dari Dominus Numer. XXXV. verſ. 6. & 7.

Nota, penes Levitas fuiſſe plenum ius & dominium utile in has urbes: unde ſtatuebant ibi magiſtratus, & alios officiales. Sed dominium ſupremum directum manebat penes ſingulas tribus, unde urbes illæ decerptæ erant: quibus proinde cedebant portoria, vectigalia, & alia Regalia quæ vocant.

Sed Petes: Quare tribui Levi, quæ numero erat omnium pene minima, dandæ fuerunt quadraginta octo urbes, id eſt duplo & triplo plures quam quibuſdam aliis tribubus longe numeroſioribus obvenerat *a*? Reſpondeo primo, quia divinam benignitatem decebat, erga miniſtros ſuos, ſacrorumque antiſtites in rebus ad victum habitationemque neceſſariis ſubminiſtrandis eſſe liberalem; ut illi exempti & liberati importuna earum rerum cura, ſe totos in Dei cultum, cæremonias, & obſequium impenderent. Ita Philo *b*. Reſpondeo ſecundo, quia aliis tribubus, etſi pauciores quibuſdam obvenilſent urbes, obvenerant tamen plurimi quoque pagi & vici: quorum nullos acceperunt Levitæ, ſed ſolis ſuburbanis ad mille paſſus, ſeu bis mille cubitos circum ſingulas urbes contenti eſſe debebant, ut dicitur Numerorum XXXV. verſ. 4. & 5. Ita Abulenſis. Sed aliam hic notare eſt divini Numinis providentiam ſimul & clementiam. Geneſ. XLIX. in pœnam everſæ tyrannice Sichem patriarcha Iacob irrogarat filio ſuo Levi pœnam diſperſionis inter fratres ſuos. Sed Deus ob merita poſterorum, & præſertim Moyſis, Aaronis, & Phinees, hanc ipſam pœnam convertit in laudem, & premium, effecitque ut qui diſpergendi erant per omnes tribus, honorifico ſacerdotii, & ſacri miniſterii titulo diſpergerentur, neque probro id illis eſſet, ſed ſummo honori. Unde & hoc conſequebatur commodi, quod, diſperſis per omnia loca Sacerdotibus, ac Levitis, omnes

Digitized by Google

mnes reliquæ tribus facilius ab ipſis ſanæ doctrinæ morumque præcepta haurirent: nam ipſorum erat, utpote legis peritorum. docere & erudire fratres ſuos. Denique & hoc norandum, divina providentia factum, quod ex omnibus Leviticis urbibus tota Palæſtina diſperſis eæ ſacerdotibus ſorte obvenerint, quæ tabernaculo ac templo, adeoque & futuræ urbi regiæ, puta Ieroſolymæ, proximæ eſſent: ut ſic commodius cum Iudaica tribu connubia inire poſsent. *Nam*, ut inquit Theodoretus *d*, *has duas tribus permiſit miſceri Dominus, eo quod Chriſtus, qui e tribu Iuda naſci debebat, non Rex ſolum, ſed & Pontifex erat futurus.*

(*a*) Serarius hic quæſt. III.
(*b*) Philo Lib. de Profugis, & Lib. II. de Monarchia, & Lib. de Sacerdotum honoribus.
(*c*) Abulenſ. quæſt. IX. in Num. XXXV.
(*d*) Theodor. hic quæſt. XVIII.

GORDONI.

Verſ. I. FUerant hæ urbes, ſeu oppidula 48. quæ hic numerantur a verſ. II. uſque ad verſ. 37. Sane 23. millia Levitarum cum Ioſue venerunt in terram promiſſam. Ab omni agrorum cultu liberi erant; ſuburbana illis data ad alenda pecora: & victus ſufficiens erat ex oblationibus, & ſacrificiis. Plures poſtea conceſſas urbes putat Adrichomius; ſed nulla ratione ſufficiente id evincit. Falli potuit, quia hæ nominatæ 48. urbes, nomina progreſſu temporis (ſaltem earum aliquæ) mutare poterant, aut eſſe binomines. Atque ita demum per tribus diſtributi ſunt Levitæ, quibus Deus hereditatis pars remanſit.

V. II. CARIATH ARBE. Vide cap. XIV. PATRIS ENAC, id eſt principis Enachim.

V. 18. ANATHOTH, patria Ieremiæ, tribus millibus aberat a Ieruſalem.

V. 36. Deſunt in quibuſdam codicibus hæc de civitatibus quas Rubenitæ conceſſerunt Levitis, præſertim in Hebr. iuxta traditiones Iudæorum; tamen ſunt in Chal. & apud LXX. in Græco.

V. 40. Levitarum urbes quadraginta octo numerantur. Ex Paralip. Libris apparens eſt varietas aliqua, ſive numerum, ſive urbium nomina conſideres, ut Maſius expendit. Verum, ut dixi verſ. I. mutantur ſæpe nomina, & urbes interdum binomiæ ſunt; fitque hinc, ut in numero ſit apparens quidem, non tamen vera diſcordia. Mirum aliquibus videtur, quod Heſebon dicatur hic detracta Gaditis. Cur enim non potius Rubenitis, quorum erat urbs iſta? Sed id eveniſſe putandum eſt, quia civitates ſitæ in confinio tribuum, potuerunt (ſaltem initio, & nondum rebus plene compoſitis) nunc uni, nunc alteri tribui concedi, quo ad uſum, aut ad tempus aliquod.

V. 41. Data eſt pax a Deo in fine bellorum Ioſue, ſeu ſub eius ducatu; & vel data, vel deſignata eſt poſſeſſio, iuxta mentem, & promiſſionem Dei. Deſignatam dixi: nam, ut ſupra, nondum forte ſufficiebat numerus populi ad omnia plene poſſidenda. Quid ſit de toleratis tributariis, dixi cap. XVII. verſ. 13. Porro de plena ſubiugatione ſub Davide, vide ſupra cap. XIII.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 4. Deſignantur quatuor Levitarum partes. Prima Sacerdotum de ſtirpe Caath. Secunda Levitarum ex eadem ſtirpe: non erant ſacerdotes. Tertia Levitarum Gerſonitarum. Quarta Levitarum Meraritarum. CIVITATES TREDECIM. Primæ parti, ex his quas recenſui datæ ſunt tredecim civitates, omnes in tribu Iuda vel Beniamin.

V. 5. Hi, ut dixi, non erant ſacerdotes.

V. 12. AGROS. Calib dominus erat agrorum circa Hebron, immo & vectigalium civitatis, ſi qua habebat. Levitæ habitationem habebant, & ſuburbana.

V. 15. AIN ET IETA. *Ieta* omiſſa eſt Paral. Lib. I. cap. VI. mutantur paſſim nomina urbium; immo ſæpe duplicia ſunt.

V. 17. GABAON omittitur I. Paral. cap. VI. verſ. 60.

V. 20. Hi ex familia Caath non erant ſacerdotes.

V. 26. INFERIORIS GRADUS: nam ut dixi, non erant ſacerdotes.

V. 27. Hæc tertia pars eſt Gerſonitarum.

V. 36. CIVITATES QUATUOR. At ſunt quinque numeratæ. Reſpondeo. Boſor alio nomine eſt Miſar.

V. 42. NULLUS, Ioſue ductore exercitus, ex Auguſtino. RESISTERE, ex his regionibus quas aggreſſus eſt Ioſue.

CAPUT XXII.

Remiſſæ ad ſuam poſſeſſionem trans Iordanem tribus Ruben & Gad & dimidia Manaſſe, ſuſpicionem movent ceteris tribubus propter extructum ad Iordanem altare; ſed miſſi legati ſuſcipiunt iuſtam eorum excuſationem.

1. EOdem tempore vocavit Ioſue Rubenitas, & Gaditas, & di-
midiam tribum Manaſſe, 2. dixitque ad eos: Feciſtis omnia
quæ præcepit vobis Moyſes famulus Domini: mihi quoque
in omnibus obediſtis, 3. nec reliquiſtis fratres veſtros lon-
go tempore, uſque in præſentem diem, cuſtodientes impe-
rium Domini Dei veſtri. 4. Quia igitur dedit Dominus
Deus veſter fratribus veſtris quietem & pacem, ſicut polli-
citus eſt: revertimini, & ite in tabernacula veſtra, & in terram poſſeſſionis, (*a*)
quam tradidit vobis Moyſes famulus Domini trans Iordanem: 5. ita dumtaxat,
ut cuſtodiatis attente, & opere compleatis mandatum & legem quam præcepit
vobis Moyſes famulus Domini, ut diligatis Dominum Deum veſtrum, & am-
buletis in omnibus viis eius, & obſervetis mandata illius, adhæreatiſque ei, ac
ſerviatis in omni corde, & in omni anima veſtra. 6. Benedixitque eis Ioſue, &
dimiſit eos. Qui reverſi ſunt in tabernacula ſua. 7. Dimidiæ autem tribui Ma-
naſſe poſſeſſionem Moyſes dederat in Baſan: & idcirco mediæ quæ ſuperfuit, de-
dit Ioſue ſortem inter ceteros fratres ſuos trans Iordanem ad * occidentalem pla-
gam. Cumque dimitteret eos in tabernacula ſua, & benedixiſſet eis, 8. dixit
ad eos: In multa ſubſtantia atque divitiis revertimini ad ſedes veſtras, cum ar-
gento & auro, ære ac ferro, & veſte multiplici: dividite prædam hoſtium cum
fratribus veſtris. 9. Reverſique ſunt, & abierunt filii Ruben, & filii Gad, &
dimidia tribus Manaſſe, a filiis Iſrael de Silo, quæ ſita eſt in Chanaan, ut in-
trarent Galaad terram poſſeſſionis ſuæ, quam obtinuerant iuxta imperium Do-
mini in manu Moyſi. 10. Cumque veniſſent ad tumulos Iordanis † in terram
Chanaan, ædificaverunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis. 11. Quod
cum audiſſent filii Iſrael, & ad eos certi nuntii detuliſſent, ædificaſſe filios Ru-
ben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe, altare in terra Chanaan, ſuper Iorda-
nis tumulos, contra filios Iſrael: 12. convenerunt omnes in Silo, ut aſcenderent
& dimicarent contra eos. 13. Et interim miſerunt ad illos in terram Galaad
* Phinees filium Eleazari ſacerdotis, 14. & decem principes cum eo, ſingulos de
ſingulis tribubus. 15. Qui venerunt ad filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tri-
bus Manaſſe, in terram Galaad, dixeruntque ad eos: 16. Hæc mandat omnis
populus Domini: Quæ eſt iſta tranſgreſſio? Cur reliquiſtis Dominum Deum Iſ-
rael, ædificantes altare ſacrilegum, & a cultu illius recedentes? 17. An parum
vobis eſt (*b*) quod peccaſtis in Beelphegor, & uſque in præſentem diem * ma-
cula huius ſceleris in nobis permanet? multique de populo corruerunt. 18. Et
vos hodie reliquiſtis Dominum, & cras in univerſum Iſrael ira eius deſæviet.
19. Quod ſi putatis immundam eſſe terram poſſeſſionis veſtræ, tranſite ad ter-
ram in qua tabernaculum Domini eſt, & habitate inter nos: tantum ut a Do-

mi-

mino, & a noſtro conſortio non recedatis, ædificato altari præter altare Domini Dei noſtri. 20. (c) Nonne Achan filius Zare præteriit mandatum Domini, & ſuper omnem populum Iſrael ira eius incubuit? Et ille erat unus homo, atque utinam ſolus periiſſet in ſcelere ſuo. 21. Reſponderuntque filii Ruben & Gad, & dimidia tribus Manaſſe, principibus legationis Iſrael: 22. * Fortiſſimus Deus Dominus, Fortiſſimus Deus Dominus, ipſe novit, & Iſrael ſimul intelliget: ſi prævaricationis animo hoc altare conſtruximus, non cuſtodiat nos, ſed puniat nos in præſenti: 23. & ſi ea mente fecimus, ut holocauſta, & ſacrificium, & pacificas victimas ſuper eo imponeremus, ipſe quærat & iudicet: 24. & non ea magis cogitatione atque tractatu, ut diceremus: Cras dicent filii veſtri filiis noſtris: Quid vobis & Domino Deo Iſrael? 25. terminum poſuit Dominus inter nos & vos, o filii Ruben, & filii Gad, Iordanem fluvium: & idcirco partem non habetis in Domino. Et per hanc occaſionem avertent filii veſtri filios noſtros a timore Domini. Putavimus itaque melius, 26. & diximus: Extruamus nobis altare, non in holocauſta, neque ad victimas offerendas, 27. ſed in teſtimonium inter nos & vos, & ſobolem noſtram veſtramque progeniem, ut ſerviamus Domino, & iuris noſtri ſit offerre, & holocauſta, & victimas, & pacificas hoſtias: & nequaquam dicant cras filii veſtri filiis noſtris: Non eſt vobis pars in Domino. 28. Quod ſi voluerint dicere, reſpondebunt eis: Ecce altare Domini, quod fecerunt patres noſtri, non in holocauſta, neque in ſacrificium, ſed in teſtimonium noſtrum ac veſtrum. 29. Abſit a nobis hoc ſcelus, ut recedamus a Domino, & eius veſtigia relinquamus, extructo altari ad holocauſta, & ſacrificia, & victimas offerendas, præter altare Domini Dei noſtri, quod extructum eſt ante tabernaculum eius. 30. Quibus auditis, Phinees ſacerdos, & principes legationis Iſrael, qui erant cum eo, placati ſunt: & verba filiorum Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe, libentiſſime ſuſceperunt. 31. Dixitque Phinees filius Eleazari ſacerdos ad eos: Nunc ſcimus quod nobiſcum ſit Dominus, quoniam alieni eſtis a prævaricatione hac, & liberaſtis filios Iſrael de manu Domini. 32. Reverſuſque eſt cum principibus a filiis Ruben & Gad, de terra Galaad, finium Chanaan, ad filios Iſrael, & retulit eis. 33. Placuitque ſermo cunctis audientibus. Et laudaverunt Deum filii Iſrael, & nequaquam ultra dixerunt, ut aſcenderent contra eos, atque pugnarent, & delerent terram poſſeſſionis eorum. 34. Vocaveruntque filii Ruben, & filii Gad, altare quod extruxerant, Teſtimonium noſtrum, quod Dominus ipſe ſit Deus.

(a) Numer. xxxii. 33. Sup. xiii. 8. (b) Num. xxv. 3. Deuter. iv. 3. (c) Sup. vii. 1.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 7. *Ad occidentalem plagam*. Non eſt addendum pronomen *eius*.

V. 13. *Phinees filium Eleazari ſacerdotis*. Secundum caſum *ſacerdotis* non vertas in quartum *ſacerdotem*.

V. 17. *Macula huius ſceleris in nobis permanet*. Nequaquam commutandum eſt pronomen primæ perſonæ *nobis*, cum ſecundæ *vobis*.

V. 22. *Fortiſſimus Deus Dominus, fortiſſimus Deus Dominus*. Hoc ita geminandum eſt, minimeque alterum omittendum.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 10. *In terram Chanaan*. Quædam manuſcripta rectius legere videntur ſexto caſu *in terra*.

Digitized by Google

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 6. BENEDIXITQUE; id eſt, bene eſt precatus.

V. 8. IN MULTA SUBSTANTIA ATQUE DIVITIIS. Hebr. Chald. & LXX. *cum multis opibus, & iumentis*, ſeu *pecoribus multis*.

V. 10. TUMULOS, id eſt fines, ſeu oras, ſcilicet ubi ſolent eſſe tumuli congeſtæ arenæ. Hebr. *limites*, ſeu *confinia*. IN TERRAM, pro in terra. Apparet, ex parte Iericho factum altare. INFINITAE. Hebr. Chald. & LXX. *maximæ*.

V. 11. CONTRA FILIOS. Chald. *ad latus filiorum*. Hebr. *in tranſitu filiorum*: ſcilicet ubi Iordanem tranſierant venientes ex AEgypto.

V. 16. SACRILEGUM. Additum id ab Interprete.

V. 17. IN BEELPHEGOR, id eſt colendo idolum Moabitarum.

V. 18. HODIE, id eſt nunc, ſeu hoc tempore. CRAS, id eſt in poſterum.

V. 20. UNUS HOMO; quaſi dicat, Solus peccaverat. ATQUE UTINAM SOLUS PERIISSET, &c. Hebr. Chald. & LXX. *Et non periit ſolus*, &c.

V. 22. FORTISSIMUS DEUS DOMINUS. Hebr. bis ponitur id, & in Complut. LXX. *Deus Deus Dominus*: idque bis. Chald. *Deus deorum Dominus*.

V. 24. TRACTATU. Hebr. *ſolicitudine*, ſeu *timore*.

V. 27. NON EST VOBIS PARS, &c. quaſi dicat, nihil vobis cum Domino: ſcilicet non eſt Deus veſter.

V. 31. LIBERASTIS, &c. quaſi dicat: Feciſtis ne peccarent ſuſcepto contra vos bello.

V. 33. LAUDAVERUNT. Hebr. *benedixerunt*.

V. 34. VOCAVERUNTQUE, &c. Nota, quod nomen impoſitum, fuit TESTIMONIUM: ratio vero fuit quæ hic additur, ſcilicet *Teſtimonium noſtrum*, &c.

ESTII.

Verſ. 8. DIVIDITE PRAEDAM HOSTIUM CUM FRATRIBUS VESTRIS. Cum quibus fratribus? cum legamus Num. XXXII. eos omnes profectos fuiſſe ad bellum, ſolis uxoribus ac parvulis relictis in terra ſibi data trans Iordanem? quod & repetitur Deut. III. & huius Libri cap. I. Sed dicendum, viros quidem robuſtos, & bellicoſos omnes fuiſſe ad bellum profectos; non autem omnes omnino viros. Quidam enim ad bellum minus apti erant, & hi vacabant ſcilicet agriculturæ, & urbibus cuſtodiendis, aliiſque vel mœchanicis, vel civilibus operibus. Neque enim exiſtimandum eſt, aut ſolas mulieres cum parvulis quinque annorum ſpatio relictas fuiſſe in urbibus trans Iordanem, ita ut nulli adeſſent viri, quorum auxilium ob multas cauſas eis neceſſarium fuiſſe conſtat, maxime ob hoſtium metum. Nam etſi abeſſent viri bellicoſi, alii tamen tantiſper ſuſtinere poterant hoſtem, ſi forte ſuperveniret, donec viris illis bellicoſis ultra Iordanem militantibus periculum nuntiaretur. Cum his ergo viris, qui in urbibus tamquam ad ſarcinas fuerant relicti, Ioſue hic iubet dividi prædam, iuxta morem etiam antea obſervatum Num. XXXI. cui conſuetudini poſtea legis auctoritatem dedit David I. Reg. XXX.

V. 25. & 26. PUTAVIMUS ITAQUE MELIUS, ET DIXIMUS: EXTRUAMUS NOBIS ALTARE, &c. Primum agnoſcenda eſt hic catachreſis in vocabulo altaris. Nam altare proprie eſt quod eo fine erigitur, ut in eo offeratur ſacrificium. Atque hinc ſcilicet extructio iſta duplicem ingerebat ſuſpicionem. Alteram quod recederent a cultu unius Dei, & ſacrificare vellent idolis; aut certe alteram, quod etſi adhærerent cultui unius Dei, tamen contra legem ſacrificare vellent Deo in illo altari: nam lege præceptum erat, in uno tantum loco a Domino deſignando offerenda eſſe ſacrificia. Sed utramque ſuſpicionem a ſe repellunt Rubenitæ, & ſocii una reſponſione, quan-

do

do ſimpliciter affirmant, ſe non ad ſacrificia & victimas extruxiſſe altare, ſed tantum in teſtimonium, ut plenius in textu explicatur. Et ſuſceperunt benigne hanc reſponſionem legati a Ioſue, & reliquo populo miſſi. Quibus peiores ſunt hæretici noſtri temporis. Nempe, verbi grat. novatores iſti accuſant catholicos quod idola adorent, dum venerantur imagines Chriſti, & ſanctorum. Reſpondent catholici, ſe imagines habere, non ut deos quos adorent, ſed ut ſigna in quibus Chriſtum, & ſanctos honorent: ſed non accipiunt novatores ſatisfactionem, ut hic Ioſue cum ſuis.

M A R I A N AE.

Verſ. 6. BENEDIXITQUE EIS IOSUE: bene precatus eſt, aut laudavit. DIMISIT EOS, diſcedendi facultatem conceſſit Rubenitis, & Gaditis.

V. 7. TRANS IORDANEM. Intellige comparatione alterius dimidiæ tribus: alioqui cum Ieroſolyma comparata, citra Iordanem erat ea pars tribus Manaſſe. AD OCCIDENTALEM PLAGAM. Hebr. *mare*: ſed *mare* pro occaſu ſumitur. Reliquos dimiſit.

V. 8. IN MULTA SUBSTANTIA; pro cum multa. Porro *ſubſtantia* vocis Hebr. נכבם *neches* vim ſatis exprimit, nam ſignificat bona omnia, *poſſeſſiones*, *ſupellectilem*, *pecora*. Ita quod additur, explicatio eſt eius quod ea voce comprehenditur. ATQUE DIVITIIS. Hebr. vox מִקְנֶה *mikneh*, id eſt *acquiſitio*, pro pecoribus ſere ſumitur. CUM FRATRIBUS VESTRIS: iis certe qui cum uxoribus & filiis ad cuſtodiam terræ illis datæ, neceſſario relicti erant. Cum iis prædam Ioſue dividi vult, qui non pauciores erant quam qui ad bellum iverunt.

V. 9. IN MANU MOYSI; id eſt, per manum Moyſi, per Moyſem data eſt illis Galaad, ſcilicet Manaſſe tribui, Rubenitis, & Gaditis.

V. 10. CUMQUE VENISSENT AD TUMULOS IORDANIS. Hebr. *ad fines*, *ad tractum Iordanis*: ſed Hieron. *limites* vocat *tumulos*, quoniam tumulis ſere ſignatur. IN TERRAM CHANAAN. Hebr: *Qui* (ſcilicet limites) *ſunt in terra Chanaan*, ALTARE INFINITAE MAGNITUDINIS. Hebr. *magnum ad viſum*, id eſt viſu dignum altare. Sept. *magnum viſu*. Chald. *magnum ad videndum*. AEDIFICARUNT, ſcilicet Rubenitæ.

V. 11. CONTRA FILIOS ISRAEL. Hebr. *in tranſitu filiorum Iſrael*: ſcilicet ubi venientes ex AEgypto traiecere fluvium, vel ad vada Iordanis, qua genti tranſitus erat. Sept. ἐν τῷ πέραν υἱῶν Ἰσραὴλ, *ex adverſum filiorum Iſrael*, id eſt in ulteriori ripa Iordanis. Et hoc videntur Hebraica ſignificare: nam *tranſitus* ſæpe pro *trans* ſive *ultra* ſumitur: & Vulgatæ verba eodem ſpectare poſſunt, ſumique *contra* pro *ex adverſum*. Cur ædificaſtis altare

V. 16. SACRILEGUM? Hoc additur ab Interprete. In Hebr. tantum eſt: *AEdificantes vobis altare*.

V. 17. AN PARUM VOBIS ID EST QUOD PECCASTIS IN BEELPHEGOR? nempe cum Moabitarum idolum coluerunt Num. xxv. verſ. 4.

V. 18. HODIE, id eſt in præſenti. CRAS; id eſt, futuro tempore deſæviet in Iſrael ira Dei. *Nonne Achan periit?* .

V. 20. ATQUE UTINAM SOLUS PERIISSET. Hebr. *Et ipſe vir unus non periit*; ſupple, *ſolus in ſcelere ſuo*: ſic Sept. Hieronymus autem pro לא, id eſt *non*, legit haud dubium לו, *utinam*; ſed ſententia una eſt, unum Achan peccaſſe, plures dediſſe pœnas. Id timent, ne propter id altare totus Iſrael puniretur.

V. 23. IPSE QUAERAT ET IUDICET. Hebr. non eſt *& iudicet*, ſed tantum *ipſe quærat*; ſupple, vindictam, quod Hieronymus dixit, *& iudicet*: ſi malo animo id fecimus.

V. 32. FINIUM CHANAAN. Vulgata in Regiis. & Complutenſ. item Sept. & Chald. habent, *In terram Chanaan*, ſcilicet reverſus eſt Phinees.

V. 33. LAUDAVERUNT. Hebr. *benedixerunt*: ſed hic *benedicere*, *laudare* eſt.

V. 34. VOCAVERUNTQUE ... ALTARE ... TESTIMONIUM NOSTRUM. Hebr. *Vocaverunt altare* (ſupple, teſtem) *quoniam teſtis eſt inter nos*, *quod Dominus Deus*: ſcilicet IPSE SIT DEUS, ut Hieronymus addidit. Chald. *quod Dominus ipſe Deus*: qui & vocem illam *teſtem* ſupplet, ſupplent alii Hebræi.

MAL-

Digitized by Google

MALVENDAE.

Verſ. 3. LONGO TEMPORE USQUE IN PRAESENTEM DIEM. Notant, id tempus tredecim, aut quatuordecim ſerme annorum fuiſſe, quibus duravit bellum contra Chananæos. Vide cap. x. verſ. 41. CUSTODIENTES IMPERIUM DOMINI. Hebr. *Et obſervaſtis obſervationem præcepti* IHUH. Quidam: *Atque coluiſtis obſervantiam mandati Domini.* Alii: *Sed cuſtodiviſtis diligenter præceptum Domini.* Aliqui: *Et obſervaſtis obſervationem, & præceptum Iehovæ.* Puto eſſe Hebraiſmum, obſervare obſervantiam mandati Domini; id eſt, omni ſtudio & diligentia curare obſervantiam divini præcepti.

V. 4. REVERTIMINI. Hebr. *Et nunc aſpicite:* proprie, *faciate, faciem vertite.* Hiſpanice *encareos.* IN TABERNACULA VESTRA, ſive *in tentoria*, ſeu *aulas veſtras.* Habebant quidem illi urbes munitas, & domos fixas & ſtabiles in ſuis poſſeſſionibus ultra Iordanem, in quibus depoſuerant parvulos ſuos, Numer. xxxii. verſ. 16. & 17. ſed hic tentoria vocat, uſus vocabulo militari ad milites; vel alludit ad rem pecuariam, quam illi cumprimis exercebant, Numer. xxxii. verſ. 1. 4. 16. ſic ſupra verſ. 6.

V. 5. UT CUSTODIATIS ATTENTE, ET OPERE COMPLEATIS. Hebr. *Obſervate valde ad facere.* Quidam: *Diligenter cuſtodite, & facite.* Alii: *Obſervate admodum ut exequamini.* Nonnulli: *Obſervantes admodum facite.* Ego vim Hebraiſmi eam puto: *Obſervate omni ſtudio & diligentia, curate ſollicite admodum, facere præceptum*, &c.

V. 6. BENEDIXITQUE EIS. Varie elucidant Hebraiſmum: 1. *Omnia felicia & fauſta precatus eſt eis*; 2. *Et collaudavit eos*; 3. *Et congratulatus eſt eis.* Et fieri poteſt ut verbum benedicendi omnia iſta hic complectatur.

V. 7. DIMIDIAE AUTEM TRIBUI MANASSE, &c. Notant, interiectam hic mentionem dimidiæ tribus Manaſſis ad reddendam rationem cur ſupra verſ. 1. Reubenitis, & Gaditis Manaſſitarum alteram partem coniunxerit: nimirum quia poſſeſſionem cum illis acceperat trans Iordanem, & cum illis reliquos Iſraelitas comitata fuerit in expeditionem Chananaicam. INTER CETEROS FRATRES SUOS, nimirum cum reliquis novem tribubus cis Iordanem. ET BENEDIXISSET EIS. Hebr. *Et benedixit eis.* Quidam: *Et valedixit eis.* Alii: *Bene precatus eſt eis.* Nonnulli: *Et muneratus eſt eos.* *Benedicendi* enim verbum non ſolum bene precari, ſed etiam beneficium, ſeu munus conferre ſignificat, ut II. Samuel. vi. verſ. 18. & 20. & Geneſ. xxxiii. verſ. 11. & alibi.

V. 10. AD TUMULOS IORDANIS. De voce *Ghelıloth* plura diximus cap. xiii. verſ. 2. Quidam hic reddunt, *Ad volutabra Iarden*, & regionem eſſe volunt circa Iordanem ſeminibus inutilem, eo quod Iordanis alluvione involveretur, & nimium eſſet paluſtris ac lutoſa. Alii convertunt, *Ad limites:* nonnulli, *Ad regiones:* pauci, *Ad aggeres:* aliqui, *Ad confinia Iardenis.* Regionem ſeu tractum Iordani adiacentem intelligunt. Nec deſunt qui notant, hunc locum enim ipſummet eſſe qui cap. xviii. verſ. 18. vocatus eſt *Gheliloth, e regione clivi Adummim:* ipſamque Galgalam celebrem ſtativis Iſraelitarum eſſe contendunt. Vide ibi Com. Certe Galgala haud multum ab Iordane aberat, inter ipſum & Ierichuntem poſita: ut non mirum ſit in Galgala prope Iordanem, loco alioqui religioſo ob præſentiam quondam arcæ, Rubenitas, ac ſocios ingens illud altare extruxiſſe. Sed æſtimet hæc quiſque ut voluerit: nam mihi ſemper veriſimilius viſum, altare ultra Iordanem ab illis erectum, nimirum in ſua ipſorum poſſeſſione. Ioſephus Lib. V. Antiquit. cap. iv. *Itaque traiecto fluvio Rhubenis tribus, & Gadis, & quotquot Manaſſitarum eos ſunt ſecuti, altare ſuper ripam Iordanis erigunt, monumentum poſteris, & ſignum coniunctionis cum reliquis qui ultra Iordanem incolunt.* Aſſentiuntur nonnulli Hebræorum etiam, ac Noſtrorum. IN TERRAM CHANAAN. Hebr. *qui in terra Chenahan.* Relativum *qui* numero anceps, & ad *tumulos*, & ad *Iordanem* referri poteſt, *qui* tumuli ſunt, vel *qui* Iordanis eſt in terra Chenahan. Et ſi ad tumulos referas, notant, regionem quam poſſidebant filii Iſrael ultra Iordanem in campeſtribus Moab, vocari etiam interdum

dum terram Chenahan, quod Amorrhæi, qui prius habitabant in ea regione, vocabantur etiam Chananæi, quod deſcendiſſent omnes ex parte Chanahan. Vide Numeror. XIV. verſ. 25. 43. 45. ALTARE INFINITAE MAGNITUDINIS. Hebr. *Altare magnum viſui*, ſeu ad aſpectum, vel viſu, id eſt ſpectandæ magnitudinis. Quidam: *Altare magnum & conſpicuum*, Hiſpanice *viſtoſo*. Alii: *Aram ingentem ſpecie*. Nonnulli: *Aram magnificam & ſpectabilem*. Interpres Hiſpanicus: *Altar de grande apparencia*, id eſt ſumptuoſum & ſplendidum.

V. 11. IN TERRA CHANAAN. Hebr. *e regione terræ Chenahan*. *Et hinc clare habetur*, inquit Caietanus, *quod altare hoc ædificatum eſt, non in terra Chanahan, ſed in terra Rubenitarum, Gaditarum, & dimidiæ tribus Manaſſis: hoc eſt, trans Iordanem relative ad Ieruſalem: terra enim Chanahan eſt cis Iordanem, relative ad Ieruſalem*.

V. 14. SINGULOS DE SINGULIS TRIBUBUS. Contraxit Hebræa, quæ latius ſic habent: *Principem unum, principem unum domui patris, per omnes tribus Iſrael: & vir caput domus patrum ſuorum ipſi per millia Iſrael*. Dilucidius alii exprimunt. I. *Singulos principes per ſingulas domos avitas ex omnibus tribubus Iſrael: ſinguli namque principes familiarum patrum ſuorum erant in millibus Iſrael*, id eſt totius populi Iſraelitici, qui erat in multa millia, ſeu in magno numero. Illud, *In millibus Iſrael*, poteſt ex Hebræo reddi, *Inter principes*, vel *inter copias*; aut *inter chiliarchias*, ſeu *chiliarchos Iſrael*. Nam vox אלפי *alphe* modo mille ſignificat, modo eos qui mille viris imperant, hoc eſt Chiliarchos, ſeu principes millenarios; nonnumquam etiam principes viros, qui aliis hominibus duces ad res gerendas ſunt. II. *Singulos principes*, ſeu *magnates, familiæ, per omnes tribus Iſrael: erant enim illi ſuæ quiſque familiæ primarii inter principes Iſraeliticos*, ſive *inter millenos Iſrael*; id eſt, ex ſingulis tribubus ſingulos, quorum quiſque præfectus erat mille tribulibus ſuis. III. *De quaque tribu Iſrael unum principem iuxta domos patrum, qui ſinguli capita erant ſecundum familias patrum ſuorum, in millibus Iſrael*. IV. *Principem unum, principem unum in domum paternam*, id eſt principem unum ex unaquaque domo paterna; *ex ſingulis tribubus Iſraelis: erat autem eorum quiſque primarius domus paternæ ſuæ in millibus Iſraelis*.

V. 16. OMNIS POPULUS DOMINI. Hebr. *Omnis congregatio, cœtus, collegium, conventus*, IHUH. Congregationem IHUH ſe appellant, ut indicent ſe eſſe cœtum religioſum, veram Eccleſiam Dei, cultores veræ religionis, qui honorem Dei maxime diligant, ac tueantur; & ea mandata tamquam a cælo a Deo ipſo afferant de puro ac legitimo Dei cultu. QUAE EST ISTA TRANSGRESSIO? CUR RELIQUISTIS DOMINUM DEUM ISRAEL? Hebræa nos verbatim expreſſimus (*Quæ tranſcenſio iſta, quam tranſcendiſtis in Elohim Iſrael, ad revertere die de poſt* IHUH.) Alii ſic: 1. *Quæ eſt prævaricatio iſta, quam prævaricati eſtis contra Deum Iſrael, ut avertamini hodie: ne eatis poſt Iehovam?* 2. *Quæ eſt iſta perfidia, qua perfidi eſtis in Deum Iſraelis, ut recederetis hodie a Domino?* 3. *Quid hoc delicti eſt, quo deliquiſtis adverſus Deum Iſraelis, ut hodie deficeretis a Domino?* 4. *Quæ eſt prævaricatio hæc, qua prævaricati eſtis in Deum Iſraelis, avertendo vos hodie ab eundo poſt Iehovam?* Sic infra verſ. 18. 23. 29.

V. 17. AN PARUM VOBIS EST QUOD PECCASTIS IN BEELPHEGOR, ET USQUE IN PRAESENTEM DIEM MACULA HUIUS SCELERIS IN NOBIS PERMANET? Noſtra Translatio Hebræa ex verbo reddidit (*An parum nobis ad pravitatem Phegor, qua non mundavimus nos ipſos de ab ea uſque ad diem iſtam?*) Alii varie in hunc modum. I. *An parum nobis eſt cum iniquitate Pehor, a qua necdum ſumus mundati etiam hodie?* II. *An parva nobis ſit iniquitas Pehor?* id eſt, an parva nobis videri debeat; quaſi dicat: Nonne contenti eſſe debemus iniquitate illa, niſi etiam novam aliam adiungamus? Dilucidius adhuc ſic vertendum putant: *An parvum nobis videtur ſcelus, quod admiſimus in colendo idolum Pehor, a quo non ſumus purgati uſque ad diem hanc?* id eſt, propter quod necdum hactenus placatus eſt Dominus? III. *Num parvi ducitur nobis iniquitas Peor, a qua nondum purificati ſumus in hunc uſque diem?* IV. *Num parum nobis erat admiſiſſe ſcelus illud Phegor, a quo ad hunc diem uſque non ſumus*

pur-

Digitized by Google

purgati? V. *An parum eſt nobis ab iniquitate Pehoris quod non purificavimus nos ab ea uſque in diem hunc*? Traiectionem verborum eſſe volunt, & clarius ſic reddunt: *An parum eſt nobis, quod nondum purificavimus nos ipſos ab iniquitate Pehoris, uſque in diem hunc?* Hebr. poſſunt reddi: *An paucum nobis ad pravitatem Phegbor*. Vel *cum perverſitate Phegor*, aut *a pravitate Phegbor*, vel *pravitas Phegor*. Illud autem, *A qua non purificavimus nos uſque in diem hunc*, exponunt, vel ab inſamia, vel a prava affectione, vel a reatu pœnæ. Vide hiſtoriam huius facti Numer. xxv.

V. 18. Et vos hodie reliquistis Domimum. Hebr. *Et vos avertemini hodie ab eundo poſt Iehovah*. Quidam iſtud annectunt ſententiæ præcedenti, ita reddentes: *Num parum nobis erat, admiſiſſe ſcelus illud Phegbor*, &c. *niſi vos hodie defficeretis a Domino*? Sed nihil neceſſe, & maior vis in ſenſu, quem expreſſimus.

V.19 Quod si putatis immundam esse terram possessionis vestrae. Recte expreſſit Hebræa: *Et ſane, ſi immunda terra poſſeſſionis veſtræ*; id eſt, ſi vobis immunda videtur propterea quod in ea non ſit ſacrarium & altare Domini, quod apud nos eſt; ob idque itis extruere altare Domino, tranſite, &c.

V.20. Et ille erat unus homo atque utinam solus periisset in scelere suo. Hebr. *Et ipſe vir unus non obiit in perverſitate ſua*; id eſt, & ipſe non ſolus extinctus eſt ob ſcelus ſuum; ſed cœtum ipſum veluti ſecum ſcelere innexuit, ob quod multi perierunt: quanto magis, ſi vos, tantus hominum numerus, tam graviter peccaveritis in Deum, multos in perditionem trahetis? Quidam reddunt: *Qui tametſi iſſet vir unus, non tamen ſolus periit in iniquitate ſua*.

V. 22. Fortissimus Deus Dominus, fortissimus Deus Dominus. Bis Hebraice tria Dei nomina coniunguntur: El Elohim Ihuh, El Elohim Ihuh, id eſt *Fortis*, *Potentiſſimus*, *Eſſentius*, ſeu *Eſſentiator*, vel *Ens*. Quidam: *Deus Deorum Iehovah*. Alii *Potens Deus Iehovah*. His tribus nominibus ſcito innui Sacræ Triadis myſterium. Totus hic verſus patheticus eſt, & ideo conſtat membris conciſis: exprimunt enim iſti magnum pietatis & religionis erga Deum affectum. Ipse novit; ſubaudi, quo animo id fecerimus. Non custodiat nos, sed puniat nos in praesenti. Hebr. *Non ſervabis*, vel *ne ſervato nos in die iſta*. Apoſtrophe ad Deum: O Iehovah, ne ſerva nos; id eſt, perde nos Domine, ſi ea mente id fecimus, ut deficeremus a vero Dei cultu, & ab eius Eccleſia. Nec deſunt qui ad Phineem legationis principem apoſtrophem referant, hoc ſenſu: Non deprecamur quin vel hoc die nos bello invadas, & nos perdas, ſi tale facinus patravimus.

V.23. Ipse quaerat et iudicet. Duobus verbis expreſſit vim unius Hebraici: *Ipſe quæret*, *inquiret*, *vindicabit*.

V.24. Et non ea magis cogitatione atque tractatu, ut diceremus. Hebr. *Et ſi non de ſolicitudine, timore, de verbo fecimus iſtud, dicendo*. Quidam: *Et ſi non potius timore huiuſce rei fecimus hoc, dicendo*. Alii: *Si non magis ex ſolicitudine ac cura huius rei fecimus iſtud, quod ſcilicet dixerimus*. Aliqui: *Et ſi non potius quia ſoliciti de re eſſemus, id fecimus, dum reputaremus*. Nonnulli: *Immo, ſi non ex ſolicitudine de hac re fecimus iſtud, dicentes*. Alii: *Et ſi non præ ſolicitudine a verbo fecimus hoc hoc ipſum, dicendo*. Illudque, *Præ ſolicitudine a verbo*, exponunt: Id eſt, ut falſa, & inania verba, ut vanos ſermones ac rumores filiorum ſeu poſterorum veſtrorum vitaremus. Quem ſenſum illuſtrant ſequentia.

V. 29. Absit a nobis hoc scelus. Hebr. *Profanatio nobis a nobis*. De voce חלילה *chalilah* diximus Geneſ. xviii. verſ. 25. Sic loquuntur cum rem diram & atrocem abominantur. Quidam: *Abſit nobis a nobis*: illud, *A nobis*, exponunt, Noſtra cauſa; ac ſi dicant: Abſit a nobis tam horrendum ſcelus, non veſtra modo gratia, ut vobis morigeremur; ſed noſtra etiam cauſa, quibus ea res perniciem eſſet allatura maximam. Aliqui: *Prohibitio ſit nobis ab hoc*; ſubaudi, ſcelere; quaſi dicant: Prohibeat nos Deus ab hoc ſcelere. Alii: *Abſit nobis ab illo*: voluntque eſſe hypallagem; pro, abſit nobis, vel a nobis illud ſcelus, *ut rebellemus contra Iehovam*.

Google

V. 31. Et liberastis filios Israel de manu Domini. Hebr. *Tunc eripuiſtis filios Iſrael de manu Iehovah.* Quidam exponunt: Id eſt, a bello civili & inteſtino, quod iudicio Dei excitandum videbatur. Alii rectius: *Tunc eripuiſtis*, &c. nimirum cum extrueritis altare in alium finem quam ad ſacrificandum in eo, liberaſtis vos, & nos ab ira Dei. Hæc enim clauſula videtur pertinere ad illud, verſ. 18. *Et cras in univerſum Iſrael ira eius deſæviet.*

V. 34. Vocaveruntque filii Ruben et filii Gad altare quod extruxerant, Testimonium nostrum quod Dominus ipse sit Deus. Hebr. *Et indiderunt nomen filii Reuben, & filii Gad altari, quia teſtis ipſe inter nos, quia Iehovah eſt Deus.* Plerique Hebræorum, & Noſtrorum, ſecuti Chaldæum, exiſtimant deeſſe hic vocem *Ghed*, id eſt *teſtis*, ſeu *teſtimonium*; & ſubaudiendam eſſe e verſ. 27. ſuperius, in hunc modum: *Et vocaverunt filii Reuben. & filii Gad altare Ghed*, id eſt *Teſtem: quia teſtis ipſe inter nos*, &c. Alii: *Sic indiderunt Reubenitæ & Gaditæ altari iſti nomen Ghed, Teſtis, dicentes: Nam teſtis eſt inter nos, Iehovam eſſe nobis Deum.* Quidam: *Et vocaverunt filii Reuben, & filii Gad aram iſtam Ghed, dicentes: Teſtimonium noſtrum eſt quod Dominus ſit Deus.* Ego facile exiſtimaverim, hoc verſu illud dici, Formalem inſcriptionem grandibus Hebraicis litteris inditam altari illi, nempe iſtam quæ hic exprimitur: כי עד הוא בינותנו כי יהוה אלהים ci ghed hu benothenu ci ihuh elohim, *Quod teſtis ipſe inter nos. quod IHUH Deus.* Hæc ſumma totius Theologiæ. Unde illud, *Et vocaverunt altari* non interpretor, Et nomen indiderunt altari; ſed, Et indiderunt ſcripturam, vel inſcriptionem altari, ſeu inſcripſerunt altari. Nam non prorſus alienum eſt ab hac ſignificatione verbum *kara*: nam Hebræi ipſa ſacra Biblia, ſeu ſacram Scripturam appellant *Kara* & *Mikra*, quaſi divinam Scripturam, quæ aſſidue legi debeat: & impius ille Mahometes ſectam ſuam *Alkoran*, id eſt *illam ſcripturam*. Et Hebræis *kara*, legere etiam ſignificat. & verbum *legendi* affine eſt verbo *ſcribendi*, quod ſcripta legantur. Nec prorſus aliene hic vertas: *Et legerunt altari*; id eſt, legenda inſcripſerunt Catachriſtice.

MENOCHII.

Verſ. 3. Longo tempore; id eſt, longo admodum tempore eorum commilitones fuiſtis. Hebr. habet, *hiſce diebus multis*. Usque in praesentem diem, quo ſcilicet ſeptimus annus in decurſu eſt.

V. 8. Dividite praedam, &c. Monet Ioſue, ut cum ſuis, qui trans Iordanem remanſerant, prædam dividant. Hoc autem Ioſue præceptum conſentaneum erat legi Num. cap. xxxi. 27. ubi præcipitur ut dividatur præda ex æquo inter eos qui pugnaverunt, & inter reliquam multitudinem quæ ad bellum non proceſſerat.

V. 9. Galaad terram possessionis suae. *Galaad* in Scriptura aliquando montem tantum ſignificat, de quo Geneſ. xxxi. 48. Ierem. viii. & xxii. aliquando urbem ad montem illum ſitam, de qua Num. xxxii. 39. aliquando regiunculam quæ a monte illo ad Iordanem uſque porrigitur, & Galaaditis dicitur: aliquando, ut hic, totum illum tractum, in quo Sehon, & Og Reges olim regnaverunt.

V. 10. Ad tumulos Iordanis, id eſt aggeres, ſive tumulos, qui Iordanis aquis obiecti illas coercebant. In terra Chanaan: antequam tranſirent Iordanem, & venirent in terram Galaad. Altare infinitae magnitudinis: hyperbole: altare eximiæ magnitudinis. Hebræus ait fuiſſe *magnum ad conſpectum.*

V. 12. Convenerunt omnes in Silo. Nulla convocationis mentio fit: quare videntur Iſraelitæ zelo legis concitati, ſponte conveniſſe. Ut ascenderent, et dimicarent contra eos, tamquam contra legis tranſgreſſores: quia Dei præceptum fuit, ut in toto Iſraelitico populo unus tantummodo locus ſacrorum eſſet unumque altare ſacrificiorum, Exod. xx. 2. Levit. xvii. 8. & 9. Deut. xii. 5. 11. 13.

V. 13. Et interim miserunt ad illos, &c. miſſi legati, & in his præcipuus Phinees Aaronis nepos, vir ſapientia,

Digitized by Google

tia, ſanctitate, zelo, eloquentia ſpectatiſſimus. Summa legationis, ut cognoſcerent cur excitatum altare; & ſi crimen idololatriæ deprehenderent, monerent, & ad ſanam mentem revocare conarentur; ſi non parerent, bellum eis internecinum indicerent.

V. 16. HAEC MANDAT OMNIS POPULUS DOMINI. Conciliat legationi ſuæ auctoritatem Phinees, quod populi totius nomine, voluntate, & poteſtate miſſus eſſet cum ſociis. *Populus Domini*, emphaſim habet. Populus Deo fidelis, ad populum apoſtatam. QUAE EST ISTA TRANSGRESSIO? &c. Crimen tamquam certum obiicit: ſic enim magis excitabantur trans Iordanem, ut quod obiiciebatur, ſi falſum eſſet, pernegarent, & quo animo factum eſſet, explicarent. ALTARE SACRILEGUM. Hebr. *Altare ad deficiendum*, ſeu *apoſtatandum a Deo*.

V. 17. MACULA HUIUS SCELERIS IN NOBIS PERMANET. Infamia ſceleris illius adhuc laboramus; vel uſque in hunc diem ſceleris illius pœnas damus, quamvis nobis condonata ſit culpa.

V. 19. IMMUNDAM ESSE TERRAM POSSESSIONIS VESTRAE: quod ſcilicet apud vos tabernaculum non ſit, nec altare, nec ſacrificia. HABITATE INTER NOS: parati enim ſumus portionem terræ noſtræ vobis cedere, & diſpendio hoc noſtro a ſcelere vos abducere.

V. 20. ET ILLE ERAT UNUS HOMO; quaſi dicat: Si pro hominis unius peccato tanta in Iſrael clades immiſſa, quid putamus futurum peccantibus nunc tam multis?

V. 23. IPSE QUAERAT, ET IUDICET: quærat vindictam, & iudicet, ac puniat ſi malo animo fecimus.

V. 24. TRACTATU. Hebr. *ſolicitudine*, ſeu *timore*. IURIS NOSTRI SIT OFFERRE, &c. eo ſcilicet loco ubi fuerit Domini tabernaculum, & altare, quemadmodum alii Iſraelitæ hoc iure gaudent.

V. 27. NON EST VOBIS PARS IN DOMINO; quaſi dicat: Nihil vobis cum Domino: ſcilicet non eſt Deus veſter.

V. 31. LIBERASTIS FILIOS ISRAEL DE MANU DOMINI: ne ſcilicet ob veſtram culpam totum Iſraelem Dominus attereret.

V. 34. TESTIMONIUM NOSTRUM, quod ſcilicet eiuſdem Dei, & religionis cum reliquo Iſraele cultores ſimus.

TIRINI.

Verſ. 8. DIVIDITE PRAEDAM... CUM FRATRIBUS VESTRIS. Calvinus vult id ſolum fuiſſe conſilium; ſed præceptum fuiſſe patet ex Numeror. XXXI. 27. ubi iubet Deus, dividi *ex æquo prædam inter eos qui pugnaverunt*, & *inter omnem reliquam multitudinem*. Hanc legem forte ſucceſſu temporis neglectam, rurſus inſtauravit David I. Regum XXX. ut *æqualis* eſſet *portio proficiſcentium ad bellum*, & *remanentium ad ſarcinas*.

V. 24. CRAS, ſeu futuris temporibus, DICENT FILII VESTRI FILIIS NOSTRIS: QUID VOBIS ET DOMINO DEO ISRAEL? Chald. *Non eſt vobis verbi divini communitas*; id eſt, non eſtis de populo Dei, neque promiſſiones de terra ſancta, & Meſſia ex Abraham orituro, factæ olim patribus noſtris, ad vos tamquam veros heredes ſpectant: & conſequenter ius non habetis ad altare, & ſacrificia quæ in tabernaculo fœderis cis Iordanem apud nos peraguntur. Ne ergo hæc, & ſimilia poſteri veſtri poſteris noſtris toto Iordane a vobis ſeiunctis exprobrent aliquando, idcirco ereximus trans Iordanem hoc vaſtum, & nobile altare, non ut eo ad proprium & primarium altaris finem utamur, puta ad ſacrificia in eo offerenda (nam probe ſcimus lege divina vetitum eſſe nobis ſacrificia offerre extra tabernaculi locum a Deo deſignandum, Levit. XVI.) ſed ſolum ad ſecundarium finem, nempe ad æternum monimentum eiuſdem vobiſcum avitæ religionis & cultus divini, ſicut & ſtirpis paternæ; utque omnibus perpetuo teſtatum maneat, nos ad eadem vobiſcum cis Iordanem ſacra privilegiaque omnia ius habere. Ita Abulenſis. Ex hoc altari typico, & ex altero ſimili a patriarcha Iacob in titulum erecto Geneſ. XXVIII. verſ. 18. contra Iconoclaſtas colligit etiam Lutheranus Chytræus poſſe imagines, & ſtatuas erigi, quæ Chriſti, & ſanctorum, & divinorum beneficiorum memoriam conſervent, fidem accendant, & imitationem ſuadeant. Ita Serarius, & Vaſquez, *a* & Bellarminus.

(*a*) Serarius hic, & in præfatione librorum. Vaſquez de Adorat.

GOR-

GORDONI.

Verſ. 7. TRANS IORDANEM, illis nempe qui habitabant verſus Meſopotamiam: alioqui cis Iordanem, comparatione ad Ieruſalem.

V. 10. AD TUMULOS IORDANIS. Terminos Iordanis intellige, ſeu limites, ex Hieronymo, qui ſunt in terra Chanaan. ALTARE dicitur INFINITAE, id eſt magnæ, MAGNITUDINIS.

V. 17. PECCASTIS IN BEELPHEGOR. Vide Num. xxv. verſ. 4.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 7. TRANS IORDANEM, ſeu verſus Meſopotamiam. Cis, & trans, utrique regioni applicantur pro intentione loquentis, & loco in quo loquitur.

V. 8. DIVIDITE PRAEDAM HOSTIUM CUM FRATRIBUS VESTRIS. Talis diviſio præcipitur Num. xxxi. 27.

CAPUT XXIII.

Ioſue ſenex, iamque moribundus, exhortatur filios Iſrael ad ſervanda Dei præcepta, & cavendam ſocietatem cum Gentibus.

1. EVoluto autem multo tempore, poſtquam pacem dederat Dominus Iſraeli, ſubiectis in gyro nationibus univerſis, & Ioſue iam longævo, & perſenilis ætatis: 2. vocavit Ioſue omnem Iſraelem, maioreſque natu, & principes ac duces, & magiſtros, dixitque ad eos: Ego ſenui, & progreſſioris ætatis ſum: 3. voſque cernitis omnia, quæ fecerit Dominus Deus veſter cunctis per circuitum nationibus, quo modo pro vobis ipſe pugnaverit: 4. & nunc quia vobis ſorte diviſit omnem terram, ab orientali parte Iordanis uſque ad mare magnum, multæque adhuc ſuperſunt nationes: 5. Dominus Deus veſter diſperdet eas & auferet a facie veſtra, & poſſidebitis terram, ſicut vobis pollicitus eſt. 6. Tantum confortamini, & eſtote ſoliciti, ut cuſtodiatis cuncta quæ ſcripta ſunt in volumine legis Moyſi: & non declinetis ab eis neque ad dexteram neque ad ſiniſtram: 7. ne poſtquam intraveritis ad Gentes, quæ inter vos futuræ ſunt, iuretis in nomine deorum earum, & ſerviatis eis, & adoretis illos: 8. ſed adhæreatis Domino Deo veſtro: quod feciſtis uſque in diem hanc. 9. Et tunc auferet Dominus Deus in conſpectu veſtro gentes magnas & robuſtiſſimas, & nullus vobis reſiſtere poterit. 10. Unus e vobis perſequetur hoſtium mille viros: quia Dominus Deus veſter pro vobis ipſe pugnabit, ſicut pollicitus eſt. 11. Hoc tantum diligentiſſime præcavete, ut diligatis Dominum Deum veſtrum. 12. Quod ſi volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miſcere connubia, atque amicitias copulare: 13. iam nunc ſcitote quod Dominus Deus veſter non eas deleat ante faciem veſtram, ſed ſint vobis in foveam ac laqueum, & offendiculum ex latere veſtro, & ſudes in oculis veſtris, donec vos auferat atque diſperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis. 14. (*a*) En ego hodie ingredior viam univerſæ terræ, & toto animo cognoſcetis, quod de omnibus verbis, quæ ſe Dominus præſtiturum vobis eſſe pollicitus eſt, unum non prætererit incaſſum. 15. Sicut ergo implevit opere quod promiſit, & proſpera cuncta

Digitized by Google

venerunt: ſic adducet ſuper vos quidquid malorum comminatus eſt, donec vos auferat atque diſperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis, 16. eo quod prætericritis pactum Domini Dei veſtri, quod pepigit vobiſcum, & ſervieritis diis alienis, & adoraveritis eos: cito atque velociter conſurget in vos furor Domini, & auferemini ab hac terra optima, quam tradidit vobis.

(a) III. Reg. 11. 2.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 2. DUCES. Hebr. & LXX. *iudices*, ut etiam cap. ſeq. MAGISTROS. Hebr. *præfectos*. Chald. *exactores*. LXX. *ſcribas*, id eſt doctores: ſic etiam inf. cap. ſeq. PROGRESSIORIS, pro provectioris.

V. 4. DIVISIT. Hebr. & Chald. *diviſi*.

V. 7. FUTURAE SUNT; pro, adhuc ſunt. Vide inf. Hebr. Chald. & LXX. *Relictæ ſunt*.

V. 13. IN FOVEAM, &c. pro, velut in foveam, &c.

V. 14. TERRAE, pro hominum, quibus ſcilicet ſtatutum mori. TOTO ANIMO, id eſt omnino, ſeu certiſſime.

E S T I I.

Verſ. 12. & 13. QUOD SI VOLUERITIS...CUM EIS MISCERE CONNUBIA, ATQUE AMICITIAS COPULARE; IAM NUNC SCITOTE QUOD ERUNT VOBIS IN FOVEAM, &c. Generaliter quidem Dominus prohibuerat omnem ſocietatem & commercium cum hominibus illarum gentium, quarum terram erant accepturi, ſed peculiariter ac potiſſimum prohibuerat, ne cum eis miſcerent connubia, ſicut in Deuteronomio, & alibi frequenter legitur. Cuius ratio eſt, quia nulla ſocietas tam arcta eſt, quam ea quæ intercedit inter coniuges; de qua dictum eſt: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*. Et quia hæc arctiſſima eſt coniunctio, hinc maxime ex ea periculum eſt ne alter alterius moribus, aut opinione, aut ſuperſtitione inficiatur. Hinc ab Apoſtolo II. Corinth. VI. 14. eadem coniunctio ſeveriſſime prohibetur, ubi ait: *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim ſocietas luci ad tenebras?* &c. Et ſatis docent nos noſtra tempora. Vix enim unus inter mille nominari poterit catholicus, qui accepta uxore hæretica, non eius blanditiis in hæreſim fuerit protractus.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. SUBIECTIS, non eſt in Heb. ſed hoc: *Poſtquam requiem dedit Dominus Iſraeli ab omnibus inimicis ſuis*. IOSUE IAM LONGAEVO, ET PERSENILIS AETATIS. Hebr. *Ioſue ſenuit, venit in dies*: loquendi forma Hebræis uſitata.

V. 2. PRINCIPES AC DUCES, ET MAGISTROS. Regia pro *ducibus*, *iudices* ponunt in Vulgata, ut eſt in Hebræo, & ipſe Hieronymus cap. XXIV. verſ. 1. ubi eadem verba repetuntur, *iudices* potuit, argumento, alios Vulgatæ codices hoc loco vitioſos eſſe. Hebr. *Capita eius* (ſcilicet Iſraelis) *& iudices & magiſtros*, ſeu præfectos mavis: nam quid proprie vox *Soterim*, pro qua *duces* Hieronymus poſuit, ſignificet, incertum. Illud ex hoc loco conſtat, a iudicibus fuiſſe diſtinctos, quando poſt illos recenſentur.

V. 4. SORTE DIVISIT. Hebr. *cadere feci*, id eſt diviſi, in prima perſona: quæ eſt vera lectio: ſic Sept. & Chald. ſic in Vulgata in Regiis, ſed aliis codicibus omnibus reclamantibus. AB ORIENTALI PARTE IORDANIS. Hebr. *a Iordane*, qui ſcilicet ad ortum eſt. Ideo Hieronymus dixit, *ab orientali parte Iordanis*, pro a Iordane qui eſt ad orientalem plagam.

V. 7. NE....IURETIS. Hebr. *ne adiuretis*; id eſt, exigatis iuramentum per

deos

deos earum gentium. Verum Sept. & Chald. *ne iuretis* habent, ut Hieronymus poſuit. Si id facietis,

V. 9. AUFERET DOMINUS DEUS... GENTES MAGNAS ET ROBUSTISSIMAS. Hebr. & Chald. additur *& vos*; ſupple, expelletis: vos facietis, ſed Deo iuvante. Sequitur: ET NULLUS VOBIS RESISTERE POTERIT. Hebr. *Non ſtetit quiſquam in conſpectu veſtro uſque ad diem hanc*; quaſi dicat: Ex præterito futura coniicite.

V. 11. HOC TANTUM DILIGENTISSIME PRAECAVETE. Hebr. *Et cuſtodite valde ad animas veſtras*, vel *animabus veſtris*, ut Sept. quaſi dicat: In mente reponite aut cuſtodite, quantum animas veſtras, id eſt *diligentiſſime*, quod Hieronymus poſuit. Quid? UT DILIGATIS DOMINUM. Quod ſi volueritis cum iis gentibus

V. 12. AMICITIAS COPULARE. Hebr. *Et venerint ad vos, & vos ad illos*, quod ſcilicet amicitiæ ſignum eſt. Non delebuntur eæ gentes, ſi amicas eas habueritis.

V. 13. SINT VOBIS IN FOVEAM AC LAQUEUM. Hebr. *In laqueum erunt vobis eæ gentes*. ET OFFENDICULUM. Hebr. *virgam*. EX LATERE VESTRO. Hebr. *in lateribus veſtris*. *Virga* pro flagello, quo ſcilicet latera veſtra vapulent. SUDES IN OCULIS VESTRIS. Hebr. *ſpinæ*. Sept. & Chald. longe aliter.

V. 14. INGREDIOR VIAM UNIVERSAE TERRAE, id eſt hominum quibus mors futura certo eſt. TOTO ANIMO, id eſt certiſſime. Hebr. *in toto corde veſtro, & in tota anima veſtra*; id eſt, attentiſſime cognoſcetis verum eſſe quod dico, præſtitiſſeque Deum omnia quæ promiſit.

MALVENDAE.

Verſ. 1. EVOLUTO AUTEM MULTO TEMPORE. Hebr. *Et fuit exactis diebus multis*. Quidam exponunt: Id eſt, exactis tredecim annis bellorum, & toto tempore quod expendit Ioſue in diſtributione terræ, ut probat verſus quartus, denique poſtquam fuit diviſa terra, id eſt anno, ut credibile eſt, decimoquinto. cum annus quartuſdecimus intermiſſionis diſſeret, quo anno intermiſſa eſt cultura terræ, ex lege Levitici xxv. Alii obſervant, ſi Ioſepho credendum; annos viginti ſex præfuiſſe populo Ioſuam, quia anno ſexto creditur terminaſſe bella, cum tranſtulit tabernaculum in Silo; videri convocationem iſtam anno vigeſimo poſt quietem a præliis contigiſſe, cum iam Ioſue vicinus morti eſſet, ut verſ. 14. dicitur. Sed hæc ſunt incerta.

V. 2. ET PERSENILIS AETATIS. Hebr. *Veniens*, vel *venit in dies*; id eſt, grandævus, & provectæ fuit ætatis. Quidam: *Admodum grandis natu fuit*. Alii: *Denique gravatus fuit*. Nonnulli: *Vergens annis*. Sic verſ. 2. Similem locutionem habes Geneſ. XXIV. 1.

V. 2. ET PRINCIPES. Hebr. *& capita*, ut alibi paſſim ſolet appellare: eos intelligunt qui erant ſingularum tribuum primores, ſive tribuni.

V. 4. SORTE DIVISIT. Hebr. *Cadere feci, deieci, proieci, vobis*. Quidam: *Proſtravi vobis*. Alii: *Sortitus ſum vobis*. Nonnulli: *Feci ut caderent vobis gentes iſtæ in hereditatem*, &c. id eſt, iactis ſortibus attribui vobis gentes iſtas, &c. AB ORIENTALI PARTE IORDANIS USQUE AD MARE MAGNUM, &c. Hebr. *De Iarden & omnes gentes quas excidi, & mare magnum de occaſu ſolis*. Quidam dilucidius ſic reddunt: *A Iardene, cum omnes gentes, quas excidi; tum gentes maris magni ad occaſum ſolis*. Illud, *Tum gentes maris*, &c. exponunt: Videlicet accolas maris magni, quæ gentes ſupererant excindendæ, etſi Iſraelitæ ab eis quieſcebant. Vide ſupra cap. XXII. verſ. 2. Alii traiecta, & perturbata eſſe aiunt verba huius verſus Hebraice, & univerſæ verborum complexionis hanc concipiunt ſententiam: Ego vobis per ſortem diſtribui in ſingulas tribus, iam eas gentes quæ nondum ſunt exterminatæ, quam quas ipſe iam excidi per univerſam Chananæam, quanta patet inter Iordanem ab oriente, & mare mediterraneum ab occidente. Unde Hebraica verba totius verſus ſic ordinant: *Videte, cadere feci vobis in hereditatem per tribus veſtras, gentes reliquas iſtas, & omnes gentes, quas exſcidi: a Iarden, & mari magno ab occaſu ſolis*. Gentes reliquas appellant, quæ adhuc ſupererant, & nondum exciſæ, aut exterminatæ fuerant.

V. 7. NE POSTQUAM INTRAVERITIS AD GENTES, QUAE INTER

VOS

Digitized by Google

VOS FUTURAE SUNT. Hebr. *Ad neutiquam venire in gentibus iſtis, relictis iſtis vobiſcum*. Quidam; *Ne commiſceamini inter gentes iſtas, quæ relictæ ſunt apud vos*, vel *remanent vobiſcum*. Alii: *Neque conſuetudinem habendo cum gentibus iſtis, quæ apud vos reliquæ ſunt*. Nonnulli: *Ne conveniatis cum gentibus iſtis, iſtis, quæ reliquæ ſunt vobiſcum*; id eſt, ne ulla fœdera, aut pacta conventa cum illis ineatis. Aliqui: *Ne cum veneritis inter gentes iſtas, iſtas, inquam, quæ vobiſcum ſuperſunt, commemoretis, aut iuretis per nomen deorum earum*, &c. Sic infra verſ. 12. IURETIS IN NOMINE DEORUM EARUM. Quidam, quia verbum שבע *ſchabagh* ponitur in Hiphil, reddunt: *Neque iurare facietis*, ſeu *adiurabitis*, id eſt alios per idola earum: vel non efficietis ut ipſæ gentes in iuramento commemorent nomina deorum ſuorum. Vide Exodi XXIII. verſ. 13.

V. 9. ET NULLUS VOBIS RESISTERE POTERIT. Hebr. varie convertunt. 1. *Et vos, non ſtetit, conſtitit, quiſquam in conſpectu veſtro*; 2. *Et vobis non ſtetit vir in faciebus veſtris*; 3. *Nam quod ad vos, non conſtitit quiſquam in conſpectu veſtro*. Hebræa reddi poſſunt, *Et vos, & ad vos, & vobiſcum, & vobis*.

V. 10. UNUS E VOBIS PERSEQUETUR HOSTIUM MILLE VIROS. Vide Levit. XXVI. verſ. 7. Deuteron. XXVIII. verſ. 7. cap. XXXII. verſ. 30.

V. 11. HOC TANTUM DILIGENTISSIME PRAECAVETE, UT DILIGATIS DOMINUM. Hebr. *Et obſervati eritis valde animabus veſtris ad amare Iehovah*. Varie alii reddunt: 1. *Præcavete ergo diligentiſſime vobis ut diligatis Iehovam*; 2. *Continete igitur diligenter animos veſtros in officio diligendi Dominum*; 3. *Et conſervate vos valde, ut ametis Iehovam*; 4. *Attendetis igitur valde animis veſtris, ut ametis Iehovam*; 5. *Obſervate ergo valde quam cara eſt vobis anima veſtra, ut diligatis Dominum*. Hiſpanicus Interpres: *Miraa mucho por vueſtras animas, que ameys a Iehova*. Quidam illud, *Animabus veſtris*, ſequentibus iungunt, *Videte diligenter ut ex animo diligatis Iehovam*: non iam recte, propter accentum Atnach affixum voci *veſtris*. Plerique exponunt: *Cavete, cauti, circumſpecti, providi eſtote animabus veſtris*, id eſt vobis.

V. 13. ET OFFENDICULUM EX LATERE VESTRO. Vocem שטט *ſchotet* varie interpretantur. Quidam *palum, ſpinam*; alii *virgam, baculum*; nonnulli *ſtimulum*; plerique *flagellum, ſcuticam*; aliqui *rudentem, rudiculam*, ſeu *flagellum* ex rudente & remo contextum, quo flagellantur remiges. Hic reddunt: *Et in flagellum lateribus veſtris*. Mos, inquiunt, erat antiquis cædendi latera, Eccli. XXX. verſ. 12. & cap. XLII. verſ. 5. Hinc ſumpta metaphora. Poſſis reddere, *Et in remum*, ut ſit Hebraiſmus ſimul, & Hiſpaniſmus, cum laborem magnum & ærumnam triſtis & calamitoſæ vitæ exprimere volumus, dicimus, *al remo*, nam remigum vita ærumnoſiſſima eſt. Nec aliene prorſus reddes, *In circumagitationem, circumactionem, vertiginem*; id eſt, circumagent, circumrotabunt vos, ſuſque, deque ferent. Vox *ſchotet* congruit cum Hiſpanica *açote*, id eſt *flagello*. ET SUDES IN OCULIS VESTRIS. צננים *tzeninim* aiunt eſſe *ſudes, ſtimulos, ſpadas, palos præacutos, & acuminatos, aculeos, ſpicula, lanceas, ſpinas*. Vide Numer. XXXIII. verſ. 55. Notant Paulum Apoſtolum vertiſſe hanc vocem Græcæ σκόλοψ, quod *palum præacutum* ſignificat, II. Corinth. XII. verſ. 7. *Datus fuit mihi ſtimulus per carnem, nuntius ſatanæ ut me colaphis cæderet*.

V. 14. EN EGO HODIE INGREDIOR, &c. Hunc verſum more noſtro verbatim ex Hebræo transfudimus (*Ecce ego ambulans die in via omnis terræ, & cognoſcetis in omni corde veſtro, & in omni anima veſtra, quia non cecidit verbum unum de omnibus verbis bonis quæ locutus fuit* IHUH *Elohim ſuper vos: omnia venerunt vobis: non cecidit de eis verbum unum*. Quidam ita reddunt per parentheſim (*Ecce autem ego diſceſſurus ſum brevi pro conſuetudine totius terræ: poſtquam cognoviſtis toto corde veſtro, & toto animo veſtro, non excidiſſe rem ullam ex omnibus rebus bonis, quas promiſerat Iehova Deus veſter vobis, omnia eveniſſe vobis, non excidiſſe ex eis rem ullam*.) Deinde verſum 15. annectunt tertiodecimo, ita: *Et fore, ut quemadmodum evenit vobis unaquæque res bona*, &c. atqui totum ipſum verſ. 14. ita explanant, quaſi dicat: En iam morior lubentiſſime cum video vos optime de fide, & veritate promiſſionum Dei eſſe inſtitutos, verboque, & operibus etiam confirma-

matos, ut populum eius contineatis & regatis in officio ſuo, quam rem vobis commendatam volo. Vide infra cap. XXIV. verſ. 31. & Iudicum II. verſ. 7. & ſequentibus. INGREDIOR VIAM UNIVERSAE TERRAE, id eſt morior. Via univerſæ terræ, id eſt omnium mortalium qui in terra habitant, eſt mors: cum naſcimur, tendere incipimus ad hanc viam; cum morimur, tunc incipimus ingredi illam. Quidam exponunt: Vado, ingredior, diſcedo e vivis iuxta viam ſeu conſuetudinem omnis terræ; id eſt, quemadmodum conſtitutum eſt omnibus hominibus.

MENOCHII.

Verſ. 2. VOCAVIT IOSUE OMNEM ISRAELEM. Aliqui putant, cœtum hunc a Ioſue vocatum in Silo; alii probabilius in Thamnath Saraa, quæ ipſius urbs, & hereditas erat, ut patet ex cap. XIX 50. Dicitur convocaſſe omnem Iſraelem, quia principes tribuum, & præcipuos quoſque advocavit, ut ſatis ex hoc verſiculo apparet. EGO SENUI, &c. Cauſam conventus oſtendit.

V. 4. DIVISIT. Hebr. & Chald. *diviſi*.

V. 7. POSTQUAM INTRAVERITIS AD GENTES. Verbum *intrare* ex vi phraſis Hebrææ accipi poteſt vel ſpeciatim de familiaritate, ac neceſſitudine quæ coniugio initur, vel potius generatim de omni familiaritate, atque conſuetudine.

V. 13. IN FOVEAM, AC LAQUEUM. Laqueus eſt hoc loco is maxime quo implicantur, & impediuntur pedes; & ideo LXX. verterunt *in ſcandala*, & a nonnullis *in tendiculam*, a Maſio *in rete*. OFFENDICULUM EX LATERE VESTRO. LXX. habent *clavos*, qui cum ſunt longiores, & corpori pungendo, & lancinando adhibentur, vocari ſolent ſtimuli, quibus latera fodicari ſolent. SUDES verti poſſunt etiam *ſpinæ*.

V. 16. CITO ATQUE VELOCITER. Licet unum tantum ſit vocabulum in Hebræo, eius tamen intenſa celeritas duplicato hic adverbio recte ſignificatur, quorum alterum ad improviſam eius immittendæ pœnæ celeritatem, alterum ad executionis velocitatem refert Maſius. A TERRA HAC (latet emphaſis) quam ſcilicet iam poſſidetis, & labore multo, temporeque diuturno paraviſtis, & ad quam deſiderio magno veniſtis. QUAM TRADIDIT VOBIS Deus. Ut tanto Dei beneficio ſpoliari miſerum ſit, ſua id culpa, & peccato amittere ingratiſſimum, ac ſceleratiſſimum.

TIRINI.

Verſ. 2. PRo DUCES, lege ex Hebræo, Chaldæo, & Græco, *iudices*, uti legitur cap. ſeq. verſ. 1.

V. 7. NE IURETIS IN NOMINE DEORUM EARUM. In Hebræo additur: *Non memorabitis nomen deorum gentium illarum*. Unde pii Iudæi vix, aut nonniſi cum deteſtatione, ſolebant nominare falſos deos: quod etiamnum obſervant qui inter ipſos volunt religioſiores videri. Quin nec hæreticorum uſurpant nomina, etiam ſcribendo, niſi prius pacem veniamque ſua illa ſymbolica brevitatis notula, *Chas veſchalom*, id eſt *ignoſce*, & *pax eſto*, precati fuerint. Quod iis obſervandum quibus ſemper in ore, *Mehercule*, *Mecaſtor*, *Medius fidius*, *Dies Iovis*, *Dies Veneris*, &c.

De benedictionibus, & maledictionibus, quas hic moriturus Ioſue populo imprecatur, vide Deuter. XXVII. & XXVIII.

GORDONI.

Verſ. 1. DUplex hic conventus habetur: prior hoc capite in urbe Silo; alter proximo capite in Sichem. De multo hoc tempore a conſtituta pace, conſtabit cap. XXIV. ubi de morte Ioſue, quam hic verſ. 14. inſtare affirmat.

V. 5. DOMINUS DEUS VESTER DISPERDET EAS. Quaſi dicat: Potiorem partem terræ occupaſtis; reliquam occupabitis, ſi manſeritis in timore Dei: ut dixi cap. XXI. verſ. 41.

V. 10. UNUS E VOBIS PERSEQUETUR HOSTIUM MILLE VIROS. Hoc in Sampſone accidiſſe narrat Scriptura.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 7. INTRAVERITIS, per ſocietatem, aut per coniugia.

V. 13. OFFENDICULUM. Septuag. *Clavi ad pungendum*. SUDES, ſpina.

V. 16. CITO ATQUE VELOCITER. Geminata vocis ſignificatio explicat bene vim quæ latet in voce Hebraica.

CA-

Digitized by Google

C A P U T XXIV.

Commemorantur beneficia Iſraelitis a Deo exhibita, fœdus populi cum Domino, mors Ioſue, ſepultura oſſium Ioſeph, & mors Eleazari ſacerdotis.

1. COngregavitque Ioſue omnes tribus Iſrael in Sichem, & vo-
cavit maiores natu, ac principes, & iudices, & magiſtros:
ſteteruntque in conſpectu Domini: 2. & ad populum ſic lo-
cutus eſt: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Trans fluvium
habitaverunt patres veſtri ab initio, (*a*) Thare pater Abra-
ham & Nachor: ſervieruntque diis alienis. 3. (*b*) Tuli er-
go patrem veſtrum Abraham de Meſopotamiæ finibus: &
adduxi eum in terram Chanaan: multiplicavique ſemen eius, 4. (*c*) & dedi ei
Iſaac: (*d*) Illique rurſum dedi Iacob & Eſau. (*e*) E quibus, Eſau dedi mon-
tem Seir ad poſſidendum: (*f*) Iacob vero, & filii eius deſcenderunt in AEgy-
ptum. 5. (*g*) Miſique Moyſen & Aaron, & percuſſi AEgyptum multis ſignis
atque portentis. 6. (*h*) Eduxique vos & patres veſtros de AEgypto, & veniſtis
ad mare: perſecutique ſunt (*i*) AEgyptii patres veſtros cum curribus & equita-
tu, uſque ad mare rubrum. 7. Clamaverunt autem ad Dominum filii Iſrael:
qui poſuit tenebras inter vos & AEgyptios, & adduxit ſuper eos mare, & ope-
ruit eos. Viderunt oculi veſtri cuncta quæ in AEgypto fecerim, & habitaſtis
in ſolitudine multo tempore: 8. & introduxi vos in terram Amorrhæi, qui ha-
bitabat trans Iordanem. (*k*) Cumque pugnarent contra vos, tradidi eos in ma-
nus veſtras, & poſſediſtis terram eorum, atque interfeciſtis eos. 9. (*l*) Surrexit
autem Balac filius Sephor rex Moab, & pugnavit contra Iſraelem. Miſitque &
vocavit Balaam filium Beor, ut malediceret vobis: 10. & ego nolui audire eum,
ſed e contrario per illum benedixi vobis, & liberavi vos de manu eius. 11. (*m*)
Tranſiſtiſque Iordanem, & veniſtis ad Iericho. Pugnaveruntque contra vos viri
civitatis eius, Amorrhæus, & Pherezæus, & Chananæus, & Hethæus, & Ger-
geſæus, & Hevæus, & Iebuſæus: & tradidi illos in manus veſtras. 12. (*n*) Mi-
ſique ante vos crabrones: & eieci eos de locis ſuis, duos reges Amorrhæorum,
non in gladio nec in arcu tuo. 13. Dedique vobis terram, in qua non labora-
ſtis, & urbes quas non ædificaſtis, ut habitaretis in eis: vineas & oliveta, quæ
non plantaſtis. 14. (*o*) Nunc ergo timete Dominum, & ſervite ei perfecto cor-
de atque veriſſimo: & auferte deos, quibus ſervierunt patres veſtri in Meſopo-
tamia & in AEgypto, ac ſervite Domino. 15. Sin autem malum vobis videtur
ut Domino ſerviatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui ſervire
potiſſimum debeatis, utrum diis, quibus ſervierunt patres veſtri in Meſopotamia,
an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis: ego autem & domus mea
ſerviemus Domino. 16. Reſponditque populus, & ait: Abſit a nobis ut relin
quamus Dominum, & ſerviamus diis alienis. 17. Dominus Deus noſter ipſe edu-
xit nos, & patres noſtros, de terra AEgypti, de domo ſervitutis: fecitque vi-
dentibus nobis ſigna ingentia, & cuſtodivit nos in omni via, per quam ambulavi-
mus, & in cunctis populis, per quos tranſivimus. 18. Et eiecit univerſas gen-
tes,

Digitized by Google

tes, Amorrhæum habitatorem terræ, quam nos intravimus. Serviemus igitur Domino, quia ipſe eſt Deus noſter. 19. Dixitque Ioſue ad populum: Non poteritis ſervire Domino: Deus enim ſanctus, & fortis æmulator eſt, nec ignoſcet ſceleribus veſtris atque peccatis. 20. Si dimiſeritis Dominum, & ſervieritis diis alienis, convertet ſe, & affliget vos, atque ſubvertet poſtquam vobis præſtiterit bona. 21. Dixitque populus ad Ioſue: Nequaquam ita ut loqueris, erit, ſed Domino ſerviemus. 22. Et Ioſue ad populum, Teſtes, inquit, vos eſtis, quia ipſi elegeritis vobis Dominum ut ſerviatis ei. Reſponderuntque: Teſtes. 23. Nunc ergo, ait, auferte deos alienos de medio veſtri, & inclinate corda veſtra ad Dominum Deum Iſrael. 24. Dixitque populus ad Ioſue: Domino Deo noſtro ſerviemus: & obedientes erimus præceptis eius. 25. Percuſſit ergo Ioſue in die illo fœdus, & propoſuit populo præcepta atque iudicia in Sichem. 26. Scripſit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini: & tulit lapidem pergrandem, poſuitque eum ſubter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini: 27. & dixit ad omnem populum: En lapis iſte erit vobis in teſtimonium, * quod audierit omnia verba Domini quæ locutus eſt vobis: ne forte poſtea negare velitis, & mentiri Domino Deo veſtro. 28. Dimiſitque populum, ſingulos in poſſeſſionem ſuam. 29. Et poſt hæc mortuus eſt Ioſue filius Nun ſervus Domini, centum & decem annorum: 30. ſepelieruntque eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnathſare, quæ eſt ſita in monte Ephraim, a ſeptemtrionali parte montis Gaas. 31. Servivitque Iſrael Domino cunctis diebus Ioſue, & ſeniorum qui longo vixerunt tempore poſt Ioſue, & qui noverunt omnia opera Domini quæ fecerat in Iſrael. 32. (p) Oſſa quoque Ioſeph, quæ tulerant filii Iſrael de AEgypto, ſepelierunt in Sichem, in parte agri, (q) quem emerat Iacob a filiis Hemor patris Sichem, centum novellis ovibus, & fuit in poſſeſſionem filiorum Ioſeph. 33. Eleazar quoque filius Aaron mortuus eſt: & ſepelierunt eum in Gabaath Phinees filii eius, quæ data eſt ei in monte Ephraim.

(a) Geneſ. xi. 26. (b) Geneſ. xi. 31. (c) Geneſ. xxi. 2. (d) Geneſ. xxv. 26. (e) Geneſ. xxxvi. 8. (f) Geneſ. xlvi. 6. (g) Exod. iii. 10. (h) Exod. xii. 37. (i) Exod. xiv. 9. (k) Num. xxi. 24. (l) Numer. xxii. 5. (m) Sup. iii. 14. & vi. 1. & xi. 3. (n) Exod. xxiii. 28. Deuter. vii. 20. Sup. xi. 20. (o) I. Reg. vii. 8. Tob. xiv. 10. (p) Geneſ. l. 25. Exod. xiii. 19. (q) Geneſ. xxiii. 19.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 27. *Quod audierit omnia verba Domini.* Retinendum eſt ſingulare tertiæ perſonæ *audierit*, non mutandum cum plurali ſecundæ perſonæ *audieritis*.

COMMENTARIA

.S A.

Verſ. 1. SICHEM, quo ſcilicet fuerat iam arca ad tempus tranſlata: dicta hæc poſtea Neapolis. Diſtat a Samaria 3. milliaribus, ab Iericho vero 23. IN CONSPECTU DOMINI, id eſt ante arcam.

V. 2. FLUVIUM, ſcilicet Euphratem.

V. 3. MESOPOTAMIAE FINIBUS. Hebr. Chald. & LXX. *trans fluvium*, ſcilicet Euphratem.

V. 11. PUGNAVERUNTQUE, ſcilicet poſt caſum murorum, Auguſtinus. quæſt. XXVI. in Ioſ. ait, pugnare, fuiſſe claudere portas contra hoſtem. AMORRHAEUS; pro, itemque Amorrhæus. Quidam tamen putant, ex omnibus his populis fuiſ-

Digitized by Google

fuiſſe aliquos in Iericho, cum oppugnaretur.

V. 12. CRABRONES, ſcilicet muſcas venenatas. Auguſtinus, quæſt. XXVII. ait: *Multa facta, quæ non ſunt ſcripta*: vel eſſe locutionem metaphoricam.

V. 14. PERFECTO CORDE ATQUE VERISSIMO. Hebr. *in perfectione, & veritate*. Chald. *in ſimplicitate, & veritate*. LXX. *in rectitudine, & iuſtitia*. IN MESOPOTAMIA. Hebr. Chald. & LXX. *trans fluvium*: ſic & inf.

V. 19. NON POTERITIS, ſcilicet ſimul cum idolis. AEMULATOR, id eſt zelotes, ſcilicet qui non patitur ſocium in amore, & cultu ſui.

V. 20. CONVERTET SE, ſcilicet a benefaciendo vobis; vel quaſi dicat, rurſum: id enim ſignificat phraſis Hebr. ut alibi notavimus.

V. 23. DEOS, id eſt idola capta in bello.

V. 26. SCRIPSIT, ſcilicet addens. VOLUMINE, ſcilicet quod erat in arca. SANCTUARIO, id eſt loco quo erat arca.

V. 27. AUDIERIT. Auguſtinus, quæſt. XXX. *Non lapis audit, ſed Chriſtus ſignificatur*. NEGARE, ſcilicet initum fœdus.

V. 29. ET POST HAEC, &c. Hæc ad finem uſque capitis creduntur ab Eſdra addita.

V. 32. OVIBUS. Quidam putant fuiſſe in nummis ovis imaginem impreſſam. Hebr. Chald. & LXX. *agnis*. Vide Geneſ. XXXIII.

V. 33. GABAATH PHINEES. Totum eſt nomen urbis. FILII: genitivus eſt.

ESTII.

Verſ. 2. TRANS FLUVIUM HABITAVERUNT PATRES VESTRI AB INITIO, THARE PATER ABRAHAM ET NACHOR: SERVIERUNTQUE DIIS ALIENIS. Ex hoc loco ſuſpicio eſt Abrahamum quoque aliquando idola coluiſſe. Et præter Græcos quoſdam, ita ſentiunt Genebrardus, & Maſius. E contra refellit eam opinionem Pererius in Geneſim, agens de egreſſu Abrahæ ex Chaldæa. Sane Iudith V. Achior ſic loquitur: *Populus iſte ex progenie Chaldæorum eſt. Hic primum in Meſopotamia habitavit, quoniam noluerunt ſequi deos patrum ſuorum, qui erant in terra Chaldæorum: deſerentes itaque cæremonias patrum ſuorum, quæ in multitudine deorum erant, unum Deum coluerunt; qui & præcepit eis, ut exirent inde*, &c. ubi ſi illa vox, *Deſerentes*, proprie accipiatur, plane etiam Abraham videtur, aliquando idola coluiſſe. Alii reſpondent verba eſſe Achior, non ipſius Scripturæ. Interim Ambroſius quoque Lib. II. de Abraham cap. III. ſentire videtur Abrahamum aliquando Chaldæorum ſecutum fuiſſe errorem. Qui Abrahamum numquam coluiſſe idola volunt, intelligunt hunc locum de Thare & Nachor. Sane Laban, qui fuit ex poſteris Nachor, idololatram fuiſſe patet Geneſ. XXXI. Sic enim ait: *Cur furatus es deos meos?*

V. 7. VIDERUNT OCULI VESTRI CUNCTA QUAE IN AEGYPTO FECERIM. Quæritur quomodo hoc verum ſit, cum Deuter. I. dixerit Dominus: *Non videbit quiſpiam de hominibus generationis huius peſſimæ terram bonam, præter Caleb filium Iephone*. &c. Et ſignificatur id impletum fuiſſe Numer. XXVI. Sed reſpondeo id intelligendum eſſe de viris bellatoribus, qui in cenſum relati erant poſt tranſitum maris rubri, ab annis viginti & ſupra. Itaque intelligendum eſt plures adhuc ſuperfuiſſe, qui tunc nondum annum vigeſimum attigerant. Tum etiam Levitæ, nec feminæ fuerunt in illa comminatione & exterminatione comprehenſi: ex viris etiam qui tunc nondum attigiſſent annum vigeſimum veriſimile eſt plures ſuperfuiſſe; utpote qui hoc tempore vix exceſſerint annum ætatis ſexageſimum. Sic ergo recte dicit hic Ioſue: *Viderunt oculi veſtri*, &c.

V. 14. ET AUFERTE DEOS ALIENOS, QUIBUS SERVIERUNT PATRES VESTRI IN MESOPOTAMIA, ET IN AEGYPTO. De Meſopotamia paulo ante oſtenſum eſt nominatim de Laban ex Geneſ. XXXI. capite. At vero filios Iſrael etiam in AEgypto falſos deos coluiſſe, ex hoc loco manifeſtum eſt: quod & apud Ezechielem cap. XXIII. Dominus illi populo improperat. Quo & pertinet adoratio vituli aurei in deſerto, utpote quem fecerant ad ſimilitudinem eius quem cole-

Digitized by Google

colere ſolebant in AEgypto, Apin ſub ſpecie vituli ſeu bovis, & Iſidem ſub ſpecie vaccæ ſeu iuvencæ. Verum, utrum hoc tempore adhuc idola colerent, non conſtat. Multi veriſimilius putant quod non, tum propter id quod dicit Balam Numer. XXIII. *Non eſt idolum in Iacob*; tum quod Ioſue capite præcedenti laudet filiorum Iſrael obedientiam: & hi ſic hunc locum intelligunt: *Auferte*, id eſt non recipite, *deos alienos*. Auguſtinus refert ad idola quæ ſunt in corde hominis: *Quiſquis enim*, inquit, *talem cogitat Deum qualis non eſt Deus*, *alienum Deum utique & falſum in cogitatione portat*. Alii intelligunt ſimulacra argentea, vel aurea, quæ ceperant in expugnatis urbibus Chanaan.

V. 27. EN LAPIS ISTE VOBIS ERIT IN TESTIMONIUM. Quomodo res inanimata advocetur in teſtem præſentis renovationis fœderis, vide explicatum Deut. XXXI. verſ. 28.

MARIANAE.

Verſ. 1. IN SICHEM. Putant quidam, tabernaculum tunc ad tempus fuiſſe in Sichem, eamque cauſam fuiſſe convocandi gentem eo. Verum Hebræos conſentire non video, neque argumento ſatis idoneo id probatur. STETERUNTQUE IN CONSPECTU DOMINI, ſcilicet coram arca: & forte ex Sichem abierunt in Silo.

V. 2. TRANS FLUVIUM, ſcilicet Euphratem. THARE PATER ABRAHAM ET NACHOR. Hebr. *& pater Nachor*. Vox *pater* geminatur, ut intelligas Thare filios fuiſſe Abraham & Nachor.

V. 3. TULI...ABRAHAM DE MESOPOTAMIAE FINIBUS. Hebr. *de trans flumen*: ſic Sept. & Chald. ſed ea regio Meſopotamia eſt. Sic etiam verſ. 14.

V. 5. PERCUSSI AEGYPTUM MULTIS SIGNIS ATQUE PORTENTIS. In Hebræo additur: *Sicut feci in medio eius*, ſcilicet ſigna atque portenta.

V. 11. PUGNAVERUNTQUE CONTRA VOS. Vel poſt muros proſtratos pugnaverunt; vel pugnaverunt cives Iericho, cum portas clauſerunt: ſic Auguſt. in Ioſue quæſt. XXVI. AMORRHAEUS; pro, item Amorrhæus: nam poſt captam Hai, gentes illæ ad pugnam convenerunt; cap. IX. verſ. 1.

V. 14. SERVITE EI PERFECTO CORDE ATQUE VERISSIMO. Hebr. *in perfectione, & veritate*. Sept. *in rectitudine, & iuſtitia*: quod alias dicitur *in tota anima, & toto corde*.

V. 19. NON POTERITIS SERVIRE DOMINO. Obſequium perfectum exigit Deus, vindicat noxas acerrime: videte onus quod ſuſcipitis, ne ferendo non ſitis, cum Deo ſervire vultis.

V. 21. NEQUAQUAM ITA UT LOQUERIS, ERIT, SED DOMINO SERVIEMUS. Hebr. *Non, ſed Domino ſerviemus*.

V. 23. NUNC ERGO AUFERTE DEOS ALIENOS, id eſt idola in bello capta.

V. 26. SCRIPSIT QUOQUE OMNIA VERBA HAEC IN VOLUMINE LEGIS DOMINI. Hebræus ex Thargum [illegible] intelligendum, *in volumine legis*, [illegible] repoſuit in volumine, ſcilicet u[illegible] lumen legis. Sed id Thargum [illegible] quod in Regiis circumfertur: quod [illegible] illud ſit, non invenio. Sed utrumtamen videtur hoc fœdus non in ipſo legis volumine ſcriptum, ſed poſitum iuxta illud. Poſuit lapidem ſubter QUERCUM. Hebræus *ulmum* fuiſse ait, ſemper אלה *alah*, *ulmum* exponit. IN SANCTUARIO DOMINI. Prope ad fores erat quercus illa. Lapis erit in teſtimonium,

V. 27. QUOD AUDIERIT, ſcilicet lapis, ut eſt Hebr. & in Rom. Vulgata. Sed quomodo lapis audit, nempe ut de terra Deuter. XXXII. verſ. 2. dicitur: *Audiat terra verba oris mei*: hyperbole eſt, aut proſopopœia.

V. 29. ET POST HAEC. Addita ab Eſdra quæ ſequuntur ad finem capitis. MORTUUS EST IOSUE natus anno 110.

V. 30. SEPELIERUNTQUE EUM.... IN THAMNATHSARE. Cap. XXI. extremo in quibuſdam Sept. codicibus habetur, eam urbem in diviſione terræ datam Ioſue, ipſum in ea depoſuiſſe gladios lapideos, quibus circumcidit populum in deſerto. Num ut cum eo ſepelirentur? Nihil certi.

V. 32. OSSA QUOQUE IOSEPH.... SEPELIERUNT...IN PARTE AGRI. Hebræus, *in poſſeſſione*: חלק *helek* enim *hereditas*, *poſſeſſio* eſt. QUEM EMERAT...

Digitized by Google

CENTUM NOVELLIS OVIBUS. Vox Hebraica *Keſitah* & *ovem* ſignificat, & monetæ genus ſic dictæ, quod ovis figura eſſet percuſſa. Hebræi pecuniam eſſe putant, qua ager eſt emptus: Noſter, Sept. & Chald. pro *ove*, aut *agnis* ſumpſerunt tum hoc loco, tum Gen. XXXIII. verſ. 19.

V. 33. IN GABAATH PHINEES. *Gabaath* nomen urbis, quam hoc nomine Phinees poſſidebat. Ibi Eleazarum ſepelierunt. Pagninus *Gabaath* pro *colle* accipit; quaſi dicat: Sepelierunt eum in colle Phinees. Sept. & Chal. & Hieronymus *Gabaath* ut nomen proprium accipiunt: idque magis placet.

MALVENDAE.

Verſ. 1. IN SICHEM. De celebri hac urbe multa diximus in Geneſ. XII. verſ. 6. & in Deuteron. XI. verſ. 29. Neapolim poſtea dictam, ſatis conſtat. Plinius Lib. V. cap. XIII. *Deinde Phœnice. Intus autem Palæſtinæ Samariæ oppida, Neapolis, quod antea Mamortha dicebatur, Sebaſte in monte.* Ioſephus Lib. V. Belli, cap. VIII. *Per Samaritidem ac per Neapolim, quæ dicebatur ab indigenis Mabartha*, ſeu Maborta, *deſcendit*. Neapolim inter urbes Samariæ recenſet Ptolemæus Lib. V. cap. XVI. Ammianus Marcellinus Lib. XIV. cap. XXVI. inter egregias Palæſtinæ urbes ponit Neapolim. Antonini Itinerarium a Neapoli ad Ieroſolymam triginta millia paſſuum conſtituit. S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ: *Tranſivit Sichem, non ut plerique errantes, legunt Sichar, quæ nunc Neapolis appellatur: & ex latere montis Gariſim extructam circa puteum Iacob, intravit eccleſiam: ſuper quo reſidens Dominus, ſitienſque & eſuriens Samaritanæ fide ſatiatus eſt.* Alter Burchardus de Monte Sion: *Sichem, quæ Neapolis dicitur, omni amœnitate abundans, ut vere locus deliciarum dici poſſit: ſed munita non eſt, nec ullo modo muniri poteſt.* Tempore Alexandri Magni fuiſſe caput regionis Samariæ, & inhabitatam a Cuthæis, auctor eſt Ioſephus Lib. XI. Antiquit. cap. VIII. *Samaritæ, quorum tunc caput erat Sicima, ſita ad montem Garizim.* Ceterum permulti exiſtimant Sichem hic non intelligi ipſam urbem Sichem, ſed agrum Sichimitanum, in quo erat Siloh: atque hunc Iſraelitarum conventum habitum a Ioſue non in ipſa urbe Sichem, ſed in Siloh, quæ erat in agro Sichimitano, ubi tabernaculum, & arca, ſeu præſentia Iehovæ erat: unde reddunt: *Congregavit Iehoſuagh omnes tribus Iſraelis in agrum Schecemitarum*: exponuntque: Schiluntem intelligit, *ubi tunc tabernaculum Dei erat: eſt enim Schiloh in agro Schecemitano. Nec novum eſt oppidi nomen pro agro poni, ut infra verſu penultimo oſſa Ioſephi in Schecemo ſepulta dicuntur, & ſtatim ſubiicitur, ſepulta fuiſſe in portione agri, quem emerat Iahakob, &c. agrum autem illum non fuiſſe in oppido, apparet ex Geneſ.* XXXIII. *verſ.* 18. & 19. *Sic Chebron Calebo data dicitur ſupra cap.* XIV. *verſ.* 13. & 14. *cum tamen non ipſa civitas, ſed eius ager datus ſit ei, ſupra cap.* XXI. *verſ.* 12. Ita illi. Sed nos graviſſimos quoque auctores ſecuti, non proprie in Siloh, ſed in ipſa urbe Sichem habitum illum conventum facile arbitramur: nam quid opus erat locum alioqui celebrem, ab externo agro, & non a ſe denominare? cum & alii conventus ſignate, ac nominatim habiti referantur in Silo, ſupra cap. XVIII. verſ. 1. & cap. XXI. verſ. 2. Certe ſitus urbis Silo, quem ſupra cap. XVIII. verſ. 1. deſcripſimus, nihil cum agro Sichimitano commune videtur habere, cum Silo a Sichem diſtaret decem milliaribus. Porro hiſce generalibus comitiis delecta eſt nunc Sichem potius quam Silo, quod propior eſſet Thimnath-Saræ urbi imperatoris iam grandævi, vel ob loci commoditatem, & amœnitatem. STETERUNTQUE IN CONSPECTU DOMINI. Hebr. *Et ſtatuerunt ſe, ſtiterunt ſe ad facies Elohim*; id eſt, ante arcam Domini, ubi Dominus ſuam exhibebat præſentiam & gloriam. Nam arcam appellari *facies Elohim*, ſeu *Iehovæ*, vel IHUH, iam ſæpius vidimus, & notius eſt quam ut nunc exemplis opus ſit demonſtrari. Quidam putant, tunc arcam ex Silunte in Sichem ad ſacrum illum conventum iuſſu Pontificis, & imperatoris delatam, ut ſua præſentia ſacratiorem redderet illum conventum, & religioſus imperator concionaretur, ac populus ſub tam divino teſtimonio ſanctius ſacramento ſe pietatis adigeret. Nec novum, aut inſolens fuit arcam ob magnas occaſiones huc illuc deportare, ut exemplis I. Samuel. IV. verſ. 3. & II. Samuel. XV. verſ. 24.

eſt

eſt teſtatum. Ridiculum eſt quod quidam ſomniant, prius omnes in Sichem conveniſſe, deinde vero profectos in Siluntem ad tabernaculum, & arcam, & ibi peractum conventum. Alii notant, Sichemi exiſtentes ſtatuiſſe ſe verſis vultibus ad faciem tabernaculi divini, quod erat in Siloh. Similis cæremonia adhibetur in mactatione vaccæ rufæ Numer. XIX. verſ. 4. & in Eccleſia mos eſt, ut converſi ad orientem adoremus. Ergo quia longe erant a tabernaculo Domini, ſtatuerunt ſe verſus anteriorem partem tabernaculi, ut eo religioſo geſtu ſupplerent quod diſtantia locorum impediebat; & propterea dici: *Et ſtatuerunt ſe ad facies Elohim.*

V. 2. TRANS FLUVIUM, vel *ultra flumen*, ſcilicet Euphratem, id eſt in Meſopotamia. Sic verſ. ſequenti, & 14. SERVIERUNTQUE DIIS ALIENIS. Plerique ab iſta impietate Abrahamum eximunt; ſed nihil neceſſe, cum id magis gratiam Dei clariorem reddat, qui magnum illum virum a cæcis illis tenebris liberavit. S. Ephrem ſermone II. de Pœnitentia: *Abraham primum gentilis erat, & Chaldæus.*

V. 6. EQUITATU. *Paraſchim*, *equos*, vel *equites* ſignificat. Non fuerit abs re de voce nonnihil difficili pauca notare. Plerique פרש *paraſch* ſingulare, & פרשים *paraſchim* plurale, *equitem*, & *equites* interpretantur: ſicque dictos volunt a calcaribus (quæ & hinc Rabbini פר שין *periſchin* vocant) quibus eques ad incitandum equum pungit; quaſi dicat, *calcararium*: occaſionem ſumentes ex loco Proverbior. XXIII. verſ. 32. ubi verbum *pharaſch* in Hiphil, *pungere* exponunt; & ex altero Iſaiæ XXVIII. verſ. 28. ubi nomen פרשים *paraſchim*, inſtrumentum dentatum, ſeu cuſpidatum, quo fruges excutiuntur, ſeu triturantur, eſſe volunt, nimirum a pungendo. Equidem *pharſah* Chaldæis, & *pharas* Arabibus, equitem ſignificat. Alii *paraſim*, ſingulare quoddam equorum genus ſignificare aſſerunt, quorum præcipuus in bellis uſus fuerit: quales nunc noſtri egregios habent, qui armis & paludamentis, phaleriſque, præ ceteris curralibus equis ſunt conſpicui, & cataphractos appellant. Ita appellatos volunt a פרש *paraſch*, *expoſuit*, *declaravit*, *clarum*, & *conſpicuum fecit*, nimirum a claritate nobilitatis, quaſi clarum & conſpicuum præ aliis genus: unde a סוסים *ſuſim*, ordinariis equis diſtinguuntur Ezechiel. XXVII. verſ. 14. & cap. XXXVIII. verſ. 4. Pauci contendunt, *pharaſch*, & *pharaſchim* nuſquam *equitem*, vel *equites* ſignificare; ſed in plurali quidem, in quo eſt frequentiſſimum, *iugalia animalia*; & in ſingulari, in quo ter tantum reperitur, ſumi collective pro *iugatura*. Quod facere & etymon nominis putant: nam verbum proprie diſtributionem, & in partes quodammodo diviſionem ſignificare: quod quia, qui rem explicant, faciunt, pro *explanare*, accipi: iuncta autem currui animalia, diſtincta, ſeparata, & quodammodo diſtributa ſunt. Sed ego iſtos delirare non dubito. Nonnulli, quantum ex diligenti Scripturarum conſideratione ſe ſumere potuiſſe aiunt, obſervant, *pharaſchim* nunc pro equitibus, nunc pro equis, ſæpiſſime tamen coniunctim pro ambobus, id eſt collective pro equitatu poni proculdubio: & apud Latinos nunc equitum, nunc equorum, nunc coniunctim, & collective equitatus vocabula uſurpantur. Immo Latinis eques, & *equitem*, & *equum* promiſcue ſignificat. Virgilius Georgicor. III.

> ..... *atque equitem docuere ſub armis*
> *Inſultare ſolo, & greſſus glomerare*
> *ſuperbos.*

Ennius Annal. VII.

> *At non quadrupedes equites.*

Et rurſum:

> *Denique vi magna quadrupes eques,*
> *atque elephanti,*
> *Proiiciunt ſeſe ...*

Vide Aulum Gellium Lib. XVIII. Noctium Atticarum, cap. V. Macrobium, Lib. VI. Saturnaliorum, cap. IX. Nonium Marcellum, cap. XI. §. 296. Etymon tamen nominis *pharaſchim*, ſive equites ſint, ſive equi, ab extenſione deducunt, ſic dictoſque volunt, quod libere excurrant, & expatientur, nec ſint alligati curribus; ſed quorum uſus ſit, ut excurrant ad depopulandum agros, & ad exercenda latrocinia; ceteriſque vel vectoribus, vel equis iugalibus, & ad vecturam tantum adhibitis antecellant, &c. Ego tamen haud prorſus aliene ab extenſione, ſeu expanſione dictos putarim, quod eques extendat, & expandat crura ſuper equum; & equus ſua etiam curſu velociſſimo. Hoc loco *pharaſchim* ſumi notant, coniunctim & collective pro equitatu, & ut Geneſ. L.

verſ.

Digitized by Google

verſ. 9. & Exodi XIV. verſ. 18.

V. 10. PER ILLUM BENEDIXI VOBIS. Hebr. *Et benedixit benedicendo vobis*. Quidam: *Quin potius indeſinenter benedixit vobis*. Nam non ſemel tantum id fecit, ſed quoties tentavit maledicere eis, toties divinitus coactus eſt benedicere eis. Alii reddunt: *Sed imprecando fauſta ominabatur vobis*. Nonnulli: *Sed omnino, multumque benedixit vobis*.

V. 11. PUGNAVERUNTQUE CONTRA VOS VIRI CIVITATIS EIUS, AMORRHAEUS, & PHEREZAEUS, &c. aſyntheton: *Viri Iericho, & Amorrhæus, & Pherezæus*, &c. Exponunt: Ii, nempe Ierichuntini, armata defenſione urbem vobis occludendo, ut exponit hic S. Auguſtinus; illi vero cum armis vobis occurrendo. Quidam volunt, Ierichuntinos poſt caſum murorum in ultima deſperatione acriter pugnaſſe cum Iſraelitis. Alii putant, oratorio artificio uſum imperatorem, cum verbum pugnandi, ſeu bellandi tribuit Ierichuntis reis hic, & Balako ſupra verſ. 9. quos utroſque conſtat nulla arma exercuiſſe adverſus Iſraelitas: nimirum eo vocabulo amplificare voluit eorum animos, & fortiſſimos conatus, qui tanto acriores fuiſſe intelliguntur, quanto Deus validius illis ſuam propugnationem oppoſuit. Aliqui reddunt: *Et pugnaverunt heri, domini, patroni, Ierichuntis contra vos, Amorrhæus, & Pherezæus*, &c. id eſt, Amorrhæus, & Pherezæus, &c. qui erant heri, patroni, protectores Ierichuntis, qui cauſam Ierichuntinæ urbis, utpote communem, & ad eos omnes pertinentem, nempe primariæ, & opulentiſſimæ urbis in ipſorum regnorum ianua conſtitutæ, tuendam & propugnandam ſuſceperant, pugnaverunt contra vos. Nec deſunt qui convertant: *Et certaverunt contra vos viri Ierichuntis*; id eſt, ſe oppoſuerunt, portas præcludendo, vel animis, & conatibus contendendo. VIRI CIVITATIS EIUS. *Baghale Iericho*, id eſt *potientes, poſſeſſores, domini, heri, magiſtri, viri, Iericho*. Quidam potiores Iericho intelligunt, hoc eſt primores, magnates, ad quos cura reipublicæ Ierichuntinæ pertinebat, quorum conſilio cuncta regebantur.

V. 15. ELIGITE HODIE QUOD PLACET, CUI SERVIRE POTISSIMUM DEBEATIS, &c. Hebr. *Eligite vobis hodie cui ſerviatis*. Quidam ita exponunt: Non ſolvit eos vinculo colendi Deum, quo prius obſtricti erant, ſed hæc proponendo, animos illorum explorat: & exemplo parium, ac Amorrhæorum eos ab idololatria abſterret; ſuo vero, & familiæ exemplo ad perſeverantiam in cultu Dei hortatur. Simile vide Ruth I. verſ. 15. & Ioan. VI. verſ. 67.

V. 16. ABSIT A NOBIS, &c. Quidam Hebræa reddunt: *Abſit nobis a relinquendo*. Hypallage uſitata; pro, abſit a nobis ut relinquamus.

V. 19. NON POTERITIS SERVIRE DOMINO. Aliqui exponunt quaſi dicat: Ego novi veſtrum ingenium varium & mutabile ſemper, pronumque in deos alienos: vix ſpero ut poſſitis continere vos ab idololatria: vereor ut perſeverare in cultu Dei poſſitis, & ut hæc veſtra alacritas diuturna ſit: adhæc cultus purus veri Dei difficillimus eſt ſenſu carnis, cum ipſe Deus ſanctiſſimus & puriſſimus ſit, ac ſe velit quam ſanctiſſime colli. Alii: *Non poteſtis colere Iehovam*; ſubaudi, deos alienos retinendo, & eorum cultum cultui Dei commiſcendo: quod colligitur ex verſu 23. DEUS ENIM SANCTUM EST. Hebr. *Quia Elohim ſancti ipſe*. *Elohim* & *ſancti* pluralis numeri, & pronomen *ipſe*, ſingularis. Quidam aiunt eſſe phraſim linguæ, & ob auctoritatem & gravitatem perſonæ iungi utrumque numerum; ſicut Hiſpanice dici ſolet, *Nos el Rey*. Alii notant, adhibitum numerum pluralem ad comparationem cum aliis diis: nam eſt huiuſmodi collatio: Alii dii ſunt impuri; at noſtri dii ſancti. Plerique volunt myſticam eſſe locutionem, & numerum plurium, Perſonas; ſingularem vero, unitatem Eſſentiæ divinæ denotare. Sic Ieremiæ X. verſ. 10. *ipſe Elohim viventes*. Vide Gen. I. verſ. 1. Non deſunt qui illud *ſancti* numero plurali exiſtiment ſpectare ad abſolutiſſimam Dei ſanctitatem; ut etiam plurale *Elohim*, ad infinitam & omnimodam Dei fortitudinem & potentiam: quod Deus omnem, & omnium ſanctitatem, & omnipotentiam contineat. NEC IGNOSCET SCELERIBUS VESTRIS ATQUE PECCATIS. Varie Hebræa alii convertunt. I. *Non parcet ſceleri veſtro, & peccatis veſtris*. II. *Non feret prævari-*

ca-

cationem, *iniquitatem*, *defectionem*, *veſtram*, & *peccata veſtra*, ſcilicet impunita. Sic Exodi XXIII. verſ. 21. III. *Non ſufferet*, *non tolerabit*, *non ſuſtinebit*, *rebellionem veſtram*. Hiſpanice: *No ſufrira vueſtra rebellion*, &c. IV. *Non ſublevabit*, *ſuportabit*, *condonabit*, *tranſgreſſionem veſtram*, &c. Hiſpanice: *No ſollevara vueſtra maldad*.

V. 20. CONVERTET SE, ET AFFLIGET VOS. Hebr. *Et revertetur*, & *malefaciet vobis*. Quidam exponunt: *Et revertetur*; id eſt, mutabit animum, & ſententiam. Rectius alii e notiſſimo Hebraiſmo: Id eſt, iterum atque iterum vos malis afficiet: non deſiſtet vos affligere.

V. 21. NEQUAQUAM ITA UT LOQUERIS, ERIT. Recte ſenſum expreſſit: nam Hebraice tantum eſt, *Non*, vel *nequaquam*; ſubaudi, derelinquemus, aut deſeremus Iehovam.

V. 23. DEOS ALIENOS DE MEDIO VESTRI. Hebr. *Deus alieni populi qui in intraneo veſtro*. Illud, *Qui*, anceps eſt, & poteſt referri ad deos, vel ad alienum populum, qui inter eos tunc agebat, nondum exterminatus. Sed aptius refertur ad deos: *Qui dii ſunt in interiori veſtro*: exponnntque: Id eſt ſimulacra, ſeu idola, quæ cepiſtis expugnatis urbibus, aut extuliſtis ex AEgypto.

V. 25. PRAECEPTA, ATQUE IUDICIA. Hebr. *Statutum*, & *iudicium*. Iam nobis alibi obſervatum, חוק *chok* ad cultum ſacrum, ac religionis cæremonias pertinere; משפט *miſchpat* vero ad negotia, iudicia civilia, & cauſas forenſes, ſeu iudiciales, quibus duabus partibus reſpublica continetur.

V. 26. SCRIPSIT QUOQUE OMNIA VERBA HAEC IN VOLUMINE LEGIS DOMINI. Quidam ita exponunt: Id eſt, tum iuſſit Ioſue ut ſacerdotes referrent in librum legis Dei, Deuteron. XXXI. verſ. 26. quem penes ſe habebant, & in ſanctuario aſſervabant depoſitum coram Iehova: tum in publicum illum librum Legis retulit quem Deus principi ex libro altero illo eccleſiaſtico exſcribi, ſervari, legi, & teri mandaverat, Deuteron. XVII. verſ. 18. VERBA HAEC. Interpretantur: Id eſt, ſtipulationis Dei, & ſponſionis populi formulam prædictam. SUBTER QUERCUM. De voce אלה *allah* diximus abunde in Geneſ. XXXV. verſ. 4. Hanc enim ipſam arborem eſſe volunt ſub qua Iacob idola familiæ defodit, ut in eodem Geneſis loco refertur; & quæ Geneſis XII. verſ. 6. dicitur Elon more, quercus, ſeu ilex Moreh: *Et transivit Abram in terra uſque ad locum Sechem*, *uſque ad Elon Moreh*. Vide Com. in ea loca Geneſis. Nonnulli dictam hanc eamdem exiſtimant, Quercum, ſeu ilicem ſtationis, ſeu ſtatuæ, Iudicum IX. verſ. 6. a lapide iſto, quem hic Ioſue in titulum, ſeu ſtatuam erexit. Sed de hac re dicemus eo loco. QUAE ERAT IN SANCTUARIO DOMINI. Varie hoc ſanctuarium exponunt. I. Tabernaculum Domini cum arca, quod ad tempus tunc tranſtulerant in Sichem, ad ſacrum illum conventum, ac prope quercum illam Abrahami conſtituerant. II. Sacram aliquam ædiculam, quam tunc arcæ ex Silunte delatæ extemporaliter conſtruxerant, ne ſub dio maneret. III. Sacrum illum locum in quo Abraham ædificavit altare Domino ad quercum Moreh, Geneſ. XII. verſ. 7. IV. Silunte poſitum tabernaculum prope quercum aliquam diverſam ab illa Moreh; ut terra ſane illa eiuſmodi arboribus abundat. Quidam hic reddunt, exponuntque: *Sub quercu illa quæ erat in ſanctuario Iehovæ*. *De qua vide Geneſis XXXV. verſ. 4.* & *Iudicum IX. verſ. 6. Hæc autem in ſanctuario fuiſſe dicitur*, *quia tabernaculum eo in loco fuit conſtitutum*, *ubi erat quercus atque hæc quercus atrio tabernaculi ſacri continebatur*. *Nam ſanctuarium in Scripturis paſſim pro loco ſancto accipitur*, *quamvis non ſanctiſſimo*. Ita Tremellius, & Iunius. Sed ſi tabernaculum, ſeu ſacrarium iſtud in urbe ipſa Silunte erat, ut ipſi volunt, diſtabat hæc a Sichem decem milliaribus, cum quercus illa prope Sichem eſſet.

V. 27. QUOD AUDIERIT OMNIA VERBA DOMINI. Hebr. *Quia ipſe audiens omnes ſermones* IHUH. Quidam exponunt: *Quia ipſe audivit*, id eſt interfuit, *conteſtando omnes ſermones Ihovæ*, translata locutione a teſtibus vivis, præſentibus, audientibuſque, ad lapidem. Alii exiſtimant, ſenſum divini verbi lapidi tribuiſſe, ut vim, potentiamque maximam ac mirificam illius verbi ſignificaret, cum illud ſit tam vehemens, atque acre, ut vel dura ſaxa quodammodo afficiat. Ineſt huic lo-

Digitized by Google

locutionem ingens vis. Fortaſſe hic manavit apud Gentiles fabula, aut ſuperſtitio *bætylorum*, id eſt lapidum animatorum, aut ſe ſponte moventium, de quibus Sanchoniato, & Philo Byblius apud Euſebium I. Præparationis Evangelicæ, cap. VII. *Deus Uranus excogitavit bætylia, lapides animatos fingens*. De his nonnulla obſervavit Scaliger ad Numerum Euſebianum MMCL. Vide Notas in Geneſ. XXVIII. verſ. 18.

V. 30. THAMNATH-SARE. Hebr. תמנת-סרח *Timnath-ſerach*. Hæc Iudicum II. verſ. 9. vocatur *Thimnath-cheres*, id eſt *civitas*, vel *imago*, *figura ſolis*. Hebræi putant, inde ſic dictam, quod Iſraelitæ, coloſſum, ſeu ſimulacrum ſolis, ſuper Ioſue ſepulcrum collocarint, in monumentum ad poſteros illius celebris miraculi cum ſol ſtetit. Forſan urbs ipſa ſitu ſuo ſolis ſpeciem referebat; aut ipſe Ioſue coloſſum aliquem, aut inſigne aliud monumentum eius miraculi ſtationis ſolis in ea urbe poſuerit. Vide ſupra cap. XIX. verſ. 50. Hinc forſan prava imitatione coloſſorum ſuperſtitio ad Gentiles profluxit. MONTIS GAAS. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Gaas mons in tribu Ephraim, in cuius ſeptemtrionali plaga ſepultus eſt Ieſus filius Nave: & uſque hodie iuxta vicum Thamnam ſepulcrum eius inſigne monſtratur.* געש *Gaghaſch* Hebraice, a concuſſione & colliſione dictus videtur, quod forſan terræmotibus concuteretur, ſeu collideretur. Brocardus: *A Tripoli per duas leucas eſt mons leopardorum. rotundus & altus, una leuca a Libano diſtans. Habet hic mons in pede aquilonari ſpeluneam. in qua monumentum cernitur, viginti ſex pedum longitudinis, frequentaturque devote a Saracenis, qui putant illic Ioſue ſepultum.* Sed niſi huc poſtea translatum fuit corpus Ioſue, certum eſt Thimnath-ſerach longe ab hoc loco fuiſſe.

V. 31. ET SENIORUM, QUI LONGO VIXERUNT TEMPORE POST IOSUE. Hebr. *ſenum, qui prolongarunt dies poſt Iehoſuam*. Eos tantum intelligunt, qui ſimul cum Ioſue rempublicam adminiſtraverant, tamquam patres & ſenatores, atque ei ſupervixerant. *Prolongaſſe dies poſt Ioſue*, eſt ei ſupervixiſſe. ET QUI NOVERUNT OMNIA OPERA DOMINI, QUAE FECERAT IN ISRAEL. Quidam reddunt: *Quique experti fuerant omne opus Iehovæ, quod fecit Iſraeli*; id eſt, qui iam adulti erant, nec tamen vigeſimum ætatis annum iam bello apti exceſſerant cum exirent ex AEgypto; & obſervaſſe potuerant divina opera, quæ in AEgypto, & in mari rubro, atque in deſerto Deus fecerat Iſraeli; quæque rurſus magnalia ſub Ioſue patraverat. Alii exponunt: Id eſt, qui religionis, & pietatis amore omnia Dei beneficia in Iſraelem collata, probe mente & animo retinebant; id eſt, qui pietatem ſincere colebant, ac curabant.

V. 32. QUAE TULERANT FILII ISRAEL. Prout eos iuramento obſtrinxerat Ioſeph, Geneſ. L. verſ. 25. SEPELIERUNT IN SICHEM. Euſebius, & S. Hieron. in Locis Hebr. *Oſtenditur autem locus in ſuburbanis Neapoleos* (ſeu Sichem) *iuxta ſepulcrum Ioſeph*. Et in queſt. in Geneſ. XLVIII. verſ. 22. *Siquidem eodem loco* (nimirum in parte agri Sichem) *ſepultus eſt Ioſeph: & mauſeolum eius ibi hodie oſtenditur*, & oſtendebatur tempore Beniamin Tudelenſis, ut ipſe affirmat pag. 40. ſui Itinerarii.

V. 33. IN GABAATH PHINEES. Hebr. *in Ghibghath Phinechas*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Gabaath in tribu Beniamin, urbs Phinees filii Eleazari, ubi ſepultus eſt Eleazarus. Eſt autem nunc Gabaatha villa in duodecimo milliario Eleutheropoleos, ubi & ſepulcrum prophetæ Habacuk oſtenditur*. Non dubito mendum huic loco ineſſe: nec enim Euſebius, & S. Hieronymus ignorare potuerunt diverſam omnino fuiſſe Ghibghath Beniaminicam, de qua ſupra cap. XVIII. verſ. 28. ab illa Ephraimitica, quæ fuit in monte Ephraim, in qua ſepultus fuit Eleazar Pontifex. *Ghibghath* ſonat *collem*, ſeu locum editiorem: unde hic quidam reddunt, *In colle Pinchas*, pro appellativo ſumentes. Extabant adhuc tempore S. Hieronymi ſepulcra Ioſue, & Eleazari, quæ præſens venerata eſt S. Paula. S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ: *Sepulcra quoque in monte Ephraim Ieſu filii Nave, & Eleazari filii Aaron ſacerdotis e regione, venerata eſt: quorum alter conditus eſt in Thamnath-ſare, a ſeptemtrionali parte montis Gaas: alter in Gabaa filii ſui Phinees: ſatiſque mirata eſt, quod diſtributor poſſeſſionum, ſibi montana & aſpera delegiſſet.*

Illud

Illud non omiſerim, Hebræos Ioſue imperio tribuere 28. annos; alios 18. nonnullos 26. Res incerta, & in ſacrorum Chronologorum ſcrupulis reponenda.

Valentiæ 4. Febr. &c.

MENOCHII.

Verſ. 1. IN SICHEM. LXX. *in Silo*: & huic verſioni favent quæ dicuntur hoc eodem verſiculo. STETERUNTQUE IN CONSPECTU DOMINI, coram tabernaculo, quod erat in Silo. Nec tamen diſcordat textus noſter: nam, in Sichem, idem eſt ac in agro Sichem, in quo erat Silo. TRANS FLUVIUM, Euphratem. SERVIERANTQUE DIIS ALIENIS. Thare ſcilicet Abrahami pater, & Nachor avus. Serarius in hoc cap. quæſt. 11. doctores nonnulloſcitans, docet etiam Abrahamum cum ætate iunior eſſet, ſecutum parentes, idola coluiſſe. Alii contrarium afferunt.

V. 11. PUGNAVERUNTQUE CONTRA VOS, ſcilicet poſt caſum murorum. D. Auguſt. quæſt. XXXVI. in Ioſue ait, Pugnare, fuiſſe claudere portas contra hoſtem. AMORRHAEUS, ET PHEREZAEUS, &c. pro, *itemque Amorrhæus*, &c. Quidam tamen putant, ex omnibus his populis fuiſſe aliquos in Ierictho, cum oppugnaretur.

V. 12. MISIQUE ANTE VOS CRABRONES: quod pollicitus fuerat Dominus Exod. XXIII. 28. Deuter. VII. 8. S. Auguſtinus crabrones metaphorice interpretatur, & vult fuiſſe aut prævolantes rumores de adventu Iſraelitarum, quibus pungebantur animi Chananæorum, vel dæmones. Sed communis, & recepta ſententia explicat de veris crabronibus. Vide Sap. XII. 8.

V. 15. OPTIO VOBIS DATUR. Non fit poteſtas quod voluerint eligendi; ſed duo componuntur, quorum alterum peſſimum eſt, alterum optimum, ut hoc eligendum eſſe, clare omnino appareat. Sic dicimus: Alterum vobis, o mortales, eligendum eſt, aut pœna æterna, aut perpetua beatitudo, quod vultis eligite. Hoc exhortandi modo uſus eſt Elias III. Reg. XVIII. 21. Eccleſ. XV. 18.

V. 19. NON POTERITIS SERVIRE DOMINO, &c. eſt vehemens adhortatio ad fortiter & conſtanter capeſſendam ſervitutem Domini; ſic imperator militibus poſtulantibus, ut poteſtas fiat in hoſtem irrumpendi, Non vincetis, inquit, non reſiſtetis eorum viribus, &c. ſicque animos eorum acuit in prælium. DEUS ENIM SANCTUS. &c. quaſi dicat: Servire Domino non poteritis niſi magno animo, & conſtanti voluntatis deſtinatione Deo adhærere ſtatuatis, ſanctos mores colere, nullumque crimen admittere, quo ille ſanctitatis amator irritetur.

V. 25. PERCUSSIT ERGO IOSUE IN DIE ILLO FOEDUS, &c. Modus quo percuſſit, ſtatim in ſequentibus explicatur. PROPOSUIT POPULO PRAECEPTA, &c. vel ea populo recitando, vel tamquam fœderis, quod pangebar, conditionem imponendo, ut ſcilicet ſtatuta, & iudicia cuſtodirent.

V. 26. TULITQUE LAPIDEM PRAEGRANDEM, &c. Erexit hunc lapidem quaſi ſtatuam, ut videtur appellari Iudic. IX. 9. magnitudine quidem ingentem, ſed impolitam & rudem, ut indicat quæſt. XXX. S. Auguſtinus; niſi quod aliqua in ea de fœdere iſta inciſa videtur inſcriptio. SUBTER QUERCUM. LXX. *terebinthum*, ut etiam legit D. Auguſtinus. Eadem numero quercus hæc a Rabbinis, & Chriſtianis auctoribus aſſeritur, ſub qua in agro Sichem conſedit Abraham, cum primum venit in Chananæam, Geneſ. XII. 6. & ſub qua idola deſodit Iacob, Gen. XXXV. 4. QUAE ERAT IN SANCTUARIO DOMINI: quæ ſcilicet erat in Silo, & comprehendebatur ambitu atrii tabernaculi.

V. 27. QUOD AUDIERIT OMNIA VERBA DOMINI. Lapidi tribuitur auditus per proſopopeiam. Sic Iſa. I. 2. *Audite cæli, & auribus percipe terra, &c.* & Deuteron. XXXII. 1. *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.*

V. 29. ET POST HAEC MORTUUS EST IOSUE. Credibile eſt eum poſt iſta comitia non diu vixiſſe, ſed paulo poſt, reverſum domum exceſſiſſe e vita.

V. 30. SEPELIERUNT EUM ISRAELITAE, &c. Nulla hic mentio planctus, & luctus populi, qui tamen in magnis viris per plures dies fieri ſolebat apud Hebræos, ut Iacob Geneſ. L. Aaron Numer. XX. Moſi Deuter. XXXIV. His enim duobus totos 30. dies in luctu parentatum.

Digitized by Google

Itaque nihil minus factum in Ioſue credendum eſt, licet non exprimatur.

V. 31. SERVIVITQUE ISRAEL DOMINO CUNCTIS DIEBUS IOSUE: verum enim eſt dictum illud: *Quales principes ſunt, tales reliqui ſolent eſſe cives.*

V. 32. OSSA QUOQUE IOSEPH, &c. Moriens Ioſeph iureiurando Iſraelitas obſtrinxerat, ut ſua ex AEgypto oſſa in Chananæam aſportarent, Geneſ. L. 14. Id ab ipſis factum eſt, ut patet Exod. XIII. 19. IN PARTE AGRI, QUEM EMERAT IACOB, &c. Vide dicta Gen. XXXIII. 16.

V. 33. QUAE DATA EST EI. *τὸ Ei*, aliqui referunt ad Phinees, ſic D. Hieronymus: alii ad Eleazarum, ſic ex recentioribus Maſius. Extrema hæc verba quibus mors Ioſue narratur, ab aliquo pio, & ſancto Propheta ſcripta fuiſſe dicendum eſt, ſi ſequamur eorum ſententiam qui huius Libri auctorem faciunt ipſum Ioſue.

T I R I N I.

Verſ. 1. IN SICHEM. Sic etiam Hebræus textus habet (שכם) & Chaldæus, & quidam Græci. Sed LXX. legunt, *In Silo*. Nimirum comitia hæc indicta fuerunt in Silo: quomodo enim alioqui dicemus eos ſtetiſſe in conſpectu Domini? & Ioſue poſuiſſe lapidem in ſanctuario Domini? verſ. 26. Quia tamen Silo erat in agro Sichemico, idcirco vere quoque dicuntur tribus omnes congregatæ in Sichem. Sicut infra verſ. 32. Ioſephi oſſa dicuntur ſepulta fuiſſe in Sichem; cum tamen conſtet ex Geneſ. XXXIII. verſ. 18. & 19. ſepulcrum hoc Patriarcharum fuiſſe extra urbem Sichem, in agro. Ita Serarius.

V. 2. ABRAHAM an in adoleſcentia ſua coluerit falſos deos, dixi Geneſ. XII. verſ. 3.

V. 9. De maledictione Balaam vide Numer. XXII. & ſeqq. cap.

V. 2. MISI ANTE VOS CRABRONES. Sic ergo conſtat impleviſſe Deum quod Iudæis promiſerat ſe facturum Exod. XXIII. verſ. 28. & Deuter. VII. verſ 20. Et quidem non metaphoricos, ut vult S. Auguſtinus *a*, ſed veros ac reales crabrones hos fuiſſe, certiſſimo patet ex Sapientiæ XII. verſ. 8. & 9. ubi veſpæ vocantur, & beſtiæ.

V. 14. AUFERTE DEOS QUIBUS SERVIERUNT PATRES VESTRI IN MESOPOTAMIA ET IN AEGYPTO. Ex hoc loco convincitur S. Epiphanius *b*, aliquos Iſraelitarum etiam in AEgypto idola coluiſſe. Item hoc tempore Ioſue, licet nullus eſſet publicus idolorum cultus, tamen non defuiſſe qui ſecreto idola retinerent, & colerent, vana ſuperſtitione vicinarum gentium paulatim corruptos: unde verſ. 23. tam diſerte mandat: *Nunc auferte deos alienos de medio veſtri*. Licet enim in particulari neſciret quinam eſsent tanti ſceleris rei, longa tamen experientia ſat notat, in tanta multitudine, tanta irritamentorum copia, tanta in id crimen propenſione, non deeſse improbos aliquos qui ſeſe eiuſmodi crimine obſtringerent. Ita Maſius, & Serarius.

V. 19. NON POTERITIS SERVIRE DOMINO. Non eſt abſoluta præciſaque negatio, ſed quæ certas conditiones requirit, maximeque optat & urget; quaſi dicat: Niſi magnos induatis animos, decretumque ac fixum habeatis omnes idololatriæ occaſiones & incitamenta procul arcere; non poteritis ſervire Domino prout oportet, pure, caſte, integre, diu, & conſtanter.

V. 26. TULIT LAPIDEM PRAEGRANDEM, in quo ſummatim verba fœderis huius iam tertio publice innovati deſcripſerat Ioſue, POSUITQUE EUM SUBTER QUERCUM, QUAE ERAT IN ATRIO SANCTUARII, vel iuxta atrium, ut Rabbini exponunt. Qui etiam docent, hanc ilicem ſeu quercum fuiſse illam eamdem numero ſub qua Iacob idola Laban defodit, Geneſ. XXXV. & iuxta quam Abrahamo Geneſ. XII. Deus apparuit, terramque Chanaan primo promiſit. Ita etiam Maſius, & alii. Sed quo iure paſſi ſunt Iudæi quercum illam iuxta Sanctuarium, cum Deuter. XVI. verſ. 21. ſevere inhibeatur ne *lucus ſit & omnis arbor iuxta Domini altare*? Reſpondeo, non vetari iſtic unius, vel alterius arboris ſeu plantationem, ſeu conſervationem, ſed eas ſolas arbores quæ pars luci aut ſilvulæ ſint. Patet ex Hebræo, & Græco textu, ubi habemus: Non facies *lucum ex omni arbore*, ſeu ex quocumque arborum genere.

V. 27. EN LAPIS ISTE ERIT VOBIS IN TESTIMONIUM, QUOD AUDIE-

DIERIT OMNIA VERBA DOMINI. Ita tropice lapidi tamquam teſti auditum tribuunt etiam Hebræa, & Græca; idque propter inſcriptionem, ſeu inciſionem in lapide. Quod Chaldæus clare exponit: *En lapis iſte erit nobis, quaſi duæ tabulæ lapideæ fœderis. Facimus enim ipſum pro teſtimonio: verba enim quæ in eo ſunt inſcripta, referunt omnia verba quæ Dominus locutus eſt ad nos.*

V. 29. MORTUUS EST IOSUE, ætatis anno centeſimo decimo iam completo: qua etiam ætate mortuus fuerat Ioſeph in AEgypto, Geneſ. L. verſ. 25. Quoto principatus ſui anno mortuus ſit, dixi in Chronico cap. xx. Menſis vero & dies mortis Ioſue memoratur in Hebræorum Kalendario, vigeſimus ſextus Niſan: quo eodem menſe etiam mortuus eſt verus Ieſus Dominus noſter. Ad cuius etiam mortis ſimilitudinem, tradunt in Seder Olamiidem Hebræi, cum ſepeliretur Ioſue in monte Ephraim, terræ motum extitiſse, ex eoque montem illum vocatum Gaas, id eſt commotionis ac tremoris.

Petes, quid de filiis aut poſteris Ioſue? Reſpondeo. De his nulla uſquam mentio vel in Scripturis, vel in SS. Patribus, vel probatis Rabbinis. Unde omnino videtur dicendum, liberos nullos reliquiſse, ſed tota vita cælibem permanſiſſe, ut propiorem veri Ieſu nobis imaginem præferret. Ita S. Ignatius Martyr, Hieronymus, Chryſoſtomus *c*, & alii.

(*a*) Auguſt. hic quæſt. xxvii. & in Exod. quæſt. xciii.
(*b*) Epiph. Lib. I. poſt principium.
(*c*) S. Ign. ep. ad Philadelph. Hieron. Lib. I. contra Iovinianum. Chryſoſt. ſerm. de Martyribus.

GORDONI.

Verſ. 1. TRANS FLUVIUM, Euphratem. Ex hoc loco colligunt aliqui, Abraham ante vocationem fuiſſe idololatram. Vide Gen. cap. xi. & xii.

V. 3. DE MESOPOTAMIA. Late hoc nomen accipi videtur pro tota regione ultra Euphratem, ita ut contineat Meſopotamiam preſſe ſumptam (inter Euphratem & Tygrim) Chaldæam inſuper, Babyloniam, & Syriam: quo etiam modo accipi videtur Meſopotamia, Act. vii. verſ. 2. Vide Gen. cap. xi. & cap. xii.

V. 9. & 26. Sane rex Moab, de quo hic, non pugnavit, ſed ſurrexit ad pugandum, revocatus benedictione Balaam: vide Num. cap. xxiii. niſi velis pugnaſſe magicis artibus, & conatu, coactis copiis. At quid illud eſt verſ. 26. de lege, & quercu in ſanctuario? Sane eſt, legis capita ſaltem præcipua recitaſſe palam, ſcripſiſſe hæc quæ narrata ſunt, & addidiſſe, hunc librum ut ſervaretur cum volumine Deuteronomii. Lapis erectus eſt ut ſignum rei actæ. Sic Moſes initio cuiuſdam obeliſci. Ceterum hæc agebantur in Sichem, Dei ſanctuario: ubi ſcilicet Deus apparuit Abrahæ, Gen. xviii. extabat annoſa quercus, ubi lapis fixus eſt: ergo apud hanc ilicem Mambre agnoſcimus ob loci reverentiam, eſſe velut Dei tabernaculum.

V. 11. Pugnaverunt Ierichuntini, cum portas clauſerunt, ex Auguſtino hic quæſt. xxvi. & fere, ut dixi verſ. 9.

V. 15. Optionem liberam, & electionem utriuſque partis abunde probat hic locus Theologicus.

V. 29. ET POST HAEC MORTUUS EST IOSUE FILIUS NUN. Convenit ſatis, Ioſue obiiſſe ætatis anno 110. ut habet textus hic. At ſi quæras quoto anno poſt tranſitum Iordanem (quando cœpit eius principatus) multum diſſentiunt Interpretes. Quidam tantum dant ſeptem annos, ut Adrichomius, a morte ſcilicet Moſis. Mercator novem; Arias decem; Beda decem & ſeptem; Genebrardus duodeviginti; Ioſephus Lib. V. dat vigintiquinque, alii cum Aug. Lib. XVIII. Civit. cap. xi. dant viginti ſeptem. Immo Eupolemus apud Euſebium Lib. IX. Præpar. dat annos triginta. Ipſe Euſebius in Chronic. dat viginti ſeptem. Certe hæc Auguſtini, Euſebii, & plurium ſententias dans Ioſuano Imperio annos viginti ſex, aut viginti ſeptem, potior eſt: atque ita dixi in opere chro. qq. cap. ix. num. 5. Ioſue tempore Exodi fuiſſe annorum quadraginta quatuor, ac proinde cum factus eſt dux, annum agebat octogeſimum quartum: quibus adde annos viginti ſex, exibunt anni 110. quando obiit Ioſue, qui fuit annus mundi 2549: at Ioſue vocatur puer Exod. xxxiii. verſ. 7. Reſpondi ibidem quod ſufficit huic argumento.

V. 31. SERVIVIT LONGO TEMPO-

Digitized by Google

re, &c. Peccatum quidem eſt ab aliquibus ; ſed duces, & præcipua pars populi adhærebat Deo , ut prolixius expreſſi chron. quæſt. cap. ix. num. 8. Quæ hic adduntur de morte Pontificis, & oſſibus Ioſeph , nota ſunt ex contextu . Eleazaro ſucceſſit Phinees filius in pontificatu, ex primo Paralip. verſ. 20.

V. 32. Centum novellis ovibus . Hebr. קשיטה *Kevita*, ovem quidem ſignificat , & præterea genus monetæ , habentis formam ovis; Septuaginta ſumpſerunt pro ove, vel agnis: conſentit Chaldæus , recte.

Ex Eiusdem Auctario.

*V.*12. Crabrones. Sic promiſit Exod. xxiii. 28. Aliqui pavores, alii dæmones intelligunt , alii ad litteram veros crabrones, ut Sap. xii. 8.

V. 26. Quercus iſta putatur a quibuſdam illa ſub qua Abraham conſedit quando primum venit in Chananæam , Geneſ. xii. & ſub qua Iacob fodit idola, Geneſ. xxxv. 4.

V. 31. Non legimus hic planctum in morte Ioſue : factus ſane videtur , cuius tamen non meminit ille qui hæc poſtrema poſt mortem Ioſue verba adiecit.



LI-

Digitized by Google

LIBER IUDICUM, HEBRAICE SOPHETIM.

S*Amuelem eſſe hujus libri auctorem probabile admodum videtur, quem forte ex Scribarum Sacrorum, aut Iudicum ipſorum commentariis contexuit. Cum enim Hebraicam Rempublicam regendam ſuſcepiſſet, Iudicum qui præfuerunt, hiſtoriam conſervatam voluit. Hunc librum eſſe vetuſtiſſimum hinc liquet, quod ex eo ſumpta ſint permulta in Pſalmis, & in aliis Canonicis libris contenta. Sic illa verba Pſalm.* LXVII. verſ. 8. Deus cum egredereris in conſpectu populi tui, *deſumpta ſunt ex cap.* V. *uti illa Pſalmi* XCVI. Montes fluxerunt a facie Domini, *ex cap.* XIII. *Sic illa* II. *Reg.* XI. 21. Qui percuſſit Abimelech filium Ierobaal? *ex cap.* IX. *ſunt deprompta; ut alia omittam quamplurima.*

Quæ populo Hebræo acciderunt antequam Regum imperio ſubderentur, hic liber complectitur. Tum populi regimen erat Theocraticum: nam Deum pro Rege habebant, qui Iudices iis præficiebat, iique populum ſic regebant, ut nec leges ſancirent, nec tributa, aut vectigalia imponerent, nec Regum geſtarent inſignia, nec demum iure hereditario ſuccederent, ſed cuncta ex lege Dei adminiſtrarent. Vox Hebræa שפטים Sophetim, *Summos Magiſtratus, ſeu duces cum ſumma poteſtate ſignificat, quos Latini in Punica Hiſtoria Punico vocabulo* Suffetes *vocant. Ubi tales extra ordinem viros Deus non excivit, ait Grotius, erat diſſolutum reipublicæ corpus, nec quicquam in commune agebatur. Tribus ſingulæ res ſuas ſuo periculo, aut commodo gerebant.* Quibus temporibus, *ait Auguſtinus Libro* XVIII. *de Civitate Dei cap.* XXIII. alternaverunt apud eos & humilitates laborum pro eorum peccatis, & proſperitates conſolationum propter miſerationem Dei, & ſicut ſe habebant peccata populi, & miſericordia Dei, alternaverunt proſpera

ſpera

Digitized by Google

ſpera & adverſa bellorum. *Plerique enim ex Iudicibus, paucis exceptis, a Deo dati ſunt populo Hebræo, aut electi, ut eum ab hoſtium iugo & ſervitute liberarent, ac ius unicuique redderent.*

Quod opponunt nonnulli ex cap. XVIII. *Iud. verſ.* 30. *de idolo Michæ*, Poſueruntque ſibi ſculptile uſque ad diem captivitatis ſuæ; *ut probent hunc librum poſt captivitatem decem tribuum ſcriptum fuiſſe, id, inquam, nihil eſt. Nam, ut optime reſpondet Huetius Epiſcopus Abrincenſis, de illa captivitate loquitur, cum arca capta eſt a Philiſthæis ſub Heli Sacerdote, & arca ablata fuit de Silo: ſublato enim idolo, ſublatus eſt quoque illius Sacerdos, & belli iure captus cum magna Iſraelitarum multitudine, iuxta illud Pſalm.* LXXVII. *verſ.* 60. Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum ſuum, ubi habitavit in hominibus, & tradidit in captivitatem virtutem eorum.

Quod autem eodem in loco libri Iudicum hæc habeantur, In diebus illis non erat Rex in Iſrael, *non hinc ſequitur iam fuiſſe Reges in Iſrael, cum ea ſcriberentur: ſed hanc captivitatem contigiſſe, antequam Reges Deus Iſraelitis præfeciſſet. Hæc ſiquidem verba ad præcedentia referuntur. Infelix illud prælium, & Regum creatio, Samuelis temporibus evenerunt. Hinc tamen iuſta eſt ſuſpicio hunc librum a Samuele, aut ab alio Propheta, regnante Saule ante Davidis regnum eſſe conſcriptum. Quod quidem ex cap.* I. *verſ.* 21. *ſuſpicari licet. Nam Iebuſæi nondum ex urbe Ieruſalem eiecti fuerant, cum Auctor hæc ſcribebat; ii vero a Davide eiecti ſunt,* II. *Reg.* V. *Neque hæc ſententia a recepta apud Iudæos opinione abhorret, qui Samuelem huius libri ſtatuunt auctorem.*

At, inquit Spinoſa, non idem eſt auctor, qui ultimum Ioſue, & ſecundum huius libri caput conſcripſit: nam ſi filum hiſtoriæ ſuæ ſequi voluiſſet, caput ſecundum ſuperioribus annectere debuiſſet.

Reſpondet vir doctiſſimus, primo capite Iudicum gentes eas referri, quæ ſedibus ſuis dimoveri non potuerunt; capite vero ſequenti cauſas affert, cur Iſraelitæ eos debellare non valuerint, ob ſcelera nimirum ab iis admiſſa poſt Ioſue obitum: quibus comprobandis verba ex capite ultimo Ioſue repetit. Magno quidem argumento extremam cap. XXIV. *partem Ioſue, & duo prima capita Iudicum ab eadem manu eſſe profecta, atque hæc duo prima capita ad pleniorem ſequentium intellectum viam munire. Hoc in libro ut in aliis hiſtoricis ſub nuda & ſimplici rerum geſtarum narratione ſingularis Dei providentia erga populum Iſraeliticum ubique ſe prodit.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT I.

Iuda duce una cum fratre ipſius Simeone plurimæ gentium civitates expugnantur: Othoniel obtenta Cariath Sepher ducit Axam filiam Caleb, addita terra irrigua: Chananæi tributarii ſervantur.

1. POST mortem Ioſue conſuluerunt filii Iſrael Dominum, dicentes: Quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli? 2. Dixitque Dominus: Iudas aſcendet: ecce tradidi terram in manus eius. 3. Et ait Iudas Simeoni fratri ſuo: Aſcende mecum in ſortem meam, & pugna contra Chananæum, ut & ego pergam tecum in ſortem tuam. Et abiit cum eo Simeon. 4. Aſcenditque Iudas, & tradidit Dominus Chananæum ac Pherezæum in manus eorum: & percuſſerunt in Bezec decem millia virorum. 5. Inveneruntque Adonibezec in Bezec, & pugnaverunt contra eum, ac percuſſerunt Chananæum & Pherezæum. 6. Fugit autem Adonibezec: quem perſecuti comprehenderunt, cæſis ſummitatibus manuum eius ac pedum. 7. Dixitque Adonibezec: Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum in Ieruſalem, & ibi mortuus eſt. 8. Oppugnantes ergo filii Iuda Ieruſalem, ceperunt eam, & percuſſerunt in ore gladii, tradentes cunctam incendio civitatem. 9. Et poſtea deſcendentes pugnaverunt contra Chananæum, qui habitabat in montanis, & ad meridiem, & in campeſtribus. 10. (*a*) Pergenſque Iudas contra Chananæum, qui habitabat in Hebron (cuius nomen fuit antiquitus Cariath Arbe) percuſſit Seſai, & Ahiman, & Tholmai: 11. atque inde profectus abiit ad habitatores Dabir, cuius nomen vetus erat Chariath Sepher, id eſt civitas litterarum. 12. Dixitque Caleb: Qui percuſſerit Cariath Sepher, & vaſtaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem. 13. Cumque cepiſſet eam Othoniel filius Cenez frater Caleb minor, dedit ei Axam filiam ſuam coniugem. 14. Quam pergentem in itinere monuit vir ſuus ut peteret a patre ſuo agrum. Quæ cum ſuſpiraſſet ſedens in aſino, dixit ei Caleb: Quid habes? 15. At illa reſpondit: Da mihi benedictionem, quia terram arentem dediſti mihi: da & irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguum ſuperius, & irriguum inferius. 16. Filii autem Cinæi cognati Moyſi, aſcenderunt de civitate palmarum, cum filiis Iuda, in deſertum ſortis eius, quod eſt ad meridiem Arad, & habitaverunt cum eo. 17. Abiit autem Iudas cum Simeone fratre ſuo, & percuſſerunt ſimul Chananæum qui habitabat in Sephaath, & interfecerunt eum. Vocatumque eſt nomen urbis, Horma, id eſt anathema. 18. Cepitque Iudas Gazam cum finibus ſuis, & Aſcalonem, atque Accaron cum terminis ſuis. 19. Fuitque Dominus cum Iuda, & montana poſſedit: nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant. 20. Dederuntque Caleb Hebron, (*b*) ſicut dixerat Moyſes, qui delevit ex ea tres filios Enac. 21. Iebuſæum autem habitatorem Ieruſalem non deleverunt filii Beniamin: habitavitque Iebuſæus cum filiis Beniamin in Ieruſalem, uſque in præſentem diem. 22. Domus

mus

Digitized by Google

mus quoque Ioſeph aſcendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis. 23. Nam cum obſiderent urbem, quæ prius Luza vocabatur, 24. viderunt hominem egredientem de civitate, dixeruntque ad eum: Oſtende nobis introitum civitatis, & faciemus tecum miſericordiam. 25. Qui cum oſtendiſſet eis, percuſſerunt urbem in ore gladii: hominem autem illum, & omnem cognationem eius, dimiſerunt. 26. Qui dimiſſus, abiit in terram Hetthim, & ædificavit ibi civitatem, vocavitque eam Luzam: quæ ita appellatur uſque in præſentem diem. 27. Manaſſes quoque non delevit Bethſan, & Thanac cum viculis ſuis, & habitatores Dor, & Ieblaam, & Mageddo cum viculis ſuis, cœpitque Chananæus habitare cum eis. 28. Poſtquam autem confortatus eſt Iſrael, fecit eos tributarios, & delere noluit. 29. Ephraim etiam non interfecit Chananæum, qui habitabat in Gazer, ſed habitavit cum eo. 30. Zabulon non delevit habitatores * Cetron, & Naalol: ſed habitavit Chananæus in medio eius, factuſque eſt ei tributarius. 31. Aſer quoque non delevit habitatores Accho, & Sidonis, Ahalab, & Achazib, & Helba, & Aphec, & Rohob: 32. habitavitque in medio Chananæi habitatoris illius terræ, nec interfecit eum. 33. Nephthali quoque non delevit habitatores Bethſames, & Bethanath: & habitavit inter Chananæum habitatorem terræ, fueruntque ei Bethſamitæ & Bethanitæ tributarii. 34. Arctavitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum ut ad planiora deſcenderent: 35. habitavitque in monte Hares, * quod interpretatur teſtaceo, in Aialon & Salebim. Et aggravata eſt manus domus Ioſeph, factuſque eſt ei tributarius. 36. Fuit autem terminus Amorrhæi ab Aſcenſu Scorpionis, Petra, & ſuperiora loca.

(a) Ioſ. xv. 24. (b) Numer. xiv. 24. Ioſ. xv. 14.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 30. *Cetron, & Naalol*. Pro *Cetron* male ſcribunt quidam *Thetron*, ſ inquam pro c; rurſus pro Naalol, Naalon, id eſt n pro l.

V. 35. *Quod interpretatur teſtaceo*. Cave legas *teſtario*, nomen verbale a *teſtor*, pro *teſtaceo* nomine adiectivo a teſta.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 2. IUDAS, id eſt tribus Iuda.

Verſ. 3. SORTEM MEAM, id eſt partem quæ mihi ſorte obtigit, ſcilicet ab hoſtibus recuperandam.

V. 5. ADONIBEZEC, id eſt *dominum Bezec*.

V. 6. SUMMITATIBUS: ſic etiam LXX. Alii, *pollicibus*.

V. 7. REGES. Regulos intellige.

V. 8. OPPUGNANTES. Id factum narratur Ioſue xv. forte per anticipationem.

V. 12. DIXITQUE, &c. Id factum poſt mortem Ioſue, etſi ſupra per prolepſim narratur. Auguſt. quæſt. III. in Iudic.

V. 13. FRATER CALEB MINOR. Alii, *fratris Caleb minoris:* ſic etiam inf. cap. III. ubi LXX. aperte dicunt Cenez fuiſſe fratrem Caleb, non ipſum Othonielem.

V. 14. SEDENS IN ASINO. Sic etiam LXX. at Hebr. & Chald. *de ipſa*, ſeu *ſe demittens ex aſino*: ſcilicet ut ſe ad patris pedes ſupplex abiiceret. Vide Ioſ. xv.

V. 15. BENEDICTIONEM, id eſt munus, ſeu donum.

V. 16. FILII, id eſt nepotis. CINAEI, id

id eſt Iethro. COGNATI. Hebr. Chald. & LXX. *ſoceri*. PALMARUM, ſcilicet Iericho, ubi habitaverant.

V. 19. VALLIS, pro vallium, id eſt campeſtrium.

V. 20. FILIOS ENAC, id eſt gigantes. Vide Ioſ. xv.

V. 21. IEBUSAEUM: pertinebat ad tribum Iuda, & Beniamin. Aug. quæſt. VIII. DELEVERUNT: ſcilicet arx manſit uſque ad David.

V. 22. BETHEL. Altera eſt in tribu Beniamin. Vide Ioſ. XVIII.

V. 23. OBSIDERENT: ſic etiam LXX. at Hebr. & Chald. *explorarent*.

V. 28. CONFORTATUS EST, id eſt prævaluit.

V. 35. HABITAVITQUE, ſcilicet Amorrhæus. AGGRAVATA EST, id eſt prævaluit. TRIBUTARIUS, ſcilicet Amorrhæus.

V. 36. PETRA: urbs eſt Arabiæ. Heb. Chald. & LXX. *a Petra*.

ESTII.

Verſ. 2. IUDAS ASCENDET: ECCE TRADIDI TERRAM IN MANU EIUS. Per Iudam, non unum aliquem hominem accipere debemus, qui toti populo fuerit præfectus ad bellum gerendum; ſed ipſam tribum Iuda. Hoc enim ſatis indicant verba quæ ſequuntur, ſcilicet: *Et ait Iudas Simeoni fratri ſuo, Aſcende mecum in ſortem meam .... ut & ego*, &c. Non enim hominibus ſingulis ſors data fuit, ſed ipſis tribubus. Sed neque per hoc oraculum tribui Iudæ datus fuit principatus in reliquas tribus: nam poſtea plures ex aliis tribubus fuerunt iudices, & belli duces, & Saul ipſe primus rex fuit ex tribu Beniamin; ſed tantum ſignificatur quod hoc tempore illa tribus bellum auſpicaretur.

V. 8. OPPUGNANTES FILII IUDA IERUSALEM, CEPERUNT EAM, &c. Non pugnat cum hoc quod dicitur Ioſue xv. *Iebuſæum habitatorem Ieruſalem non potuerunt filii Iuda delere*, &c. quia hic tantum dicitur quod ceperunt civitatem; ibi autem Ioſue xv. intelligitur quod non plene Iebuſæos ſubiugare potuerunt: atque adeo patet I. Reg. v. quod uſque ad tempora Davidis Iebuſæi occupaverint arcam civitati Ieroſolymitanæ adiunctam, quam cum tandem David expugnaſſet, vocata eſt civitas David.

V. 12. DIXITQUE CALEB: QUI PERCUSSERIT CARIATH SEPHER, ET VASTAVERIT EAM, DABO ILLI AXAM FILIAM MEAM UXOREM, Hæc, & plura quæ hoc capite ſequuntur, vide explicata ſupra Ioſue xv. ibi enim itidem narrantur.

V. 18. CEPITQUE IUDAS GAZAM CUM FINIBUS SUIS, ET ASCALONEM ATQUE ACCARON. Hæ civitates numquam ab Iſraelitis leguntur fuiſſe inhabitatæ. Redactæ quidem fuerunt a filiis Iuda in poteſtatem, ut hic dicitur, ſed veriſimile eſt, quod eos ſtatim ſuos fecerint tributarios; qui tamen tributi ſervitutem non multo poſt excuſſerint; quin nec eo contenti, ipſos Iſraelitas viciſſim ſubegerint, ut patebit paulo poſt in hiſtoria Samſonis. Vide etiam Ioſue XIII. verſ. 3.

MARIANAE.

Verſ. 1. QUIS ASCENDET ANTE NOS? Id Iſraelitæ conſulunt. Hebr. *Quis aſcendet nobis*, pro ex nobis, *in principio*, id eſt primus omnium. ET ERIT DUX BELLI. Hebr. *ad pugnandum cum eo*, ſcilicet Chananæo, primo loco, & ut dux ceterorum. Deus reſpondet:

V. 2. IUDAS; id eſt, Iudæ tribus aſcendet prima.

V. 3. AIT IOSUE SIMEONI. Tribui Simeonis dixit Iudas: ASCENDE MECUM. Erant hæ duæ tribus locis coniunctæ, ex eo opportunum ut ſociarent arma. IN SORTEM MEAM, id eſt in partem mihi ſorte deſtinatam, ut bello pellam habitatores.

V. 4. IN BEZEC. In agro eius urbis, aut intra ipſam urbem percuſſerunt decem millia Iſraelitæ.

V. 5. ADONIBEZEC. Omnes fere Interpretes accipiunt quaſi unum nomen & proprium eius Reguli. Hebræi *dominum Bezec*, de qua dixerat, intelligunt. Id certe vox illa ſignificat. Quem ceperunt

V. 6. CAESIS SUMMITATIBUS MANUUM EIUS AC PEDUM: ſic Septuag. Alii fere, *Præciſis pollicibus manuum eius & pe-*

Digitized by Google

& pedum; ſcilicet ut bello ineptus, & ad fugam eſſet: ſic verſ. 7.

V. 7. CIBORUM RELIQUIAS: non eſt in Hebræo; ſed bene ſuppletur. Chald. ſupplet, *panem*, Septuag. *quæ*: nam Hebraice ſolum eſt, *colligentes ſub menſa mea*. Crudeles male pereunt.

V. 8. OPPUGNANTES ERGO FILII JUDA IERUSALEM. Ioſue cap. XV. hoc narratur forte per anticipationem, quod poſt mortem Ioſue contigit. TRADENTES CUNCTAM INCENDIO CIVITATEM. Hebr. *Et urbem eam miſerunt in ignem*. Conſtructio inverſa; pro, *ignem in civitatem eam miſerunt*.

V. 9. DESCENDENTES. Quoniam Ieroſolyma in montibus eſt ſita loco edito, inde in loca plana deſcendunt Iſraelitæ.

V. 12. DIXITQUE CALEB. Ioſue XV. verſ. 16. hoc narratur per anticipationem, quod videtur poſt Ioſue mortem contigiſſe.

V. 13. FRATER CALEB MINOR. Plerique volunt id eſſe in genitivo, *fratris Caleb minoris*, ut Cenez ſit frater Caleb, & pater Othonielis: neque Hebraica repugnant: ſic Chald. At Sept. hoc loco ſecuti quod Hieronymus cap. III. verſ. 9. *filius Cenez frater Caleb minor* habent. Verum hæc in cap. Ioſ. XV. explicata ſunt, ſicut & illa quæ proximis duobus verſibus conſequuntur.

V. 16. FILII, id eſt poſteri. CINAEI, Iethro. COGNATI MOYSI. Hebr. *ſoceri*: ſic Sept. & Chald. II ASCENDERUNT DE CIVITATE PALMARUM: ſic Iericho vocata eſt Deuter. XXXIV. verſ. 3. CUM FILIIS IUDA; pro, ad filios Iuda. Invitati Cinæi eorum virtute ſedes mutarunt.

V. 19. NEC POTUIT DELERE. Heb. *Non ad perdendum habitatores vallis*, ſcilicet erant vires tribui Iuda.

V. 20. TRES FILIOS ENAC. Tres gigantes, aut tres tyrannos delevit Caleb. Quid filii Ioſeph? Ceperunt Bethel,

V. 23. CUM OBSIDERENT URBEM. Sic Sept. At Hebr. *explorarunt*: ſic Chald. QUAE PRIUS LUZA. Vides, Bethel, quæ erat in tribu Ephraim, Luzam vocatam. Altera Bethel erat in tribu Beniamin.

V. 27. COEPITQUE CHANANAEUS HABITARE. Hebr. *Voluitque habitare Chananæus cum Manaſſe*.

V. 28. CONFORTATUS EST ISRAEL; id eſt, prævaluit contra Chananæos. DELERE NOLUIT. Hebr. *Et expellendo non expulit, ſed fecit eos tributarios*, nempe contra præceptum Domini.

V. 34. NEC DEDIT EIS LOCUM. Hebr. *Non dedit ad deſcendendum*: Hebraiſmus; pro, non permiſit Amorrhæus deſcendere filios Dan in plana. Id ſignificat verbum dandi, cum iungitur infinitivo, ut hic in Hebr. eſt. *Habitavitque* Dan *in monte Hares*,

V. 35. QUOD INTERPRETATUR TESTACEO: ſic lege, eſtque hoc additum ab Interprete. In Hebr. ſolum eſt, *Habitavit in monte Hares*, AGGRAVATA EST, &c. id eſt prævaluit Ioſeph. TRIBUTARIUS, ſcilicet Amorrhæus factus eſt tribui Ioſeph. *Terminus Amorrhæi*

V. 36. AB ASCENSU SCORPIONIS. Nomen loci in parte Auſtrali terræ ſanctæ. PETRA, ET SUPERIORA LOCA. Hebr, *a Petra, & ſupra*: ſic Sept. & Chald. id eſt, ex altera parte eorum regio Aſcenſu Scorpionis, ex altera Petra finitur, quæ urbs Petra in Arabia erat; quaſi dicat: Lata ea regio Amorrhæorum erat.

MALVENDAE.

VErbum Hebraicum שפט *ſcapat*, præter primariam & generalem ſignificationem, qua denotat *iudicare*, id eſt iuxta certas, & præſcriptas leges iuſte cauſas iudicare, ius dicere, & exequi, rite controverſias dirimere, ut boni defendantur, mali vero condemnentur, ac puniantur; quæ verbi ratio atque natura apprime explicatur I. Regum III. verſ. 28. & cap. VIII. verſ. 32. ſumitur ſæpe in Scriptura pro *regere, adminiſtrare, gubernare rempublicam, leges ac iura præſcribere, ſtatuere, ſecundum quæ vivatur, imperitare*, ut Geneſ. XIX. verſ. 9. & I. Samuel. IV. verſ. 18. & cap. VIII. verſ. 5. 6. & 20. & alias. Hinc dicti ſunt peculiariter in hoc Libro Iudicum, *Schophetim*, iudices poſt Ioſue: quo nomine obſervant Scripturam uti pro iudice, ſeu conſule, id eſt magiſtratu, qui tamen non habet ius regium; hoc eſt, ut pro iure regio poſſit tributa exigere,

re, aliorum famulitium accerſere, gravare bona. & poſſeſſiones exactionibus, militem conducere publicis populi impenſis, & penes quem publica exiſteret auctoritas; ſed ſit quaſi ſalvator, & aſſertor publicæ libertatis ac vindex: ut quando populus premebatur ab hoſtibus, Dominus excitabat virum aliquem, qui rurſus populum liberaret, & aſſereret in priſtinam libertatem. Nec ipſorum poteſtas ſucceſſione, ſicut poſtea Regum, derivabatur in poſteros; ſed ut Deo placebat, ita iam ex iſta, mox ex alia tribu, & familia eligebat Iudicem. Proinde cum regem populus a Samuele poſtularet, nec vellet amplius habere Iudices, reſpondit Dominus, I. Samuel. VIII. verſ. 7. *Non te, ſed me abiecerunt*. Significans, ſe eis pro ſuo ipſius arbitrio tempore Iudicum imperitaſſe, non ut ſolent reges huius ſæculi, qui pompa, & faſtu, ac magnificentia quadam ſuos ſubditos moderantur, equis, curribus, conducto milite, famulitio, & apparatu militari, ſua regna & ſuos limites propagant, ac tuentur; ſed pro more iudicum, qui in domo ſua privatim commorantes, nullas arces, aut urbes, aut regias extruebant; aut ſplendorem regium & dignitatem quærebant. Unde Abimelechum qui ut rerum ſumma potiretur, militem conducebat, ut vi etiam retinere cogitabat, & regia quadam maieſtate ſtudebat clareſcere, & præter aliorum Iudicum conſuetudinem ſeſe magnificentius gerebat, Regem Scriptura appellat hoc ipſo libro, cap. IX. verſ. 7. & ſequentibus. Et Gedeon cap. VIII. verſ. 23. inquit, *Non dominabor ego in vobis, & non dominabitur filius meus in vobis: IHUH dominabitur in vobis*. Ita plerique recentiorum de functione ac munere ſeu magiſtratu eorum qui nomine Iudicum poſt Ioſue rempublicam adminiſtrarunt, diſſerunt. Alii tamen notant, penes eos interim extitiſſe publicam auctoritatem, etſi non regiæ parem: ac Iudices videri ſicut conſules fuiſſe, niſi quod unicus fuerit, veluti populi dux domi, & foris, alioqui ſummo iure utens. Quidam obſervant, ad eos pertinuiſse docere populum mores divinos, & in cauſis civilibus indicare. Aliqui ajunt, tempore belli auctoritate valuiſse; poſt dimiſsos milites privatim vixiſse. Nec deſunt qui exiſtiment, eos non rexiſse populum per modum imperii, ſeu alicuius dominii; ſed tantum per modum miniſterii, exhortationis, & conſilii: Deus enim illud imperium ſibi retinuerat. Vide infra cap. II. verſ. 16.

Fuit apud Carthaginenſes & nomine, & re conſimilis magiſtratus, quos *Suffetes* vocabant, forſan Iſraelitarum imitatione: nam Pœni a Phœnicibus conditoribus, Phœnices vero a vicinis Iſraelitis accepiſse videntur: de quo Feſtus: *Sufes dictus eſt Pœnorum lingua ſummus magiſtratus, ut Oſcorum Medix. Calidius in Oratione in Q. Cæcilium: Nonne vobis, Iudices, ignem & fumus proſequi, & flamma videtur: ſenatus cenſuit referentibus ſufetis*. Livius Lib. XXVIII. cap. XXXVII. *Suffetes eorum, qui ſummus Pœnis eſt magiſtratus*. Et Lib. XXX. cap VII. *Senatum itaque ſuffetes, quod velut conſulare Imperium apud eos erat, vocaverunt*. Item meminit Lib. XXXIV. cap. IX. & Seneca de Tranquillitate animi, cap. III. Scaliger Annotationibus in Feſtum: *Qui Hebraice ſciunt, & non ignorant Pœnos Tyriorum colonos eſſe, concedent mihi ſufes idem eſſe quod Græcis ephorus, epoptes, epiſcopus, Hebraice* צופה *tzophe*. Sed quanto verius, facilius, propenſius eſt, Suſetes hos ipſos eſse שופטים *Scophetim*, id eſt *iudices*; non צופים *Tzophim*, id eſt *ſpeculatores, inſpectores*? Hic Scaliger, qui cælum ſæpe ſe putat acu tangere, quæ ante oculos ſunt, plerumque non videt. Sed is tandem rem ipſam vidit Lib. III. Iſagogicorum Canonum, pag. 321.

Verſ. I. CONSULUERUNT FILII ISRAEL DOMINUM. Exponunt: Imperatore deſtituti, cuius ductu ante omnia geſſerant, & in ſuas quaſque poſſeſſiones, velut in reſpublicas diſtributi, per ſacerdotem, ſacro illo arcano *Urim & Thummim*, Deum conſulunt ex lege Numer. XXVII. verſ. 21. *Dominum*. Hebr. *in IHUH*; id eſt, poſtulaverunt ſacerdotem, ut ipſe de voluntate Dei exquireret: conſuluerunt per ſacerdotem Dominum. Quidam iſtud, *In Iehovah*, exponunt: Id eſt, innitendo non diis aliis, ſed fidendo vero Deo. QUIS ASCENDET ANTE NOS CONTRA CHANANÆUM, ET ERIT DUX BELLI? Hebr. *Quis aſcendet nobis ad Chenahanæum in principio*? Geminum ſenſum ferunt hæc verba. Primum, quis in hoc Chananaico bello erit nobis princeps, caput, dux, & imperator belli, qui ceteros regat, & cuius auſpiciis ductuque

ctuque bellum geratur: unde convertunt: *Quis aſcendet nobis, quo duce geramus bellum?* quem ſenſum Noſter innuiſſe videtur. Secundum, quænam ex nobis tribus belli initium factura eſt? Notant, Iſraelitas in commune deliberaſſe ut quæque tribus reliquias hoſtium in ſua ſorte penitus profligaret; nunc conſulunt Deum, quænam tribus exorſura ſit id bellum. Hunc ſenſum recte plerique præferunt, quo verba Noſtri facile reduci poſſint, ut *dux belli* dicatur qui primus inchoat bellum. Quidam reddunt: *Quis aſcendet ex nobis contra reliquum Chenahanæum in principio?*

V. 2. IUDAS ASCENDET, id eſt tribus Iudæ, ut Simeon pro tribu Simeonis dicitur verſu ſequente, & ſic deinceps. ECCE TRADIDI TERRAM IN MANUS EIUS. Quidam reddunt: *Ecce tradidi iſtam terram in manum eius*; id eſt, agrum Bezeki, quem adhuc Chenahanæus occupat, Iehudæ prius ſorte attributum.

V. 3. ET AIT IUDAS SIMEONI FRATRI SUO: ASCENDE MECUM IN SORTEM MEAM. Quod Simeonitæ vicini Iudæis eſſent, & in eorum ſorte ſuam ipſi ſortem accepiſſent, vide Ioſue XIX. verſ. 1. Aliqui notant, hic Iehudam peculiare fœdus cum Simeone initum continuaſſe: quod oſtendere volunt hiſtoriam Chormæ infra verſ. 17. quæ temporibus Iehoſuæ geſta fuit, Ioſue XII. verſ. 14.

V. 4. IN BEZEC. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Bezech, urbs regis Adoni-Bezech: & hodieque duæ villæ ſunt nomine Bezech, vicinæ ſibi in decimo ſeptimo lapide a Neapoli* (id eſt Sichem) *deſcendentibus Scythopolim*, ſive Bethſan. At certe nulla harum videtur eſſe noſtra Bezek Iudaicæ ſortis, cum illæ plurimum abeſſent a ſorte Iudæ. Atque non hanc eſſe puto ubi Saul recenſuit exercitum I. Samuel. XI. verſ. 8. ut ibi dicemus. Brocardus: *A Bethlehem per dimidiam leucam ad occidentem eſt villa Bezec, ubi captus fuit Adonibezec, ac truncatus ſummitates manuum atque pedum. Creſcit ibi optimum vinum: quo melius in terra illa non invenitur*: quæ noſtræ Bezec conveniunt. בזק *bezek* ſignificat *fulgur*, quod forte terra eſſet fulgurita, & religioſa. Feſtus: *Fulguritum id, quod eſt fulmine ictum, qui locus ſtatim fieri putabatur religioſus, quod eum Deus ſibi dicaſſe videretur.*

V. 6. CAESIS SUMMITATIBUS MANUUM EIUS AC PEDUM. Hebr. *Et præciderunt pollices manuum eius, ac pedum eius.* Vel ſævitie cauſa, vel ut eos inutiles bello redderent. Cicero III. Officiorum: *Durius etiam Athenienſes ſciverunt, ut Æginetis, qui claſſe valebant, pollices præciderentur.* Hoc ipſum referunt Valerius Maximus Lib. IX. cap. 11. AElianus II. Variæ Hiſtoriæ, cap. IX.

V. 7. SEPTUAGINTA REGES, AMPUTATIS MANUUM AC PEDUM SUMMITATIBUS, &c. Sævæ crudelitatis exemplum. Seneca III. de Ira, cap. XVII. *Lyſimachus rex Teleſphorum Rhodium amicum ſuum undique decurtatum, cum aures illi naſumque abſcidiſſet, in cavea velut novum animal & inuſitatum diu pavit.* Huius immanitatis meminit & Plutarchus Libello de Exilio. ADDUXERUNTQUE EUM IN IERUSALEM. Quidam exponunt: In agrum, ſeu territorium Ieroſolymitanum, nimirum in caſtra, quæ tum parabant movere in obſidionem Ieruſalem, e verſu ſequente. Ioſephus: *Sic affectum detulerunt non longe a Ieroſolymis, ubi fato functum, terræ mandaverunt.* Sed poteſt intelligi poſt captam Ieruſalem, verſ. 7. eo illum detuliſſe: nam veriſimile eſt aliquod tempus vixiſſe.

V. 8. OPPUGNANTES ERGO FILII IUDA IERUSALEM. Aliqui exiſtimant, iam antea Ieruſalem expugnatam ſub Ioſue: neque enim tantum imperatorem tam inſignem urbem inexpugnatam reliquiſſe par eſt credere: idque colligunt e Ioſue XII. verſ. 10. & cap. XV. verſ. 63. hic autem per occaſionem repeti, ſeu iterum deſcribi eius expugnationem: unde reddunt: *Expugnaverant enim filii Iehudæ Ieruſalem*: quod ita exponunt: Id eſt, partem illam quæ eis ſolis obtigerat, Ioſue XV. verſ. 8. & 63. Duplex enim erat civitas præter arcem (unde etiam nomen habet dualis formæ) quarum altera in ſorte Iehudæ erat, altera Beniaminis cum Iehuda communis; arx vero ſolius Beniaminis. Hæc autem, & ſequentia temporibus Iehoſuæ geſta, hic commemorantur æthiologicos, ut appareat qua occaſione Deus Iehudam reliquis tribubus prætulerit: nimirum quia fuit reliquis prudentior, & in exequendo mandato divino diligentior. Nam in Scripturis ſæpe non tam

tem-

Digitized by Google

temporum, quam cauſarum ſeries obſervatur. Ita illi. Vide Ioſue xv. verſ. 8. & 63. Alii vero putant, hic nunc primum Ieruſalem captam, & poſſeſſam a Iudæis; Ioſue autem xii. verſ. 10. dici regem eius captum, & interſectum, non urbem; cap. xv. verſ. 63. per prolepſim factam mentionem huius expugnationis, quia inciderat nomen Ieruſalem inter urbes ſortis Iudæ. Nec deſunt qui bis captam velint, & tempore Ioſue, & nunc hic poſt mortem eius: nimirum quia ferox urbs, & viribus valens iugum excuſſerat. Nos vero propenſius exiſtimamus ſemel tantum poſt Ioſue obitum, nunc expugnatam a Iudæis. Ioſephus: *Deinde circa oppida bellum circumferebant: quorum bona parte capta, Ieroſolyma ſunt adorſi. Et capta inferiore eius parte, omnes habitatores terræ contrucidavere: at ſuperior natura loci, & munitionibus eſt defenſa.*

V. 9. In Montanis, ubi erat Chebron, infra verſ. 10. Et ad meridiem. נגב *negheb, auſtrum, meridiem.* Vide quæ de hac voce notavimus in Ioſue x. verſ. 40. Quidam exponunt, *Ad auſtralem plagam*, nimirum ubi erat Debir, infra verſ. 11. & Kenæus, infra verſ. 16. & Chormah, verſ. 17. Et in campestribus. Aliqui reddunt, *Et humilem regionem*; quam tamen Iehudah occupare non perrexit, ut infra verſ. 19 dicitur. Totus enim hic verſus prolepticus eſt. Hebr. *& Sephelah*: de qua vide Notas in Ioſue xv. verſ. 8. & 33.

V. 10. Pergensque Iuda, &c. Vide quæ de hac expeditione Hebronica notavimus in Ioſue x. verſ. 36. & in cap. xiv. verſ. 6. & 13. & cap. xv. verſ 14. Noſtra ſententia eſt, Hebronem primum captam & expugnatam a Ioſue, cap. x. verſ. 36. & 37. atque pulſos inde ab eo gigantes, Ioſue xi. verſ. 21. & 22. deinde traditam in poſſeſſionem ipſi Caleb, Ioſue xiv. verſ. 13. & cap. xv. verſ. 13. quam tamen ipſe numquam expugnavit; ſed ductu, & auſpiciis ſuæ tribus eiecit denuo gigantes ex ea, quo iterum ſe receperant pulſi primum a Ioſue: & hanc expeditionem nunc hic deſcribi. Vide cap. xiv. Ioſue verſ. 13. Alii tamen bis expugnatam volunt Hebronem: primum a Ioſue; iterum hic nunc a Calebo: quod non prorſus improbo. Percussit Sesai, et Ahimam, et Tholmai. Vide de his tribus Ioſue xv. verſ. 14.

V. 11. Atque inde profectus, abiit ad habitantes Dabir, &c. Totum hunc verſum, & quatuor integros ſequentes expoſitos habes Ioſue xv. verſ. 15. 16. 17. 18. 19. Hoc enim tempore poſt mortem Ioſue tota hæc hiſtoria, quæ quinque hiſce verſibus continetur, contigit, ut ibi obſervavimus.

V. 13. Othoniel filius Cenez Quidam exponunt, *Filius Kenazi*, id eſt ex poſteritate, ſeu poſteris Kenazi, a quo dictus eſt Caleb Kenizæus Numer. xxxii. verſ. 12. Sed vide in Ioſue xiv. verſ. 6. & cap. xv. verſ. 17. Frater Caleb minor. Vide Ioſue xv. verſ. 17. Hæbræa nonnulli ita reddunt: *Agnatus Calebi, minimus ex illo*, ſcilicet Kenazo; id eſt, omnium qui ex Kenazo geniti ſuperſtites erant, ætate, auctoritate, opibus minimus: quod dicitur ad commendationem fidei Calebi, & ſtrenuitatis Gothonielis.

V. 16. Filii autem Cinaei cognati Moysi. Quidam ſubaudiunt: *Et filii Keni*, ſive Cinæi, *ex filiis*, ſeu *poſteris, ſoceri Moſis.* Aiunt enim, non ipſum Iethro ſocerum Moſis, ſed aliquem ex eius nepotibus aut poſteris appellatum *Kain*, ſive *Keni*, unde ab illo propagati dicti ſint *Keni*, ſive *Kenim*. At de his vide in Geneſ. xv. verſ. 19. & in Numer. xxiv. verſ. 21. Ascenderunt de civitate palmarum. Aliqui exponunt: *Aſcenderunt*, id eſt receſſerunt, ſive abierunt e civitate Palmarum, quæ ſita erat in agro Ierichuntino, moti gloria, & felicitate tribus Iudæ. Alii: *Aſcenderunt*; id eſt, in illa expeditione Iehudæ ſe coniunxerant. *De civitate Palmarum*. Fere omnes Iericho intelligunt. Vide Deuteronom. xxxiv. verſ. 3. ſed hoc tempore Iericho funditus exciſa & ſolo æquata manebat. Intelligunt ergo hic territorium, ſeu agrum Ierichuntinum. Alii urbem ipſam Engaddi palmetis nobilem, quæ dicta quoque eſt *Chatzatzon-Thamar*, Geneſ. xiv. verſ. 7. & II. Paralipom. xx. verſ. 2. a dactylis, ſeu calculis palmarum. Vide Geneſ. xiv. verſ. 7. & Deuteronom. xxxiv. verſ. 3. & Ioſue xv. verſ. 62. & infra cap. iii. verſ. 13. Nec deſunt, qui urbem Palmarum velint eam eſſe

quæ

Digitized by Google

quæ I. Reg. IX. verſ. 18. dicitur *Thamor*, id eſt *palma*. Vide ibi.

QUOD EST AD MERIDIEM ARAD. Hebr. *quod in auſtro Gharad*; id eſt, quod deſertum Iehudæ tendit in auſtrum ſeu meridiem verſus Gharad. Vel quod deſertum habet a meridie ipſam urbem, ſeu regionem Gharad. De Arad ſeu Gharad vide Numer. XXI. verſ. 1. & in Ioſue XII. verſ. 14. ET HABITAVERUNT CUM EO. Hebr. *Et ambulavit, ivit, perrexit, & habitavit cum populo*: nimirum Cinæus habitavit inter filios Iehudæ. Ioſephus: *Habita eſt ratio Iethræ quoque Madianitæ, olim Moſis ſoceri: cuius poſteris ager eſt attributus, quia relicta patria comites ſe adiunxerant, & in deſerto ærumnarum ſocii fuerant*. Quidam hic reddunt: *Et ivit, & habitavit populus*; hoc eſt, & habitavit tamquam pars populi Iſrael. Alii: *Profectus enim fuerat, ut habitaret cum populo*. Vide Num. X. verſ. 29. Volunt enim Iethro ſocerum, ſeu Chobab ſororium Moſis præfectum cum ſuis in caſtris Iſrael ad terram Promiſſam.

V. 17. SEPHAATH. צפת *Tzephat*. Significat *ſpeculam*, fortaſſe quod ibi eſſet proſpectus, & cuſtodia totius regionis. VOCATUMQUE EST NOMEN URBIS. Hebr. *Et vocavit nomen urbis*, nempe Iehudah, vel Simeon, in cuius ſortem ceſſit, Ioſue XIX. 4. vel uterque, vel is qui ei nomen impoſuit: vel uſitato Hebraiſmo, *vocavit*, pro vocatum fuit. HORMA, ID EST ANATHEMA. Hebr. tantum *Chormah*. Noſter adiecit interpretationem nominis, *Id eſt anathema*. De Chorma iam a nobis dictum Numeror. XXI. verſ. 3. & Ioſue XII. verſ. 14. & cap. XV. verſ. 30.

V.18. CEPITQUE IUDAS GAZAM, ET ASCALONEM, ATQUE ACCARON. Tres illæ urbes Gaza, Aſcalon, & Accaron, non videntur fuiſſe redactæ in poteſtatem Iſraelitarum ſub Ioſue, ut apparet e Ioſue XI. verſ. 22. & cap. XIII. verſ. 3. nunc capiuntur a Iudæis, & Simeonitis; ſed videntur non diu eis potiti: nam poſtea amiſſæ ſunt, ut colligitur infra cap. III. verſ. 3.

V. 19. ET MONTANA POSSEDIT. יורש *ioreſch* verbum reddi poteſt: *Et hereditavit*, ſeu *poſſedit*, *montem*: vel *exterminio funditus delevit*, vel *eiecit*, *expulit montem*. Quidam convertunt: *Et Dominus adfuit Iudæ, ut expelleret montanos*. Alii: *Aderat enim Iehova Iehudæ, ita ut expelleret montanæ regionis incolas*. NEC POTUIT DELERE HABITATORES VALLIS. Hebr. *Quia non ad expellere, exterminare, habitantes profunditatis*, ſeu *vallis*. Quidam exponunt: *Et adfuit Iehova ipſi Iudæ ad expellendum montanos: ſed non adfuit ei ad expellendum habitatores vallis*. Alii: *Quia non potuit expellere habitatores vallis*. Nonnulli: *Sed non perrexit expellere habitatores ipſius convallis*. Notantque, hic incipere ſeminarium indicari calamitatum Iſraelitarum, quæ in ſequentibus deſcribentur: nimirum quod gentes inimicas contra mandatum Dei in medio ſui tolerarunt ſingulæ tribus; & cum eas freti divino auxilio, & promiſſione potuiſſent expellere, ignavia, & diffidentia id facere omiſiſſent. QUIA FALCATIS CURRIBUS ABUNDABANT. De his plura notavimus in Ioſue XVII. verſ. 16. Quidam Hæbræa reddunt: *Eo quod currus ferrati eſſent illis*. Nimirum obliti mandatorum, & promiſſionum Dei, hac de cauſa diffidebant, Ioſue cap. XIII. verſ. 6. & cap. XVII. verſ. 18.

V.20. DEDERUNTQUE CALEB HEBRON. Vide Ioſue XXI. verſ. 11. & 12. SICUT DIXERAT MOYSES, Alluſum putant ad Num. XIV. verſ. 24. TRES FILIOS ENAC: de quibus vide ſupra verſ. 10. Ioſue XV. verſ. 14. Numer. XIII. verſ. 34.

V. 21. HABITATOREM IERUSALEM. Exponunt: Ex altera Ieruſalaimorum urbe, & arce, quæ ceſſerat Beniaminitis. Vide ſupra verſ. 8. & Ioſue XV. verſ. 63. Fortaſſe Ieruſalem, utpote urbs limitanea, partim a Iudæis, partim a Beniaminitis inhabitata; vel viciſſim ab alternis.

V. 23. LUZA. Hebr. *Luz*. Vide de hac Ioſue XVI. verſ. 2. & Geneſ. XXVIII. verſ. 19.

V. 24. FACIEMUS TECUM MISERICORDIAM. Quidam: *Et exercebimus erga te benignitatem*; id eſt, non trademus te morti, ſed vivere ſinemus te, & benefaciemus tibi, familiæque tuæ: e ſequenti verſu.

V. 27. MANASSES QUOQUE NON DELEVIT BETHSAN. Vide Ioſue XVII. verſ. 11. 12. & 13. CUM VICULIS SUIS. Hebr.

Hebr. & *filias eius*, id eſt oppida minora, pagos, municipia, quæ ditionis urbium ſunt tamquam earum filiæ. Vide Numeror. XXXI. verſ. 10. ſic in ſequentibus huius verſus. COEPITQUE CHANANAEUS, &c. Hebr. *Et voluit Chenaghanæus*. Quidam: *Et optavit Chenaghanæus*, &c. Alii: *Licet animum Chananæus in terra iſta habitandi deſpondiſſet*. Nonnulli: *Placebat enim Chenahanæo habitare in terra iſta*; id eſt, potius acquieſcebat duris conditionibus habitare in terra iſta, quam ut excederet. Sic infra verſ. 35.

V. 28. FECIT EOS TRIBUTARIOS. Exponunt: Id eſt pacem cum Chenahanæis initi, nulla alia conditione, quam tributi, neglecto Dei cultu, & expreſſo mandato, Exodi XXIII. verſ. 32. & 33. & cap. XXXIV. verſ. 12. & 15. Deuteron. VII. verſ. 2.

V. 29. EPHRAIM ETIAM NON INTERFECIT, &c. Hunc verſum expoſitum habes Ioſue XVI. verſ. 10.

V. 30. CETRON. Hebr. קטרון *Kitron*. Hanc aliqui putant dictam *Kataib*, Ioſue XIX. verſ. 15. A ſuffitu, vel thymiamate nomen habere videtur, forſan quod in ea urbe optimi odores ad ſuffitus conficerentur.

V. 31. ACCHO. Hebr. *Ghacho*. Hæc eſt celebris illa Palæſtinæ urbs dicta antiquis Ace, vel Ptolemais. Euſebius, & S. Hieronymus in locis Hebraicis: *Accho, quæ nunc Ptolemais appellatur, ſortis Aſer, de qua habitatores priſtinos nequivit expellere*. Et in Epitaphio Paulæ: *Pervenit ad Goth* (proculdubio legendum Accho) *quę nunc Ptolemais dicitur*. Strabo Lib. XVI. pag. 758. *Inde* poſt Palætyron, id eſt antiquam Tyrum, *ptolemais magna urbs, prius Ace nominata: hac Perſæ receptaculo adverſus Ægyptum utebantur*. Et infra: *Poſt Acen eſt Stratonis turris: in medio Carmelus eſt mons*. Plinius Lib. V. cap. XIX. *Iuxta* Pagidam, ſeu Belum amnem, *Colonia Claudii Cæſaris Ptolemais, quæ quondam Ace*. Diodorus Siculus Lib. XIX. num. 721. de Ptolemæo Lagi: *Quocirca excedendum Syria iudicans, præcipuas urbes a ſe occupatas, ut Acen Phœnices Syriæ, & Ioppen, Samariamque, & Gazam Syriæ deſtruxit*. Ptolemaidis mentio plurima apud Polybium Lib. V. Vide ſitum eius apud Ptolemæum Lib. V. cap. XV. Nec eſt dubium nomen, *Ace* apud externos Scriptores conflatum ex Hebraico *Aco*, quod alii *Hachuntem* efferunt. Vuillermus Tyrius Lib. X. Belli Sacri, cap. XXVI. *Eſt autem Ptolemaida civitas maritima provinciæ Phœnicis, una de urbibus ſuffraganeis, quæ ad Tyrenſem metropolim habent reſpectum: portum habens infra mœnia, & exterius, ubi tranquillam poſſit navibus ſtationem præbere. Eſt autem & ſatis commode ſita inter montes & mare, pingue, & optimum habens latifundium, Belo flumine præterfluente civitatem. Hodie Ptolemaida dicitur & Accon*. Iacobus Vitriacus in Hiſtoria Ieroiolymitana, cap. XXV. *Vocatur Ptolemais & Accon. Eſt autem inter mare & montes, Belo flumine præterfluente, ſatis commode fundata, hortis & vineis, & caſalibus circumſtantibus, & arabili terra ſufficienter abundans, in provincia Phœnicis, ſub Tyro metropoli conſtituta*. Brocardus: *Accon apud veteres Ptolemais dicta eſt, & numquam fuit terræ ſanctæ connumerata, nec a filiis Iſrael umquam poſſeſſa: tametſi tribus Aſer in ſortem ceciderit. Eſt in provincia Phœnicis, habens ad auſtrum montem Carmelum, quatuor leucis diſtantem. Eſt hæc civitas Accon optime munita, cincta muris & antemuralibus, turribus, foſſis, triangularem in modum clypei habens formam: cuius duo latera iunguntur mari; tertium vero planitiem terræ reſpicit. Habet agrum fertilem, optima paſcua, vineas elegantes, & amœniſſimos hortos, in quibus diverſi generis fructus colliguntur. Ornatur hæc urbs hoſpitali inſigni domus Teutonicæ, una cum munitiſſimis caſtris. Sed & non parum commodi habet ab optimo portu maris, capaci ab auſtro multarum navium*. Alter Burchardus de monte Sion, ſi tamen alter eſt: *Hæc civitas numquam fuit de terra ſancta, nec a filiis Iſrael poſſeſſa, licet tribui Aſer in diſtributione terræ fuerit aſſignata. Eſt autem in provincia Phœnicis ſita eadem civitas Acconenſis, quę materna lingua dicitur Aikers: & eſt valde munita turribus, & muris fortiſſimis, habens formam ut clypeus, cuius duę partes a mari ambiuntur, tertia campum reſpicit, qui eam circumdat, habens latitudinis duas leucas, & plus: in aliquibus partibus fertilis, tam in agris quam in paſcuis, & etiam in hortis & iardinis, in quibus diverſi generis fructus reperiuntur. Et eſt civitas multa militia munita, & caſtris fortiſſimis,*

ſcilicet caſtro regis Ieruſalem, Templariorum, Hoſpitaliorum: qui etiam, ſi Domino placeret, poſſent expugnare omnes Saracenos. Eadem habet Anſelmus Minorita, & addit: *Accon diſtat a Ieruſalem per triginta ſex leucas, id eſt per viginti octo milliaria noſtra*, ſcilicet Germanica. Beniamin pag. 38. Itinerarii: *Inde* a Tyro *unico itinere in Akadin veni, quæ Ghacho olim fuit, Aſer tribus terminus, Iſraelitidiſque regionis initium, ad mare magnum ſita, inſignis portu, quo Chriſtiani omnes Ieroſolymam navigiis petentes excipiuntur: in quem fluvius urbem ipſam præterlapſus influit: fluvius Caldumin dictus*. AHALAB. Duæ hoc verſu recenſentur urbes ſortis Aſer, quarum alibi nulla mentio extat, nimirum אחלב *Achlab*, & חלבה *Chelbah*: & utraque nomen ſortita videtur a lacte, vel adipe, quod forte his locis copia lactis, vel adipis eſſet.

V. 34. ARCTAVITQUE. Verbo לחץ *Lachatz*, omnia iſta ſubſunt: *Et preſſerunt, arctarunt, compreſſerunt, urſerunt, redegerunt in anguſtias*: quidam, *compulerunt*: alii, *afflixerunt*.

V. 35. IN MONTE HARES. Hebr. *in Har-Cheres*. Plerique ſecuti LXX. & Noſtrum, exponunt: *In monte Cheres*, id eſt *teſtæ*, vel *teſtaceo*: quod חרש *Cheres* cum Scin ſiniſtro, quod Samech æquipollet, ſit *teſta, figuli opera cocta*. Alii: *in monte Solis*, vel *in monte arido, ſicco, exuſto*. Nec deſunt qui *Har-Cheres* ſumant pro nomine proprio urbis, quæ Ioſue XIX. verſ. 41. dicta eſt *Ghir-ſchemeſch*, id eſt *urbs ſolis*, quæ ſignificatione convenit cum *Har-Cheres*, id eſt *mons ſolis*. ET AGGRAVATA EST MANUS DOMUS IOSEPH. Quidam exponunt: Id eſt, prævaluit illis Amorrhæis, gravis illis fuit; quaſi dicat: Vicit, & profligavit illos. *Domus Ioſeph*, id eſt familia, vel tribus Ioſeph, quæ poſſeſſionem habebat Dani, & iſtis Amorrhæis vicinam.

V. 36. AB ASCENSU SCORPIONIS. Hebr. מעלה-עקרבים *maghaleh ghakrabim*, *aſcenſum, clivum ſcorpionum* interpretantur: de quo loco diximus Numeror. XXXIV. verſ. 4. ubi conſtituitur terminus auſtralis Chananææ: non procul fuiſſe videtur a Kades Barneha. PETRA, ET SUPERIORA LOCA. סלע *ſelagh, petra, rupes, ſaxum*. Quidam reddunt: *Ab ipſa Petra, quod ſupra ſitum eſt*; id eſt, a primo aditu aſcenſus Hakrabbimorum, ubi incipiunt rupes, & ea quæ ſupra hunc locum ſiſita ſunt. Alii: *Immo a Selagh, & ultra* (Selagh, urbs Arabiæ) quaſi dicat: Multum protendebatur dominium Amorrhæorum, nempe uſque ad Petram Arabiæ urbem, & ulteriora loca. Ergo hic Petram intelligunt celebrem illam Arabiæ urbem, a qua dicta eſt Arabia Petræa. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Petra civitas Arabiæ in terra Edom, quæ cognominata eſt Iekthael, & a Syris Rekem dicitur*. Et poſtea: *Rekem hæc eſt Petra civitas Arabiæ, in qua regnavit Rokam, quem interfecerunt filii Iſrael*: Numeror. XXXI. verſ. 8. Ioſephus Lib. IV. Antiquitatum cap. III. *Cumque veniſſet in agrum urbis Arabum primariæ, quæ olim Arce, nunc Petra nominatur*: & cap. V. *Et quintus Recemus, a quo deductum nomen primaria urbs Arabum, & hodie retinet, Receme dicta, quam Græci Petram vocare malunt*. Eius frequenter meminit Ioſephus. Strabo Lib. XVI. pag 779. *Nabatæorum metropolis eſt ea, quæ Petra nominatur: in loco alioquin plano & æquabili iacet: in circuitu vero extrorſum rupibus ac præcipitiis munito: introrſum fontes & ad hortos, & ad aquationes uberrimos habente. Extra mœnia regio magna ex parte deſerta eſt, præſertim Iudæam verſus. Hinc Ierichuntem breviſſimum iter eſt, trium dierum aut quatuor: in Palmetum vero quinque*. Plinius Lib. V. cap. XXIV. *Quæ uſque ad Petram urbem, & regionem Arabiæ Felicis appellatæ pertinent*. Et Lib. XXXVII. cap IX. *In Arabiæ quoque parte, quæ finitima Syriæ Petræa vocatur*. Petram urbem, & Petræam Arabiam deſcribit accurate Ptolemæus Lib. V. cap. XVII. Vvillermus Tyrius Lib. XX. Belli Sacri cap. XXVIII. *Secundæ Arabiæ metropolim Petram, quæ alio nomine Crac appellatur*. Iacobus Vitriacus in Hiſtoria Ieroſolymitana, cap. LVI. *Eſt autem Petra civitas munitiſſima, quæ vulgari nomine hodie dicitur Crac, & Petra deſerti, ultra Iordanem in finibus Moab, in monte ſublimi ſita, Secundæ Arabiæ metropolis*. Beniamin Itinerarii pag. 56. *Kelagh Gueber, quæ Selagh Midbera antiquis fuit: Latinis Petra Deſerti. Hanc tantum retinuere Arabes, poſtquam a Turcis ex ſuis ſedibus & urbibus vi pulſi, in deſerta confugere*. Fere omnes intelligunt hanc Iſaiæ XVI. verſ. 1. vocari

ri

Digitized by Google

ri סלע מרברה *Selagh midbarah*, id eſt *Petram deſerti*. Brocardus duas diſtinguit Petras urbes, ſic ſcribens: *Circa medium eius* (nempe Lacus Aſphaltitis) *in littore orientali oſtenditur caſtrum Moſera, quod olim Petra deſerti vocabatur, nunc vero Crak dicitur, munitum apprime, quod Balduinus rex Ieroſolymitanus reſtauravit, ut regnum illud ampliaret: ſed a Soldano nunc tenetur, qui in eo reponit theſaurum totius Ægypti, & Arabiæ. A Crak duæ numerantur leucæ* (ſecundum aliud exemplar, duæ diætæ) *ad Areopolim eundo verſus Vulturnum, quæ nunc Petra dicitur, & eſt metropolis totius Arabiæ Secundæ: olim vero Ar vocata eſt, ſita in torrente Arnon, in confinio Moabitarum, Ammonitarum, & Amorrhæorum*. Sed hæc ſunt omnino falſa, nec ipſe Brocardus intellexit Tyrium, & Vitriacum, a quibus mutuatus eſt. Una eſt tantum Petra Arabiæ, a qua Arabia Petræa, & longe diverſa ab Areopoli, ſive Ar. Petram deſerti omnes in confinibus Moabitarum ſtatuunt.

Ego hoc verſu illud dici intellexerim, AEmoræum habitare perſeveraſſe in urbibus Daniticis, & etiam Ioſephitis factum tributarium, quod eius terminus longe lateque excurrebat, nimirum de Clivo Hakrabim auſtrali ad Danitarum ſortem; & de Petra Arabiæ urbe, ſeptemtrionem verſus, uſque ad Ioſephitas. Unde videtur totus verſus ætiologicus.

MENOCHII.

Verſ. 1. POST MORTEM IOSUE, & iuſta funeris ei perſoluta, ut diximus Ioſue cap. XXIV. 30. CONSULUERUNT FILII ISRAEL DOMINUM, comitiis in Silo convocatis. QUIS ASCENDET ANTE NOS? &c. Non eſt ſenſus, Quis erit dux noſter? ſed quænam tribus contra Chananæum pugnare incipiet, & ſuo exemplo aliis præibit ut idem faciant?

V. 2. IUDAS ASCENDET. Tribus Iuda ipſa expeditionem in hoſtes prima ſuſcipiet.

V. 3. AIT IUDAS SIMEONI FRATRI SUO. Licet tribus omnes ob unum patrem Iacob, fratres inter ſe dici poſſent; Simeon tamen Iudæ frater appellatur, quia in terræ ſortitione, & poſſeſſione viciniſſimi facti ſunt Iudæis Simonitæ, adeo ut in illorum ſortem, ac pene ſinum recepti ſint, ut patet Ioſue XIX. 1.

V. 4. BEZEC. Bezec ſignificat fulgur, ſive coruſcationem, fuitque ea urbs ipſi Bethleem ad occidentale latus proxima.

V. 5. ADONIBEZEC, id eſt *dominus Bezec*.

V. 7. SEPTUAGINTA REGES, reguli; iique vel diverſorum omnes locorum domini, vel interdum eorumdem, ſed quorum alii aliis ſucceſſerunt. AMPUTATIS MANUUM AC PEDUM SUMMITATIBUS. Quod propterea factum, ne deinceps arma tractare poſſent, nec pedibus effugere. COLLIGEBANT SUB MENSA MEA, &c. Nota crudelitatem tyranni, qui captivis principibus ita illuderet. Nota etiam luxum epularum: oportuit enim admodum luxurioſe inſtructam menſam illam fuiſſe, ex cuius deciduis reliquiis ſeptuaginta viri alerentur. SICUT FECI, ITA REDDIDIT MIHI DEUS. Verum enim eſt dictum Sapientiæ, cap. XI. 17. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*: ADDUXERUNTQUE EUM IN IERUSALEM, quæ paulo poſt capta eſt, ut dicitur verſiculo ſequenti.

V. 8. OPPUGNANTES ERGO FILII IUDA IERUSALEM. Ieruſalem pars auſtralis, quæ olim Iebus dicebatur, pertinebat ad tribum Iuda; altera vero pars, quæ erat ad ſeptemtrionem, & dicebatur Salim, ſpectabat ad tribum Beniamin. Oppugnant ergo Iudæi Ieruſalem, quia ex parte intra ſuos fines erat, & quia Beniamitæ, ut id facerent, pro ſua portione concedebant. PERCUSSERUNT IN ORE GLADII, &c. Cædibus, ac flammis vaſtatam putat Serarius, quod poſt defectionem nunc ſecundo ſit capta. Videtur enim illam primo cepiſſe Ioſue, cum rex Ieruſalem ab eo captus, & ſuſpenſus dicatur Ioſue cap. XII. 10.

V. 10. CONTRA CHANANAEUM QUI HABITABAT IN HEBRON. Hæc quæ hic recenſentur, narrata ſunt, & explicata Ioſue cap. xv. num. 14. & deinceps: eſt enim idem bellum, & eadem expeditio.

V. 16. FILII AUTEM CINAEI COGNATI MOYSI, filii ſcilicet Iethro, ut expreſſe habent LXX. qui etiam Cinæus dictus eſt. DE CIVITATE PALMA-

RUM, de Iericho, quæ etiam dicitur civitas palmarum, ut patet Deuter. XXXIV. 3. & II. Paralip. XXVIII. 15. IN DESERTUM, in ſolitudinem, quæ in auſtrali Iudææ termino. Cur relicta urbe in ſolitudinem abierint, non exprimitur in Scriptura. Probabile, quod ſenſit Serarius, eos hoc ipſo iam tempore vitam illam, quæ veteris teſtamenti monaſtice quædam & anachoretice fuit, quæque Ierem. XXXV. valde a Domino laudatur, inchoaſſe, ac propterea ſolitudinis opportunitatem captaſſe, & in ſolis tabernaculis habitaſſe, prout infra cap. IV. num. 11. de Haber Cinæo dicitur. AD MERIDIEM ARAD. Erat Arad ab Iericho, ac Ieruſalem procul, ad extremas occidentales, meridionaleſque ſalſi maris partes, ut ex Numer. XXI. 1. & topographorum conſenſu patet.

V. 17. INTERFECERUNT EUM. LXX. *ἀνεθεμάτισαν, anathema fecerunt*, concepto fortaſſe voto, ſi caperent, ſe omnes internecione deleturos, ut Num. cap. XXI. 2. fecerant, cum pugnarent contra regem Arad Chananæum, vel in actionem gratiarum, ut Iericho Ioſue cap. VI. 17.

V. 18. GAZAM, ASCALONEM, ET ACCARON. Urbes in ſacris litteris, & apud profanos etiam auctores admodum celebres. Harum tamen poſtea Gazam in Philiſthæorum rediiſſe poteſtatem, patet ex hiſtoria Samſonis, qui Iud. XV. & XVI. contra Gazæos pugnaſſe narratur. Idem de Aſcalone, & Accaron habemus I. Reg. VI. 17.

V. 19. NEC POTUIT DELERE HABITATORES VALLIS, &c. Potuiſſet ſane, ſi Deus illi adfuiſſet; verum ſtulta formido ob currus falcatos concepta, & de divino auxilio diffidentia impedimento fuit, quo minus iis Deus opem ferret, ut gentes illas ſubigerent. FALCATIS CURRIBUS. Falcatorum curuum deſcriptionem habes apud Curtium Lib. IV. & Livium Lib. VII. decad. IV. Erant currus falcati ita inſtructi, ut haſtæ ſupra temones eminerent, & ab utroque latere falces, ex quo fiebat, ut ab aurigis laxatis habenis, hoſtes transfigerentur lanceis, falcibus lacerarentur, & equorum ungulis, ac rotis obtererentur.

V. 20. SICUT DIXERAT MOYSES, Numeror. XIV. 24. QUI DELEVIT EX EA TRES FILIOS ENAC. Vide Ioſue cap. XV. num. 14.

V. 21. NON DELEVERUNT, &c. quod etiam aliæ tribus fecerunt, ut patet hoc cap. num. 28. Eſt autem in hoc in Iſraelitis peccatum ignaviæ, & lucri cupiditas. Ignavia quidem, quia ut bellandi finem, & quietem qualemcumque conſequerentur, Chananæis pepercerunt. Lucri vero cupiditas, quia tributarios illos, quam nullos habere maluerunt.

V. 23. URBEM QUAE PRIUS LUZA VOCABATUR. Hæc eſt Bethel. *Luza* dicebatur quaſi nux a nucum copia.

V. 24. OSTENDE NOBIS INTROITUM CIVITATIS, &c. Iuſtum erat bellum ex parte Iſraelitarum, & Dominus volebat Chananæos deleri; potuit ergo citra proditionis crimen divinæ ſubſervire voluntati.

V. 25. HOMINEM ILLUM... DIMISERUNT. Fortaſſe apud ſe habere noluerunt, quod illi parum fiderent, vererenturque, ne, ſi ſe daret occaſio, paria in Iſraelitas auderet, eiſque moliretur exitium.

V. 26. VOCAVITQUE EAM LUZAM, pro eo quod in patriam, quam reliquerat, affectus erat.

V. 28. DELERE NOLUIT. Vide dicta num. 21.

V. 35. AGGRAVATA EST, prævaluit.

V. 36. AB ASCENSU SCORPIONIS: de quo vide dicta Numeror. cap. XXXIV. num. 4.

TIRINI.

Verſ. 1. 2. & ſeqq. POST MORTEM IOSUE, cum nullus illi ſucceſſiſſet qui tribubus omnibus ut generalis dux præeſſet, ſed maiores adminiſtrarent rempublicam (per quos intelligo tum principes & magiſtratus ſupremos ſingularum tribuum; tum etiam Sanedrim ſeptuaginta ſeniorum, de quibus vide Num. XI. verſ. 14.) communi omnium conſenſu coacta ſunt comitia in Silo, teſte Procopio, ubi erat tabernaculum fœderis, Ioſue XVIII. Et quia ſatis conſtabat, Chananæos reſiduos debere a ſingulis tribubus bello paulatim exſcindi, dubitabatur tamen, quænam id tribuum prima aggrederetur, prudentiſſimo conſilio decreverunt,

Digitized by Google

runt, conſulendum ſuper hac re Dominum. Itaque per Phinees ſacerdotem ſummum, inquit Ioſephus *a*, ſeu per *Urim* & *Thummim*, de quo dixi Exodi XXVIII. conſulunt Deum: QUIS ASCENDET ANTE NOS, ſeu quænam tribuum prima bellum inferet Chananæo? ET ERIT DUX, id eſt auctor, & inchoator, BELLI? Reſpondeo per eumdem internuntium Dominus: IUDAS, ſeu tribus Iuda, primo loco ASCENDET. Dictum, factum: ſed in belli ſocietatem vocavit Iudas Simeonem fratrem ſuum, hoc eſt tribum Simeonis, quia hæc tribus intra ſortem & ſinum tribus Iudæ recepta fuerat, Ioſue XIX. verſ. 1. ac proinde communes erant utrique tribui hoſtes. Prima expeditio, & victoria fuit adverſus urbem *Bezec*, quæ *fulgur* & *coruſcationem* ſignificat. Cuius regem, ſeu dominum, Adonibezec ex fuga retractum, quo alios ipſe mulctarat olim infami ſupplicio, ipſum quoque iam mulctant Iudæi. Nam ſeptuaginta reges, ſeu regulos diverſarum provinciarum, vel urbium, diverſis bellis ſibi ſubiugatos, ad oſtentationem potentiæ, victoriarumque ſuarum, ſimul & ad oblectationem crudelis animi ſui, ſuorumque convivarum, coegerat ille ſub menſa ſua, præciſis ante pedum, manuumque ſupremis digitis, inſtar canum decidua fragmina ore colligere, atque ita convivantibus ludos dare. Sed crudeli & ſævo tyranno iuſtam hic talionem reddit Deus: qua reſipuiſſe eum, veramque Dei fidem amplexum eſſe, probabiliter putat Serarius. Sed nimio animi dolore ex tanta fortunæ mutatione mortem cito oppetiit, in obſidione urbis Ieroſolymitanæ paulo poſt ab iiſdem Iudæis vi captæ, & ob nuperam defectionem (nam capta ſemel fuerat a Ioſue ſub initium ingreſſus in terram ſanctam, Ioſue XII. verſ. 10.) promiſcua omnium incolarum cæde atque incendio peſſime mulctatæ. Quod intellige non de arce Ieroſolymitana in monte Sion (nam hæc ante tempora Davidis numquam potuit Iebuſæis extorqueri II. Reg. V. verſ. 7.) ſed de inferiore urbe; de qua plura dixi Deuter. XXXIII. verſ. 12. & Ioſue XVIII. verſ. 28.

De Hebrone, de Calebo, & Othoniele quæ hic dicuntur, expoſui Ioſue XIV. & XV. ubi per prolepſim narrabantur. Othoniel videtur in omnibus his expeditionibus primas in tribu ſua Iuda partes egiſſe: unde & tempus præfecturæ illius 40. annorum inchoatur a morte Ioſue.

V. 11. CIVITAS LITTERARUM. Sic vocabatur quod inibi tamquam in celebri academia, litteræ egregie tractarentur, inquit Lyranus. Abulenſis *b*, & Driedo. Addit Arias, ibi publicam fuiſſe bibliothecam: Maſius *c*, etiam archivum veterum a diluvio monumentorum. Sic hodie celeberrima Hiſpaniæ regum ſedes cum Mantua diceretur, jam Arabico nomine vocatur Madrid, id eſt mater ſcientiæ, quia Mauri illic celeberrimas ſcholas olim habebant. Ita Franciſcus Lopez *d*.

V. 16. FILII CINAEI COGNATI MOYSI (quinam hi ſint dixi Numer. X. ſub finem) ASCENDERUNT DE CIVITATE PALMARUM, id eſt ex agro Iericho, IN DESERTUM SORTIS EIUS. Sed cur ex amœnis palmetis, & agro fecundo migrant in ſolitudinem? Nempe inchoabant ex tunc vitam ſolitariam, quæ veteris teſtamenti monaſtice quædam & anachoretice fuit, quæque Ieremiæ XXXV. a Deo valde laudatur & ſtabilitur, ut dixi Num. X. Ita S. Hieronymus, & Serarius *e*.

V. 35. ET AGGRAVATA EST MANUS DOMUS IOSEPH, nempe ſupra Amorrhæum. Cum enim hic non pateretur, Danitas ſat anguſte commorantes quiete agere, neque hi reſiſtendo illi eſſent; auxilio Danitis fuerunt Ephraimitæ, & Manaſſæi filii Ioſeph, & compreſſos Amorrhæos ſibi tributarios fecerunt, fœdi lucri cupiditate, cum ex divino decreto debuiſſent eos ſtirpitus exſcindere. In quo etiam reliquæ omnes tribus peccarunt, ideoque & per eoſdem quibus ignave pepercerunt, puniti ſunt.

V. 36. DE ASCENSU SCORPIONIS vide quæ dixi Numer. XXXIV. 4.

(*a*) Ioſeph. Lib. V. Antiquit. cap. 1.
(*b*) Abulenſ. in Ioſ. XV. quæſt. V.
(*c*) Maſius in Ioſ. XV.
(*d*) Lopez in Funeribus Hiſpanicis Imperatricis pag. 87. Deuter. XXXIV. verſ. 3. & II. Paral. XXVIII.
(*e*) Hier. ep. VIII. ad Paulinam. Serar. Lib. III. Trihæreſeon cap. IX. & Lib. V. Minerval. cap. XIII. & ſeq.

Digitized by Google

GORDONI.

Verſ. 1 HIc rerum ſtatus erat: Phinees pontificatum gerebat; Synedrion ſtabat, & ſinguli principes tribuum res ſuas promovebant. Conſulunt ergo hic Dominum in Silo, quis primus daret initium bello; aut potius quænam tribus: nam inter datos toti Iſraeli iudices, primus numeratur Othoniel poſt Ioſue: & in hoc dato belli initio a tribu Iuda, Caleb dux fuiſſe putatur. Tribus Simeon, utpote viciniſſima tribui Iudæ, venit in ſocietatem belli huius Iudaici.

V. 4. BESEC, urbs eſt. Ergo vel in urbe, vel in agro percuſſerunt decem millia. Hinc nomen *Adonibezec* regis, qui verſ. 7. agnoſcens ſuam crudelitatem, male periit.

V. 8. OPPUGNANTES ERGO FILII IUDA IERUSALEM. In qua tribu vel omnino, vel ex parte eſſet Ieruſalem, diſſerit Serrarius hoc loco; an forte media inter Iudam & Beniamin. At quomodo hic cum Iudæis, & Beniaminis manet Iebuſæus, idque uſque ad Davidem? Quia Iudæi uſque ad Davidem non potuerunt occupare ſuperiorem Ieruſalem (quæ Iebus dicebatur) ſed inferiorem tantum. Verum an hæc inferior prius fuerit capta a Ioſue, & poſtea defecerit, ut nunc ſecundo ſit capta, certant Interpretes. Vide ſupra Ioſue cap. xv. An acta hæc poſt mortem Ioſue, & hic poſita per anticipationem?

V. 9. & 10. Poſt victorias contra Adonibezec, & Ieruſalem, eſt hæc tertia contra monticolas, & quarta contra Hebron. Oportet tamen ex his locis, aliqua capta a Ioſue, poſtea defeciſſe, & nunc demum recuperata: quod de Hebron certum videtur, ut dixi de Ieruſalem, ſeu Ieruſalaim, ut in duali loquuntur de hac civitate, propter duplicem Ieruſalem, ut iam dicebam verſ. 8.

V. 12. & 13. Recenſetur quinta victoria. Quod eſt hic, CARIATH-SEPHER, *civitas litterarum*, deſignat ibi fuiſſe academiam, atque antiquitatis monumenta poſt diluvium habita LXX. vocant πόλιν γραμμάτων: Arias bibliothecam publicam. Fit hic a verſ. 13. mentio de cognatione Othonielis, & Caleb (vide Ioſue cap. xv. verſ. 17.) item verſ. 15. de aquarum ſcaturigine duplici.

V. 16. FILII AUTEM CINAEI. De his fit mentio Exod. 11. Erant Iethronis filii: quod hoc loco plene explicant LXX. licet Hebr. codex non ponat ullum proprium nomen; ſed חתן *choten*, hoc eſt *ſocer*. Ergo migrant hi e palmarum urbe in ſolitudinem, quæ eſt ad terminum Iudæ verſus meridiem, ut bene hic LXX. explicant. Urbs vero palmarum eſt Iericho: ſic enim vocatur Deuter. xxxiv. verſ. 3. Palmetis erat nobilis.

V. 17. & 18. Sexta victoria hic eſt contra Horman. Hebr. nomen urbis חרמה *Chorma*. apud LXX. ἀνάθεμα, ſeu ἐξολόθρευσις, *deſtructio*. Septima victoria verſ. 18. eſt contra Philiſtæos. Hic apud LXX. fit mentio Azoti; ſed putatur ex corruptione codicis. Nec mirum ſi hæ urbes captæ & receptæ aliquoties ſint, ut ſunt vicinarum gentium non rara inter ſe odia. Falcati currus, ἅρματα σιδηρᾶ. Iudæis terrorem iniiciebant, non aſſuetis hoc genere armorum. Cetera de ſtatu reliquarum tribuum, ut facilia, ita ſunt deteriora.

V. 34. ARCTAVITQUE. Amorrhæus non permiſit filios Dan deſcendere in plana. Habitavit Dan *in monte Hares*,

V. 35. QUOD INTERPRETATUR TESTACEO. Hoc additum eſt ab interprete. ET AGGRAVATA EST MANUS DOMUS IOSEPH. Prævaluit Ioſeph, & Amorrhæus factus eſt tributarius tribui Ioſeph.

V. 36. AB ASCENSU SCORPIONIS. Nomen loci eſt, de quo ſupra Ioſue xv. verſ. 3. PETRA, forte urbs eſt Arabiæ, terminus Amorrhæorum.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. IUDAS ASCENDET; hoc eſt, quænam tribus prima incipiet pugnare contra Chananæum. Iudas ergo primam duxit expeditionem, & incitavit ad ſocietatem belli tribum Simeonis: & fratrem vocat a vicinitate habitationis.

V. 7. SEPTUAGINTA REGES, reguli: nec eſt neceſſe fuiſſe omnes eodem tempore.

V. 8. Apparet ſatis prius captam fuiſſe Ieruſalem a Ioſue ex capite xii. verſ. 10. Lib. Ioſue.

V. 19.

Digitized by Google

V. 19. Falcatis curribus. Hos currus deſcripſit Curtius Lib. IV. Habebant ex anteriore parte eminentes lanceas, & a latere falces: & ſic actus in hoſtes currus ſtragem edebat.

V. 21. Quod non deleverint, peccatum eſt ab Iſraelitis: fuitque hoc eorum tum ignavia, tum lucri cupiditas.

C A P U T II.

Angelus Dei beneficia refert; quo audito, flet populus: poſt mortem tamen Ioſue & coævorum, Iſrael frequenter liberatus, ſemper in peiora recidit.

1. AScenditque Angelus Domini de Galgalis ad Locum flentium,
& ait: Eduxi vos de AEgypto, & introduxi in terram,
pro qua iuravi patribus veſtris: & pollicitus ſum, ut non
facerem irritum pactum meum vobiſcum in ſempiternum:
2. ita dumtaxat ut non feriretis fœdus cum habitatoribus
terræ huius, * ſed aras eorum ſubverteretis: & noluiſtis au-
dire vocem meam: cur hoc feciſtis? 3. Quam ob rem no-
lui delere eos a facie veſtra: ut habeatis hoſtes, & dii eorum ſint vobis in rui-
nam. 4. Cumque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Iſrael:
elevaverunt ipſi vocem ſuam, & fleverunt. 5. Et vocatum eſt nomen loci il-
lius: Locus flentium, ſive lacrymarum: immolaveruntque ibi hoſtias Domino.
6. (*a*) Dimiſit ergo Ioſue populum, & abierunt filii Iſrael unuſquiſque in poſ-
ſeſſionem ſuam, ut obtinerent eam: 7. ſervieruntque Domino cunctis diebus eius,
& ſeniorum qui longo poſt eum vixerunt tempore, & noverant omnia opera
Domini quæ fecerat cum Iſrael. 8. Mortuus eſt autem Ioſue filius Nun, famu-
lus Domini, centum & decem annorum, 9. & ſepelierunt eum in finibus poſ-
ſeſſionis ſuæ in Thamnathſare in monte Ephraim, a ſeptemtrionali plaga mon-
tis Gaas. 10. Omniſque illa generatio congregata eſt ad patres ſuos: & ſurrexe-
runt alii, qui non noverant Dominum, & opera quæ fecerat cum Iſrael. 11. Fe-
ceruntque filii Iſrael malum in conſpectu Domini, & ſervierunt Baalim. 12. Ac
dimiſerunt Dominum Deum patrum ſuorum, qui eduxerat eos de terra AEgy-
pti: & ſecuti ſunt deos alienos, deoſque populorum, qui habitabant in circuitu
eorum, & adoraverunt eos: & ad iracundiam concitaverunt Dominum, 13. di-
mittentes eum, & ſervientes Baal & Aſtaroth. 14. Iratuſque Dominus contra
Iſrael, tradidit eos in manus diripientium: qui ceperunt eos, & vendiderunt ho-
ſtibus, qui habitabant per gyrum: nec potuerunt reſiſtere adverſariis ſuis: 15. ſed
quocumque pergere voluiſſent, manus Domini ſuper eos erat, ſicut locutus eſt,
& iuravit eis: & vehementer afflicti ſunt. 16. Suſcitavitque Dominus iudices,
qui liberarent eos de vaſtantium manibus: ſed nec eos audire voluerunt, 17. for-
nicantes cum diis alienis, & adorantes eos. Cito deſeruerunt viam, per quam
ingreſſi fuerant patres eorum: & audientes mandata Domini, omnia fecere con-
traria. 18. Cumque Dominus iudices ſuſcitaret, in diebus eorum flectebatur mi-
ſericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vaſtantium.
19. Poſtquam autem mortuus eſſet iudex, revertebantur, * & multo faciebant
peiora quam fecerant patres eorum, ſequentes deos alienos, ſervientes eis, &

ad-

Digitized by Google

adorantes illos. Non dimiſerunt adinventiones ſuas, & viam duriſſimam, per quam ambulare conſueverunt. 20. Iratuſque eſt furor Domini in Iſrael, & ait: Quia irritum fecit gens iſta pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, & vocem meam audire contempſit: 21. & ego non delebo gentes, quas dimiſit Ioſue, & mortuus eſt: 22. ut in ipſis experiar Iſrael, utrum cuſtodiant viam Domini, & ambulent in ea, ſicut cuſtodierunt patres eorum, an non. 23. Dimiſit ergo Dominus omnes nationes has, & cito ſubvertere noluit, nec tradidit in manus Ioſue.

(a) Ioſ. xxiv. 28.

BRUGENSIS.

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Sed aras eorum ſubverteretis*. Non mutes coniunctionem adverſativam *ſed* in copulativam *&*.

V. 19. *Et multo faciebant peiora*. Non mutes *peiora* cum *maiora*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. ANGELUS, id eſt nuntius: forte Propheta aliquis. aut ſpiritus angelicus. EDUXI. Loquitur in perſona Domini, quem repræſentat.

V. 3. IN RUINAM, id eſt ruinæ occaſio. Septuaginta, *ſcandalum*.

V. 6. DIMISIT; pro, dimiſerat vero, ſcilicet multo ante. Nota, Scripturam non ſervare ordinem: nam cap. I. dixerat Ioſue mortuum.

V. 10. NON NOVERANT. Ignorare dicuntur Dominum qui ei non obediunt.

V. 11. BAALIM. id eſt idolis.

V. 13. ASTAROTH, id eſt ſimulacra effigie ovium, ſecundum quoſdam.

V. 14. VENDIDERUNT. Hebr. & LXX. *vendidit*. Chald. *tradidit*: ſcilicet more vendentium dedit.

V. 22. EXPERIAR. Hebr. Chald. & LXX. *tentem*; id eſt, faciam periculum: ſic cap. ſeq.

V. 23. DIMISIT ERGO, &c. quaſi dicat: Dominus qui futura prævidebat, noluit ſtatim delere illas nationes, &c.

ESTII.

Verſ. 1. ASCENDITQUE ANGELUS DOMINI DE GALGALIS AD LOCUM FLENTIUM, &c. Hunc Angelum Hebræi dicunt fuiſſe Phinees filium Eleazari, qui illo tempore erat ſummus ſacerdos: & addunt fabulam, quod Phinees revera fuerit Angelus, ſed qui humano corpore aſſumpto, inter homines fuerit converſatus. Quod quidem falſum & fabuloſum eſſe, manifeſtum eſt ex eo quod Scriptura de Phinees ubique tamquam de homine loquatur; & ex Eleazaro patre, & avo Aarone communi ordine natum narret. Iuxta veritatem ergo Chriſtiani Interpretes intelligunt Angelum Dei peculiariter fuiſſe, ad arguendum filios Iſrael de ſua tranſgreſſione. Id etiam patet quia in perſona Dei loquens ait: *Ego eduxi vos de Ægypto, &c.* Prophetæ autem numquam Dei perſonam aſſumunt, ſed ſemper verba illa præmittunt: *Hæc dicit Dominus*, aut ſimilia.

V. 3. QUAMOBREM NOLUI EOS DELERE A FACIE VESTRA, UT HABEATIS HOSTES, ET DII EORUM SINT VOBIS IN RUINAM. Nec ſic intelligendum eſt quaſi in eum finem Deus reliquerit gentes ſuperſtites, ut per eas ad ruinam impellerentur filii Iſrael, colendo deos eorum; ſed tantum ſignificatur, quid mali conſecutum ſit ex eo quod gentes fuerint relictæ. Et ſenſus eſt: Veſtra culpa eſt ut non deleverim gentes, inter quas habitatis: atque inde ulterius accidit, ut dii eorum facti ſint vobis in rui-

Digitized by Google

ruinam. Hebræis clara eſt ſententia: *Non eiiciam eos ante vos, ſed erunt vobis in ſpinas, & dii eorum offendiculo.* Atque adeo ipſi Iſraelitæ in culpa erant, qui cum eos delere potuiſſent, ex avaritia tributarios fecerant (vide ad Ioſue XVI. verſ. 10.) unde reddita eſt illis iuſta pœna, ut poſtea cum eos delere vellent, non poſſent.

MARIANAE.

Verſ. I. ASCENDITQUE ANGELUS. Propheta aliquando Angelus vocatur: Num. XXIII. verſ. 16. de Moyſe, & Agg. I. verſ. 13. Hoc etiam loco Chald. pro *Angelo*, *prophetam* ponit: quem Phinees fuiſſe vulgo Hebræi exiſtimant, eumque prophetam fuiſſe. AD LOCUM FLENTIUM. Hebr. *ad Flentes:* nam cum fleviſſent Hebræi audita increpatione Angeli, locus vocatus eſt Flentes, uti verſ. 5. Hebr. reperitur. Itaque hoc primo verſu per anticipationem locus ſic dicitur. Quid dixit? EDUXI. Loquitur ut Dei legatus eius nomine. Quia non obediſtis, non delevi gentes:

V. 3. UT HABEATIS HOSTES. Heb. *Et erunt vobis in lateribus*; ſupple, ſpinæ, ſeu potius virgæ, quibus latera flagellentur, iuxta ea quæ dixit Ioſue XXIII. verſ. 13 Rabbi Iona per vocem *zidim* intelligit *retia*; quaſi dicat: Gentes erunt vobis in *retia*, ſcilicet quibus implicemini. Hieronymus vertit *hoſtes*: nimirum pro *zidim*, ut nunc eſt, ipſe legit *zerim*, facili mutatione ob ſimilitudinem Daleth & Res: ſic etiam Sept. nam verterunt: *Et erunt vobis in anguſtias*: tum Chald. qui dixit: *Et erunt vobis in tribulantes*. Et ſane Hieronymi lectio magis placet quam quæ modo Hebr. eſt. IN RUINAM. Hebr. *in laqueum*. Septuag. *In ſcandalum erunt vobis dii earum gentium*.

V. 6. DIMISIT ERGO IOSUE POPULUM, pro dimiſerat: nam multo ante id factum eſt.

V. 10. SURREXERUNT ALII, QUI NON NOVERANT DOMINUM; hoc eſt, opera eius: quod verba proxima declarant: ſcilicet, *Et opera quæ fecerat cum Iſrael*.

V. 11. FECERUNTQUE .... MALUM IN CONSPECTU DOMINI. Hebr. *In oculis Domini fecerunt malum*, ſcilicet quod Deo diſplicebat cuncta videnti.

V. 13. SERVIENTES BAAL. *Baal* idoli nomen commune eſt: ſignificat *dominum*, quia quaſi domino illi cultores ſerviunt. ASTAROTH. Hebræi dicunt ſic vocari idolum forma ovis: nimirum ea vox *gregem ovium* ſignificat, uti Deuter. VII. verſ. 13. dictum eſt: inde vero natum ut putarent, ea etiam voce ſignificari idolum ovis forma. Verum de forma non multum curandum arbitror; ac illud potius puto, *Aſtaroth* eſſe Aſtarthem deam Sidoniorum, de qua III Reg. XI. verſ. 5. Porro Cicer. Lib. III. de Natura deorum, Aſtarthem ait Venerem eſſe eam quæ Adonidi nupſit, Syriæ & Tyri filiam, nimirum Aſtarthem Sidoniorum. Lucian. de dea Syria, Aſtarthem ait eſſe lunam, quæ eadem Diana eſt. Hiſt. Scholaſt ca ad eum locum libri Regum dixit eſſe Iunonem.

V. 14. ET VENDIDERUNT HOSTIBUS. Hebr. & Sept. *vendidit*: ſcilicet Deus *tradidit Iſrael hoſtibus*, ut Chald. vertit, ſcilicet more vendentium, qui rem venditam emptori tradunt.

V. 15. MANUS DOMINI SUPER EOS ERAT. Hebr. *In eos erat in malum*, id eſt contra eos Iſraelitas.

V. 19. FACIEBANT PEIORA, ſcilicet in dies. Ideo reliqui gentes, ut

V. 22. EXPERIAR, ſcilicet ego Deus. Hebr. Sept. Chald. *tentem*, *probem eos* qua ſint probitate & fide verſantes inter eas gentes impias. Reliquit ergo Deus eas gentes.

MALVENDAE.

Verſ. I. ANGELUS DOMINI. Hebr. *legatus*, *nuntius*, *Angelus Iehovæ*. Quidam putant, hunc fuiſſe æternum Dei Filium, in aſumpta humana forma ad tempus, qui Angelus teſtamenti dicitur, Internuntius, Legatus Patris, & generis humani Mediator, Malachiæ III. verſ. 1. nam ſubdit: *Eduxi vos de Ægypto*. Alii hominem aliquem Dei, ſeu Prophetam, tum allegatum a Deo extra ordinem. Hebræi volunt fuiſſe Phinees. Sic Propheta Angelus Dei vocatur Aggæi I. verſ. 13. Nonnulli, verum Angelum, ſpiritualem ſubſtantiam, tunc a Deo de cælo

lo miſſum. Sunt hæc prorſus incerta, & magis virum aliquem Dei prophetam crediderim. De Galgalis, ubi tum forte hic vir Dei habitabat, & ubi prius tabernaculum cum arca conſtitutum fuit, & poſtea translatum in Silo, Ioſue xviii. verſ. 1. Ad locum flentium. Ita hic prophetice vocatur: nam nomen non indetur niſi infra verſ. 5. nimirum ab eventu qui ibi deſcribitur. Et ait: Eduxi vos, &c. Videtur loqui in perſona Dei tamquam legatus. Alii ſubaudiunt: Et ait: Hæc dicit Dominus: *Eduxi vos*, &c. qui eſt mos loquendi prophetarum. Eduxi vos de AEgypto. Hebr. eſt futurum: *Aſcendere faciam vos de AEgypto*. Quidam: *Fecero ut vos aſcenderitis ex AEgypto*. Vel eſt futurum pro præterito, ad indicandam continuam Dei benignitatem, præteritam, præſentem, & futuram in educendo Iſraelem de AEgypto: vel reſpicit tempus initi fœderis & iuramenti cum patribus de introducendo eorum filios in terram promiſſam; quaſi dicat: Hæc eſt ſumma, & formula fœderis olim cum patribus veſtris icti: *Ego educam vos de AEgypto, & introducam*. &c.

V. 2. Et noluiſtis audire vocem meam. Exponunt: Videlicet, cum ſpernendo ea quæ divinitus fuerant imperata; tum etiam fiducia ſancta in Deum non præſumendo ea, in quibus poterat ipſos iuvare Deus, qui imperaverat. Nam contra divinum mandatum, nec hoſtes eiecerunt, quin potius cum iis fœdus inierunt; nec Deo fiſi ſunt, cuius auxilio eos profligare poterant.

V. 3. Ut habeatis hostes. Hebr. *Et erunt vobis a latere*; id eſt, circum vos, vobis ſemper moleſti verſabuntur; non poteritis eos a vobis eiicere; continuo incumbent lateribus veſtris. Alii exponunt: *Et erunt vobis in latera*; id eſt, in retia, quia inſidiæ, & retia tenduntur a latere, non in conſpectu, iuxta illud Proverb. 1. verſ. 17. *Fruſtra expanditur rete coram oculis alatorum*. Plerique notant eſſe orationem defectivam, & ſubandiendum aliquid eiuſmodi: *Et erunt vobis* in vepres, in ſpinas, *ad latera*, ſeu *in lateribus*; id eſt, inſtar ſpinarum, quibus pungentur latera veſtra; quaſi dicat: Mirum in modum affligent vos. Alii: *Et erunt vobis in ſpicula*, quæ ſcilicet vobis latera confodiant. Quidam vertunt: *Et erunt vobis in laqueos*. Nonnulli ſupplent locutionem e Ioſue xxiii. verſ. 13. *Et erunt vobis in* שוטט *ſchotet, flagellum lateribus veſtris*. Vide ibi. Sint vobis in ruinam. למוקש *lemokeſch, in laqueum, tendiculam, offendiculum*. Vide Exodi xxiii. verſ. 33. cap. xxxiv. verſ. 12. Deuteron. vii. verſ. 16. Ioſue xxiii. verſ. 13.

V. 5. Locus flentium. Hebr. בוכים *bochim*, id eſt *lacrymantes*, ſeu *flentes*; ſeu *locum lacrymantium*: nimirum quod ibi lacrymati fuerint filii Iſrael, auditis verbis Angeli, verſ. 4. quæ continebant gravem increpationem verſ. 1. & 2. & denuntiationem propheticam, verſ. 3. Apparet poſt mortem Ioſue, ac ſeniorum, qui ei ſupervixerant, & cum eo rempublicam adminiſtraverant; cum Iſraelitæ contra Dei mandatum, nedum Chananæos non expuliſſent, ſed fœdera cum ipſis iniiſſent; cum in hoc loco conventum aliquem agerent: eo veniſſe hunc Dei Angelum vel legatum, cum divinis mandatis. Plerique putant, fuiſſe Siluntem, vel prope Siluntem, quod ibi ſacrificaſſe dicantur, quod extra tabernaculum non erat conceſſum.

V. 6. Dimiſit ergo Ioſue populum, &c. Notant, hunc verſum, & quatuor ſequentes, per recapitulationem hic repeti, cum ſuo loco poſiti ſint Ioſue xxiv. verſ. 28. 29. 30. 31. S. Auguſtinus quæſtione xiv. *Hæc per recapitulationem reiterari, nulla eſt dubitatio*. Et certe videntur inſeri hic ætiologice, ut ſummatim perſtringantur cauſæ defectionis Iſraelitarum a Deo; & malorum quæ inde ſubſecuta ſunt.

V. 8. Mortuus eſt autem Ioſue, &c. Notant, ab hoc verſu uſque ad 7. verſum ſequentis capitis ſummatim explicari cauſas iudiciorum Dei in Iſraelitas: quæ cauſæ deinde ſingularibus explicantur plenius infra cap. vii. uſque ad finem Libri.

V. 11. Et ſervierunt Baalim. Hebr. *Beghalim*. De *Baghal* diſſeruimus in Numer. xxii. verſ. 41. Eius plurale eſt *Beghalim* hic, & infra cap. x. verſ. 6. quod ſignificat *dominos*, *heros*, *potientes*, *poſſeſſores*, *patronos*, *auctores*, *poteſtatem habentes*, *potentes*, *maritos*. Tales habebantur a ſuis cultoribus dii gentium. Quidam hic *numina* vertunt. Alii *tutelares deos*.

Vox *Numinis* cum Hebraici nominis בעל *Baghal* ratione optime convenit. Feſtus: *Numen, quaſi nutus Dei, ac poteſtas dicitur.*

V. 13. ASTAROTH. עשתרות *Ghaſchtarot*, de ſignificatione huius vocis egimus Geneſ. XIV. verſ. 5. & Deuteron. verſ. 13. Hic & aliis quibuſdam locis certum eſt falſa quædam gentilium numina ſignificare. Effertur id nomen interdum pluraliter, ut hic, & I. Samuel. VII. verſ. 3. & 4. & cap. XII. verſ. 10. & cap. XXXI. verſ. 10. aliquando ſingulariter עשתורת *Ghaſchtoreth*, quod Noſter ſecutus Græcos. *Aſtharten* dicere ſolet, ut I. Reg. XI. verſ. 5. & verſ. 33. & II. Reg. XXIII. verſ. 13. & in utroque numero ſemper enuntiatur forma feminea: ut conveniat illud Ovidii IV. Faſtorum:

Sæpe Palæſtinas iurat adeſſe deas.

Plerique Hebræorum volunt, fuiſſe idola, ſeu imagines ovium formam habentes, quas pro deabus a Sidoniis cultas affirmant, I. Regum XI. verſ. 5. & II. Regum XXIII. verſ. 13. item & a Palæſtinis, I. Samuel. XXXI. verſ. 10. Id ſequuntur Reuchlinus, Vatablus, Iſidorus Clarius, Marinus, Bonaventura Bertramus, Tremellius, & Iunius. Buxtorfius, Schindlerus, Iungerus. At Avenarius componit ex עש *ghaſch*, id eſt *arcturus*, & תור *tor*, id eſt *ordo gyrans*, vulque eſſe ordinem ſiderum gyrantium, nempe vel *arcturum*, vel *capricornum*; ſeu univerſe, *aſtra*; *ſidera*: quæ nomina facta ex Hebræo *aſthoreth* exiſtimat, quæ aſtra conſtat etiam a gentilibus pro numinibus culta. Montanus exponit, *Beatas, felices*, ab עשר *ghaſchar*, *ditari*, *beari*; nempe eas deas, quæ fecunditate cum primis beatæ eſſent, ut Iunonem, Cererem, Venerem, Tellurem. Remotum, & vanum etymon. Si in his ludere libet, facile divinare poſſimus eſſe ab עתר *ghatar* inſerto Scin, quod deas illas deprecarentur, exorarent, eiſque verbis ſuavibus ſupplicarent ad aliquid impetrandum, earum cultores; vel componi ab עשה *ghaſah*, *fecit*, & ab עתרת *ghatereth*, *oratio*, *ſupplicatio*; quod eis facerent orationem Gentiles. Forſterus inquit: *Ghaſthoreth, dea Zidoniorum: & ex ceteris locis colligitur, veneris Multimmamiæ fuiſſe ſimulacrum, quæ propter fecunditatem prolis venerata eſt, & habita omnium viventium nutrix.* Nam Ghaſthoreth pluraliter legitur mea ſententia in vera ſignificatione pro prolibus ovium, Deuteron. VII. verſ. 13. *Fetum boum tuarum, & proles ovium tuarum. Et ab hac primaria ſignificatione arbitror idolum Veneris originem traxiſſe, & appellationem.* Facit huc Artemidorus Lib. II. Oneirocriticon, cap. XLII. in Venere: *Semper autem bona iudicata eſt, quæ infernas partes uſque ad zonam velatas habet, propterea quod mammas, quæ maximum alimentum præbent, nudas habeat ac oſtendat.* Verum ego Venerem Multimammiam apud nullum veterem memini me legiſſe. Dianam *Mammoſam* plures memorant. Minutius Felix in Octavio: *Diana interim eſt alte ſuccincta venatrix, & Epheſia mammis multis & verubus extructa.* Ubi Fulvius Urſinus reſtituit, *verucis*; Lipſius, Scriverius, Meurſius, *uberibus*. Petrus Faber: *Diana interim eſt alte ſuccincta venatrix Epheſia: & mammis multis Ceres extructa.* Nam unde Dianæ virgini tanta mammarum extructio? Sed S. Hieronymus Præfatione Commentariorum in Epiſtolam ad Epheſios, inquit: *Scribebat Paulus ad Epheſios Dianam colentes, non hanc venatricem, quæ arcum tenet, atque alte ſuccincta eſt: ſed illam multimammiam, quam Græci Polymaſthon vocant, ut ſcilicet, ex ipſa quoque effigie mentirentur omnium eam beſtiarum, & viventium eſſe nutricem.* Cererem Mammoſam canit Lucilius Lib. IV.

At Lamia, & mammoſa Ceres eſt
ipſa ab Iaccho.

Arnobius Lib. III. *Habet etiamnum atque ardet in Chalcidicis illis magnis, atque in palatiis cæli, deos, deaſque conſpicere intectis corporibus atque nudis, ab Iaccho Cererem (Muſa ut prædicat Lucretii) mammoſam.* Et Lib. VI. *Ceres mammis cum grandibus.* Porro de Aſtharte, quænam dea fuerit, plurima ſunt veterum teſtimonia. Sanchoniato vetuſtiſſimus auctor, in priſca hiſtoria, quam lingua Phœnicum conſcripſit, quamque Philo Byblius novem libris in Græcam linguam covertit, apud Euſebium Lib. I. Præparationis Evangelicæ, cap. VI. & VII. agens de cælo, & filio eius Saturno, hæc ſcribit: *Cælus exulans, filiam ſuam Aſtharten forma & virginitate florentem, cum duabus ſororibus Rhea & Dione quaſi ſuſpectas, ad interficiendum dolo Saturnum emiſit: ſed variis modis allectas,*

ctas, Saturnus matrimonio ſibi ſorores coniunxit. Recepit autem ab Aſtharte Saturnus non paucos filios. Et poſtea: *Et Aſtharte autem maxima, ſummaque gubernabat. Impoſuit autem Aſtharte capiti ſuo regale inſigne tauri caput*. Menander Epheſius, qui e Phœnicum lingua annales Tyriorum in Græcum ſermonem eſt interpretatus, de Hiomo rege Tyri, quem Scriptura Hiram vocat, hæc apud Ioſephum Lib. VIII. Antiquit. cap. v. & Lib. I. in Apionem, habet: *Demolituſque antiqua delubra, nova templa ædificavit: Herculiſque & Aſthartes fana dedicavit. Herculis primum extructo, menſe Peritio, deinde Aſthartes*. Idem Menander de ſucceſſione regum Tyri hæc ſubiicit: *Moriente Iramo ſucceſſit in eius regno Bele-aſthartus filius: poſt huc Abdaſthartus. Poſt Aſthartus filius Bele-aſtharti. Poſt hunc frater eius Aſtharimus*. Deinde meminit Ithobali ſacerdotis *Aſthartæ*. Cæcus fuerit qui non videat, nomina hæc regum Phœniciorum omnia compoſita ex Phœnicio ſeu Hebraico Aſthoret, vel Aſtharte.

Plautus in Mercatore, Act. IV. ſcen. 5.

Diva Aſtharte hominum, deorumque vis, vita, ſalus: rurſus eademque eſt
Pernicies, mors, interitus: mare, tellus, cælum, ſidera:
Iovis alias quæcumque templa colimus, eius ducuntur nutu, illi obtemperant,
Eam ſpectant: quod illi diſplicet, facile excludunt ceteri:
Quidquid complacitum, id ſequontur, quæ vivont omnia, atque ſentiunt.

Marcus Varro Lib. IV. de Lingua Latina cap. x. *Principes dei cælum & terra. Hi dei, iidem, qui in AEgypto Serapis & Iſis, Harpocrates digito ſignificat: qui ſunt Taautes & Aſtharte apud Phœnicas: ut iidem principes in Latio Saturnus & Ops*. Fruſtra eſt Scaliger qui ex loco iſto Varronis Aſtharten profligare conatur. M. Tullius Lib. III. de Natura Deorum: *Quarta Venus, Syria, Tyroque concepta, quæ Aſtharte vocatur: quam Adonidi nupſiſſe proditum eſt*. Plutarchus in Iſide, & Oſiride meminit cuiuſdam Aſthartæ Bybli Phœniciæ urbis reginæ. Lucianus in Dea Syria ſub initium: *Eſt autem & aliud templum in Phœnicia magnum, quod Sidonii celebrant, Aſthartæ, ut quidem ipſi dicunt: Aſtharten autem ego puto lunam eſſe*. Achilles Tatius Lib. I. de Clitophontis, & Leucippes amoribus, ſub initium: *Eo*, nempe Sidonem, *cum ex alto tempeſtate reiectus fuiſſem, Phœnicum deæ (appellant ipſam Aſtharten Sidonii) quæ pro recepta ſalute conſueverant, ſacra feci*. Herodianus Lib. V. de Elagabalo, inquit: *Simulacrum Uraniæ iuſſit afferri, quod ſcilicet Carthaginienſibus, omnique Africæ incredibilem in modum venerabile poſitum fuiſſe a Phœniſſa Didone creditur, quo tempore antiquam Carthaginem diſſecto corio ædificavit. Hanc Afri Uraniam vocant, Phœnices Aſtroarchen* (proculdubio *Aſtharten*) *lunam eſſe affirmantes*. Artemidorus Lib. I. Oneirocriticῶn, cap. IX. *Piſces edunt omnes, exceptis Syris quibuſdam, qui Aſtarten colunt*. Suidas: *Aſtharte, quæ apud Græcos Aphrodite, Venus, vocatur, ab aſtro cognomen impoſuerunt. Luciferum enim eius eſſe fabulantur. Aſtharte dea Sidoniorum*. Tertullianus Apologetici cap. XXIV. *Unicuique autem provinciæ & civitati ſuus eſt Deus, ut Syriæ Aſthartes, ut Arabiæ Diſares, ut* Norici *Belenus, ut Africæ Cæleſtis, ut Mauritaniæ reguli ſui*. Minutius Felix in Octavio: *Videmus ſingulos ſacrorum ritus Gentiles habere, & deos colere municipes, & Eleuſinios Cererem, Phrygas Martem, Epidaurios AEſculapium, Chaldæos Belum, Aſtharten Syros, Dianam Taurios, univerſa Romanos*. S. Auguſtinus quæſt. XVI. in Librum Iudicum: *Aſtharte autem Iunonis*, eſt nomen, *quod lingua Punica putatur oſtendere. Nam Iuno ſine dubitatione ab illis* Punicis *Aſtharte vocatur*. S. Cyrillus in IV. Oſee: *Aſtharten autem eſſe aiunt apud Græcos, neſcio quare, Aphroditem* (Venerem) *nominatam. Stabat nudum ſimulacrum, forma ſcorti, partes illas corporis ab aſpectu removendas, minime tecas omnium oculis turpiter exhibens*. Eadem habet Theophylactus in IV. Oſee. Theodoretus quæſt. XIV. in I. Regum: *Aſtharten autem vocant Venerem, ab aſtro accepta denominatione: fabulantur enim eius eſſe Heſperum*. Eadem habet quæſt. XLVIII. in III. Regum, & quæſt. XVIII. in IV. Regum. Elias Cretenſis in orationem XV. S. Gregorii Nazianzeni: *Aſthartes autem Veneris ſidus eſt*.

Plerique recentiorum Aſtharten hanc

Phœ-

Phœnicum, & deam Syriam, & Uraniam, ſeu Cæleſtem, & Iunonem, & Venerem, & Lunam, & Opem eſſe volunt. Nec deſunt qui putent eam eſſe quam externi Scriptores appellant *Atargatin*, vel *Atharam*, ſeu *Derceto*: de qua re dicemus infra cap. xvi. verſ. 23. At de Aſtharte tam multa ſunt a quamplurimis recentioribus ſcripta, ut pigeat in his diutius immorari. Atqui inter ceteros inſigni eruditione & copia de ea egit Petrus Faber Lib. III. Semeſtrium, cap. I. II. & III. & nos de eadem peculiarem diatribam ſeorſim conſcripſimus. Scaliger Coniectaneis in Varronem exiſtimat *Aſtarthem*, ſeu *Aſthoreth* dictam lingua Phœnicia, ſeu Hebraica, in qua ſonat oves, vel greges ovium, a victimarum multitudine, quæ ei mactabantur. Aliqui putant, Iunonem ſic dictam, quod ſub ovis ſpecie adoraretur: nam & Iupiter Ammon ſub ſpecie arietis colebatur. Nec abſurde ſuſpicemur, compoſitum nomen ex *ghaſch*, quod quidam putant eſſe *congregationem ſtellarum*, *nempe*, *Hyades*, *vel Pleiades*, *ſeu Vergilias*, *vel universe conſtellationem*; & *tor*, quod Chaldaice, ſeu Syriace *taurum* ſignificat; quaſi dicas, *Hyades*, vel *conſtellatio tauri*: quod certum ſit Hyades in capite Tauri eſſe; unde Aratus in Phœnomenis, interprete Cicerone:

> *Corniger eſt valido connixus corpore Taurus:*
> *Eius caput ſtellis conſperſum eſt frequentibus:*
> *Has Græci ſtellas Hyadas vocitare ſuerunt.*

Interprete vero Germanico Cæſare:

> *Et caput, & patulas nares, & cornua Tauri.*
> *Fronte micant Hyades ....*

Et interprete Feſto Avieno:

> *Sic Hyades Tauri toto procul ore coruſcant.*

De his plura Hyginus in Poeticis Aſtronomicis. Potuit eſſe ut Phœnices, & Palæſtini propterea colerent ſub Aſthartes nomine conſtellationem illam Hyadum in capite Tauri, unde factum, ut id nomen interdum plurali, interdum ſingulari numero efferatur. Quo etiam ſpectat illud quod ſupra ex Sanchoniathone retulimus, Aſtharthen cæli filiam, & Saturni ſororem, uxoremque capiti ſuo impoſuiſſe regale inſigne, Tauri caput. Verum hæc æſtimet quiſque ut voluerit: nobis plane nomen quadrilitterum *Ghaſthoreth* exoticum potius quam Hebræum videtur, ut ſunt plerumque eiuſmodi quadrata.

V. 14. DIRIPIENTIUM. Participio שׁוסים *ſchoſim* hæc ſubſunt: *Deprædantium*, *detrahentium*, *diripientium*, *avellentium*, *conculcantium*, *ſupprimentium*, *abrumpentium*. Ita ſtatim, & verſ. 16.

V. 15. SICUT LOCUTUS EST, ET IURAVIT EIS, nimirum Levitici xxvi. & Deuteronom. xxviii.

V. 16. IUDICES. Quidam reddunt *vindices*, id eſt viros qui extra ordinem a Deo excitati ſuſcipiebant defenſionem publicam: nam Iudices ordinarios eos non fuiſſe, vel unica Gedeonis hiſtoria docet infra cap. viii. verſ. 22. & ſequentibus Sed vide præmiſſa Commentario cap. I.

V. 18. ET AUDIEBAT AFFLICTORUM GEMITUS. Hebr. *Quia pœnitebit Iehovah a gemitu eorum*. Quidam: *Pœnitebat enim Iehovam ad gemitum eorum*. Alii: *Nam pœnitudine ducebatur Dominus propter ſuſpiria eorum*; id eſt, mutabat ſententiam, & flectebatur miſericordia, cum gemitus illorum videret tempore quo maxime affligebantur, & urgebantur. VASTANTIUM. Verbum דחק *dachak* bis tantum legitur in Scriptura, hic in participio, & Ioelis II. verſ. 8. in futuro, ubi Noſter reddit *coarctabit*. Aiunt ſignificare *propellere*, *opprimere*; *contundere depreſſione*, *coarctare*, *vim ferre*, *affligere*, *moleſtare*.

V. 19. NON DIMISERUNT. Hebr. *Et non cadere fecerunt*. Quidam: *Et non abiecerunt*; id eſt, & non cum deteſtatione depoſuerunt. Alii: *Nihilque diminuerunt*, vel *remiſerunt*. ADINVENTIONES SUAS. מעללים *maghalalim*, idem quod עלילות *ghaliloth*, de qua voce egimus Deuteronom. xxii. verſ. 14. universe ſignificat *conſilia*, *adinventiones*, *cogitationes*, *conatus*; *ſtudia*, *molimina*, *exercitia*, *opera*, *actiones*, *mores*. Proprie *ludrica*, *illuſiones*, *ludificationes*, *puerilitates*, *infantilitates*. Hiſpanice, *niñerias*, *rapazerias*. Vide Deuteron. xxviii. verſ. 20.

V. 22. VIAM DOMINI, ET AMBULENT IN EA. Hebr. *Viam Iehovæ ad ambulandum in eis*. Quidam, ut congruat plurale illud *in eis* cum *via Domini*, ſubaudiunt, *viam* mandatorum *Iehovæ*, *ambulando in eis*.

V. 23. Et cito subvertere noluit. Hebr. *ad non exterminandum eos feſtinanter*. Ambiguum eſt: nam poteſt & ad Deum, & ad Iſraelitas referri. Plerique cum Noſtro ad Deum referunt: alii ad Iſraelitas, unde reddunt: *Ne expellerent eas celeriter*, nimirum Iſraelitæ, ut mandatum fuerat illis Deuter. ix. verſ. 3. Sic ultionem effecit Deus, ſupra verſ. 10. & ſequentibus denuntiatam.

MENOCHII.

Verſ. 1. Angelus Domini, videtur fuiſſe Angelus ille qui in iiſdem Galgalæ partibus apparuerat Ioſue cap. v. num. 13. quem, ut ibi dixi, aliqui Gabrielem, alii Michaelem fuiſſe putant. Sunt qui putent fuiſſe Prophetam aliquem, nuntium, & interpretem divinæ voluntatis. De Galgalis. Cauſa cur aſcendere, ſeu apparere voluerit in Galgalis; fuiſſe videtur, ut tot, & tantorum beneficiorum illic acceptorum, & renovati per circumciſionem fœderis memoria refricaretur. Ita Theodoretus quæſt. vi. Ad Locum flentium: ad locum in quo fleverant, vel in quo auditis quæ Angelus nuntiabat, fleverunt. Aliqui putant eſſe Silo, quia num. 5. dicitur in hoc flentium loco ſacrificatum; nullibi autem ſacrificare licebat, niſi ubi erat tabernaculum, quod eo tempore erat in Silo. Si alius fuit locus, dicendum eo ipſo quod Angelus eos ad propitiandum Deum hortabatur, etiam illis inſpiraſſe, aut etiam diſerte ſignificaſſe, ut ibi ſacrificarent.

V. 3. In ruinam, id eſt ruinæ occaſio. LXX. *ſcandalum*.

V. 6. Dimisit ergo Iosue. Hæc repetita ſunt ex cap. xxiv. Libri Ioſue, & hic inſerta. Non ergo exiſtimandum Ioſue, cum hæc acciderunt, ſuperſtitem fuiſſe: nam cap. 1. dictum fuerat Ioſue mortuum; & D. Auguſt. quæſt. xiv. *Hæc*, ait, *per recapitulationem iterari nulla dubitatio*. Vide horum quinque verſiculorum explicationem ſup. cap. xxiv. Lib. Ioſue.

V. 11. Servierunt Baalim. Vox *Baal* dominum ſignificat, & accipitur aliquando generatim pro diis, deabuſque omnibus: aliquando ſpeciatim pro certo aliquo deo, aut dea, ſive addatur nomen peculiare dei illius, ut cum dicitur Baal Berith, ſive intelligendum relinquatur ex loci circumſtantia, vel alia quapiam, quiſnam Deus ille ſit.

V. 12. Astaroth. Significat hæc vox vel generatim plura numina, quæ tamen feminino ſexu coluntur; vel definite unum aliquod: alia enim erat Aſtarthe Sidoniorum, alia Aſcalonitarum, alia Tyriorum. Sub his autem nominibus colebatur aut Venus, aut Diana, aut Luna, &c.

V. 14. Vendiderunt. Hebr. & LXX. *Vendidit*, Deus ſcilicet: quod idem eſt ac *tradidit*, ut habet Chaldæus: quæ enim alicui venduntur, illi traduntur: eſtque phraſis non infrequens in Scriptura, ut cum dicitur Iſa. l. 1. *Quis eſt creditor meus, cui vendidi vos? ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis*.

V. 15. Quocumque pergere voluissent; id eſt, quidquid incepiſſent, aut conati eſſent. Manus Domini super, &c. ſeu, ut Hebr. & Græce dicitur, *in ipſorum malum ſuper eos erat*, Sicut iuravit, &c. Levit. cap. xxvi. 14. & Deuter. cap. xxviii. 15. quibus locis quamvis iuramentum non legatur, adhibitum tamen docent Caietanus, & Serarius. Et vehementer afflicti sunt, ſeu compreſſi, ut in Scorpiaco legit Tertullianus.

V. 16. Suscitavitque, &c. Iudices, de quibus hic eſt ſermo, fuerunt principes qui Iſraelitarum populum e ſervitutibus, & malis, quibus tunc premebantur, vindicarunt, eumque toto vitæ ſuæ tempore poſtea ex legum præſcripto, ſenatorumque conſiliis rexerunt; ad hoc ipſum vel mirabiliter a Deo excitati, vel a populo ipſo electi, & invitati.

V. 18. Et liberabat eos, &c. ideoque Iudices Salvatores appellati ſunt in Scriptura: ita enim vocantur cap. iii. huius Libri num. 9. & II. Eſdræ ix. 27.

V. 19. Viam durissimam. Licet enim ſcelerum via mollis, & iucunda videatur, quia tamen in ærumnas, & damna graviſſima fert, Deumque durum, ſeu iratum efficit, dura dicitur.

V. 22. Experiar. Hebr. & LXX. *tentem*, periculum faciam.

V. 23. Dimisit ergo; quaſi dicat: Dominus, qui futura prævidebat, noluit ſtatim delere nationes illas.

TI-

T I R I N I.

Verſ. 1. **A**SCENDITQUE ANGELUS DOMINI DE GALGALIS. Veriſimillime idem qui in Galgalis appa-ruerat Ioſue cap. v. puta Michael princeps ſynagogæ, & Eccleſiæ Dei. Ita Theodoretus, & Serarius. Ideoque aptiſſime, ex Galgalis aſcendiſſe videri voluit, ut tot tantorumque beneficiorum illic acceptorum, & renovati per circumciſionem fœderis memoriam refricaret ingratis. AD LOCUM FLENTIUM. Hebraice *bochim*, quod *flentes* ſignificat: nempe a fletu quem Angelus ſua cohortatione excitarat, inditum nomen loco, ut patet verſ. 5. Quem locum in vicina Silo fuiſſe colligitur ex eodem verſu, quo dicitur, populum ibi hoſtias immolaſſe Domino; atqui non licebat tunc temporis alibi quam in Silo hoſtias immolare, cum eſſet ibi tabernaculum fœderis: ergo.

V. 3. BAAL. Ab aliis *Bal*, vel melius *Beel*, *Bel*, *Belus* vocatur, ſignificatque *dominum*, vel *dominatorem*; & accommodatur ſæpe cuilibet falſo deo. Subinde tamen pro uno particulari ſumitur, ſicut Urbs commune nomen, Romæ proprium factum videmus. Apud Tyrios Hercules per Baal deſignari videtur ex II. Machab. IV. verſ. 19. Alias fere Iupiter ſic vocatur, qui & Nemrod Saturni filius, ut dixi Geneſ. x. Sed ordinarie, ut dixi, eſt commune nomen omnium deorum. Sæpe tamen pro varietate vel locorum, vel eventuum, vel etiam deorum, aliquid additur illi communi nomini, quo unum ab altero diſtinguatur; verbi gratia, *Beel phegor*, *Beel-zebub*, *Baal-pharazim*. Aliquando plurali numero unus idemque Deus Baalim vocatur, ob ſimulacrorum eius multitudinem, inquit S. Auguſtinus *a*, vel potius honoris cauſa, more Hebræorum, qui etiam verum Deum plurali nomine *Elohim* vocare ſolent. Sic *Aſtaroth* plurali numero hic vocatur vel Venus, ut vult Sanctius *b* ex Macrobio, & Giraldo; vel potius Iuno regina dearum, ſecundum S. Auguſtinum, pro Aſtoreth, vel Aſtarthe. De hac plura vide apud Serarium hic quæſt. 11. qui etymologiam eius nominis ab aſtris deducit, & Eſther reginam idem eſſe vult quod ſtellam.

V. 16. SUSCITAVIT DOMINUS IUDICES, id eſt vindices populi, ac defenſores. Erat enim primarium iſtorum apud Iudæos officium, fere ut Dictatorum apud Romanos, bella adverſus hoſtes gerere: nihilo tamen minus etiam ius populo dicebant. Eratque hic magiſtratus perpetuus, ſeu ad vitam: monarchicus quidem, ſed magna ex parte etiam ariſtocraticus, ut patebit ex ſequentibus. A Ioſepho *c* nunc Archontes, nunc Monarchæ, nunc Imperatores vocantur. A S. Scriptura ſubinde Salvatores dicuntur, ut hic cap. III. verſ. 9. & 15. & II. Eſdræ IX. Fuerunt porro Iudices univerſim quatuordecim, Othoniel, Aod, Samgar, Barach, Gedeon, Thola, Iair, Iephte, Abeſan, Ahialon, Abdon, Samſon, Heli, Samuel, iudicaruntque populum Iſrael per annos 377. *d*.

Petes, an omnes hi Iudices ſancti ſint ac beati? Ambigit Fevardentius: ſed ambigere nos non ſinit Eccleſiaſticus, qui cap. XLVI. verſ. 13. dicit Iudices hos ſingulos ſuo nomine laudandos, & cum viris glorioſis ac ſanctis habendos. Et Apoſtolus ad Hebræos XI. verſ. 32. quatuor Iudices de quibus dubitari potuiſſet, de eximia fide egregie commendat.

(*a*) S. Auguſt. quæſt. XVI.
(*b*) Sanctius in III. Reg. XI. verſ. 5. Macrob. Lib. I. Saturnal. cap. XXI. Lilius Girald. ſyntagm. XIII.
(*c*) Ioſeph. Lib. V. cap. II. & IX. & Lib. XI. cap. V.
(*d*) Chron. cap. XVIII.

G O R D O N I.

Verſ. 1. **A**SCENDIT ANGELUS DE GALGALIS AD LOCUM FLENTIUM. Probabile eſt, poſt reprehenſionem diſparuiſſe Angelum. Chaldæus pro Angelo habet *prophetam*. Locum reprehenſionis aliqui putant Silunterm: nam ex verſ. 5. ibi ſacrificatum eſt. *Locus* בכים *bochim:* radix בכה. LXX. κλαυθμών.

V. 6. DIMISIT ERGO IOSUE POPULUM. Interpreres recte hic notant hyſterologiam: nam quidquid hinc eſt uſque ad verſ. 10. eſt repetitio pertinens ad cap. XXIV. Ioſue, ut etiam dixit Auguſtinus quæſt. XIV. De ſenſu verſ. 10. vide Ioſue cap. ult. Sane quod dico de hyſterologia mirum non eſt. Sunt enim hæc duo capita velut præfatio futuræ hiſtoriæ,

in qua inſeruntur multa prius facta, & poſtea facienda. Sequitur rerum geſtarum hiſtoria ſub Iudicibus.

V. 10. & 13. NON NOVERANT. Illi vere Deum ignorant, qui eius præceptis non obtemperant. De Baal idolo, & Baalim idolis alibi. *Baal*, *dominum* ſignificat, Oſeæ cap. II. ASTAROTH eſſe Aſtarthen deam Sidoniorum, facile eſt ſuſpicari. Vide III. Reg. cap. XI. verſ. 5.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. AD LOCUM FLENTIUM. Locus in quo auditis his quæ narravit Angelus, fleverunt.

V. 13. ASTAROTH. Sub hoc nomine colebant Dianam, Lunam, Venerem, pro diverſitate nationum: præſertim apud Sidonios, Tyrios, & Aſcalonitas.

V. 15. IURAVIT. Ita quidem edixit Deus Levit. XXVI. 14. & Deuter. XXVIII. 15. Et ibidem poſitum fuiſſe iuramentum aliqui interpretantur.

V. 16. SUSCITAVITQUE DOMINUS IUDICES. Sub his Iudicibus lubricus fuit populi huius ſtatus. Interdum carebant iudicibus; & tunc ductu legis, & ſeniorum conſilio ſe regebant.

CAPUT III.

Iſrael ſociatur gentibus a Domino derelictis, ad ipſius exercitationem: ideo ſæpius per extraneos reges affligitur; ſed reſipiſcens, per Othoniel, Aod, & Samgar liberatur.

1. HAE ſunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis
Iſraelem, & omnes qui non noverant bella Chananæorum:
2. ut poſtea diſcerent filii eorum certare cum hoſtibus, &
habere conſuetudinem præliandi: 3. quinque ſatrapas Phi-
liſthinorum, omnemque Chananæum, & Sidonium, * atque
Hevæum, qui habitabat in monte Libano, de monte Baal
Hermon uſque ad introitum Emath. 4. Dimiſitque eos, ut
in ipſis experiretur Iſraelem, * utrum audiret mandata Domini quæ præceperat
patribus eorum per manum Moyſi, an non. 5. Itaque filii Iſrael habitaverunt
in medio Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevæi, & Ie-
buſæi: 6. & duxerunt uxores filias eorum, ipſique filias ſuas filiis eorum tradi-
derunt, & ſervierunt diis eorum. 7. Feceruntque malum in conſpectu Domini,
& obliti ſunt Dei ſui, ſervientes Baalim & Aſtaroth. 8. Iratuſque contra Iſrael
Dominus, tradidit eos in manus Chuſan Raſathaim regis Meſopotamiæ, ſervie-
runtque ei octo annis. 9. Et clamaverunt ad Dominum: qui ſuſcitavit eis ſal-
vatorem, & liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenez, fratrem Caleb mi-
norem: 10. fuitque in eo Spiritus Domini, & iudicavit Iſrael. Egreſſuſque eſt
ad pugnam, & tradidit Dominus in manus eius Chuſan Raſathaim regem Sy-
riæ, & oppreſſit eum. 11. Quievitque terra quadraginta annis, & mortuus eſt
Othoniel filius Cenez. 12. Addiderunt autem filii Iſrael facere malum in con-
ſpectu Domini: qui confortavit adverſum eos Eglon regem Moab: quia fecerunt
malum in conſpectu eius. 13. Et copulavit ei filios Ammon, & Amalec; abiit-
que & percuſſit Iſrael, atque poſſedit urbem palmarum. 14. Servieruntque filii
Iſrael Eglon regi Moab decem & octo annis: 15. & poſtea clamaverunt ad Do-

mi-

Digitized by Google

minum: qui ſuſcitavit eis ſalvatorem vocabulo Aod, filium Gera, filii Iemini, qui utraque manu pro dextera utebatur. Miſeruntque filii Iſrael per illum munera Eglon regi Moab. 16. Qui fecit ſibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, & accinctus eſt eo ſubter ſagum in dextro femore. 17. Obtulitque munera Eglon regi Moab. Erat autem Eglon craſſus nimis. 18. Cumque obtuliſſet ei munera, proſecutus eſt ſocios, qui cum eo venerant. 19. Et reverſus de Galgalis, ubi erant idola, dixit ad regem: Verbum ſecretum habeo ad te, o Rex. Et ille imperavit ſilentium: egreſſiſque omnibus qui circa eum erant, 20. ingreſſus eſt Aod ad eum: ſedebat autem in æſtivo cœnaculo ſolus, dixitque: Verbum Dei habeo ad te. Qui ſtatim ſurrexit de throno. 21. Extenditque Aod ſiniſtram manum, & tulit ſicam de dextero femore ſuo, infixitque eam in ventre eius 22 tam valide, ut capulus ſequeretur ferrum in vulnere, ac pinguiſſimo adipe ſtringeretur. Nec eduxit gladium, ſed ita ut percuſſerat, reliquit in corpore: ſtatimque per ſecreta naturæ alvi ſtercora proruperunt. 23. Aod autem clauſis diligentiſſime oſtiis cœnaculi, & obſirmatis ſera, 24. per poſticum egreſſus eſt. Servique regis ingreſſi viderunt clauſas fores cœnaculi, atque dixerunt: Forſitan purgat alvum * in æſtivo cubiculo. 25. Expectanteſque diu donec erubeſcerent, & videntes quod nullus aperiret, tulerunt clavem: & aperientes invenerunt dominum ſuum in terra iacentem mortuum. 26. Aod autem, dum illi turbarentur, effugit, & pertranſiit locum idolorum, unde reverſus fuerat. Venitque in Seirath: 27. & ſtatim inſonuit buccina in monte Ephraim: deſcenderuntque cum eo filii Iſrael, ipſo in fronte gradiente. 28. Qui dixit ad eos: Sequimini me: tradidit enim Dominus inimicos noſtros Moabitas in manus noſtras. Deſcenderuntque poſt eum, & occupaverunt vada Iordanis quæ tranſmittunt in Moab: & non dimiſerunt tranſire quemquam: 29. ſed percuſſerunt Moabitas in tempore illo, circiter decem millia, omnes robuſtos & fortes viros: nullus eorum evadere potuit. 30. Humiliatuſque eſt Moab in die illo ſub manu Iſrael: * & quievit terra octoginta annis. 31. Poſt hunc fuit Samgar filius Anath, qui percuſſit de Philiſthiim ſexcentos viros vomere: & ipſe quoque defendit Iſrael.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 3. *Atque Hevæum, qui habitabat in monte Libano*. Servandus eſt numerus ſingularis *habitabat*, loco pluralis *habitabant*, qui in aliis eſt libris.

V. 4. *Utrum audiret mandata Domini*. In aliis eſt plurale *audirent*.

V. 24. *In æſtivo cubiculo*. Etiam in noſtris antiquis manuſcriptis invenio *cubiculo* pro *cœnaculo*.

V. 30. *Et quievit terra octoginta annis*. Non addas *a præliis*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. ERUDIRET IN EIS. Hebr. Chald. & LXX. *Tentaret per eas*. BELLA, ſcilicet ſuperiora.

V. 2. EORUM. Heb. Chald. & LXX. *Iſrael*.

V. 3. SATRAPAS, id eſt præfectos, ſeu principes. Vox eſt Perſica.

V. 7. ASTAROTH. Hebr. *Aſeroth*, id eſt *lucis*. LXX. *lucis*.

V. 8.

V. 8. TRADIDIT. Hebr. *vendidit.* Vide ſup. cap. II.

V. 13. PALMARUM, ſcilicet Iericho.

V. 15. FILII IEMINI, id eſt de tribu Beniamin. Chald. *Filii tribus Beniamin.* UTRAQUE MANU: ſic etiam LXX. at Hebræus, & Chaldæus dicunt illum uſum ſola ſiniſtra.

V. 16. PALMAE MANUS. LXX. *palmi.* Hebr. & Chald. *cubiti*: ſcilicet tantus erat gladius. Nam de capulo nulla mentio Chald. Hebr. aut in LXX.

V. 19. GALGALIS, ſcilicet ubi ſocios dimiſerat. IDOLA. Chald. & LXX. *ſculptilia.* Alii, *lapicidinæ.* SILENTIUM; quaſi dicat: Rex iuſſit ipſum tacere, donec recederent qui aderant.

V. 20. AESTIVO, ſcilicet cauſa refrigerationis.

V. 22. PER SECRETA NATURAE. Id non eſt Hebr. Chald. aut in LXX.

V. 28. TRANSIRE: ſcilicet erant tunc Moabitæ in Iericho, ubi etiam videtur occiſus Eglon.

V. 29. ROBUSTOS. Hebr. *pingues.* Chald. *terribiles.* LXX. *bellatores.*

V. 31. VOMERE. Hebr. & Chald. *ſtimulo boum.*

ESTII.

Verſ. 2. UT POSTEA DISCERENT FILII EORUM CERTARE CUM HOSTIBUS. Quod Scriptura dicit, gentes a Domino relictas, ut poſteri filiorum Iſrael diſcerent certare cum hoſtibus, & haberent conſuetudinem præliandi, non ita intelligendum, quaſi præliari, & bella gerere per ſe bonum ſit; ſed quia utile erat illi populo bellis exerceri, ne per luxum, & ignaviam ad idololatriam declinarent. Significatur autem myſtice, quod Deus tempore novi teſtamenti permittit hæreſes, & alias perſecutiones piorum, ut per huiuſmodi adverſa, Eccleſia exerceatur in pietate, & doctrina religionis.

V. 10. ET IUDICAVIT ISRAEL. Iudices erant qui propter res præclare geſtas, & liberationem aliquam populo præſtitam, erant in ea auctoritate, ut quamvis non eſſent abſolute principes, nec imperare poſſent, aut leges ferre, tamen ad eos recurrebat populus, tam in quæſtionibus, & controverſiis quas inter ſe habebant, tamquam ad iudices, quam in periculis ab hoſtibus, ſi quando ingrueret bellum; at leges ſibi ab eo imponi non ſinebant. Quod inde patet, quia cum Gedeoni ſpecialiter id eſſet a populo delatum, propter inſignia liberationis beneficia, ille modeſtiſſime recuſavit dicens: *Non dominabor veſtri... ſed dominabitur vobis Dominus.* Atque hinc etiam eſt, quod Moyſes & Ioſue non numerentur inter iudices populi Iſraelitici: nam plus aliquid fuerunt, habentes ſcilicet etiam imperandi poteſtatem. Vide Sixtum in Bibliotheca de titulo huius Libri.

V. 16. QUI FECIT SIBI GLADIUM ANCIPITEM. Quæritur, recte ne fecerit Aod occidens regem privato conſilio, & auctoritate? Ad hoc varie poteſt reſponderi. Quidam dicunt, non eum id feciſſe privata auctoritate, ſed publica, quia Iudex populi. Sed ea reſponſio refelli videtur, quia Aod non fuit Iudex, niſi poſtquam ſalutem præſtitit populo. Alii reſpondent, eum communicaſſe conſilium cum proceribus populi. At certe textus magis ſignificat rem privati conſilii fuiſſe; nec tutum fuiſſet cogitationem pluribus aperire, ne forte proderetur. Unde & Iudith cap. VIII. conſilium ſuum de occidendo Holoferne aperire noluit, petens tantum pro ſe orari. Quare dicendum videtur, hoc ita factum ab Aod privato conſilio, ut tamen de conſenſu procerum, totiuſque populi merito præſumeretur: quia res talis erat, quæ ad totius populi ſalutem ſpectaret. Sic & de Iudith reſpondendum.

MARIANAE.

Verſ. 1. UT ERUDIRET. Hebr. *ut tentaret*: ſic Sept. & Chald. quaſi dicat: Ut experiretur, an Deum in periculo timerent, ipſique fiderent; ut magis explicatur verſ. 4. QUI NON NOVERANT BELLA: ſcilicet ſuperioris temporis non noverant.

V. 3. QUINQUE SATRAPAS, ſcilicet Deus conſervavit. *Satrapa* vox eſt Perſica: ea Curtius paſſim utitur. Hebr. *Principes* ſeu *regulos.* Hebræus dicit quinque urbes cum ſuis regulis conſervatas: eæ ſunt, Eſdod, Gaza, Geth, Aſcalon,

Acca-

Digitized by Google

Accaron. Unde id? Ii habitabant in monte BAAL HERMON. Quidam, *a monte qui eſt in valle Hermon*: nova interpretatio, ut mons Baal ſit in valle. Aptius dicetur is mons ſic ab idolo, & templo eius, quod erat ad Hermon. Porro mons *Hermon* prope Antilibanum eſt ad ſeptemtrionem Palæſtinæ uſque ad *Emath*. Hæc Antiochia eſſe creditur ad Orontem.

V. 7. FECERUNTQUE MALUM IN CONSPECTU DOMINI. Hebr. *in oculis Domini*, ipſo vidente, & reprobante. ASTAROTH. Hebr. *Aſeroth*. Quidam vocem intactam relinquunt, ſecuti Chald. quaſi ſit nomen proprium. Hoc Hieronymus voluit cum dixit, *Servientes Baalim & Aſtaroth*. Sept. *ſervierunt Baalim & lucis*: quod Hebræi ſequuntur, affirmantes ea voce ſignificari arbores quæ coluntur, vel conſitæ ſunt in honorem idoli.

V. 8. TRADIDIT EOS. Hebr. *vendidit eos*; ſed *vendere*, *tradere* eſt; Chuſan regi MESOPOTAMIAE. Hebr. *Aram naharim*, *Syriæ duorum fluviorum*: ſic Meſopotamia vocatur. Suſcitavit Deus Othoniel

V. 9. FRATREM CALEB MINOREM. Hebraica ſic reddi poſſunt: ſed & hoc modo, *fratris Caleb minoris eo*: quod Sept. ſequuntur: ſic Hebræi. Chald. tamen ſequitur, quod Hieronymus, ut Othoniel fuerit frater Caleb, non filius fratris. Is vicit Chuſan,

V. 10. REGEM SYRIAE, ET OPPRESSIT EUM. Non eſt in Hebr. illud, *Et oppreſſit eum*. Et quem ſuperius verſ. 8. dixit *regem Meſopotamiæ*, hic vocat *regem Syriæ*. Utriuſque Provinciæ rex erat. Prævaluit Eglon rex Moab,

V. 13. ET COPULAVIT EI, pro ſibi: ſic Hebraica reddi poſſunt. Ipſe enim Eglon rex ſociavit ſibi Ammonitas, non Deus illi adiunxit. POSSEDIT URBEM PALMARUM, ſcilicet Iericho. Contra eum *Aod. filium Gera*,

V. 15. FILII IEMINI. Chald. *De tribu Beniamin*. UTRAQUE MANU. Sept. *ambidexter*. At Hebr. *obturatum*, ſeu *clauſum manu dextera ſua*; quaſi dicat: Dextera uti non poterat, ſed ſiniſtra. Eodem referuntur quæ ſequuntur omnia: ſcilicet ſiniſtra regem peremiſſe. Ita ſignificatur, non ambidextrum, ſed lævum fuiſſe. Sed videtur uſitatum in tribu Beniamin, ut eſſent ambidextri, propter id quod dicitur cap. XX. verſ. 16. utraque manu pugnaſſe eos Beniamitas: & fortaſſe id faciebant, ut in hoſtes ſtrenui magis eſſent.

V. 16. FECIT SIBI GLADIUM ANCIPITEM. Hebr. *cui ora*, ſeu *acies duæ*. LONGITUDINIS PALMAE MANUS. Vox Hebraica *Gomed*, Chaldæis & Hebræis cubitus eſt. Sept. primi σπιθαμῆς poſuere, quæ vox palmum maiorem ſignificat duodecim digitorum. Eos ſecutus Hieronymus, *palmæ* dixit, nimirum ad Ezech. cap. XL. dixerat quoſdam diſtinctionis ergo σπιθαμὴν *palmam* dicere, ad diſtinctionem palmi quatuor digitorum, qui vere palmus eſt. Verum cur addidit Hieronymus *manus*? Forte ne quis per imprudentiam putaret eum loqui de arbore eo nomine, ſcilicet palma. Datis Eglon muneribus Aod,

V. 18. PROSECUTUS EST SOCIOS, QUI CUM EO VENERANT. Hebr. *Dimiſit populum qui attulerat munera*; ſed ita dimiſit, ut cum iis iret: id Hieronymus explicuit, verbo *proſecutus*.

V. 19. UBI ERANT IDOLA. Alii, *ubi erant latomiæ*, ſeu *lapicidinæ*. Verum vox פסלים *Peſilim* utrumque ſignificat, & *idola*, & *dolaturas*. IMPERAVIT SILENTIUM. Hebr. *ſile*. Hoc dixit rex Aodi, dum aulici exirent, ut ſuſtineret tantiſper. Ergo rex Aodi dixit ut ſileret. Sedebat Eglon

V. 20. IN AESTIVO COENACULO. Hebr. *in cœnaculo refrigerii*. Percuſſit regem:

V. 22. STATIMQUE PER SECRETA NATURAE ALVI STERCORA PRORUPERUNT. Hebr. *Et exivit ſtercus*. Alia ſunt ab Hieronymo addita. Aulici dicebant:

V. 24. PURGAT ALVUM. Hebr. *Tegit ipſe pedes ſuos*. Habitus eſt egerentis; quaſi dicat, Purgat corpus. Iſraelitæ occupatis Iordanis vadis non dimiſere

V. 28. TRANSIRE QUEMQUAM. Moabitæ erant trans Iordanem, ſed citra occuparant Iericho, ubi videtur Eglon fuiſſe. Ne ergo inter ſe citeriores, & ulteriores Moabitæ opem communicarent, vada Iordanis occuparunt Iſraelitæ.

V. 29. ROBUSTOS ET FORTES VIROS: ſcilicet Moabitas percuſſerunt. Hebraice, *pingues*, *&* *viros virtutis*. Sed be-

ne Hieronymus vim verborum expreſſit. Poſt hæc Samgar

V. 31. PERCUSSIT DE PHILISTHIIM SEXCENTOS VIROS VOMERE: ſic Sept. Alii, *ſtimulo quo reguntur boves*: quoniam Hebraice eſt מלמד *malmad*, *bovis*, quæ vox a doctrina ſumitur, qua boves diriguntur. Sed & *haſtam* ſignificare poteſt, quam præfixam ferro armentarii geſtant.

MALVENDAE.

Verſ. 1. BELLA CHANANAEORUM. Exponunt: Id eſt, a populo Dei contra Chenahanæos geſta, Moſe, & Ioſua ducibus: nam hiſtorias bellorum illorum ex parte tenebant; ſed Dei in illis ſingularia iudicia non animadvertebant: quod ſequens verſus fuſius explicat. Alii: *Qui ea non viderant, nec experti fuerant.*

V. 2. UT POSTEA DISCERENT, &c. Hunc verſum nos verbatim reddidimus(*Tantummodo correſpondentiæ cognoſcere generationes Iſrael ad docere eos cæſionem, tantummodo, qui faciebus non cognoverunt ea.*) Alii ſic. I. *Tantum ut ſcirent generationes filiorum Iſrael, & ut doceret eos bellum: tantum, qui antea non cognoverat ea*; id eſt, ut ſcirent filii Iſrael, qui poſtea naſcerentur, & quaſi cogeret eos Dominus diſcere rationem belli, quaque ratione gerenda eſſent bella. Verum *qui antea* (ſubaudi, fuerant, vel vixerant tempore Ioſue) *non cognoverant ea*; id eſt, non noverant; ſubaudi, eam artem bellicam, quod Dominus pugnaret pro eis; quaſi dicat: Non noverant qua ratione vindex Deus nova arte bellandi eos ex ſervitute, & ex ſummis periculis eriperet: id quod antea ſub Ioſue non fiebat. II. *Tantum in hoc, ut generatio filiorum Iſrael noſſet, utque docerent eos belligerare, eos dumtaxat, qui antea non norant*; id eſt, tantum in hunc finem reliquit eas gentes inſuperatas, ut filii Iſrael ſcirent belligerare; atque ipſæ gentes relictæ docerent eos filios Iſrael præliari, eos dumtaxat, qui antea bellare non noverant. III. *Saltem ut noſcerent ætates filiorum Iſrael docere eos bellum, ſaltem eos qui es ante geſtas ignorabant*. Illud, *Docere eos bellum*, explanant: id eſt de bellis in gentes iſtas ſuſcipiendis informare, ad quæ alioquin ipſi non attendebant: non quia optabile ſit bellum, ait S. Auguſtinus, ſed quia pietas in bello eſt laudabilis.

V. 3. DE MONTE BAAL HERMON. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Baal Hermon, mons circa Libanum in finibus Allophylorum*. Non dubium, hanc eſſe urbem quæ *Baal Gad* dicitur, Ioſue XI. verſ. 17. & cap. XIII. verſ. 5. ubi eam accurate deſcripſimus.

V. 6. ET DUXERUNT UXORES FILIAS EORUM. Contra quam Deus interdixerat, Exodi XXXIV. verſ. 16. & alibi ſæpius.

V. 7. ET ASTAROTH. Meliores noſtri codices habent *Aſtroth*: & hæc proculdubio eſt genuina lectio: reliquit vocem Hebraicam ininterpretatam, quam omnes *lucos* exponunt. Diximus de his lucis plura in Deuteronom. VII. verſ. 5. & in cap. XII. verſ. 3. Quidam *lucos* metonymice capiunt, redduntque, Et idola *lucorum*.

V. 8. TRADIDIT EOS. Hebr. *Et vendidit eos*: maiorem emphaſim habet, quaſi odio, & faſtidio a ſe dominium eorum ablegaſſet, & in hoſtium ergaſtula, ut mancipia, nedum ut captivos detruſiſſet. Alii: *Venales fecit*, ſeu *expoſuit*; id eſt, fecit ut capti ab hoſtibus ſub haſta venderentur. CHUSAN RASATHAIM. כושן רשעתים *Cuſchan Riſchghataim*. Sonat id nomen Hebræis, *AEthiops geminæ*, ſeu *geminatæ improbitatis*. Videtur id populari odio ei hæſiſſe ob improbam tyrannidem, & atros mores: ut illud Horatii I. Sermonum, Sat. IV.

> ..... *hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.*

Inde proverbium, *Niger eſt*. Alii interpretantur *iudicem*, ſeu *vindicem geminæ iniuſtitiæ*, civilis, & criminalis; quæ partes ſunt optimi iudicis: ut AEgyptii ſuos reges Pharaones appellarunt ab officio ulciſcendæ, & coercendæ licentiæ.

V. 9. OTHONIEL. Is ipſe eſt de quo actum eſt ſupra cap. I. verſ. 13. ubi hanc partem iſtius verſus explanatam dedimus.

V. 10. FUITQUE IN EO SPIRITUS DOMINI. Hebr. *Et fuit ſuper eum ſpiritus Iehovah*; id eſt, divina vi impulſus fuit. Ioſephus exponit, *Oraculo monitus*. Alii: *Cœpit agi ſpiritu fortitudinis Domini*;

ni; vel *excitavit Dominus animum eius, & fortitudine imbuit*. Quidam reddunt: *Cui cum inſideret ſpiritus Iehovæ*. ET IUDICAVIT ISRAEL; id eſt, rexit, gubervit, adminiſtravit rempublicam Iſraeliticam: functus eſt officio ordinarii iudicis, geſſit magiſtratum iudicatur e Iſraelis. Alii: *Cauſam egit Iſraelis, vindicavit Iſrael*; id eſt, vocatione divina extra ordinem, manu armata Iſraelitarum cauſam contra hoſtes ſuſcepit, & ſuperior fuit. ET OPPRESSIT EUM. Hebr. *Et roborata eſt manus eius ſuper Chuſan*: id eſt, ſuperior evaſit, vel prævaluit adverſus Chuſan. Quidam: *Et robuſta fuit manus eius ſupra Chuſanem*. Alii: *Valide & robuſte incubuit Chuſani*. Ioſephus: *Itaque congreſſi cum hoſte, uno prælio ſe in libertatem aſſerunt: reliquiæ fuſi & fugati exercitus ultra Euphratem ſe recipiunt*.

V. 11 QUIEVITQUE TERRA: tranquilla fuit, manſit in pace & otio, nullis bellorum procelliis agitata, nulla externa vi, aut iugo oppreſſa. QUADRAGINTA ANNIS. Totos iſtos quadraginta annos plerique uni magiſtratui Hothonielis aſſignant; quem occipiunt poſt octo annos ſervitutis Iſraelis ſub Chuſan Syro. Ioſephus: *Cenizus vero egregiæ navatæ operæ præmium principatum a populo accepit, nomine iudicis: in quo poſtquam annos quadraginta exegit, vita defunctus eſt*. Alii vero reddunt, & exponunt in hunc modum: *Ita quieſcebat terra* ad *annum quadrageſimum* uſque, ex quo Iehoſua Iſraelitarum dux proximus vita defunctus eſt. Senſus eſt: Quæcumque a morte Iehoſuæ uſque ad mortem Hothonielis facta narrantur, comprehenſa etiam ſervitute ſub Syris, de qua ſupra verſ. 8. geſta fuerunt quadraginta annis: nam hoc membrum ad totam hiſtoriam inde a Iehoſuæ tempore eſt referendum: & ſic accipiendum eſſe hunc locum, & ſequentes, docet temporum ratio ex I. Reg. VI. verſ. 1. Ita Tremellius, & Iunius. Sed ſunt hæc incerta, & in Chronologorum ſcrupulis reponenda. ET MORTUUS EST OTHONIEL. Ioſephus: *Vir induſtrius, & magnanimus*.

V. 12. EGLON. Hebr עגלון *Gheghlon*. Sificat id nomen Hebræis, *rotundum*, *teretem*, forſan a forma corporis; vel *plauſtralem*, *curralem*, a copia curruum, & plauſtrorum, quibus abundabat; aut *vitulum*, ſeu *vitulinum*, a ferocia & robore corporis, ſeu a præſtantia.

V. 13. ATQUE POSSEDIT URBEM PALMARUM, nempe Ierichuntem, vel Engaddam. Vide ſupra cap. I. verſ. 16. & Deuteron. XXXIV. verſ. 3. Ioſephus: *Rex victor tranſlato Ierichuntem domicilio, modis omnibus plebem vexavit*.

V. 15. AHOD. Hebr. אהוד *Ehud*, quidam *unicum*, & *ſolitarium* interpretantur, humilitatem hominis ex nomine arguentes, manifeſto errore, cum non per Chet, ſed per He in omnibus exemplaribus deſcribatur. *Ahod* ſignificat *celebrem*, *decorum*, *glorioſum*, *inclytum*. Ioſephus: *Iuvenis ad quodvis egregium facinus, & animo, & utraque manu ex æquo promptus*. QUI UTRAQUE MANU PRO DEXTERA UTEBATUR. Hebr. *virum* אטר *itter manu dextera ſua*. Verbum אטר *atar* ſemel tantum in Scriptura legitur Pſalm. LXVIII. verſ. 16. nomen vero *itter* bis ſolum, hic, & infra cap. XX. verſ. 16. Plerique hic reddunt *virum clauſum*, *concluſum*, *præcluſum*, *obſtrictum*, *obſtructum*, *obturatum*, *captum*, *contractum*, *manu dextera ſua*. Ita plerique Hebræorum, item Caietanus, Alfonſus Zamorenſis, Sanctes, Vatablus, Pellicanus, Munſterus, Clarius, Forſterus, Mercerus, Tremellius, Iunius, Marinus, Pomarius, Avenarius, Buxſtorfius, Schindlerus, Leo Iudas, Montanus, Hiſpanicus Interpres. Quod tamen bifariam poteſt intelligi. Primo, quod utramque manum ſanam & integram habuerit, & utraque valuerit, ſed minus dextera, & potiſſimum ſiniſtra: eiuſmodi Latini appellant *ſcævam*, vel *ſcævolam*, quaſi dicas *ſiniſtrum*, Itali *mancino*, Hiſpani *çurdo*, *izquierdo*, qui ad humanas functiones parum dextera; plurimum, & validius utuntur ſiniſtra. Ita Kimchius, Caietanus, Zamorenſis, Pomarius, Marinus, Buxſtorfius, Schindlerus, Interptes Hiſpanicus. Secundo, ut vitio aliquo manum dexteram contractam, impotem, impeditam, ac prorſus inutilem & invalidam, abſque ullo eius uſu habuerit: cuiuſmodi Itali vocant *eſtropiato*, & Hiſpani, ac Latini *mancum manu*. Id videntur ſequi Caietanus Vatablus, Clarius, Montanus. Sic Agrippina Neronis mater in XIII. Annali. Taciti appellabat, *Debilem Burrum*, *trunca manu*. Conſentiente voce Hiſpanica *atar*, pro *li-*

gare; poſſet aliquis reddere, *Virum ligatum manu dextera ſua*, id eſt contractum & obſtrictum, vel impeditum, impotem: aut fortaſſe ad diſſimulandum facinus quod parabat, dexteram manum faſciis circumligatam geſtabat: ut de Stephano interfectore Domitiani prodit Svetonius cap. XVII. *Ac ſiniſteriore*, inquit, *brachio velut ægro, lanis, faſciiſque per aliquot dies ad advertendam ſuſpicionem obvoluto*, &c. Nec deſunt qui exponant, *Virum apertum manu dextera ſua*: quæ ſignificatio haud videtur aliena a verbo *atar*, Pſalm. LXVIII. verſ. 16. ut ibi notabimus: id eſt explicatum, expeditum manu dextera ſua: vel ex notione quam verbo eo loco Pſalmi tribuit Noſter, *Virum urgentem manu dextera ſua*, hoc eſt manu promptum, alacrem, inſtantem. Sed ii ſenſus non ſatis convenire videntur cum verſ. 21. infra. Quidam, *Apertum manu*, id eſt diſſoluta articulorum, & nervorum compage, manus dexteræ prorſus inutilem. Alii, *Præcluſum manu dextera ſua*; id eſt, qui quamvis dexrera plurimum valeret, at tam ſtrenuus & impiger erat, ut tantumdem ſiniſtra valeret; nec minus cunctas hominis & roboris functiones ſiniſtra manu obiret, ac ſi dexteram præcluſam, contractam, & impotem haberet: quem ſenſum ſecuti ſunt LXX. Ioſephus, Noſter, qui reddunt *amphoterodexion*, *ambidextrum*, qui utraque manu æque valebat, & utebatur; quaſi dicas *æquimanum*. S. Iſidorus Lib. X. Originum, cap. I. extremo: *Æquimanus appellatur, qui utraque manu gladio incunctanter utatur*. Ioſephus Ehudem appellat *utraque manu ex æquo promptum*. Atqui hic ſenſus egregie iuvatur e cap. XX. verſ. 16. Ego facile adducor ut potius credam Ehudem fuiſſe ſcævam, ut ex verſ. 21. infra colligitur. Solet id genus hominum eſſe ſtrenuum, impigrum, audax, & multo robore præditum.

V. 16. GLADIUM ANCIPITEM. Hebr. *Gladium cui* erant *duo ora*, ſeu duæ acies. Latini dicerent *gladium bipennem*. Nonius cap. II. num. 82. *Bipennis, manifeſtum eſt ita dici, quod ex utraque parte ſit acutum. Varro Parmenone: Ferens ferream humero bipennem ſecurim*. HABENTEM IN MEDIO CAPULUM, LONGITUDINIS PALMAE MANUS. Hebr. nihil de capulo in medio, ſed tantum, *Gomed longitudo eius*: quod omnes exponunt, *Cubitus longitudo eius*. Ægre Noſtrum cum Hebræo conciliant. Ego illud, *Longitudinis palmæ manus*, non ad capulum, ſed ad gladium retulerim, ut clare apparet ex LXX. quos hic Noſter ſecutus: illud autem, *Habentem in medio capulum*, videtur Noſter adieciſſe de ſuo maioris explicationis cauſa, ut gladii brevioris formam accuratius deſcriberet. Quidam notant, hic *cubitum* Hebraice, intelligi minorem; *palmum* vero Noſtri, maiorem, qui eſt duodecim digitorum, & cubito minori ferme æquipollet. Aliqui גומד *gomed*, *menſuram* palmo maiorem ſtatuunt, atque ad pedem accedere putant: & gladii Ehudis aciem quidem fuiſſe unius palmi, ut Noſter ait; aciem vero cum capulo, unius pedis, ut Hebræa indicant. Equidem *gomed* ſemel tantum in Scriptura hic legitur, & omnes *cubitum* interpretantur, ex altera voce גמדים *gammadim*, Ezechiel. XXVII. II. quam *pygmæos*, id eſt *cubitales*, reddunt. At LXX. & Noſter conſtanter hic *ſpithamam*, id eſt palmum maiorem, ſeu dodrantem, exponunt: quibus in voce obſcura aſſentiri tutius. Unde non dubitaverim hic *ſpithamam* potius quam cubitum convertere; & in Ezechiele *ſpithamæos*, vel *ſpithamales*. Plinius Lib. VII. cap. II. *Spithamæi Pygmæi narrantur, ternas ſpithamas longitudine, hoc eſt, ternos dodrantes non excedentes*. Et vero ſpithamæ longitudo mirifice gladio Ehudis congruit, quem *ſicam* Noſter appellat infra verſ. 21. & Ioſephus *pugionem*: proculdubio qualem noſtrum Hiſpanicum, quem *punnal*, vel *daga* vocamus, aptiſſimum Ehudis facinori patrando, quem etiam Latini apud Feſtum *clunaclum* appellant. *Clunaclum*, inquit, *cultrum ſanguinarium dictum, vel quia clunes hoſtiarum dividit, vel quia ad clunes dependet*. Scaliger, & alii, qui *Victimarium*, aut *ſaginarium* mutant, Feſtum non intellexerunt: *ſanguinarium* eum appellat, ſanguini ex inſidiis fundendo aptiſſimum, quo ſicarii & ſanguinarii homines potiſſimum utuntur. Facile arbitramur hunc illum eſſe iam olim inter arma Romana ſub nomine gladii Hiſpanienſis receptum, de quo Polybius Lib. VI. *Una cum ſcuto gladium imperant, quem ferunt ad dextrum femur: appellant Hiſpanienſem, habetque mucronem eximium, & illum utrimque validum, quoniam lamina eius valida*

eſt

eſt & firma. Ioſephus III. Belli, cap. VI. *Pedites utrimque gladios geſtant: longiorem quidem illum ad ſiniſtrum latus: nam qui ad dextrum eſt, palmi, ſive duodecim digitorum menſuram non excedit*. Parum cepit hæc loca Polybii, & Ioſephi Lipſius. Ergo Ehudes ſpithamali Hiſpanienſi gladio ſuper femur accinctus ad patrandam cædem proceſſit.

V. 18. PROSECUTUS EST SOCIOS, QUI CUM EO VENERANT. Hebr. *Et dimiſit populum ferentes munus*. Quidam exponunt: Et Heglon accepto munere, benigne a ſe dimiſit eos qui illud attulerant. Alii: *Et Ebud deduxit ſocios*, vel *perſecutus eſt*, qui ſecum detulerant munus illud: nimirum ut a periculo, ſi quod eventurum erat, liberi eſſent, & ipſe rem expeditius gereret.

V. 19. ET REVERSUS DE GALGALIS, UBI ERANT IDOLA. Hebr. *Et ipſe reverſus eſt de Peſilim, quæ ad Ghilghal*. Vocem פסילים *Peſilim*, proprie interpretantur *inciſa, dedolata, inſculpta, exſculpta*, ſive ex ligno, ſive ex lapide. Sæpiſſime hæc vox in Scripturis ſignificat *ſculptilia, idola*, quæ Hiſpanicus interpres recte vocat *idolos de talla*. Hic pro *lapicidinis, latomiis*, quæ erant prope Ghilghal, accipiunt Caietanus, Sanctes, Vatablus, Marinus, Tremellius, Iunius, Clarius, Avenarius, Buxtorfius, Schindlerus. Alii reddunt: *Ubi erant dolaturæ*, vel *ſculpturæ*; id eſt, ubi imagines dedolabantur, & ſculpebantur. Plerique cum Noſtro: *Ubi erant idola*: ut Lyranus, Forſterus, Leo Iudas, Hiſpanicus Interpres. Putant Heglonem ad profanandum locum ſanctum Ghilghal, ubi quondam poſitum fuit tabernaculum, & arca, ubi filii Iſrael circumciſi fuerunt, & celebraverunt Peſach, conſtituiſſe imagines deorum ſuorum. Nec deſunt qui putent, *Peſilim* hic eſſe ſtatuas illas quas veteres Hermas, & Hermathenas, a figura Mercurii, & Minervæ, vocaverunt. Has enim frequentes in vicis, viis, terminis ponebant. Thucydides Lib. VI. *Statuæ Mercuriales in urbe Athenarum (Hermas vocant quadratum opus, quorum plurimi in privatarum ædium veſtibulis, & templis more patrio habentur) una nocte pars maior iuxta ora præciſa ſunt*, &c. Et Plato in Hipparcho auctor eſt, Hipparchum Piſiſtrati filium in triviis urbis Athenarum, & pagorum multos conſtituiſſe huiuſmodi Hermas. Et Pauſanias in II. Corinthiacorum extremo: *Erecti ſunt pro terminis lapidei Hermæ*. Macrobius I. Saturnal. cap. XIX. *Pleraque etiam ſimulacra Mercurii quadrato ſtatu figurantur, ſolo capite inſignita, & virilibus erectis*. At de his latius dicemus in Proverb. XXVI. verſ. 8. Sed de Termino lapide in finibus agrorum a Romanis poni ſolito, ac pro deo culto, notius eſt quam ut opus ſit indicare. Vide Dionyſium Halicarnaſſæum Lib. II. Tremellius, & Iunius in hunc verſ. & in 26. infra, hæc annotant: *Sed quid ſi Peſilim accipitur pro lapidibus illis cæſis, quos in Gilgale ſtatuit Iehoſuagh, Ioſ. IV. verſ. 20. omnino id magis probo*. Nec abſurda eſſet coniectura, ſi ſciretur lapides illos dedolatos, aut cæſos fuiſſe: nam id Scriptura non dicit: & monumento ſane magis feciſſe videntur rudes & impoliti ut e fluminis alveo erepti fuerant, tametſi ſubſtructionibus impoſiti. ET ILLE IMPERAVIT SILENTIUM. Hebr. *Et ille dixit, Sile*: nimirum dum iſti abierint & receſſerint, qui me circumſtant.

V. 20. INGRESSUS EST AOD. Hebr. *Et Ebud venit ad eum*; id eſt, propius acceſſit. Alii: *Cumque ingreſſus fuiſſet Ebud ad eum*. IN AESTIVO COENACULO. בעלית המקרה *beghaliat bammekerab*. Equidem עליה *ghaliiab* femineum proprie eſt *aſcenſio, ſuperior, gradus*. Aiunt eſſe Latine *aulam, ſupremam partem domus, ſuperius*: aut *cœnaculum, cubiculum, thalamum, conclave ſuperius, cœnaculum in ſuperioribus ædium partibus, ſuperiorem domus partem, ad quam ſcalis, ſeu gradibus aſcendebatur*, ubi antiquitus cœnabatur: Græce ὑπερῷον, nempe ſuperiorem contignationem, conclave ſuper domo. Feſtus: *Cœnacula dicuntur ad quæ ſcalis aſcenditur*. Livius Lib. XXXIX. cap. XIV. *Cœnaculum ſuper ædes eſt*. Quidam hic vertunt: *In cœnaculo refrigerationis*, ſeu *refrigerii*, id eſt æſtivo, in quo flabat ventus frigidior, quod factum erat pro tempore æſtivo, refrigerandi gratia. Leo Iuda: *In cœnaculo contabulato*. Forſterus: *In ſuperiori camerato*: vel *in altana refrigerii*. Recte finxit vocem & ab עלה *gbalab*, quod *aſcendere* eſt, & ab altanis ventis, qui ab alto, ſeu mari perflant, & eiuſmodi ſuperioribus ædium partibus æſtivo tempore plenius re-

Digitized by Google

recipiuntur : *embates* Hiſpanice dicimus. Servius ad illud AEneidos VII.

.... omniſque repente reſedit
Flatus,

inquit : *Omnis, id eſt & qui ripæ eſt, & qui pelagi, qui Altanus vocatur*. Eadem S. Iſidorus Lib. XIII. Originum, cap. x. Ex quibus reſtituo traiecta verba Plinii Lib. II. cap. XLIII. & lego: *Namque & e fluminibus, ac nivibus, & e mari videmus, & quidem tranquillo, quos vocant Altanos, & alios e terra conſurgere*. Vide infra verſ. 24. Notabis hic olim Aſianis & orientalibus delicatioribus principibus morem fuiſſe ut in ædibus ſuis alia haberent hiberna, alia æſtiva habitacula: quem morem etiam ad Hebræos tranſiſſe apparet ex Amos III. verſ. 15. item & ad Romanos, ut ex multis auctoribus docent Caſaubonus ad Svetonii Auguſtum, cap. LXXII. & Iſaacius Grangæus in Commentariis ad ſatyram VII. Iuvenalis. VERBUM DEI HABEO AD TE; id eſt, quod accepi a Deo; quaſi dicat : Eſt quod tibi dicam ex parte Dei, vel iuſſu Dei. Dicturus ſum tibi verbum Dei. Quidam reddunt : *Aliquid divini habeo ad te*. QUI STATIM SURREXIT DE THRONO, nimirum honorem verbo Dei exhibiturus. Vide Numeror. XXIII. verſ. 18. & in Geneſ. XLIX. verſ. 32.

V. 22. AC PINGUISSIMO ADIPE STRINGERETUR. Hebr. *Et clauſit adeps in uſque ad laminam*; id eſt, totam laminam operuit, ita ut totus gladius demerſus eſſet in omentum. Quidam: *Et concluſit adeps laminam*. Alii: *Et occluderet adeps mucronem ipſum*. Nonnulli : *Adepſque concluderet*, ſubaudi vulnus, aut os vulneris, *poſt ferrum*, ſive *laminam*; id eſt, adacto ferro adeps occluſit os vulneris, ut non poſſet extrahi gladius. NEC EDUXIT GLADIUM. Exponunt: Ac ne potuit quidem extrahere, cum adipe demerſus eſſet capulus. STATIMQUE PER SECRETA NATURAE ALVI STERCORA PRORUPERUNT. Hebr. *Et exivit* פרשדונה *parſchedonah*. Quidam componunt a פרש *paraſch*, ſeu *pereſch*, *ſtercus*, *fimus*, *excrementum*, & אשר *eſched*, *effuſio* : *Et exivit effuſio ſtercoris*. Alii conſtant ex *peſreſch*, *ſtercus*, & דומן *domen*, *pollutio ſtercoroſa*, *fimus* : *Et egreſſum eſt excrementum*, *ſtercus*, per vulnus inflictum, *cum viſceribus pollutis*. Aliqui He ultimum putant eſſe adverbium locale: *Et exivit in parſcedon*: quod nomen proprium loci eſſe volunt, a פרש *paraſch*, *equus*; quaſi dicas: *Ad equile*, vel *hippodromum*: nimirum, exivit Ehud patrata cæde, ad locum ubi erant, vel exercebantur equi, vel equites. Nonnulli: *Et exivit ad podicem eius*; id eſt, adactus mucro in ventrem penetravit omnia, ita ut per podicem exiret. Nec deſunt qui *parſchedonah* velint eſſe ipſum inteſtinum: *Et exivit inteſtinum*, per vulnus ipſum. Hiſpanica antiqua Translatio: *Y ſalio la tripa*.

V. 23. ET OBFIRMATIS SERA. Hebr. eſt futurum : *Et obſerabit*. Recte notant, ſignificari ſeram ſic fabricatam, ut ſolo tractu clauderetur ſic quod non niſi clave aperiri poſſet, ut frequentiſſimo uſu videmus. Hiſpanice appellamus *cerradura de golpe*, quæ ictu claudit. Quidam: *Et peſſulo obſeravit*. Non tam recte: nam difficile poterat ipſe exiens peſſulum ab intus obdere.

V. 24. PER POSTICUM EGRESSUS EST. Hebr. *Et exivit Ehud* המסדרונה *bammiſderonah*. Varie convertunt. I. *Per porticum*, quales fieri ſolent in domibus magnatum. Unde coniectantur in Noſtro, non *poſticum*, ſed porticum legendum. II. *Ad ordinationem*; hoc eſt, ad locum in quo ordinarie Curiales manere conſueverant. Significatur enim, quod exivit per ordinaria loca, tamquam nihil mali egiſſet, nullam ſui ſuſpicionem dans curialibus. III. *Ad ipſum veſtibulum*, ſeu *procœtonem*, in quo cuſtodes principis excubant. IV. *Per gradus ordinatos*, ad introitum domus. V. *Ad ordines*, vel *per ordines*. Voluntque eſſe locum, in quo erat ordinata ſedilium diſpoſitio. Unde reddunt: *Ad exedram*, quod eſt ordinata ſcabellorum, ſedium, ſubſelliorumque diſpoſitio, ut ſedeant homines. VI. *Ad tabulatum*. Aiunt eſſe conſtructionem tabularum, ſeu tabulatum, ubi erat ordinata diſpoſitio ſedilium. VII. *Ad*, vel *per conventum*, id eſt locum in quo conveniebant homines ad regem. VIII. *Verſus prætorium*. IX. *Ad aulam*, maiorem domus. X. *Ad atrium*. Hiſpanicus Interpres, *Al patio*. XI. *Per Cochleam*, nempe per gradus ordinatos ad modum cochleæ ad introitum domus. Notant, in *miſderonah* He

pro-

Digitized by Google

proculdubio eſſe locale. Poſſis reddere: *Et egreſſus eſt ad ordinem*, vel *ſeriem*, ſcilicet armatorum, id eſt ad cohortem prætoriam excubantem. Tanta fuit fiducia viri! cum tamen prius portas valide occluſiſſet. FORSITAN PURGAT ALVUM. Hebr. fere omnes convertunt: *Forte tegens ipſe pedes ſuos*: notantque eſſe periphraſim honeſtam purgantis alvum. Dicit enim Scriptura verecunde, *Velare pedes* eos qui ſe exonerant, ſumpta loquendi figura a Iudæorum egerentium geſtu, qui cum ventrem levare volunt, procumbendo in genua pedes veſtitu tegunt. Honeſtiſſima igitur locutione habitum egerentis expreſſit. Sic etiam I. Samuel. XXIV. verſ. 4. Verum participium מסיך *meſchu*, proprie eſt a verbo סוך, *ungere*. Nec prorſus abſurde reddes: *Forte ungens ipſe pedes ſuos*. Potuit eſſe, ut rex æſtivo illo tempore ſub meridiem unctioni pedum pretioſo aliquo unguento ad leniendum æſtum, dare operam eſſet ſolitus.

V. 25. EXPECTANTESQUE. Verbum יחל *iachal* proprie eſt *cum anxietate, ſolli citudine, niſu, moleſtia exſpectare*. Vide Geneſ. VIII. verſ. 12. DONEC ERUBESCERENT. De notione verbi בוש *buſch*, plenius egimus Exodi XXXII. verſ. 1. hic בוש *boſch*, quidam pro infinitivo, alii pro nomine infinito capiunt, varieque reddunt: 1. *uſque ad pudorem*; vel *uſque ad pudefieri*, ſeu *donec pudefierent*: 2. *uſque ad tardare, morari*; vel *uſque ad tarditatem*; id eſt, amplius diſtuliſſet aperire quam ſolebat. Quidam explicatius reddunt: *Cumque exſpectaſſent dudum*. Alii: *Et exſpectaverunt donec cunctarentur*; vel *donec morarentur*; quaſi dicat: Expectaverunt diu, moram exſpectando traxerunt.

V. 26. EFFUGIT. נמלט *nimlat*, quidam reddunt: *Se recepit, receptus eſt*. Alii: *Servatus fuit, ereptus, liberatus fuit, dum illi turbarentur*. Aliqui reddunt: *Dum illi tardarent*, aut *cunctarentur*, ſcilicet aperire. Rectius: *Dum illi interturbarentur*, aut *diſtraherentur*, rei novitate attoniti, in ſumma rerum trepidatione nihil conſilii, rege interfecto, expedientes. ET PERTRANSIIT LOCUM IDOLORUM, UNDE REVERSUS FUERAT. Hebr. tantum eſt: *Et tranſivit dedolata*, ſeu *ſculptilia*, aut *latomias*. Vide verſ. 19. Nempe per locum illum quouſque deduxerat ſocios ferentes munus, & unde ipſe redierat ad patrandam cædem. Par eſt exiſtimare, ſocios viros ſtrenuos ibi relictos, exſpectaſſe eventum rei, atque nunc his receptis evaſiſſe cum illis Ehudem in Sehiratham. VENITQUE IN SEIRATH. Hebr. *Et evaſit ſalvus, recepit ſe in Sehirath*. Notant, *Sehirath* locum fuiſse ad montana Ephraimitarum, ut ſequens verſus oſtendit. Aliqui pro appellativo capiunt, redduntque: *Et ſervatus eſt inter condenſa veprium*. שעירת *Seghirat*, nomen a capris, & hircis, quod eo loco plures eſsent; vel ab arbuſtorum, & rupium impexa, horridaque coma; vel ab hordeis, quod iis locis plura, & tunc matura eſsent, inter quæ Ehudes delituerit, proculdubio dicitur.

V. 27. IPSO IN FRONTE GRADIENTE. Hebr. *Et ipſe ad facies eorum*. Quidam: *Et ipſe ante eos*. Alii: *Ipſo præeunte eis*; vel *& ipſe* deſcendebat *ante eos*; ſeu *& ipſe* proficiſcebatur *ante eos*, tamquam dux agminis & anteſignanus.

V. 28. ET OCCUPAVERUNT VADA IORDANIS, QUAE TRANSMITTUNT IN MOAB. Hebr. *Et ceperunt traiectiones Iardenis ipſi Moab*. Quidam: *Occuparunt vada Iordanis, ubi traiicitur ad Moabitas*. Alii: *Præoccupaverunt vada Iardenis Moabitis*. Nonnulli: *Occuparunt vada Iordanis propter Moabitas*; id eſt, ne ipſi Moabitæ ultra Iordanem ferrent opem iis Moabitis, qui citra Iordanem erant ad Iericho. Simplicior ſenſus eſt: *Et interceperunt tranſitum Iordanis ipſis Moabitis*. ET NON DIMISERUNT TRANSIRE QUEMQUAM: nimirum in ulteriorem ripam verſus campos Moabiticos: nam omnia vada Iordanis cuſtodiis ſepſerat Ehudes militari ſtratagemate. Alii: *Et non dimiſerunt tranſire quemquam*, vel ex iis qui citra fluvium erant; vel ex iis etiam qui ultra flumen ex proximis Moabitarum campis opem ſuis ferre poterant.

V. 29. OMNES ROBUSTOS. Hebr. *omnem pinguem*, vel *pinguefactum*. Quidam, *omnem obeſum*: alii, *omnem ſucculentum*, & *bene curatum*: nonnulli, *omnem opulentum*: nimirum metaphora a corpore ad opes. Nec deſunt qui, *omnem adipem*, ſeu *pinguedinem*, id eſt ſelectiſſimum quemque ac præſtantiſſimum, opibus, nobilitate, dignitate. Hiſpanice, *toda la nata*.

Pro-

Proprie *omnem oleoſum* , *unguentoſum* , oleo, & unguento delibutum; id eſt, perculſerunt omnes craſſos, unguentatos, delicioſos; & omnes etiam viros ſtrenuos, & militares.

V. 30. HUMILIATUSQUE EST MOAB. Hebr. eſt verbum ſemineum: *Et humiliata eſt Moab*, nempe terra, regio, gens, congregatio, horda. Vel forſan tribuit eis verbum ſemineum, ob fractum, & enervatum eorum animum tanta clade. Quidam reddunt: *Subactus itaque fuit Moab*. Alii: *Sic depreſſi ſunt Moabitæ*, victi, & attriti Iſraelitica vi. ET QUIEVIT TERRA OCTOGINTA ANNIS. Quidam reddunt: *Et quievit terra* ad *annum octogeſimum* uſque: nimirum ab Hothonielis morte uſque ad Samghar. Vide ſupra verſ. 11. Ioſephus: *Eum principatum per annos octoginta obtinuit*.

V. 31. SAMGHAR. שמגר *Schamgar*. Sonat, *Ibi advena*, ſeu *peregrinus*: vel *qui conciſor*, *exciſor*, *ſerrator*, ob vires & robur corporis. De quo vide infra cap. v. verſ. 6. Ioſephus: *Sanagarus Anathi filius electus in imperium*, *vix toto vertente anno vitam finiit*. VOMERE. במלמד הבקר *bemalmad habbakar*. Plerique reddunt, *in ſtimulo bovis*, vel *boum*; quaſi dicas, *doctrinali*, *inſtructorio boum*: quod nimirum doceat eos arare. Alii, *vecte iugali boum*. Quidam, *manicula boum*. M. Varro Lib. IV. de lingua Latina, cap. XXXI. *In ſtiva tranſverſa regula manicula dicitur*, *quod manu bubula tenetur*: *qui quaſi eſt temo inter boves*. Aliqui, *in haſta*, ſeu *phalanga boum*. Sed nemo rectius Noſtro, *cum vomere*.

MENOCHII.

Verſ. I. UT ERUDIRET IN EIS ISRAELEM. Hebraicum verbum, *tentare* ſignificat, ita ut cauſa iſta ſit eadem quæ ſuperiori capite verſ. 21. 22. *Ego non delebo gentes ut in ipſis experiar utrum cuſtodiant viam Domini*, &c. & hoc eod. cap. III. num. 4. *Dimiſit eos*, *ut in ipſis experiretur Iſraelem*, *utrum audirent mandata Domini*, &c. QUI NON NOVERANT BELLA CHANANAEORUM; id eſt, qui ea non viderant, & experti non erant.

V. 2. UT POSTEA DISCERENT FILII EORUM CERTARE CUM HOSTIBUS. Aliqui ex textu Græco, & Hebræo hunc ſenſum eſſe putant, ut filii Iſrael intelligant quid ſit præliari cum Chananæis, quam ſcilicet durum, plenumque diſcriminis. Alii textui noſtro convenientius, ut filii Iſrael artem bellandi condiſcerent frequenti armorum tractatione, belliſque gerendis cum Chananæis, a quibus artem militarem docerentur, dum hoc modo exercebantur.

V. 3. SATRAPAS, id eſt præfectos, ſeu principes: vox eſt Perſica. DE MONTE BAAL HERMON. Videtur is mons ſic dictus ab idolo, & templo eius, quod erat ad Hermon. Porro mons Hermon prope Antilibanum eſt ad ſeptemtrionem Palæſtinæ. USQUE AD EMATH. Hæc a nonnullis Antiochia eſſe creditur ad orientem.

V. 7. IN CONSPECTU DOMINI. Hebr. *in oculis Domini*, ipſo vidente, & reprobante. SERVIENTES BAALIM, ET ASTAROTH. Hebr. *Aſeroth*: quam vocem quidam intactam relinquunt, ſecuti Chaldæum, quaſi ſit nomen proprium. Septuag. *ſervierunt Baalim*, *& lucis*: quod Hebræi ſequuntur, docentes, ea voce ſignificari arbores quæ coluntur, vel conſitæ ſunt in honorem idoli. TRADIDIT EOS. Hebr. *vendidit eos*: cuius phraſis vis explicata eſt cap. ſuperiore num. 14. RASATHAIM. Hæc vox ſignificat *duarum malitiarum*. Arias putat, reges Syros Pharaonum inſtar cognomine iſto affectos fuiſſe ab improbis factis duplicibus coercendis, & criminalibus. Prior vox, CHUSAN, *Æthiopem*, *& nigrum* ſignificat. REGIS MESOPOTAMIAE: quæ in Hebræo dicitur *Syria duorum fluminum*, & apud Septuag. *Syria fluviorum*, quia inter duos fluvios iacet, Tigrim & Euphratem.

V. 9. SALVATOREM. *Advertendum*, inquit S. Auguſt. quæſt. XVIII. *ſalvatorem etiam dici hominem per quem Deus ſalvum faciat*.

V. 10. FUITQUE IN EO SPIRITUS DOMINI. Spiritum hunc exiſtimant Ioſephus Lib. V. cap. IV. oraculum, ſeu χρησμὸν fuiſſe; Chaldæus in Paraphraſi, *prophetiam*; alii *donum roboris*, *ac fortitudinis*; Abulenſis *fortitudinem*, *prudentiam*, *bellandique impetum*; Caietanus *ſpiritum accenſivum populi ad ſervitutem Dei*, *ad vendican-*

dicandum ſe in libertatem, ad bellum. Et iudicavit Israel: primo per vindicationem a regis Meſopotamiæ tyrannide; poſtea vero per bonam, ſanctamque gubernationem & imperium. Egreſſusque est ad pugnam, divino ſcilicet illo ſpiritu plenus. Et oppreſſit eum. Hebr. *Et robuſta fuit manus eius ſuper eum*. Significatur autem victoriæ magnitudo, atque perfectio.

V. 11. Quievitque terra: ceſſatum ſcilicet eſt a ſervitute, & ab armis; religio reſtaurata eſt; divinarum legum vigor, tranquilluſque, ac florens reipublicæ ſtatus reſtitutus eſt.

V. 12. Addiderunt filii Israel facere malum, &c. mortuo ſcilicet Othoniel: tanti refert a bono principe rempublicam gubernari. Confortavit: roboravit, impio, ac gentili rege tamquam inſtrumento, & quaſi tortore uſurus, ad plectendos Iſraelitas.

V. 13. Et copulavit ei. Septuag. *Et congregavit ad ſe ipſum*. Utrumque verum: nam opitulante Deo adiunxit ſibi Eglon Ammonitas, & Amalecitas, rurſumque hos illi ſua ope adiunxit Deus. Percuſſit Israel, gravi clade eum afficiens, ipſorumque terram occupans ex parte. Poſſedit urbem palmarum, Iericho, agrum ſcilicet eius: nam civitas ab Ioſue diruta fuerat, & incenſa.

V. 14. Servierunt Eglon decem et octo annis. Regi Meſopotamiæ ſervierant octo annis: iam vero creſcentibus peccatis, diuturnior ſervitus rependitur.

V. 15. Vocabulo Aod. A Ioſepho Lib. V. Antiq. cap. v. appellatur Ἰώδης, *Iudis*, & vero nomen hoc, & origine, & ſignificatione convenit cum Iuda; ideoque a quibuſdam *Aod* exponitur *confitens*, & *laudans*: ab Orig. homil. iv. *laus*. Filium Gera, filii Iemini, de ſtirpe nimirum Beniamin. Utraque manu pro dextera utebatur: ambidexter erat, ſeu, ut ab Iſidoro dicitur, *æquimanus*. Septuaginta ἀμφιδέξιον vocant, eadem ſignificatione. Vatablus, Arias, Cajetanus, & alii putant, vocem Hebraicam אטר *itter* ſignificare eum qui ſiniſtra tantum manu utitur, vel certe ea plus valet. Favet Ioſephus Lib. V. cap. v. cum ait: *Siniſtra manu melior, & in ea omnem vim habens*.

V. 16. Gladium ancipitem, duarum acierum, duorum mucronum. Longitudinis palmae manus. Gladius, ſeu ſica, quam ſibi paravit Aod, palmaris fuit. Hebræus cubitalem fuiſſe ait; ſed a noſtro Interprete palmus maior intelligitur qui cum cubito minore, longitudine congruit.

V. 17. Erat autem Eglon craſſus nimis. Hebr. *pinguis valde*. LXX. habent ἀςεῖος, quæ vox in interpretatione Latina, quæ S. Auguſtini tempore circumferebatur, *exilis* reddebatur, & D. Auguſtinus per antiphraſim intelligit. Certum eſt, ἀςεῖον Græcis eſſe urbanum, bellum, commodis moribus. Quomodo LXX. virorum lectio cum vulgata conciliari poſſit, non ſatis video. Vide tamen quæ affert hic Serarius.

V. 18. Proſecutus eſt ſocios. In Hebr. eſt, *Dimiſit*, vel *emiſit populum*, *qui munus tulerat*, ut etiam LXX. Id autem fecit ut expeditior eſſet ad facinus, vel ne aliis crearet periculum, ſi cœptum parum feliciter ſuccederet. Nec diſcordat textus Latinus, cum ait: *Proſecutus eſt ſocios*: primo enim ſocios dimiſit, deinde quaſi cum iis abiturus, eos ſubſecutus eſt, poſtea autem ſolus rediit.

V. 19. Et reverſus de Galgalis. Hucuſque populum quem a ſe dimiſerat, proſecutus eſt Aod, ac inde ad regem, quaſi aliquid oblitus eſſet, vel in via novi quid incidiſſet, ſolus rediit. Galgala ſunt in agro Ierichuntino.

V. 20. Ingreſſus eſt ad eum: propius ſcilicet acceſſit. In aeſtivo coenaculo. Significatur locus adverſus æſtivos calores idoneus, ſeu, ut Hebræus indicat, refrigerationi locus idoneus. Solus: plane ſolus, omnibus omnino excluſis. LXX. habent μονώζαζος. Verbum Dei habeo ad te. Oraculum, Ioſephus dixit ὄναρ *ſomnium*, divinitus ſcilicet immiſſum. Id agebat Aod, ut rex tactus religione aſſurgeret, ictuique redderetur opportunior: quod etiam conſecutus eſt. Qui ſtatim ſurrexit de throno, in reverentiæ argumentum.

V. 24. Per porticum egreſſus eſt. LXX. verterunt, *per ordinatos*; ſeu, ut S. Auguſt. quæſt. xxii. *milites obſervantes*: qui ſcilicet excubare ſoliti erant, ut in regum aulis fit. Hebræi quidam putant

tant fuiſſe veſtibulum, vel gradus ad domus introitum ordinatos, aut locum in quo ad regem homines convenirent, ſeu exedram in qua ſedere conſueviſſent. PURGAT ALVUM. Hebr. *Tetigit ipſe pedes ſuos*. Hanc enim naturæ neceſſitatem, lingua ſancta verecunde vocat *pedes cooperire*, & urinam *aquam pedum*.

V. 26. VENIT IN SEIRATH. Eſt locus hic ad montana Ephraim in finibus tribus Beniamin.

V. 27. INSONUIT BUCCINA; nec fruſta, nam ad arma convolarunt plurimi. IPSO IN FRONTE GRADIENTE, ſcilicet ante omnes: quod boni ducis eſt.

V. 28. TRADIDIT DOMINUS. Plurimum animi militibus addit, ſi propitio numine ſe pugnare perſuaſum habeant.

V. 30. QUIEVIT TERRA OCTOGINTA ANNIS. Vide dicta ſupra hoc eodem cap. num. 11.

V. 31. POST HUNC FUIT SAMGAR FILIUS ANATH. Non dicitur ex qua tribu fuerit. PERCUSSIT DE PHILISTHIIM. Philiſtæi audita morte Aod viri fortiſſimi, non iuſto bello, ſed populabundi more latrocinantium in fines Hebræorum videntur irrupiſſe, & per eos excurriſſe. Hos Samgar, ut erat ad opera ruris ſuccinctus, aratri parte in uſum teli converſa, & ſuorum manu collecta, multis occiſis, repreſſit. SEXCENTOS VIROS. LXX. *uſque ad ſexcentos*. VOMERE. LXX. vocant *ἀροτρόποδα*, *pedem aratri*: vecte ex aratro deſumpto ſimul cum vomere ferreo. IPSE QUOQUE DEFENDIT ISRAEL. In Hebr. eſt, *Et ſalvavit etiam ipſe Iſrael*. Idem plane habent LXX. quæ verba oſtendunt Samger iudicem fuiſſe, quod negat Genebrardus in Chronico. Verba etiam illa, quæ huius verſiculi initio habentur, *Poſt hunc fuit Samgar*, &c. hoc idem oſtendunt: ſignificant enim, eum Aod ſucceſſiſſe.

TIRINI.

Verſ. 8. CHUSAN RASATHAIM; quaſi dicat: *Chuſan* regem *duplicis mali* Iudæis auctorem: nam & corpus libertate, animum religione ſpoliabat. A Ioſepho *a* vocatur *Chuſarthes rex Aſſyriæ*, pro eo quod Noſter habet, *rex Meſopotamiæ*, vel, ut Hebræus, *Syriæ duorum fluminum*: quia Meſopotamia duos inter fluvios Tigrin & Euphratem iacet, unde & *Interamnis Syriæ* vocari ſolet. Procopius vult hunc regem non ſolius Aſſyriæ aut Meſopotamiæ, ſed & totius Syriæ dominum fuiſse. De Othoniele, qui tyrannum hunc devicit, vide Numer. XXXII. & Ioſue XV.

V. 12. Mortuo Othoniele deflexerant iterum ad idola Hebræi: & CONFORTAVIT Dominus ADVERSUM EOS EGLON REGEM MOAB: non iubendo, ſuadendo, impellendo, aut ſimili modo excitando ad iniuſtum bellum, ut volunt Calviniſtæ; ſed primo augebat illi vires, animos, conſilium, arma, ſocios, milites, & alia quibus alioquin inferior erat Hebræis. Secundo minuebat ex altera parte vires, & animos Hebræorum, eiſque terrorem ac formidinem immittebat: & forte hoc ipſum innoteſcere fecit regi Moab. Tertio ſubmovebat impedimenta omnia quæ a bello Hebræis inferendo Moabitas remorari potuiſsent: dabat proſperos belli ſucceſsus, deſtituendo Hebræos ſolita ope cæleſti, &c. Quæ omnia iuſtis de cauſis, & in bonum finem faciebat Deus: & erant ex ſe indifferentia, poteratque & bene, & male illis uti rex Moab. Et licet prævideret Deus illum pro mala ſua voluntate, & alieni imperii ambitu male uſurum, ad bellum Hebræis iniuſte inferendum; voluit tamen illum ſibi ſuæque malitiæ relinquere, ut hac via Hebræi debitas luerent pœnas. Potuiſset quoque Deus aperte ac directe illi tamquam tortori, vel militi ſuo præcipere ut bellum Hebræis inferret, eoſque puniret; ſed tunc debuiſſet ei ſuam hanc voluntatem indicare, neque fuiſset bellum iſtud iniuſtum. Ita de Nabuchodonoſore docet Abulenſis ex S. Auguſtino *b*, & S. Thoma. Vide quæ de Pharaonis induratione dixi Exodi VII.

V. 15. FILII IEMINI, id eſt Beniaminii, ſeu de tribu Beniamin, ut alibi *c* probabo.

V. 28. OCCUPAVERUNT VADA IORDANIS QUAE TRANSMITTUNT IN MOAB. Utili ſane prudentique conſilio, ne Moabitæ, qui in tractu Ierichuntino (ubi aula erat Eglonis regis) habitabant, in Moabitidem profugere, & inde ſubſidia acceſſere poſsent.

Nota, pro tyrannicidio probando, quaſi cui-

cuivis privato liceat, fruſtra allegari hoc Aodi exemplum: cum conſtet primo, hunc non fuiſſe hominem privatum, ſed principem populi Iſraelitici, a Deo omnium Domino ad id munus evectum, ut dicitur hic verſ. 15. Deinde ipſum ab eodem Deo occidere publicum hoſtem, & violentum regni invaſorem. Unde & verum dixit verſ. 20. *Verbum Dei habeo ad te* o Rex, teſte S. Auguſtino, Lyrano, Arboreo *d*, & aliis. Et S. Thomas *e* dicit, *Aod hoſtem potius interemiſſe, quam populi rectorem tyrannum*. Porro alibi diſerte docet, *non licere privata præſumptione* occidere tyrannum, ſed ſolum *publica auctoritate*. Et articulus iſte Huſſiticus, *Quilibet tyrannus licite poteſt a quocumque ſubdito interfici*, damnatus eſt a Concilio Conſtantienſi: & iam damnatur ab omnibus Orthodoxis.

V. 31. SAMGAR. Hic eſt tertius iudex; ſed breviſſima fuit eius principatus duratio, ut patet ex initio capit. ſequent. Occaſionem inchoandi belli Philiſthæis ortam fuiſſe putat Serarius ex morte fortiſſimi principis Aodi, cuius, quamdiu vixit, metu numquam auſi fuerant ſe movere: iam mortuo, tentare voluerunt variis latrociniis Iudæos, ecquid ipſis animi ſupereſſet. Ergo prædas ex inſidiis agere, homines in ſervitutem abripere, & forte Samgari in agro aranti boves eripere. Ipſe ſtrenue obniti, vim vi repellere, cumque alia ad manum arma non eſſent, vomere ſexcentos viros humi ſternere, uti poſtea Samſon mandibula aſini millenos viros. Atque ita compreſſa Philiſtæorum in ipſo limine audacia.

Notat Euſebius, tempore Aodi Troem condidiſſe urbem Troiam; Minoem regnaſſe in Creta; Erichthonium Athenis; Pelopem apud Argos; Rhadamanthum in Lycia; Cadmum Thebis; huiuſque nepotem Bacchum in India.

(*a*) Ioſeph. Lib. V. Antiq. cap. III. IV.
(*b*) S. Aug. de Gratia & lib. arb. cap. XX. XXI. &c.
(*c*) Eſther XI. 2.
(*d*) S. Auguſt. quæſt. XX. Io. Arbor. Theoſophiæ Lib. I. cap. XXIV.
(*e*) S. Thom. Lib. I. de Regimine Principis cap. VI. opuſc. XX.

GORDONI.

Verſ. 1. & 3. UT ERUDIRET; id eſt, affligendo doceret, malum eſſe relinquere Deum. Immo ut DISCERENT CERTARE CUM HOSTIBUS. *Satrapa*, Perſice principem ſignificat, ut hic inter Philiſthæos. DE MONTE BAAL HERMON, id eſt de monte qui vocabatur *mons Baal Hermon*: ſic, inquam, ab idolo, & templo, quod erat ad Hermon, iuxta Antilibanum. Vide Ezech. XXVII.

V. 7. Peccat Iſrael, & ſervit regi Meſopotamiæ octo annis: & datus eſt Othoniel dux primus, vel ſecundus a Ioſue poſt anarchiam. Ducatus Othonielis inchoatur ab anno mundi 2559. & protrahitur ducum ſeries uſque ad Saulem, qui ſunt numero 14. inchoando a Ioſue; uti hic adiectum lucis, & brevitatis cauſa diagramma demonſtrat. Dicet aliquis: Si tam cito defecerunt Iſraelitæ; unde ergo illud cap. II. verſ. 6. & 7. perſtitiſſe in fide longo tempore? Sed explicatum hoc fuit Ioſue cap. XXIV. verſ. 31. & locis ibidem citatis. De *Baalim*, & *Aſtaroth* cap. II. verſ. 13.

V. 9. CLAMAVERUNT AD DOMINUM. Iudices hi non tam ex generis dignitate, vel opibus conſtituti ſunt, quam excitati a Deo, & a populo approbati. Primus poſt Ioſue recenſetur Othoniel, Calebi frater, ſeu, ut dixi Ioſue XV. Calebi ex fratre nepos, & tamen gener.

V. 10. CHUSAN, regem Syriæ, quem verſ. 8. vocat regem Meſopotamiæ: erat utriuſque provinciæ princeps.

V. 11. QUIEVITQUE TERRA QUADRAGINTA ANNIS ET MORTUUS EST OTHONIEL. ותשקט *vatiſchot*; radix שקט *quievit*, apud LXX. eſt ἡσυχάζω: quæ omnia, ut fateor, quietem denotant, & otium a bello. At magna hic concertatio eſt, an (quod in diagrammate ſignifico) anni hi 18. ſervitutis (verſ. 14.) cenſeantur contenti in quadraginta annis Othonielis. Sane in opere Chronol. Quæſt. cap. IX. num. 7. monui ex plurium ſententia, hunc eſſe conſuetum morem in Libro Iudicum putandi annos, & retinendum probavi ibidem. Sed quomodo ergo quieverunt Iſraelitæ quadraginta annis? di-

co a bellis ceſſaſſe. Nam (ex verſ. 13. & 14.) Iſraelitæ percuſſi fractique uno certamine & expugnatione urbis palmarum, quieverunt ſub tributo, uſque ad finem quadraginta annorum: nec tanti eſt una vel altera dimicatio, ut non poſſit dici ſpatium illud quadraginta annorum, obtinuiſſe ἡσυχίαν: quem etiam quietis ſenſum optime aſſecutus eſt Salianus ad annus mundi 2640. num. 7. Quieverunt, inquam, & fere his totis quadraginta annis ab inferendo aliis bello, a conflictu in acie a cæde, & incendio ſuarum urbium; ab hoſtium incurſione, & latrociniis: quod ſemel dictum ſit, & obſervandum in reliquis Iudicum annis putandis.

V. 13. POSSEDIT URBEM PALMARUM. Eſt Ierichο.

*V.*15.& 16. AOD. Huic Iudici dantur anni 80. Contra Eglon regem Moab, qui verſ. 12. dicitur confortatus a Domino, & invidia excitatus, ut Pharao, Aod *ambidexter* ἀμφοτεροδέξιος, armatur gladiolo ancipite: longitudo palmaris eſt in Latino codice: intellige palmum maiorem, hoc eſt duodecim digitorum: & ſic non diſcordat ab Hebr. ubi eſt *cubitus*, ſed minor. *Capulus* non eſt in Græco, & Hebr. tamen ſubintelligitur, nec variat ſenſum. At quid eſt illud (verſ. 18.) PROSECUTUS EST SOCIOS? Senſus eſt: Miſit foras. Clare LXX. ἐξαπέστειλε τὰς φέροντας τὰ δῶρα: quos proſecutus ad Galgala, & inde reverſus eſt ab idolis, velut aliquid divinum regi dicturus; nihil ſuſpicantem occidit.

*V.*28. NON DIMISERUNT TRANSIRE QUEMQUAM. Moabitæ erant diviſis copiis, cis, & trans Iordanem. Iſraelitæ occupato vado impedierunt tranſitum, & hoſtem percuſſerunt.

V. 31. POST HUNC FUIT SAMGAR. LXX. Σαμεγάρ. Negat Genebrardus in Chron. hunc eſſe iudicem, quem tamen aliqui tertium faciunt, & ei annum unum tribuunt, nec abſolutum & integrum, ſed componentem integrum annum cum ultimo anno Aodis: bene eſt. Stant ergo anni chronologici non variati. Et revera nihil eſt quod ſuadeat diſcedere a Genebrardi ſententia. VOMERE, id eſt ſtimulo bovis, oblongo inſtar haſtæ.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 3. EMATH. Aliqui Antiochiam faciunt ad orientem.

V. 15. IEMINI, de tribu Beniamin.

*V.*16. GLADIUM ANCIPITEM, duarum acierum. Hic gladius palmaris erat. Hebr. ponit *cubitalem*: nempe palmus maior, quem intelligit Vulgatus, eſt veluti cubitus minor.

V. 18. PROSECUTUS EST SOCIOS. Ex Hebr. dimiſit populum, qui munus deferebat: nempe ut ſociis non crearent periculum, & ipſe expeditior eſſet ad patrandum facinus. Larinus: *Proſecutus eſt* abeuntes.; ſed rediit ſolus de Galgalis (apud Iericho) quaſi oblitus aliquid, quod erat regi dicendum.

V. 26. SEIRATH. Hic locus eſt in finibus Beniamin verſus montem Ephraim.

DIA-

Digitized by Google

DIAGRAMMA TEMPORIS.

2549	Moritur Ioſue. & incipit 10. annorum ἀναρχία	Interregnum.
	IUDICES.	PROFANA.
2559	Othoniel Iudex an. 40. ex tribu Iuda. Iud c. III.	Bellopares Rex 20. Aſſyr.
2581	Huius anno 22. ſervit Iſrael Eglon regi Moab anni 18. Iud. III. 14.	
2599	Aod Iudex annis 80. Beniaminius, excuſſit iugum Eglon: Iud. cap. III.	Dynaſtia 19. AEgyptior. Tros Rex 3 Dardaniæ. Corinthi regnum.
2658	Iſrael ſervit Iabin Regi Chanaan an. 20. Iud. IV. 3.	Ianus in Latio.
2679	Debbora propheti∫sa cum filio Barac 40. annis: Iud. V. 32. vincit Siſaram ducem regis Iabin.	Micænarum regnum. Panyas Rex 24. Aſſyriorum.
2705		Ruth, & Boos.
2712	Iſrael ſervit Madianitis annis 7. Iud. VI. 1.	
2719	Gedeon de tribu Manaſse annis 40. vincit Madianitas: Iud. VI. 11. & 15. & cap. VII. & cap. VIII. 28.	Hercules regnat Argis circa hunc annum. Theſeo Athenienſium Regi amicus. Evander in Italiam.
2759	Abimelec filius Gedeonis 3. an. Iud. c. IX. 22.	Cacus cæſus ab Hercule. Halicar.
2761	Thola de tribu Iſſachar annis 23. Iud. c. X. 1.	Hercules ann. 2779. relatus in Deos.
2786	Iair Galaadites ex tribu Manaſse annis 22. Iud. cap. X. 3.	
2789	Iſraelitæ ſerviunt Philiſtinis an. 18. Iud. cap. X. 6. 7. liberandi per Iephte.	Argonautica expeditio circa hunc annum.
2807	Iephte Galaadites ex tribu Manaſse annis 6. Iud. cap. XII. 7. vincit Ammonitas.	Dynaſtia AEgyptiorum. 20.
2813	Abeſan ex tribu Iuda annis 7. Iud. c. XII. 9.	Sibylla 5. dicta Erythræa. Troianum excidium an. 2820. & inde ad 1. Olymp. an. 407.
2820	Elon ex tribu Zabulon an. 10. Iud. c. XII. 11.	AEneas in Italia.
2830	Abdon 8. annis præeſt ex Ephraim, poſt cuius mortem ſuccedit ſervitus 40. annorum, quos hic ex cap. XIII. dabimus temporibus Samſonis, & Heli: nimirum uſque ad tempus Samuelis, ſeu ab anno orbis 2838. uſque ad 2878. quod fuit initium Samuelis.	Hectoris filii ope Heleni recuperaverunt regnum Troianum circa an. 2830.
2838	Samſon e tribu Dan an 20. Iud. XIII. 2.	
2850	Heli (ſi cœpit tantum poſt Samſonem) ex tribu Levi, an. 20. ex I. Reg. IV. 18. Sequor LXX. Interpretes.	Anno 2852. Aſcanius condit Albam.
2878	Samuel ex tribu Levi anno 20. de quo infra.	
2898	Saul, Rex primus.	

C A-

CAPUT IV.

Debbora prophetiſſa & Barac adverſus Siſaram principem regis Iabin dimicant, quem profugum occidit Iahel uxor Haber Cinæi.

1. ADdideruntque filii Iſrael facere malum in conſpectu Domini
poſt mortem Aod, 2. (a) & tradidit illos Dominus in ma-
nus Iabin regis Chanaan, qui regnavit in Aſor: habuitque
ducem exercitus ſui nomine Siſaram; ipſe autem habitabat
in Haroſeth gentium. 3. Clamaveruntque filii Iſrael ad Do-
minum: nongentos enim habebat falcatos currus, & per vi-
ginti annos vehementer oppreſſerat eos. 4. Erat autem * Deb-
bora prophetis uxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore. 5. Et
ſedebat ſub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama & Bethel in mon-
te Ephraim: aſcendebantque ad eam filii Iſrael in omne iudicium. 6. Quæ mi-
ſit & vocavit Barac filium Abinoem de Cedes Nephthali: dixitque ad eum:
Præcepit tibi Dominus Deus Iſrael, vade, & duc exercitum in montem Tha-
bor, tolleſque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, & de filiis
Zabulon: 7. ego autem adducam ad te in loco torrentis Ciſon, Siſaram princi-
pem exercitus Iabin, & currus eius, atque omnem multitudinem, & tradam
eos in manu tua. 8. Dixitque ad eam Barac: Si venis mecum, vadam: ſi no-
lueris venire mecum, non pergam. 9. Quæ dixit ad eum: Ibo quidem tecum,
ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur
Siſara. Surrexit itaque Debbora, & perrexit cum Barac in Cedes. 10. Qui,
accitis Zabulon & Nephthali, aſcendit cum decem millibus pugnatorum, ha-
bens Debboram in comitatu ſuo. 11. Haber autem Cinæus receſſerat quondam
a ceteris Cinæis fratribus ſuis filiis Hobab, cognati Moyſi: & tetenderat taber-
nacula uſque ad vallem, quæ vocatur Sennim, & erat iuxta Cedes. 12. Nun-
tiatumque eſt Siſaræ, quod aſcendiſſet Barac filius Abinoem in montem Tha-
bor: 13. & congregavit nongentos falcatos currus, & omnem exercitum de Ha-
roſeth gentium ad torrentem Ciſon. 14. Dixitque Debbora ad Barac: Surge,
hæc eſt enim dies, in qua tradidit Dominus Siſaram in manus tuas: en ipſe du-
ctor eſt tuus. Deſcendit itaque Barac de monte Thabor, & decem millia pu-
gnatorum cum eo. 15. (b) Perterruitque Dominus Siſaram, & omnes currus eius,
univerſamque multitudinem, in ore gladii, ad conſpectum Barac: in tantum,
ut Siſara de curru deſiliens, pedibus fugeret, 16. & Barac perſequeretur fugien-
tes currus, & exercitum, uſque ad Haroſeth gentium, & omnis hoſtium mul-
titudo uſque ad internecionem caderet. 17. Siſara autem fugiens pervenit ad ten-
torium Iahel uxoris Haber Cinæi. * Erat enim pax inter Iabin regem Azor,
& domum Haber Cinæi. 18. Egreſſa igitur Iahel in occurſum Siſaræ, dixit ad
eum: Intra ad me domine mi: intra, ne timeas. Qui ingreſſus tabernaculum
eius, & opertus ab ea pallio, 19. dixit ad eam: Da mihi, obſecro, paululum
aquæ, quia ſitio valde. Quæ aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere, & ope-
ruit illum. 20. Dixitque Siſara ad eam: Sta ante oſtium tabernaculi: & cum
ve-

Digitized by Google

venerit aliquis interrogans te, & dicens: Numquid hic eſt aliquis? Reſpondebis: Nullus eſt. 21. Tulit itaque Iahel uxor Haber clavum tabernaculi, aſſumens pariter & malleum: & ingreſſa abſcondite & cum ſilentio, poſuit ſupra tempus capitis eius clavum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum uſque ad terram: * qui ſoporem morti conſocians defecit, & mortuus eſt. 22. Et ecce Barac ſequens Siſaram veniebat: egreſſaque Iahel in occurſum eius, dixit ei: Veni, & oſtendam tibi virum quem quæris. Qui cum intraſſet ad eam, vidit Siſaram iacentem mortuum, & clavum infixum in tempore eius. 23. Humiliavit ergo Deus in die illo Iabin regem Chanaan coram filiis Iſrael: 24. qui creſcebant quotidie, & forti manu opprimebant Iabin regem Chanaan, donec delerent eum.

(a) I. Reg. xii. 9. (b) Pſalm. lxxxii. 10.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 4. *Debbora* ſcribunt Sixtina Biblia duplici *b*, alii ſimplici *Debora*, quidam male *Delbora*.

V. 17. *Erat enim pax*. Retinenda eſt coniunctio rationalis *enim*, non mutanda in *autem*.

V. 21. *Qui ſoporem morti conſocians*. In aliis eſt verbum ſimplex *ſocians*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 2. REGNAVIT. Videtur recuperaſſe regnum maiorum amiſſum tempore Ioſue.

V. 4. PROPHETIS, id eſt docta in lege; vel quæ habebat ſpiritum interdum prophetandi. LAPIDOTH. Hunc quidam putant Barac.

V. 5. VOCABATUR: ſcilicet poſtea vocata eſt *Palma Debboræ*. Hebr. *Habitabat ſub palma Debboræ*. IN OMNE IUDICIUM, id eſt ad dirimendas lites.

V. 7. EGO AUTEM ADDUCAM, &c. Verba ſunt Domini. CISON oritur ex Thabor.

V. 11. CINAEIS. Dicebantur hi Cinæi a Cinæo ſocero Moyſis. Vide ſupra cap. 1. FILIIS, id eſt nepotibus. HOBAB, ſcilicet Iethro, qui ſic etiam vocabatur. COGNATI. Hebr. & Chald. *ſoceri*.

V. 15. PERTERRUITQUE. Hebr. *Et contrivit*. Chald. *Et fregit*.

V. 21. CLAVUM TABERNACULI; quaſi dicat, unum ex clavis ſeu paxillis quibus tabernaculum figebatur. QUI SOPOREM MORTI CONSOCIANS DEFECIT. Hebr. *Qui ſopore erat oppreſſus & laſſus*. LXX. *Et ipſe cecidit palpitans inter pedes eius, & expiravit*.

V. 24. OPPRIMEBANT: forte pro oppreſſerant.

E S T I I.

Verſ. 2. IPSE AUTEM HABITABAT IN HAROSETH GENTIUM. Vide ſimilem locum Ioſue XXII. de rege gentium Galgal, & inde pete huius loci explicationem.

V. 4. ERAT AUTEM DEBBORA PROPHETIS, UXOR LAPIDOTH, QUAE IUDICABAT POPULUM IN ILLO TEMPORE. Scilicet quia prophetiſſa, & mulier prudens erat, ſponte populus ad eam controverſias ſuas deferebat; non quod cum poteſtate præfuerit. Hinc capite ſequenti in Cantico vocat ſe matrem in Iſrael, non principem, aut dominam; ac præterea ſemel atque iterum nominat principes Iſrael; dicitque, ſponte illos obtuliſſe animas ſuas diſcrimini, nec eos omnes tamen, ſed tantum ex Ephraim, Machir, Manaſſe, Beniamin, Zabulon, Iſſachar, & Nephthalim ceteris tribubus a

bel

belli moleſtia quieſcentibus. Quæ omnia argumento ſunt, eam magis conſilio quam poteſtate, rem populi geſſiſſe.

V. 8. DIXITQUE AD EAM BARAC: SI VENIS MECUM, VADAM; SI NOLUERIS VENIRE MECUM, NON PERGAM. Hanc reſponſionem Barac ita quidam excuſant, quaſi diceret: Tu habes ſpiritum prophetiæ, non ego. Et proinde ſi mecum venias, indicare mihi poteris tempus, & horam committendi prælii; ſin minus, facile continget me intempeſtive procedere ad prælium. Sed revera hæc expoſitio, cum a diffidentia auxilii divini ſibi certo promiſſi, non excuſabat. Sciebat enim Debboram eſſe prophetiſſam, & ideo debebat verba eius ſuſcipere ſine ulla animi hæſitatione. Neque debebat dubitare, quin ille qui victoriam promiſerat, etiam modum victoriæ, & opportunitatem opprimendi hoſtis ſubminiſtraret. Unde & diffidentia eius punita eſt per hoc quod ait Debbora: *Ibo quidem tecum, ſed hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu feminæ tradetur Siſara.*

V. 18. EGRESSA IGITUR IAHEL IN OCCURSUM SISARAE. De hoc facto Iahel, quæ promiſſa Siſaræ ſecuritate, eum occidit, merito quæritur: Recte ne fecerit, an ſecus? Reſpondeo. In hoc facto tria inveniuntur, quorum unum laudandum, alterum iuſta reprehenſione non carens, tertium in ſe bonum, ſed quod ex circumſtantia vitioſum & illicitum efficitur. Laudandus eſt enim in hoc facto bonus, & pius affectus Iahelis erga ſalutem populi Iſraelitici, ſicut in obſtetricibus AEgyptiis affectus miſericordiæ erga infantes Hebræorum. Quod autem mendaciter & fallaciter promittit Siſaræ ſecuritatem, dicens, *Intra ad me, ne timeas*, vituperatione non caret: nam fallax promiſſio peccato carere non poteſt, ſicut & mendacium obſtetricum. Sed tertium eſt interfectio Siſaræ: quæ ſi in ſe ſpectetur, quatenus eſt interfectio hominis pernicioſi, & oppreſſoris populi Dei, bona eſt; quatenus tamen eam præceſſit ſecuritatis promiſſio, videtur non poſſe omnino a peccato excuſari. Vel dicendum aliquo modo excuſari poſſe: nam promiſerat contra bonum publicum; & ſic poterat promiſſum reſcindere. Et quod obiiceretur, quod domus Haber Cinæi mariti Iahel haberet fœdus cum rege Iabin, cuius militiæ Siſara præerat; reſpondetur a multis, tali fœdere mulieres non comprehendi, eo quod non ſint aptæ ad bellum, & munia publica. Et talem ſolutionem huius quæſtionis, vel ſimilem omnino videntur requirere illa verba Cantici Debboræ capite ſequenti: *Benedicta inter mulieres Iahel uxor Haber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo ſuo.*

MARIANAE.

Verſ. 2. REGNAVIT IN ASOR. Iabin fortaſſis regnum illud receperat pulſis Hebræis, quod Ioſue abſtulerat Ioſ. XI. verſ. 10. Porro hic Iabin filius, aut nepos fuit eius quem occidit Ioſue. IN HAROSETH GENTIUM. Quidam vertunt, *in ſilva gentium*. Chald. *in munitione arcium*: ſcilicet is locus arces munitas habuit, unde id nomen. Ibi Siſara habitabat dux Iabin.

V. 3. FALCATOS CURRUS. Hebr. *Currus ferreos habebat Iabin nongentos.*

V. 4. DEBBORA PROPHETIS. Divino ſpiritu agebatur. UXOR LAPIDOTH. Hunc ipſum Barac fuiſſe credunt.

V. 5. SEDEBAT SUB PALMA, QUAE NOMINE ILLIUS VOCABATUR. Heb. *Sub palma Debbora*. Arbor, ſeu locus ab ea nomen accepit, quoniam ibi erat domus eius. Illa ait ad Barac:

V. 6. PRAECEPIT TIBI DOMINUS. *Tibi*, o Barac. Hebr. *Nonne præcepit Dominus tibi?* Sed ſunt interrogationes, quæ affirmationem continent, neque reſponſum expectant. Id Hieronymus expreſſit.

V. 7. EGO AUTEM. Verba poſſunt eſſe & Domini, & Debboræ pollicentis facturam, quod Dei ope fore ſperabat. ADDUCAM AD TE IN LOCO TORRENTIS CISON. Vox *nahal* poteſt etiam *vallem* ſignificare, quo defluit aqua; poteſt & *torrentem*, qui ex monte Thabor deſcendebat.

V. 9. SED IN HAC VICE. Hebr. אפס כי *æphes chi*, quod Pagn. vertit, *veruntamen*: alii etiam, *vel ſic*. Verti etiam poteſt *ſine*, aut *denique certe, non erit tibi decus tuum.*

V. 10. ASCENDIT CUM DECEM MILLIBUS PUGNATORUM, Debbora ſcilicet. Hebr. *Aſcendere fecit in pedibus eius*

(pro,

(pro eorum) *decem millia virum* (pro viros.) *Pedibus* ego interpretor, *pedites*, quo maior victoria; nulli currus, ut hoſtes, nulli equites.

V. 11. CINAEUS RECESSERAT. Dicebantur *Cinæi* a Cinæo ſocero Moyſis, qui & Iethro, eius poſteri. FILIIS HOBAB, COGNATI MOYSIS. Hebr. *ſoceri Moyſis*. Et videtur hoc loco eumdem ſocerum Moyſis vocare *Hobab*, cum Num. x. verſ. 29. dicat Hobab eſſe filium Raguel. Fortaſſis Raguel fuit pater Iethro, proſocer Moyſis. De quo Exod. II. verſ. 18. *Hobab* autem idem Iethro eſt. Hieronymus ubique pro חתן *hothen*, *ſocero*, vertit *cognatum*, credo ut has difficultates effugeret.

V. 15. PERTERRUITQUE DOMINUS. Alii vertunt, *contrivit*, a radice המם *hamam*. IN ORE GLADII: ſcilicet confregit gladio percuſſos.

V. 16. USQUE AD INTERNECIONEM. Hebr. *Non manſit uſque ad unum*.

V. 21. TULIT ITAQUE IAHEL.... CLAVUM TABERNACULI, id eſt unum e clavis quibus tabernaculum figebatur. INGRESSA ABSCONDITE ET CUM SILENTIO. Bene exprimitur vis vocis בלאט *balaat*, id eſt *ſuſpenſo pede*, *ſine ſtrepitu*. SOPOREM MORTI CONSOCIANS. Hebr. *Qui dormiebat*, *& laſſus* (id eſt quia laſſus) *& mortuus eſt*. Septuag. *Cecidit palpitans inter pedes eius*, *& expiravit*.

MALVENDAE.

Verſ. 2. IABIN. Videtur id nomen commune fuiſſe regibus Hazor: nam alterum Iabin regem Hazor interfecit Ioſue cap. XI. verſ. 10. IN AZOR. Hebr. *in Chatzor*. At *Chatzor* iam combuſta & everſa fuerat a Ioſue cap. XI. verſ. 10. & 13. Quidam volunt poſtea inſtauratam. Alii hic *Chatzor*, non ipſam urbem, ſed agrum Chatzoritanum intelligunt, atque ideo ſubiungi, ipſum Iabin reſediſſe in Charoſeth, quo forſan, exciſa Chatzore, ſedes regni translata fuerat. SISARAM. Hebr. סיסרא *Siſra*, vel *Siſera*. Si aliquod Hebraicum etymon huic nomini aſſingi poteſt, illud fortaſſe fuerit, *Equitatus*, *inſpector*, *curator*, *magiſter equitum*. IPSE AUTEM; id eſt, ipſe Iabin: alii, ipſe Siſara. Illud eſt rectius.

IN HAROSETH GENTIUM. Hebr. *in Charoſeth gentium*. Quidam ut nomen appellativum capiunt: חרושת *charoſeth*, *in ſilva*, *nemore*, *ſaltu*, in loco ſilvatico ac nemoroſo. Plerique ut proprium, ſic dictum a ſitu, quod prope ſilvam aliquam aut nemus eſſet; vel quod eſſet quaſi ſilva, conflatus ac conſtans pluribus oppidis, pagis, villulis vicinis nec longo intervallo diſſitis. Alii, forte quod ibi eſſent inſignes fictilium ac teſtaceorum vaſorum officinæ. Nec deſunt qui, quod abundaret præſtantiſſimis fabris, & artificibus variarum rerum; ſeu quod inſigni artificio & fabrefactura eſſet urbs. *Gentium* vero appellatam, a concurſu & confluentia gentium illarum, quæ ab Iſraelitis Ioſue imperatore pulſæ fuerant: nimirum, quod eo tamquam in locum munitum & tutum ſeſe contuliſſent reliquiæ Chenahanæorum. Alii, quod ex ſeptemtrionales partes terræ promiſſæ potiſſimum colluvie variarum gentium abundarent. Strabo Lib. XVI. pag. 760. *Atque hæc quidem verſus ſeptemtrionem ſunt; & magna ex parte a mixtis gentibus habitata, Ægyptiis, Arabibus, ac Phœnicibus. Nam tales ſunt, qui Galilæam habent, & Ierichuntem, & Philadelphiam, & Samariam, quam Herodes Sebaſtam, id eſt Auguſtam nominavit. Cum autem ſint convenæ*, &c. Plerique, quod iſta loca vicina Tyriis, & Sidoniis eſſent, nimirum in tribu Naphthali, & in Galilæa gentium. Nam Chatzor octo tantum leucis a Tyro diſtabat, auctore Brocardo. Et ut Galilæa ſuperior, Gentium etiam dicta eſt Iſaiæ IX. verſ. 1. & in Evangelio; ita hic dicitur *Charoſeth gentium*.

V. 3. ET PER VIGINTI ANNOS VEHEMENTER OPPRESSERAT EOS. Quidam Hebr. reddunt: *Et ipſe oppreſſerat filios Iſraelis violentia, viginti annis*, nimirum prædis, & incurſionibus illius equitatus, quo erat inſtructus. Alii: *Oppreſſerat*; id eſt, ſub iugum miſerat, & dura tyrannide premebat, ſub tributo. Ita Ioſephus.

V. 4. DEBBORA PROPHETIS. דבורה *Deborah*, *apem*, *eloquentem*, *oraculorum* ſignificat, quaſi nomen ei præſagio inditum, quod mirabili ordine, & eloquentia oracula funderet. UXOR LAPIDOTH. Hebr. לפידות *Lapidoth*: *Viri*, *mulier*, *fœmina*, *Lapidoth*. Quidam *Lapidoth*, nomen

non mariti, ſed loci, unde ipſa orta, vel oriunda fuit, accipiunt; quaſi dicas, Femina Lapidotharum, vel Lapidothana. Alii *Lapidoth* pro appellativo accipiunt: *Mulier lampadarum*, *facularum*, vel quod eſſet ſplendido, & præſulgenti aſpectu; vel quod cum divino ſpiritu corriperetur, ſulgores e ſacie tamquam ſaculas emitteret, ut Moſes radios. Quidam notant, dictam *feminam facularum*, quod divinis ſplendoribus & illuminationibus inſtar ſacularum, intus in anima illuſtraretur, cum eſſet prophetis: femineum autem genus in Lapidoth, indicare, huius vaticinia inferiori ordine quam aliorum magnorum prophetarum fuiſſe. Nec deſunt qui *mulierem lucernarum* exponant, quod eſſet lucerna, fax, lampas in Iſrael. Plerique Hebræorum *mulierem lampadarum* interpretantur, Lychnopoeam, quod lychnos, & lampades conficeret ad ſacrarum lucernarum uſum; vel potius quod concinnabat fila, ſeu funiculos, nimirum ellychnia ſeu myxas pro ſanctuario Domini, ſeu pro lucernis & lampadibus tabernaculi. Plurium ſententia eſt Lapidoth, eius fuiſſe maritum. Quem nonnulli Hebræorum ipſum volunt fuiſſe Barak, binominem: nec ſane nomina abnuunt: nam ברק *barak* ſignificat *fulgur*, *fulgorem*, *coruſcationem*; לפידות *lappidoth*, *tædas*, *lampades*, *faces*. Sed cum ipſa ageretur ſpiritu prophetico, eum ad tempus procul habitaſſe ab illa. Sed id incertum. QUAE IUDICABAT POPULUM. Nonnulli exponunt: Id eſt, conſulentibus de iure ex revelatione divina reſpondebat, ut verſus ſequens explicat. Itaque non fuiſſe proprie iudicem, ut alios שופטים *ſcophetim*, ſed ultro ac ſponte venientibus privatim ex divina inſpiratione de iure reſponſa dediſſe, opinantur. Alii rectius exiſtimant, magiſtratum iudicaturæ, ut alios ante ſe, & poſt ſe iudices, omnino geſſiſſe: nam eodem prorſus modo Scriptura de ſunctione eius, ut de aliorum iudicum loquitur. Unde iſtud, *Quæ iudicabat Iſrael*, explanant: Id eſt regebat, adminiſtrabat, gubernabat rempublicam Iſraeliticam. Neque id a femina alienum, præſertim extra ordinem a Deo vocata, exempla Semiramidis, Zenobiæ, Pulcheriæ, & aliarum ſatis demonſtrant.

V. 5. ET SEDEBAT SUB PALMA, QUAE NOMINE ILLIUS VOCABATUR. Hebr. *Et ipſa habitans ſub palma Deborah*. Quidam exponunt: *Et ipſa Deborah*, vel *quæ Deborah*, *habitabat ſub palma Deborah*: quæ ſcilicet palma dicta eſt palma Deboræ, ab ipſa Debora, quæ ſub illa habitabat: qui ſenſus eſt Noſtri. INTER RAMA ET BETHEL. Brocardus: *A Bethel una eſt leuca, eundo contra aquilonem verſus Rama, quæ Silo dicitur, ad Palmam Deboræ uxoris Lapidoth, quæ iudicavit Iſrael.* Vide intra cap. xx. verſ. 33.

V. 6. ET DUC EXERCITUM. Hebr. *Et trahes, pertrahes, in montem Thabor.* Alii: *Trahes*, id eſt educes eos, etiam renitentes, & coactos: & verbis ſuadebis illis ut eant tecum in prælium: extimeſcebant enim valde ob exercitum Siſaræ. Quidam reddunt: *Et contrahe* exercitum *in monte Thabor*. Recte. Alii non tam recte: *Et proficiſcere in montem Thabor*.

V. 7. IN LOCO TORRENTIS CISON. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Ciſon torrens iuxta montem Thabor, ubi contra Siſaram dimicatum eſt*. Brocardus: *In pede vero orientali montis Thabor deſcendit torrens Ciſon, iuxta quem Barak pugnavit contra Siſaram, & in fugam vertit. Colligitur autem torrens iſte de aquis pluvialibus, quæ defluunt a montibus Thabor, & Hermon, & præcipitatur in mare Galilææ.* Et paulo inferius: *Igitur ab Accone quatuor ſunt leucæ ad torrentem Ciſon, ubi Elias occidit ſacerdotes Baal: & is torrens parvo exacto terræ ſpatio intrat mare magnum, tribus ſcilicet fere leucis ab Accone. Et licet iam dixerimus hunc torrentem in mare Galilææ deferri; tamen cum locus eius originis ſit aliquanto eminentior, fluit in diverſas plagas, partim ſcilicet contra orientem in mare Galilææ, & partim contra occidentem in mare magnum: & ita duo ſunt torrentes ſive rivi, ſed ab uno loco originem ducentes. Ille tamen Ciſon, qui fluit ad occidentem, colligit plures aquas, quia a monte Ephraim confluunt plurimæ aquæ, & recipiuntur in hunc unum torrentem.* קישון *Kiſchon* exponitur *perplexus*, *intricatus*, forte ob anfractus, & mæandros. Vide in Ioſue xix. verſ. 20. ATQUE OMNEM MULTITUDINEM. Hebr. *& multitudinem eius*. המון *hamon* omnia iſta complectitur, *fremitum*, *ſtrepitum*, *tumultum*, *multitudinem*, *turbam*, *copias*, *opes*, *eius*, ut indicet exercitum Siſaræ, & omnem appara-

paratum belli tanto ſtrepitu & terrore concitatum, inſuper & opes eorum.

V. 9. IBO QUIDEM TECUM. Hebr. *Vadendo vadam tecum*; id eſt, omnino, certiſſime itura ſum tecum. SED IN HAC VICE. אפס כי *ephes ci*, proprie *defectus*, *quod*. Elengantiſſimus Hebraiſmus, & Hiſpaniſmus, *La falta ſera*, *quę*. Alii reddunt, *Verum in hoc*. Alii, *Niſi quod*. VICTORIA NON REPUTABITUR TIBI. Hebr. *Non erit gloria tua ſuper via*, *qua tu ambulas*. Exponunt: Hoc non erit tibi honori, in expeditione quam paras contra illum. Alii: *Non erit gloria tua*, *ſecundum hanc viam*, *quam tu ambulas*; hoc eſt, hac ratinne quam tu ſequeris, partæ victoriæ laus non ad te, ſed ad mulierem perventura eſt. Quidam: *Gloria non erit tua hac profectione*, *qua iam proficiſceris*. QUIA IN MANU MULIERIS: ut illud I. AEneidos:

.... *Dux femina facti*.

Notant, Deboram indefinite accepiſſe nomen mulieris: & eventum docuiſſe, Deboræ, & Iaheli magna ex parte victoriam adſcribi. *Via* pro ratione, & inſtituto, Numer. XXII. verſ. 32.

V. 10. ASCENDIT CUM DECEM MILLIBUS PUGNATORUM. Hebr. *Et aſcendit in pedibus ſuis decem millia virorum*. Futurum יעל *iaghal*, quia Iod eſt cum Dagheſch, videtur ex formula Hiphil: proinde plerique reddunt: *Et aſcendere fecit in pedibus ſuis*; id eſt, deduxit ad pedes ſuos, id eſt ſecum: vel *in pedibus ſuis*, in ſuo comitatu decem millia virorum. Alii: *Et deduxit ad pedes ſuos*, ſive *ad veſtigia ſua*, *decem millia virorum*; hoc eſt, qui eius veſtigia, & ductum ſequerentur. Vide infra cap. v. verſ. 15. Nonnulli: *Et aſcendit pedes cum decem millibus virorum*: ut iudicet, eos omnes pedites fuiſſe.

V. 11. HABER AUTEM. Hic contra rationem ſui nominis ſeparavit ſe a gentibus ſuis: nam חבר *cheber* ſignificat *ſocietatem*, *ſodalitium*, *concilium*. Alii interpretantur *coniuratorem*, *incantatorem*. RECESSERAT QUONDAM A CETERIS CINAEIS. Hebr. *Separatus*, *diſiunctus fuit de Kain*; id eſt, relictis ſuis gentilibus apud tribum Iehudæ, ſupra cap. I. verſ. 16. venerat habitatum in regionem Naphthalitarum. FILIIS HOBAB, COGNATI MOYSI. חותן *choten* hic quidam reddunt *ſoceri Moſis*: nam hunc volunt eſſe Iethro Moſis ſocerum. Alii, *Chobab Moſis ſororium*, ſeu *fratrium*; id eſt, fratrem Sephoræ uxoris Moſis fuiſſe exiſtimant; unde hic exponunt, *cognati*, *affinis Moſis*. Vide Numeror. X. verſ. 19.

V. 14. EN IPSE DUCTOR EST TUUS. Hebr. *Nonne Iehovah procedit ante te?* Interrogationes iſtæ Hebraicæ graviſſimam continent affirmationem, ut ſupra verſ. 6. Vide Ioſue I. verſ. 9. & Geneſ. XIII. verſ. 9.

V. 15. PERTERRUITQE DOMINUS SISARAM, &c. Quidam reddunt: *Et fudit Iehovah*, &c. id eſt partim gladio Iſraelitarum, partim lapidibus grandinis, ut indicatur infra cap. v. verſ. 20. quemadmodum etiam Ioſue X. verſ. 10. & 11.

V. 17. IAHEL. Hebr. יעל *Iaghel*. Interpretantur *aſcendentem*, *proficientem*, *proficuam*, *ſublevantem*. Sed rectius *cervam*, *capream*, *rupicapram*. Sic Proverbior. v. verſ. 19. uxor vocatur *caprea gratiæ*, ſeu *cerva cariſſima*: quod nomen indebatur uxoribus gratiſſimis & cariſſimis, qualis erat Iahel. ERAT ENIM PAX INTER IABIN REGEM, &c. Exponunt: Id eſt, non erant ſimultates, aut bella inter illos, ſed pacem familia illa Kenæa æque cum Iabin, atque cum Iſraelitis colebat, ut quæ nullum ius ſibi in ea regione vindicaret. Sic I. Samuel. VII. verſ. 14. Coniectantur fuiſſe familiam opibus florentem, & dignam amicitia regum: ad hæc pietatis cultricem, curæ Deo fuiſſe, ac hoſtibus honori habitam.

V. 18. PALLIO. שמיכה *ſemichah*, cum Scin ſiniſtro varie elucidant. Hebræorum nonnulli componunt ex *ſchemi* & *co* (שמי כוה) id eſt *nomen meum ibi*: ideirco quod Siſera Iahelem non attigerit. Sed שם *Schem* eſt cum Scin dextro. Alii *ſudarium*, *velum*, vel *pallium* exponunt. Nonnulli *operimentum*, *opertorium*, *tegumentum*, quod ſuperne imponitur. Plerique *operimentum*, ſeu *tegumentum*, *craſſum*, *denſum*, & *villoſum*, hinc inde cincinnos habens pendentes, ſeu villos, aut floccos, aut *ſtragulam villoſam*, ſeu *amphitapam*. Hiſpanice vocamus *manta*, ſeu *fraſada*. Nec deſunt qui *culcitram* reddunt. Facile crediderim eſſe veſtem, vel ſtragulam amphitapam. Nonius cap. XIV. num. 24. *Amphitapæ veſtes dicuntur utrimque habentes*

Digitized by Google

villos. Lucilius Lib. I. *Pſilæ atque amphitapæ villis ingentibus molles*. Ibidem Lib. VI. *Pluma, atque amphitapæ, & ſi aliud quid delicatum*. *Varro, Manio: Alterum bene acceptum dormire ſuper amphitapa bene molli*. Vox Hebræa dicta videtur a fulciendo, & incumbendo, quod amphitapæ convenit, qua fulcimur, & incumbimus. Vide Bayſium in re veſtiaria. Alibi in Scriptura non extat.

V. 19. QUIA SITIO VALDE. Egregie ſenſum expreſſit. Hebr. *Quia ſitivi*. Præteritum emphaſim habet, indicat enim ingentem, & longam ſitim.

V. 20. RESPONDEBIS: NULLUS EST. Notant, præcipere quidem Siſeram Iaheli; ſed illa aſtute ſponſionem reticere ad ſtipulationem & poſtulationem eius: diſſimulaſſe enim, & ſine mendacio, & pia fraude intercepiſſe Iahelem hoſtem Domini: quam rem Spiritus ſanctus probarit infra cap. v. verſ. 24. & ſeqq.

V. 21. CLAVUM TABERNACULI. De voce יתד *iated* egimus in Deuteronom. XXIII. verſ. 13. Apte hic Hiſpanicus Interpres *eſtacam* vertit, id eſt *ſudem*, qua tabernaculum ad terram defigitur: palis enim acuminatis in terram depactis, tentoria plantantur. Ioſephus, & alii ferreum clavum intelligunt. ASSUMENS PARITER ET MALLEUM. Hebr. *Et poſuit malleum in manu ſua*: volunt eſſe hypallagem; pro, & apponens manum ſuam ad maleum quemdam: vel *adhibens*, aut *aſſumens malleum in manum ſuam*. Hiſpanice eleganter dicimus, *Y poniendo un martillo en ſu mano*. מקבת *makkebeth* proprie *excavatorium*, *perforatorium*, *perfoſſorium*. Malleum intelligunt forſan præacuta cuſpide, quo excavantur ligna, & lapides: *pico* Hiſpani vocant. Alii volunt eſſe malleum, videlicet cuius cuſpis una ex parte præacuta eſt ad perſorandum, & dolandum; altero vero capite percutiunt, & conterunt ferrum, æs, & aliam materiam. Quidam reddunt *terebellum*: perperam. Hiſpan. Interpres *maço*. DEFIXIT IN CEREBRUM USQUE AD TERRAM. Hebr. varie alii convertunt. I. *Et fixit ſe*, vel *infixus eſt, in terram*; id eſt, clavus perforato, & perterebrato tempore defixus fuit in terram. II. *Et impreſſit in terram*, ſcilicet Iahel clavum. III. *Atque in terram depegit*. IV. *Ita ut permearet in terram*. V. *Ita ut deſiliret in terram*; id eſt, cum impetu erumpens ex altero temporum inſigeretur in terram. VI. *Et demiſit, depegit, defixit, in terram*. Futurum תצנח *titznach* femineum, ſi active ſumatur, refertur ad Iahelem; ſi intranſitive, ad clavum, *defixus fuit*: nam *Iathed* eſt femineum. Vide de notione verbi צנח *tzanach*, quæ notavimus in Ioſue XV. verſ. 18.

V. 24. QUI CRESCEBANT QUOTIDIE, &c. Priorem partem huius verſus quidam ex Hebræo ita reddunt: *Et promovit manus filiorum Iſrael fortiter, & invaluit contra Iabin regem Chanahan*. Alii: *Et ivit manus filiorum Iſraelis eundo, & dura eſſendo contra Iabinem regem Chenahan*. Vel *& perrexit manus filiorum Iſraelis indeſinenter durior eſſe contra Iabinem regem Chenahanæum*.

MENOCHII.

Verſ. 1. POST MORTEM AOD. Nulla fit Samgaris mentio, quia brevi admodum tempore Iſraelis ducatum tenuit, adeo ut illius ratio non habeatur.

V. 2. TRADIDIT ILLOS DOMINUS. Hebr. *vendidit*: idem tamen eſt, nam quæ venduntur, emptori traduntur. IABIN REGIS CHANAAN. Iabin hic erat ex poſteris Iabin illius, cuius mentio eſt Ioſ. cap. XI. num. 1. ASOR. Urbs hæc Ioſue XI. 11. vaſtata, & flammis conſumpta dicitur a Ioſue; ſed eam Chananæi reædificaverant. HAROSETH GENTIUM: dicta *gentium* ex concurſu gentium, quæ vel a Ioſue ſuis ſedibus pulſæ, vel aliunde eo confluxerant, aliis etiam ex cauſis; verbi gratia, mercaturæ, &c.

V. 3. NONGENTOS FALCATOS CURRUS. Vide cap. I. num. 10. UXOR LAPIDOTH. Debboram cum Iſraelem iudicaret, viduam fuiſſe docet S. Ambroſius Lib. de Viduis. S. vero Hieronymus negat, Epiſtola ad Furiam ſub finem. Hac in re nihil certi ſtatui poſſe videtur.

V. 4. QUAE IUDICABAT POPULUM, ſine principatu tamen: nam ante bellum id non tuliſſent Iabin, & Siſara; poſt bellum vero iudicis poteſtate præditus fuit Barac. Componebat tamen lites, & controverſias ſuorum, & tamquam ad ſapientem feminam, & prophetidem concurrebant Iſraelitæ, ipſaque Barac excitavit,

vit , & poſtea conſilio iuvit: quare non immerito iudicaſſe dicitur a Scriptura.

V. 5. SEDEBAT SUB PALMA. τὸ *ſedebat* ſignificat *habitabat* , vel etiam eam ſedem ſuam , cum ius diceret, ſub palma conſtituiſſe.

V. 6. VOCAVIT BARAC. Fecit hoc Debbora, quia ei divinitus per Angelum, de quo cap. v. num. 23. vel per propheticum lumen, dux iſte monſtrabatur.

V. 8. SI VENIS MECUM, VADAM; SI NOLUERIS VENIRE, NON PERGAM. Fuit hæc in Barac quædam in obediendo cunctatio, quemadmodum in Moyſe Exodi IV. ex humana prudentia nimia, quam removere debuiſſet , divinitus monitus per prophetiſſam.

V. 9. IN MANU MULIERIS TRADETUR SISARA. Quia comitem ad bellum habere feminam , neque abſque hac , iniuſſam a Deo viam dare te vis , feminam quoque laudis ac gloriæ, quæ unum te manebat, ſociam, & participem habebis. Porro mulierem quam gloriæ participem habiturus erat Barac, alii Debboram eſſe volunt, alii Iahelem, quæ Siſaræ tempora clavo confixit. Utraque ſententia vera: nam utraque gloriæ partem quæ Baraco debebatur, ſibi decerpſit.

V. 11. HABER AUTEM CINAEUS RECESSERAT, &c. De hoc receſſu Cinæorum diximus ſupra cap. 1. num. 16. USQUE AD VALLEM, QUAE VOCATUR SENNIM. Hebræa vox & *vallem* , & *quercum* ſignificat ; itaque LXX. vertunt *uſque ad quercum*. Fortaſſis non male iungi poteſt utraque verſio , ſi dicamus fuiſſe vallem in qua eſſet quercetum.

V. 12. IN MONTEM THABOR. Erat mons Thabor in tribu Zabulon, & ab eo diſtabat Nazareth Chriſti Domini patria, itinere circiter duarum horarum , verſus eorum, hoc eſt occidentem æſtivum. Ad hunc montem venire Barac, & in eo colligere copias voluit Dominus , quia non longe diſtabat ab Haroſeth, ubi morabatur Siſara , ut hic vicino excitatus vel metu, vel periculo, ſtatim accurreret, & prælio, ac victoriæ locus daretur.

V. 13. AD TORRENTEM CISON. Naſcitur torrens Ciſon ex montibus Thabor, Hermon, & Gelboe, in duaſque partes labitur , quarum altera tendit ad occaſum , & mari mediterraneo excipitur ; altera vero ad ortum , & in lacum Geneſareth influit.

V. 14. HAEC EST ENIM DIES. Magnum in bellis momentum affert temporis obſervatio: hæc autem eſt duplex , aut ſcilicet ab humana prudentia , aut a religioſa & ſancta , cum ſcilicet a Deo , ut hic accidit, bellandi opportunitas diſcitur . Felix ſane prælium , cui ductor eſt Deus.

V. 15. PERTERRUIT. Hebr. *contrivit*. Chald. *fregit*.

V. 17. AD TENTORIUM IAHEL UXORIS HABER CINAEI. Cinæorum pars in ſolitudine Arad ſeceſſerat, de quibus dictum eſt cap. 1. num. 16. Alii vero in tribum Zabulon ſeceſſerant, quorum præcipuus fuit Haber. Lege verſiculum 11. huius capitis . *Ad tentorium Iahel*. Dicitur tentorium Iahelis potius quam Haber, vel quia tunc Haber domi non erat, vel propter eximiam feminæ huius virtutem, vel quia olim mos fuit ut alia eſſent virorum, alia mulierum tabernacula, ſicut etiam in amplis domibus gynæceum fit, in quo ſeorſim a viris mulieres habitant. Sic Iacobi, Liæ, & Rachelis diverſa indicantur tentoria Geneſis XXXI. num. 33. & 34. ERAT ENIM PAX, &c. Hinc patet Haber Cinæum potentem fuiſſe.

V. 18. OPERTUS PALLIO, culcitra aliqua, ſtragula veſte. LXX. vocant *ἐπιβόλαιον*: quæ vox ſignificat veſtes quæ ſuperiniiciuntur, & ſtragulum totale.

V. 19. SITIO VALDE, curſu nimirum, pernici fuga, ſudore, ac metu exhauſtus. Aquam vero, non vinum petit, quia in huiuſmodi æſtu, ac ſiti, fere ſolet eſſe gratior aqua quam vinum; & fortaſſe ſciebat in Cinæorum tabernaculis vinum non eſſe: quam enim a vino abſtinentiam præcepit poſtea Ionadab ex eadem Cinæorum ſtirpe, Ierem. XXXV. eam ſibi ſete ; principio Cinæorum præcipuos ſponte indixiſſe veriſimillimum eſt. APERUIT UTREM LACTIS. Aquam petenti lac tribuit Iahel, ut oſtenderet erga hoſpitem maius benevolentiæ argumentum , utque facilius illum in ſoporem daret , & quod iam machinabatur, perficeret.

V. 21. CLAVUM TABERNACULI. Erat iſte clavus ex eorum genere qui ad tentorii vela, & cilicia erigenda, valide-

que

que adverſus ventorum vim retinenda in terram defigi ſolent altius; ideoque teretes ſunt. magni, & craſſi. LXX. verterunt πάσσαλον: quæ vox palum ſignificat. Non ſatis conſtat, fuerit ne ferreus hic clavus, an ligneus. Ioſephus tamen *clavum ferreum* dixit. ABSCONDITE ET CUM SILENTIO. Hebr. vox ſignificat ſuſpenſo pede, & ſine ſtrepitu. SUPRA TEMPUS CAPITIS: quæ pars capitis mollior, & ad recipiendum clavum opportunior. ET MORTUUS EST. Potuit Iahel citra peccatum Siſaram interficere, quia iuſtum erat bellum contra Iabin, & Iahel eiuſdem cum Iſraelitis religionis, & fortaſſe etiam gentis. Porro inſidiæ in bello iuſto non damnantur: & ſi quod dixit mendacium, officioſum cenſendum eſt, ad ſalutem nimirum gentis ſuæ ordinatum; ac proinde leve peccatum. Acceſſit divina inſpiratio, quo ad facinus mota eſt, itaque eius factum laudat Scriptura.

T I R I N I.

Verſ. 4. DEBBORA PROPHETIS.... IUDICABAT POPULUM. An ergo etiam illa de numero Iudicum fuit? Affirmant SS. Hieronymus, Ambroſius *a*, Caietanus, Genebrardus, & quidam alii. Sed Reſpondeo, ius quidem populo dixiſse, ſed abſque iuriſdictione ſeu poteſtate iudiciaria. Non enim princeps erat, aut domina populi, ſed ſolum prophetiſſa: quo nomine plurimi reſponſa ab illa quærebant, & litium ſuarum compoſitionem: eoque magis, quod reliquos Iſraelitarum iudices ſoliis ſuis deturbaſſent Iabin & Siſara tyranni; feminam vero, eamque ſimplicem, & laudatam facile tolerabant. Ita Rabbini, Abulenſis, Arias, Munſterus quoque, & Tremellius. Ita de Deioce ſcribit Herodotus *b*, ex ſola ſapientiæ opinione iudicem apud Medos egiſſe prius quam rex fieret.

V. 5. Hæc SEDEBAT, pro tribunali, vel etiam habitabat SUB PALMA aliqua famoſa INTER RAMA ET BETHEL: quæ ex eo tempore dicta fuit *palma Debboræ*, vel *Debbora*. Porro vidua ne fuerit Debbora cum ibi iudicaret, an adhuc coniugata, diſputant S. Ambroſius, & S. Hieronymus, illo urgente viduam fuiſſe, hoc negante. *Quid ſi dicamus*, inquit Serarius, *fuiſſe tum a viri thoro ſeiunctam? Sic quo ad vinculum matrimonii vere fuiſſet uxor; quo ad uſum vero, potius vidua*. Ita ſentiunt quidam citati ab Aria, & Abulenſi.

V. 6. QUAE MISIT ET VOCAVIT BARAC, qui divinitus illi per Angelum, cuius mentio capite ſequenti verſ. 23. vel per propheticum lumen, dux populi deſignatus fuerat. Sed quis iſte *Barac? Maritus Debboræ*, inquit ex Rabbinis Nangiacus, & compilator Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Genebrardus patrem; ſanctus Ambroſius filium Debboræ facit. Sed facile hi omnes refelluntur, quod Barac Nephthalita fuerit; Debbora vero Ephraimitis, ut hic dicitur verſ. 5. & 6. Et cur rem tantam tacuiſset Scriptura? Virum privatum fuiſse, nec magnæ potentiæ, affirmat Abulenſis. Crediderim etiam pium fuiſse; ſed an ſat forti animo, fere dubitem, maxime cum videam adverſus divinum imperium per Debboram ipſi expoſitum nonnihil hæſitaſse, & forſan ex nimia prudentia humana in obediendo cunctatum eſse. Quare merito etiam a Debbora reprehenditur, & magna gloriæ ſuæ parte ad feminam Iahelem, devolvenda puniendus prædicitur. Sed hanc qualemcumque, certe levem, culpam facile mox abolevit tot aliis inſignibus obedientiæ fortitudiniſque actibus, qui hoc, & ſequenti capite commemorantur.

V. 17. ERAT PAX, ſed coacta metu potentiſſimi tyranni, INTER IABIN REGEM ET DOMUM HABER CINAEI. Quinam ſint Cinæi vide ſupra cap. 1. num. 16.

Sed unde familiæ huic religioſæ pax a barbaro & impio tyranno? Nempe ſtupebat rex ad tantam illorum virtutem, morum innocentiam, animi in adverſis tranquillitatem. Et vel ſic oſtendere voluit Deus, unde Iſraelitis tot tantæque adverſitates & plagæ, cum proximi tyranno Cinæi, quod a cultu Dei non receſſiſsent, plena pace, magnoque regis favore atque amicitia florerent: Iſraelitæ vero, etſi a tyranno remotiores, quia tamen a divinis legibus avulſi eſsent, duriſſimo tyranni iugo, & mille iniuriis opprimebantur.

Petes ſecundo: *Si pax erat inter regem & domum Haber*, quo iure Iahel uxor Haber occidit Siſaram? Sed iam dixi, non niſi

co-

Digitized by Google

coactam fuiſſe pacem. Deinde arctior ſanctiorque pax erat Cinæis cum Iſraelitis a quibus tot beneficiis aucti fuerant. Denique ſat conſtabat Iaheli hanc eſſe Dei voluntatem tum ex arcano eiuſdem inſtinctu, tum ex prophetia Debboræ, verſ. 6. & ſeqq. tum ex recenti & prodigioſa victoria. Unde tenebatur commu nem Reipublicæ ſuæ hoſtem quem ſinu ſovebat, vel prodere, vel perdere. Ita Abulenſis, Arias, immo & Ioſephus.

(*a*) Hieron. ad Furiam. Ambr. de Viduis.
(*b*) Hieron. Lib. I.

GORDONI.

Verſ. 2. & 3. IABIN REX IN ASOR. Filius eſt eius quem occidit Ioſue, Ioſ. XI. verſ. 10. Poſt mortem Ioſue videtur regnum recuperatum ab hoc Iabin rege. Hic currus falcati ſunt ferro armati.

V. 4. Huic prophetiſſæ dantur anni 40. UXOR ERAT LAPIDOTH, non vero filia: ut ſic mendum tollas. Hebr. *mulier Lapidoth*, אשת *iwa*. LXX. γυνὴ Iudicabat, ſeu ius dicebat; non tamen ex iuriſdictione, ſed auctoritate, & prophetia lites componebat. Barac proprie principatum iudicis obtinebat.

V. 5. SEDEBAT SUB PALMA: habebat domum iuxta palmam, aut palmetum; & inde locus dictus *palma Debboræ*.

V. 6. QUAE MISIT ET VOCAVIT BARAC. Quis ſit, an Deboræ pater ſit, aut filius, certatur; nec multum hic habeo quod in ullam partem proferam: dixi alibi videri filium: in qua ſententia eſt Ambroſius de viduis.

V. 7. EGO AUTEM, &c. Loquitur Debbora referens, ut videtur, verba, & promiſſionem victoriæ a Deo.

V. 11. HABER AUTEM CINAEUS. Dicti Cinæi a Cinæo ſocero Moſis. Idem HOBAB eſt Iethro Cinæus: vel certe Hobab eſt filius Iethronis, frater Sephoræ, ut dixi Num. cap. x verſ. 19.

V. 12. & 13. De monte Thabor (תבור) vide Ioſeph. Lib. IV. cap. VI. Altus eſt 30. ſtadia, in ſupremo peramœnus, & Chriſti transfiguratione illuſtris: eſt in Tribu Zabulon. Leucis duabus abeſt Nazareth. CISON torrens defluit ab hoc monte.

V. 21. CLAVUM TABERNACULI, unum ex clavis, vel paxillis, quibus figebatur tabernaculum.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. ASOR, urbs vaſtata Ioſ. XI. 2. ſed quam reædificaverunt Chananæi. HAROSETH GENTIUM, ſic dicta a gentium multitudine eo confluentium, pulſarum a Ioſue.

V. 3. FALCATOS CURRUS: ſupra cap. I.

V. 13. AD TORRENTEM CISON. Hic torrens naſcitur ex Thabor, Hermon, & Gelboe montibus, cuius pars una in mediterraneum mare fluit, altera in lacum Geneſareth.

V. 17. TENTORIUM IAHEL, in quo ipſa manere ſolebat; & quod forte diverſum erat a viri tabernaculo. CINAEI. Seceſſerunt Cinæorum aliqui in ſolitudinem Arad; alii in tribu Zabulon, quorum ductor fuit Haber, aut inter eos primarius.

V. 21. TEMPUS, pars capitis molior.

CA-

CAPUT V.

Canticum gratiarum actionis Debboræ & Barac poſt victoriam.

1. CEcineruntque Debbora & Barac filius Abinoem in illo die, dicentes:
2. Qui ſponte obtuliſtis de Iſrael animas veſtras ad periculum, benedicite Domino.
3. Audite reges, auribus percipite principes: Ego ſum, ego ſum quæ Domino canam, pſallam Domino Deo Iſrael.
4. Domine cum exires de Seir, & tranſires per regiones Edom, terra mota eſt, cælique ac nubes diſtillaverunt aquis.
5. Montes fluxerunt a facie Domini, & Sinai a facie Domini Dei Iſrael.
6. In diebus Samgar filii Anath, in diebus Iahel, quieverunt ſemitæ: & qui ingrediebantur per eas, ambulaverunt per calles devios.
7. Ceſſaverunt fortes in Iſrael, & quieverunt: donec ſurgeret Debbora, ſurgeret mater in Iſrael.
8. Nova bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubvertit: clypeus & haſta ſi apparuerint in quadraginta millibus Iſrael.
9. Cor meum diligit principes Iſrael: qui propria voluntate obtuliſtis vos diſcrimini, benedicite Domino.
10. Qui aſcenditis ſupernitentes aſinos, & ſedetis in iudicio, & ambulatis in via, loquimini.
11. Ubi colliſi ſunt currus, & hoſtium ſuffocatus eſt exercitus, ibi narrentur iuſtitiæ Domini, * & clementia in fortes Iſrael: tunc deſcendit populus Domini ad portas, & obtinuit principatum.
12. Surge, ſurge Debbora, ſurge, ſurge, & loquere canticum: ſurge Barac, & apprehende captivos tuos fili Abinoem.
13. Salvatæ ſunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicavit.
14. Ex Ephraim delevit eos in Amalec, & poſt eum ex Beniamin in populos tuos, o Amalec: de Machir principes deſcenderunt, & de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum.
15. Duces Iſſachar fuere cum Debbora, & Barac veſtigia ſunt ſecuti, qui quaſi in præceps ac barathrum ſe diſcrimini dedit: diviſo contra ſe Ruben, magnanimorum reperta eſt contentio.
16. Quare habitas inter duos terminos, ut audias ſibilos gregum? diviſo contra ſe Ruben, magnanimorum reperta eſt contentio.
17. Galaad trans Iordanem quieſcebat, & Dan vacabat navibus: Aſer habitabat in littore maris, & in portubus morabatur.
18. Zabulon vero & Nephthali obtulerunt animas ſuas morti in regione Merome.
19. Venerunt reges & pugnaverunt, pugnaverunt * reges Chanaan in Thanach iuxta aquas Mageddo, & tamen nihil tulere prædantes.
20. De cælo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo, adverſus Siſaram pugnaverunt.

21. Tor-

Digitized by Google

21. Torrens Ciſon traxit cadavera eorum, torrens Cadumim, torrens Ciſon: conculca anima mea robuſtos.

22. Ungulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetu, & per præceps ruentibus fortiſſimis hoſtium.

23. Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini: maledicite habitatoribus eius, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adiutorium fortiſſimorum eius.

24. Benedicta inter mulieres Iahel uxor Haber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo ſuo.

25. Aquam petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum.

26. Siniſtram manum miſit ad clavum, & dexteram ad fabrorum malleos, percuſſitque Siſaram quærens in capite vulneri locum, & tempus valide perforans.

27. Inter pedes eius ruit: defecit, & mortuus eſt: volvebatur ante pedes eius; & iacebat exanimis & miſerabilis.

28. Per feneſtram reſpiciens, ululabat mater eius: & de cœnaculo loquebatur: Cur moratur regredi currus eius? quare tardaverunt pedes quadrigarum illius?

29. Una ſapientior ceteris uxoribus eius, hæc ſocrui verba reſpondit:

30. Forſitan nunc dividit ſpolia, & pulcherrima feminarum eligitur ei: veſtes diverſorum colorum Siſaræ traduntur in prædam, & ſupellex varia ad ornanda colla congeritur.

31. Sic pereant omnes inimici tui Domine: qui autem diligunt te, ſicut ſol in ortu ſuo ſplendet, ita rutilent.

32. Quievitque terra per quadraginta annos.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 11. *Et clementia in fortes Iſrael*. Spurium eſt quod quidam habent *in portis* pro *in fortes*: ſed genitivus *fortis*, quem alii quidam legunt abſque præpoſitione, poſſit habere ſimilitudinem veri.

V. 19. *Reges Chanaan in Tanach*. Non ſcriba *Tane* pro *Tanach*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. Distillaverunt, ſcilicet præ timore ſudantes; quaſi dicat: Totus orbis tremebat.

V. 5. Fluxerunt: repetitio. Videtur autem per montes, & cælos, principes intelligere.

V. 6. Iahel: de qua ſup. cap. iv. & inf. Quieverunt, &c. quaſi dicat: Qui iter faciebat, non audebat præ timore ire via regia.

V. 7. Cessaverunt. Chald. *deſolatæ ſunt*. LXX. *defecerunt*. Fortes. Hebr. Pagn. Chald. *urbes*. LXX. *habitantes*.

V. 8. Nova bella, &c. quaſi dicat, Inuſitata, & mirabilia. Hebr. *Cum elegit* (ſcilicet Iſrael) *deos novos*, *tunc bellum in portis*, ſcilicet habuit. Si apparuerint; quaſi dicat: Nemo audebat arma ſumere.

V. 10. Nitentes. Hebr. *candidas*. Sedetis in iudicio. Chald. *ſuper iudicium*. LXX. *in iudicio*; quaſi dicat: Qui præeſtis iudiciis: vel qui equitatis commode. Ambulatis; id eſt, iter facitis.

V. 11. In fortes, id eſt in exercitu fortium Iſraelitarum. Ad portas; quaſi dicat, ad egrediendum ex urbibus intrepide.

V. 14. In Amalec, id eſt Amalecitas. Ex Beniamin, ſcilicet fuit etiam victoria.

V. 15. Ruben: ſcilicet dum vult ipſe etiam opem ferre, orta eſt diſcordia.

V. 16. Terminos, ſcilicet inde hoſtium, hinc Iſraelitarum. Alii, *caulas*. Ut audias sibilos? quaſi dicat: Ut inter pecora maneas, nec adiuves fratres tuos in bello?

V. 20. Stellae; pro, cæleſte auxilium, ſeu Angeli.

V. 21. Cadumim; quaſi dicat, antiquiſſimus. Quidam tamen putant nomen eſſe proprium alterius torrentis.

V. 23. Angelus, ſcilicet loquens per me.

V. 25. Principum; quaſi dicat, pulchra. Butyrum, pro lac.

V. 31. Pereant, ſcilicet ut Siſara. Splendet, ſcilicet & ſubinde fit lucidior.

ESTII.

Verſ. 1. Ecineruntque Debbora et Barac, &c. Omnino hoc Canticum, ut a Deo ſpecialiter inſpiratum, & proinde, ut ceteræ Scripturæ ſacræ partes, recipiendum eſt. Nam conſtat Debboram prophetiſſam fuiſſe: prophetavit enim, Barac fore victorem, & Siſaram per manum feminæ periturum. Quare ſicut aliorum Prophetarum cantica merito recipiuntur, ut ſint eiuſdem cum reliqua Scriptura auctoritatis, ſic & iſtud recipiendum.

V. 20. De caelo dimicatum est contra eos. Senſus eſt: Deus pro populo ſuo pugnavit contra eius hoſtes, nempe ſecundum id quod Debbora dixerat ad Barac capite præcedenti: *Hæc eſt dies in qua tradidit Dominus Siſaram in manus tuas: en ipſe ductor eſt tuus*: & ſequitur: *Perterruitque Dominus Siſaram, & omnes currus eius*. Alii ſic exponunt: Pluviæ, venti, grandines, procellæ, quæ ſunt cæleſtia meteora, pugnaverunt contra eos. Nam in Hebræo eſt, *E cælis pugnarunt*. Et in noſtra quoque verſione mox ſequitur: Stellae manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt. Hebr. *Stellæ a ſemitis ſuis*, alias, *e ſuis aggeribus pugnaverunt contra Siſaram*: metaphora a militibus, ex editiore loco pugnantibus. Significatur autem vel ſtellas, quarum influxu commoventur tempeſtates cæli, fuiſſe hoſtibus adverſas; vel potius Angelos Dei miniſtros contra eos pugnaſſe. Et forte ita loquitur Canticum, quod pugna nocte, lucentibus ſtellis, fuiſſet commiſſa.

MARIANAE.

Verſ. 1. Ecineruntque. Sequitur Barac, & Debboræ canticum.

V. 2. Qui sponte obtulistis, &c. Hebr. *In vindicando vindictam in Iſrael, in offerendo ſe ſponte populum* (ad arma) *laudate Deum*. Argumentum, & titulus Cantici hoc verſu continetur: ſcilicet ut laudetur Deus, quoniam vindicavit Iſrael, & quoniam populus libenter prodiit hoſti obviam.

V. 4. Domine cum exires de Seir. Loquitur de eo tempore quo primum populus exiit de AEgypto; tunc terra tremuit, montes, & nubes diſtillaverunt (pro, ſoluti ſunt in) aquas, præ timore ſudarunt.

V. 5. Et Sinai a facie Domini. Hebr. *Montes fluxerunt* (liquefacti ſunt) *a facie Domini, iſte Sinai* (pro, ſicut iſte Sinai:) ſic Hebræus; quaſi dicat: Ut mons Sinai liquefactus eſt, ſic alii montes tranſeunte per illos Domino. Sept. appoſitive legunt: *Hic Sina turbatus*; ſupple, eſt. Id accidit in diebus

V. 6. Samgar. Hic occidit ſexcentos Philiſthæos, cap. III. verſ. 31. Quieverunt semitae. Nullus ibat per vias, nemo tuto iter faciebat ob hoſtes circumfuſos: & qui cogebantur prodire, ibant facto magno circuitu. Per calles devios. Hebr. *Per ſemitas tortuoſas ibant*.

V. 7. Cessaverunt fortes. Hebr. *Ceſſaverunt villæ*. Nemo in villis habitare audebat, cuncti ſe continebant intra urbes munitas.

V. 8. Nova bella elegit Dominus, id eſt mirabilia: nam femina duce hoſtes vicit. Et portas hostium ipse subvertit. Si לחם *lchem* puncta mutentur, ex nomine fiet verbum, *debellavit*, & Vulgatæ ſententia conſtabit. Sed ſupplere oportet duas voces, *bella*

la, & *hoſtium*. Hebræi aliter explicant: *Elegit deos novos* (ſupple, Iſrael) *tunc bellum in portis*; ſupple, fuit. SI APPARUERINT; pro, non apparuerunt: nullus erat qui arma ſumeret, diſcrimini occurreret. Totus verſ. ſic Hebr. *Elegit deos novos: tunc bellum in portis. Clypeus ſi apparuit & lancea in quadraginta millibus in Iſrael.*

V. 9. COR MEUM DILIGIT PRINCIPES. חוקקי *bokekei*, ſic vocat *principes*, quoniam in populis decreta ſanciunt, quæ חק *bok* vocantur.

V. 10. ASCENDITIS SUPER NITENTES ASINOS. Sic Sept. Hebr. *aſinas albas*. Iis ſedentes iter faciebant, & prodibant ad bellum. Ergo tales, ſcilicet principes, & iudices, & viatores, ſeu mercatores, qui ante præ metu ſilebatis, iam loquimini, aut ſolvite linguas in laudes Dei, benedicite Dominum. Repetit quod verſ. 2. & 9. dixerat.

V. 11. UBI COLLISI SUNT CURRUS, ET HOSTIUM SUFFOCATUS EST EXERCITUS. Hebr. *A voce iaculantium in locis ubi hauriri ſolet aqua*; id eſt, laudate Deum propter vocem, quæ nempe ceſſavit. In regionibus aridis, qualis magna ex parte Palæſtina eſt, ad aquas ſolent eſſe magna certamina. Suſpicor tamen ex verſione Hieronymi aliter Hebraica legiſſe, quam nunc ſunt. ET CLEMENTIA IN FORTES ISRAEL. Hebr. *iuſtitias villæ eius* (ſcilicet Dei) *in Iſrael*, laudabant nimirum, quæ ante non habitabantur. DESCENDIT POPULUS DOMINI AD PORTAS, ut egrederetur ex urbibus munitis, intra quas præ metu ſe tenebat. ET OBTINUIT PRINCIPATUM, non eſt in Hebræo.

V. 12. SURGE .... FILI ABINOEM. Hic eſt Barac, cap. IV. verſ. 6.

V. 13. SALVATAE SUNT RELIQUIAE POPULI. Hebr. *Tunc Dominus eſt ſuperſtes ad fortes* (pro, in fortibus) *populi*; quaſi dicat: Qui ex bello evaſerunt, hoſtium fortiſſimos ſubiecere. Addit: DOMINUS IN FORTIBUS DIMICAVIT; quaſi dicat: Dei ope id factum eſt.

V. 14. EX EPHRAIM DELEVIT EOS. Hebr. *Ex Ephraim radix eorum in Amalec*; ſupple, delevit, aut expugnavit radicem eorum, ſcilicet Ephraitarum. Sic vocat ipſum Ioſue, quod eſſet quaſi fundamentum & Princeps in ea tribu. POST EUM EX BENIAMIN IN POPULOS TUOS, O AMALEC. Hebr. *poſt te* (ſcilicet o Ephraim) *Beniamin in populos tuos*. Hoc dicitur de Saule, qui fuit ex tribu Beniamin, & delevit Amalecitas. DE MACHIR. Fuit hic primogenitus Manaſſe, qui trans Iordanem hereditatem accepit in Baſan, Ioſue XIII. verſ. 31. & ad hoc bellum venit. DE ZABULON QUI EXERCITUM DUCERENT AD BELLANDUM. Periphraſis, pro principes Zabulon. Hebr. *trahentes in virga* (ſcilicet ſtylo) *ſcribæ*, hoc eſt ſcribas, principes. Sept. *in ſceptro ſcribæ*. Laudat eos ſcribas qui venerunt ad bellum, & vituperat ceſſantes. Hi omnes

V. 15. BARAC VESTIGIA SUNT SECUTI. Hebr. *Et Iſſachar ſicut Barac in vallem miſſus* (ſupple, eſt) *in pedibus ſuis*, id eſt *peditibus*, ut Sept. idem periculum adivit cum ſuis Iſſachar: quod iam Hieronymus aliis verbis dixit. In vallem, dixit, ſe demiſit, & ſuos, quoniam ad torrentem Ciſon pugna fuit. DIVISO CONTRA SE RUBEN. Hebr. *in diviſionibus Ruben magni ſcribæ cordis*; id eſt, quamvis Ruben divideretur ab aliis (non enim interfuit) Iſſacharitæ tamen magni principes, magnique cordis extitere. Sept. *magnæ indagationes cordis*; id eſt, multa dicta ſunt cur non adfuerint: neque Hebr. diſcrepant.

V. 16. QUARE HABITAS INTER DUOS TERMINOS? inde hoſtium, hinc Iſraelitarum: neutris faves, o Ruben, ſed greges quietus paſcis. DIVISO CONTRA SE RUBEN. Repetit ſententiam ſuperiores verſus more cantilenarum.

V. 17. GALAAD TRANS IORDANEM QUIESCEBAT. Hebr. *habitavit*. Ea erat poſſeſſio Rubenitarum. ET IN PORTUBUS MORABATUR. Hebr. *Super fracturas morabatur*; id eſt in locis non munitis. Ea fuit occaſio non veniendi ad bellum, tuendi ſua oppida neceſſitas.

V. 18. IN REGIONE MEROME. Hebraica alii explicant, *ſuper altitudines campi*. Fortaſſis eæ ſunt aquæ Merom, iuxta quas eſt facta pugna. Itaque verba reddimus Hebraica: *Supra* (id eſt iuxta) *Meromis agrum, Nephthalim ſe morti obtulit.*

V. 19. ET TAMEN NIHIL TULERE PRAEDANTES. Hebr. *Cupiditatem argen-*

Digitized by Google

genti non acceperunt: alii, *lucrum*; alii, *mercedem argenti*: ſive quia prædari non potuerunt, quod Hieronymus eſt ſecutus; ſive quia captos pretio vendere nolebant reges Chanaan.

V. 20. STELLAE. Cæleſte auxilium, Angeli pugnarunt contra Siſaram.

V. 21. TORRENS CISON TRAXIT CADAVERA EORUM. Hebr. *ſcopavit*. TORRENS CADUMIM. Hebræus putat eumdem Ciſon eſſe, & vocari ſic, quia ad plagam orientalem erat. קדם *Kedem*, *oriens* eſt. Sept. & alii, fuiſſe torrentem alium eo nomine.

V. 23. MALEDICITE TERRAE MEROZ. Urbs ſita prope pugnæ locum, nec pugnæ interfuit. DIXIT ANGELUS, ſcilicet per me.

V. 24. BENEDICATUR IN TABERNACULO SUO; id eſt, inter eas quæ in tabernaculo habitant: ſcilicet inter alias mulieres benedicatur Iahel.

V. 25. OBTULIT BUTYRUM. Id pro lacte poſuit, quoniam ex lacte fit.

V. 29. UNA SAPIENTIOR CETERIS UXORIBUS. Hebr. *ſapientes dominæ eius* (Hiſp. *ſus damas*) *Siſaræ reſpondebant*: etiam ipſa reddebat verba ſibi.

V. 30. ET PULCHERRIMA FEMINARUM ELIGITUR EI. Hebr. *puella*, *duæ puellæ capiti viri*, id eſt cuique; ſupple, deſtinantur duæ puellæ e captivarum numero. *Præda colorum* (id eſt veſtis tinctæ) *Siſaræ*, *acu pictum*, *coloratum unum*, *acu picta duo*, *collis prædæ*, id eſt ducibus. *Colla*, pro capitibus. Noſter dixit: SUPELLEX VARIA AD ORNANDA COLLA CONGERITUR.

V. 31. SICUT SOL IN ORTU SUO. Hebr. *Sicut egreſſus ſolis in robore ſuo ſint qui te diligunt*, *o Deus*, id eſt in meridie: tunc enim maxime fulget ſol. Aut ſit *in ortu*, quia tunc oculis iucundior.

MALVENDAE.

Verſ. 2. QUI SPONTE OBTULISTIS DE ISRAEL ANIMAS VESTRAS AD PERICULUM. Varie hoc hemiſtichium ex Hebræo transfundunt. I. *In ulciſcendo*, vel *dum ulciſcitur*, *ultiones in Iſrael*, *in offerendo ſe ſpontaneum*, vel *dum ſponte ſe offert*, *populus*. II. *Quandoquidem perſecutus eſt iniurias Iſraeli illatas*, *convenit ut vos qui voluntarii eſtis in populo*, *gratias agatis Domino*. III. *In ſolvendo ſolutionem in Iſrael*; id eſt, in reddendo ultionem hoſtibus Iſraelis: *in eſſe ſpontaneum populum*, id eſt liberum in ſuis rebus, & operibus. IV. *Propter ultiones factas in Iſraele*, *& propter populum voluntarium redditum*. V. *Quandoquidem ſumit ultiones per Iſraelem*, *ſponte ſe offerente populo*. VI. *In liberando libertates in Iſrael*, ſcilicet a Tyranno Siſera, *in ſpontaneum ſe exhibendo populus*. VII. *In dando libertates inter Iſrael*, vel *cum ſint libertates in Iſrael*; id eſt, cum privaſſet eos iugo ſervitutis (decet) *ut ſponte afferendo populus*, *benedicatis Domino*. VIII. *In manifeſtando manifeſtationes*, ſive *in denudando denudationes in Iſrael*; id eſt, cum primum præclara ſua opera manifeſtavit, denudavit, Dominus in Iſrael, ſive in gratiam Iſraelis. De notione verbi פרע *paragh* plenius egimus Exodi v. verſ. 4. & Exodi XXXII. verſ. 25. Significatio *vindicandi*, & *ulciſcendi*, quam hic plerique ſequuntur, eſt ex uſurpatione Chaldaica potius quam Hebraica, in qua ſignificatione notant verbum id idem ſonare quod Latine dicimus, *liberare*, *in libertatem aſſerere*, *vindicare*, *libertate donare*, *liberum reddere*: nimirum abiicere, & excutere iugum ſervitutis; ex vili abiectione in libertatem vindicare: quæ notatio huic loco optime quadrat. Sed nos *feriandi*, ubique retinemus: *In feriando feriationes in Iſrael*; id eſt, cum in Iſraele iam agantur publicæ ceſſationes, feriæ, otia a laboribus tyrannidis, &c. *Qui ſponte obtuliſtis animas veſtras*. Hebr. *in ſpontaneando ſe ipſum populus*: vel *in ſpontaneum ſe ipſum offerendo*, vel *exhibendo populus*; id eſt, dum ſponte ſe offert populus; id eſt, dum ſponte ſua ſumit arma populus; dum volens libenſque Barakum in expeditionem ſequitur. Populus hic non totus Iſrael intelligitur, ſed ii qui Barakum ſecuti Siſeram fuderant, de quibus ſupra cap. IV. verſ. 10. & infra verſ. 18. nam eo nomine dicuntur ſponte ſe obtuliſſe, quod Barakum prius in ſe nullum imperium habentem ſecuti ſunt. BENEDICITE DOMINO; id eſt, prædicate, laudate, celebrate, gratias agite Iehovæ.

V. 3. PRINCIPES. רוזנים *rozenim*:

hic

Digitized by Google

hîc primum hæc vox occurrit, & quinquies aliis locis. Noſter duobus locis *principes* reddit, hic, & Pſalm. II. verſ. 2. at Proverb. VIII. verſ. 15. *legum conditores:* & Proverb. XXXI. verſ. 4. *reges*: Iſaiæ XL. 23. *ſecretorum ſcrutatores*: Habac. I. 10. *tyranni*. Forſterus hæc de voce annotat: *Rozenim, quantum ex locorum conſideratione, & circumſtantiis ſumi poteſt, proximum gradum poſt regem obtinuerunt, quales ſunt in regum aulis conſiliarii, iuriſperiti, legislatores. Interpretes verterunt principes. Si etymologiam ſpectaveris, dicuntur a* רזה *razah, quod gracilem habent intellectum & ſubtilem in iudicandis cauſis, & negotiis, in decidendis cauſis forenſibus. Et ut* סרים *ſarim, id eſt principes, adhibebantur a regibus ad menſuratam officiorum in aula adminiſtrationem, nempe ſuper piſtores, pincernas, lanios, captivos, tributa, pecora, militiam: ita rozenim tantum adhibebantur conſultationibus, & deliberationibus gravioribus: & condebant etiam iura, & leges*. Eadem verbatim deſcripſere Forerius, & Mercerus. Erunt igitur, quos Hiſpanice dicimus *preſidentes de conſeios*, *præſides conſiliorum*. Plerique Hebræorum, *reges*, & *principes*, ſic dictos volunt, a *macie*, quod princeps ſine populo, aut ſubditis, macie atteritur: Proverb. XIV. verſ. 28. Rectius erit, *præſides conſiliorum*, ita numcupatos quod ſi ii non recte ſuo officio functi fuerint, populus macie conficiatur. Mercerus *ſummos* exponit; Tremellius, & Iunius *gubernatores*; Avenarius *ſtrenuos*, *ſerenos*. Vox videtur peregrina, nec abſurde reddes *ſecretarios*, ex notatione Chaldaica, & loco Iſaiæ XXIV. verſ. 16. Et ſane illi qui hodie vocantur ſecretarii principum, rerum ſummam adminiſtrant. Niſi malis per antiphraſim, *craſſos purpuratos* accipere, id eſt opulentos, & proceres in aulis principum; ſive *graciles*, *delicatos*, *ſumptuoſos*, *voluptuoſos*: perpetuum principum epitheton. Nam certe nimiæ deliciæ maciem inducunt. PSALLAM. Verbum זמר *zimmer* in Pihel, a primaria verbi ſignificatione quæ eſt *incidit*, *præcidit*, *putavit*, *amputavit*, notant referri ad vocem, ſeu inciſionem muſicam, & ſignificare *incidere*, *præcidere verba*, ſeu *vocem*, *facere cæſuras*, ſeu *inciſuras ſyllabarum*, *canere modulos*, *modulari*, *canere carmen*: nam de aliis ſolutis & pedeſtribus cantionibus non dici, niſi de numeris, quæ menſuratione conſtant, & in laudem & gloriam Dei modulantur. Et quia tales propter artificium iucundæ ſunt, & gratæ; ideo quoque pro optimis quibuſque carminibus, ſeu cantilenis, ſeu ſelectiſſima muſica, & modulatione accipi. Itaque diſtingunt a verbo שיר *ſchir*, aut שור *ſchur*, quod generaliter de ſolutis & vulgaribus, neque arte modulatis cantionibus dicitur: verum *zimmer* tantum de arte compoſitis, & concinnis, correptiſque modulationibus intelligi, quæ conciſas, breves, & arte conſtrictas continent ſententias: illud generale & vulgare; hoc vero artificioſæ modulationis, quæ ſuas cæſuras, ſeu menſuras, & numeros habet, & quidem breves & conciſas. Et non ſolum de modulatione vocis humanæ, verum etiam aliorum inſtrumentorum muſicalium dici, ut ex exemplis cognoſcere facile licebit. Alii aiunt, notare modulationes artificioſas, certis cæſuris, & numeris inciſas. Quidam putant hoc verbum proprie ad inſtrumenta muſica referri: unde vertunt per *pſallere*, *pulſare*, *inſtrumentis muſicis ſonare*. Nec deſunt qui velint proprie eſſe *ſermocinari*, *ſermone conciſo celebrare Deum*, ut fit in Pſalmis qui conſtant breviſſimis verſiculis, reſecta & amputata omni verborum ſuperfluitate: *pſallere* communiter exponunt. *Pſallere* quidem Græcis, & Latinis proprie eſt citharam, aut lyram, ſeu inſtrumenta muſica pulſare, fides tangere. Aulus Gellius Lib. XIX. cap. IX. *Sciti ſſimos utriuſque ſexus, qui canerent voce, & qui pſallerent*. Nos per *modulari* deinceps vertemus.

V. 4. CUM EXIRES DE SEIR. Explanant: Populum inde a Sehire, & Idumæa in terram promiſſam deducendo, Numer. XX. verſ. 21. & cap. XXI. cum ſeqq. Vide Deuteron. II. verſ. 4. & 8. ET TRANSIRE PER REGIONES EDOM. Hebr. *In incedendo te*, *cum tu incederes*, *gradereris*. Quidam: *Dum receſſiſti tu*. Notant verbum צעד *tzaghad* eſſe *incedere cum pompa*, & maieſtate quadam verenda: quod huic loco recte convenit. TERRA MOTA EST. Verbum רעש *raghaſch*, aiunt eſſe *commoveri terrore*, *contremere*, *contremiſcere*, *concuti cum impetu*, *cum vehementiori motu concuti*, *commoveri cum ſtrepitu ingenti*, *motu concrepare*. Locutiones huius verſus, & ſequentis, ſunt hyperbolicæ,

Digitized by Google

licæ, quibus ſignificatur omnia terreſtrias & cæleſtia ad divinam præſentiam perculſa, ac convulſa fuiſſe. Caelique ac nubes distillaverunt aquis. Hebr. maiori emphaſi: *Etiam cæli deguttaverunt: etiam denſitates deguttaverunt aquas*; quaſi dicat: Cæli ipſi egregie ſolidi & compacti, in aquas ſoluti & liquefacti ſunt, ut guttatim defluxerint; & nubes ipſæ denſiſſimæ totæ in aquas abierint. Ingens hyperbole!

V. 5. Montes fluxerunt, nimirum ſedibus, & compagibus verſi, ac ſoluti, vel computrefacti ac triati: elegans poetica hyperbole! Alii, e verſu præcedente: E nimiis imbribus fluxerunt: ut illud Maronis, IV. AEneid.

.... *Ruunt de montibus amnes.*

Aliqui alienius, ad mirabilem fluxum aquarum e petra ſeu rupe bis a Moſe in deſerto eductum, alluſum putant. Et Sinai a facie Domini, &c. Hebr. *iſte Sinai a facie Iehovæ*. Exponunt: Quemadmodum iſte Sinai; ſubaudi, contremuit; quaſi dicat: Si mons ipſe, qui eſt creatura ſine ſenſu, contremuit ad præſentiam Iehovæ, quanto magis homines? Alii, quaſi dicat: Non tantum illi in quos procedebas; ſed etiam quos procul a tergo relinquebas, ut erat mons Sinai.

V. 6. In diebus Samgar: de quo ſupra cap. III. verſ. 31. In diebus Iahel: de qua ſupra cap. IV. verſ. 17. & ſeqq. & infra verſ. 24. & ſeqq. huius cantici. Senſum huius verſus quidam hunc eſſe volunt: A morte Ehudis, & anno illo octogeſimo, de quo ſupra cap. III. verſ. 30. uſque ad hunc conflictum, adeo premebatur hic populus ab hoſtibus, ut commercia ceſſarent, & quibus iter faciendum erat, hoſtium metu diverticula quærenda eſſent; neque tuta eſſet ullius pagi habitatio: atque ob hanc cauſam exiſtimant, ſingulariter hic iungi Samgharem, & Iahelem, quia ab imperio illius, ad liberationem per hanc, populus Iſraeliticus magnis eſt infortuniis & calamitatibus conflictatus. Quieverunt semitae. Hebr. *Ceſſaverunt, deſierunt, deſtiterunt, defecerunt ſemitæ*. Quidam reddunt: *Deſierant recta itinera*, id eſt viæ regiæ, & recta contendentes de loco ad locum. Notant eſſe ellipſin contrarii in Scripturis frequentem: nam bis opponuntur tortuoſæ, ſub finem verſus. Omnia enim publica itinera infeſta erant hoſtium incurſationibus, latrociniis, graſſationibus. Per calles devios. Hebr. *ambulabunt ſemitas tortuoſas*. עקלקלות *ghakalkalloth*, plerique adiective exponunt, *tortuoſas*, *obliquas*, *curvas*. Alii melius ſubſtantive, e Pſalm. CXXIV. 5. *tortuoſitates*, *obliquitates*, *curvitates*. Et vero nomen ſubſtantivum duplicatum, indicat vias longe multumque diſtortas. Perperam hic quidam *lubricitates*, vel *lubricas* vertunt. Quas ſane præ itineribus publicis eligebant, ut fere fit, cum regionem infeſtat miles.

V. 7. Fortes in Israel. פרזון *perazon*, ſingulare, *pagus*, *villa*, quæ non eſt muro munita, ſed patet irruptioni. Volunt poni collective pro univerſitate pagorum, ſeu villarum. Alii metonymice: *Viri pagorum*, *pagani*, vel *paganus quiſque*; quaſi dicat: Pagi, & villæ erant deſertæ abſque habitatore. Hiſpanicus Interpres, *Las aldeas*, vel *los cortiios*, *las labranças*. Noſter, *irruptores*, *prævalidi*, *fortes*. Donec surgeret Debbora. עד שקמתי *ghad ſchakkamti*. Quidam putant, שקם *ſchakam* eſſe verbum eiuſdem ſignificatus cum *rum*, unde reddunt: *Donec ſurrexi ego Debbora*. Alii, *ſcha* pro *ſche*, relativo poſitum volunt: *Uſque quo ſurrexi ego Debbora*: vel *uſque quod ſurrexi ego Debborah*. Aliqui: *Uſquedum ſurrexi Debborah*. Mater in Israel. Explanant: Tum quia ſpiritu prophetico Iſraelitis, ut mater filiis, & propheta diſcipulis (quos prophetarum filios Scriptura vocat) conſulebat; tum quia hoc bello malum ab Iſraelitis, ut pia mater depulit; tum, adde, quia iudicaturam adminiſtrabat in Iſrael: & ut quidam apud Romanos dicti ſunt Patres Patriæ; ita hæc, Mater Patriæ Iſrael audiit.

V. 8. Nova bella elegit Dominus, &c. Hunc verſum in diverſum ſenſum quam Noſter, fere omnes ex Hebræo transferunt. I. *Cum elegit Deos novos, tunc fuit bellum in portis: clypeus ſi conſpectus eſt, & lancea in quadraginta millibus Iſrael*; id eſt, cum eligebat, ſive deligebat ſibi Iſrael deos novos, cum primum incipiebat colere idola; tunc bellum erat in portis, tunc in urbibus eius erat bellum, tunc hoſtes incipiebant urbes eorum expugnare, tunc opprimeban-

tur

Digitized by Google

tur bello. *Clypeus ſi conſpectus eſt*, &c. id eſt, diſpeream, ſi clypeus videbatur, aut lancea inrer quadraginta millia in Iſrael; quaſi dicat: Diſpeream, ſi quis inter quadraginta millia hominum auſus erat aſſumere arma: nimirum, nullus Iſraelitarum audebar aſſumere arma contra hoſtes, adempto illis a Deo animo, ac viribus. II. *Simul ac deos novos eli e bat, bellum in portis erat: nec tamen clypeus, nec haſta viſa ſunt in quadraginta millibus Iſraelis*. III. *Cum elegit deos novos, tunc debellator fuit in portis: clypeus an conſpiciebatur, aut ſpiculum, in quadraginta millibus in Iſraele?* Exponuntque: *Cum elegit deos novos*: afflictionum in quas populus inciderat, cauſam exponit idololarriam, ſupra cap. II. verſ. 10. & ſeqq. & cap. IV. verſ. I. *bellator fuit in portis*; id eſt, obtinuit omnia, nam in portis munitiones erant, atque iudicia: *clypeus an conſpiciebatur*, &c. id eſt, Deus illis animum ademir, ut ſe contra hoſtes non valuerint defendere, ut comminatus erat Levit. XXVI. verſ. 36. Deur. XXVIII. verſ. 65. *in quadraginta millibus in Iſrael?* id eſt, in univerſa aliqua tribu, adeoque in populo Iſraelis toto: incrementum eſt. IV. *Eliget elohim novos*, nempe Iehovah elegit novos elohim, id eſt Iudices, Debboram, & Barakum: *tunc oppugnavit portas*: ſcilicer hoſtis oppugnans Iſraelitas, obverſabatur portis urbium illorum. *Clypeus & haſta ſi apparuerunt in quadraginta millibus Iſrael?* id eſt, tanta erat raritas armorum, ut quadraginta hominum millibus vix obveniret unus clypeus, & una haſta: erant Iſraelitæ penitus inermes. Aliter: Cum primum Deus delegit Iudices Debboram & Barakum, atque huic bello duces præfecir; tunc oppugnavit ipſe urbes hoſtium, cum tamen Iſraelitæ prorſus inermes eſſent, ut non eorum viribus, ſed divinæ virtuti tanta victoia adſcriberetur. Et hunc ſenſum Noſter ſecurus videtur. V. *Elegit Deus, novæ tunc illis portæ: ſcutum ſi videbitur & haſta in quadraginta*, &c. id eſt, cum Deus nova conſilia inſtituit, tunc illis Iſraelitis novas urbes, ſeu portas urbibus dedit, quæ antea erant deſertæ; eo tempore quo ipſis in ſumma oppreſſione vix arma erant. Sed non pudet iſtos לחם *lachem* mutare in להם *labem*, reclamantibus omnibus exemplaribus? Illud quod eſt Hebraice, *tunc bellum portis*, לחם *lachem*, in hac forma hic tantum legitur in Scriptura. Quidam nomen ſubſtanrivum eſſe volunt, *cæſio*, *inciſio*, *bellum*, *prælium*. Alii adiectivum, *oppugnator*, *debellator*, vel *oppugnans*. Nonnulli verbum ex formula Pihel: *Tunc oppugnavit*, *debellavit*, *portas*, ſeu urbes; ſubaudi, hoſtis. ET HASTA. רומח *romach*, aiunr eſſe *frameam*, *haſtam*, *lanceam*, *ſpiculum*, fortaſſe quam Itali voce conſimili vocanr *roncham*. *Rhomphæam* plerique exponunt. Aulus Gellius Lib. X. cap. XV. *Rhomphæa genus eſt teli Thracæ nationis, poſitumque hoc vocabulum in Q. Ennii Annalium quartodecimo*. Quod Lucas II. verſ. 35. Græce vocat *rhomphæam*, Syricus Interpres vertit רומחא *rumecha*; Chaldæus Hebraicum *Romach* vocat *Romechah*, Numeror. XXV. verſ. 7. A *Romach* Hebraico, factum Romæ nomen; & Romulum eſſe quaſi *haſtatum*; & Quirinum a curi, id eſt haſta, numcupatum, fuſe docemus in Antichriſto Lib. V. cap. XIV.

V. 9. COR MEUM DILICIT PRINCIPES ISRAEL. Hebr. *Cor meum ipſis principibus*, vel *ad principes Iſrael*. Varie reddunt, & explicant. I. *Cor meum ad primores, magnates, auctores legum condendarum, Iſrael*; id eſt, ex animo diligo principes Iſrael, qui tam ſtrenue pugnaverunt. II. *Cor meum ad præſides legum, qui ſunt in Iſraele*. III. *Cor meum ad ſcribas Iſrael*; ſubaudi, direxi; id eſt, in tanta oppreſſione & calamirate, ego, & populus applicuimus cor ad doctrinam legis ſcriptam a Moſe, & Ioſua: quos appellat ſcribas Iſraelis. IV. *Animus meus provocat eos, qui mandata habent in Iſraele*, id eſt duces qui huic militiæ præfuerunt, ad laudes Dei. V. *Cor meum eſt ad ſtatutarios Iſrael*. VI. *Cor meum ad ſcribas, deſcriptores, conſtitutores Iſrael*; quaſi dicat: Hortor, excito, provoco vos omnes hiſtoricos, deſcriprores rerum, conditores annalium, omnes qui uſu & peritia valetis, carmine, vel ſoluta oratione res geſtas præclare, ad poſteritatis memoriam tranſmitrere; ut tantam victoriam omnibus ingenii & facundiæ viribus celebretis. PRINCIPES. Parricipium חוקקי *chokeke*, idem eſt cum altero participio מחוקקים *mechokim*, quod ponitur infra verſ. 14. de cuius vi & notatione plura diſſeruimus

Ge-

Digitized by Google

Geneſ. xlix. verſ. 10. Proprie aiunt eſſe *ſtatutarios*, *conſtitutores*, *decretores*, *dictatores*, *legislatores*, *gubernatores*, *præſides legum*, *principes*, *mandatarios*. Qui proPRIA VOLUNTATE OBTULISTIS VOS DISCRIMINI. Hebr. *ſpontaneos ſe ipſos exhibentes*, vel *offerentes*, *in populo*. Diverſimode convertunt, & explanant. I. *Qui voluntarii fuerunt in populo*; id eſt, qui liberali & ultroneo animo ſe expoſuerunt periculo, pugnantes pro Iſraele. II. *Qui ſponte ſe offerunt in populo*, id eſt, etiam animus meus provocat ad laudes Dei milites gregarios, qui ultro in id bellum venerant, ut ſupra verſ. 2. *Volones* reddere poſſumus. Feſtus: *Volones dicti ſunt milites, qui poſt Cannenſem cladem, uſque ad octo millia, cum eſſent ſervi, voluntarie ſe ad militiam obtulere*. De quibus vide Livium Lib. XXII. cap. LVII. & Lib. XXIV. cap. XIV. III. *Qui voluntate valetis in populo*; id eſt, vos rerum deſcriptores ſive hiſtorici, ſive poetæ, qui bonis ſtudiis & artibus eſtis populo commendabiles, & cari. IV. *Qui munifici*, *magnifici*, *liberales*, *benefici ſunt in populo*: perpetuum attributum principum, & magiſtratuum, qui tales eſſe debent. Vide Numeror. XXII. verſ. 18.

V. 10. SUPER NITENTES ASINOS. Hebr. *aſinas candidas*, id eſt lucidas, craſſas, bene curatas, ac magni pretii. Hic plerique mercatores, & negotiatores intelligunt, qui exercendæ mercaturæ gratia, blando, & commodo hoc iumentorum vehiculo equitare ac diſcurrere per provinciam ſolebant; quaſi dicat: O vos mercatores, qui inequitatis aſinis albis magni pretii. Alii: *Equitantes aſinas nitidas*; id eſt, qui principatum, qui dominium in Iſraele obtinetis: nam hoc ipſorum inſigne fuit: ſolebant enim viri principes aſinis equitare, ut infra cap. x. verſ. 4. & cap. XII. verſ. 14. Neſcio cur aliqui: *Equitantes ſuper mulis nitidis*: אתונות *atonoth* enim *aſinas*, non mulos ſignificat. ET SEDETIS IN IUDICIO. Hebr. *ſedentes ſuper Middin*. Varie exponunt. I. *Habitantes iuxta Middin*. Voluntque nomen proprium eſſe viæ cuiuſdam publicæ tunc notæ, quæ infeſtabatur frequentia hoſtium. Alii, urbis, ſeu loci, cuius extat mentio Ioſue xv. verſ. 61. Sed hic erat in deſerto Iudææ ſortis. II. *Sedentes ſuper tribunal*, vel *ſuper ſedem iudiciariam*. III. *Qui præſidetis iudiciis*. IV. *Reſidentes in iudicio*; id eſt, qui ſubſiſtitis in conventu veſtro iuridico, neque peregre ſoletis proficiſci, aut ab agro & territorio veſtro diſcedere. V. *Habitantes in regione*, *iuriſdictione*, *provincia*. ET AMBULATIS IN VIA. Hebr. *Et ambulantes ſuper viam*. Exponunt. I. Qui ſoletis pedites iter facere. II. Generaliter viatores, qui quacumque cauſa, quocumque modo, ſive curribus, ſive equis, ſive pedibus iter ingredi ſoletis, metu iam liberati hoſtium, latronum, graſſatorum vias infeſtantium. III. Id eſt commeantes mercatores. LOQUIMINI. Imperativo שיחו *ſichu*, omnia iſta ſubſunt: *Colloquamini*, *confabulemini*, *philoſophemini*, *meditemini*, *differite*, *conferte*, de magnis Dei operibus, debitas ei laudes deferentes. Neſcio cur quidam, *cantate*.

V. 11. UBI COLLISI SUNT CURRUS, ET HOSTIUM SUFFOCATUS EST EXERCITUS, IBI NARRENTUR IUSTITIAE DOMINI, ET CLEMENTIA IN FORTES ISRAEL. Nos hanc partem verbatim ex Hebræo expreſſimus. (*De voce ſagittantium inter hauſtra, ibi depangent iuſtitias* IHUH, *iuſtitias pagi eius in Iſrael*.) Alii diverſimode. I. *A voce ſagittatorum, inter hauſtores aquarum, ibi conferent iuſtitias Iehovæ, iuſtitias villæ eius in Iſrael*; id eſt, propter vocem, ſeu ſtrepitum, nempe propter tonitrua divinorum fulminum eiaculatorum de cælo in exercitum Chenahanæorum, in locis ubi hauritur aqua, ſcilicet iuxta torrentem Ciſon ubi deletus eſt exercitus Siſeræ; ibi commemorabunt iuſtitias Domini adverſus Chenahanæos, & iuſtitias, quibus Deus vindicavit villas ſuas, quæ antea tyrannide hoſtium fuerant deſertæ. II. *A voce ſagittariorum inter haurientes*, ſeu *aquæ hauſtores: ibi tribuerunt*, *donarunt*, vel *prædicarunt iuſtitias Iehovæ*, *& iuſtitias ruſticorum eius in Iſrael*, id eſt beneſacta Domini, & ruſticorum eius. III. *A voce ſagittantium*, ſeu *iaculantium ſagittas inter haurientes, ibi acute different de iuſtitiis Domini, de iuſtitiis, inquam, Domini, ruſticani homines eius in Iſrael*. IV. *Propter ſonitum iaculantium ſagittas* (manentium) *inter loca, ubi hauriuntur aquæ: ibi fœdus inibunt cum iuſtitiis Domini*; id eſt, enarrantes invicem iuſtitias Domini, ſpondebunt

Digitized by Google

ſe numquam ab eo defecturos: *& cum iuſtitiis pagi illius in Iſrael*. V. *A voce ſagittantium, iaculatorum, inter hauſtra, hauritoria, ibi donabunt*, vel *diſtribuent, iuſtitias Domini*, vel *acute diſſerent de iuſtitiis Domini, & de iuſtitiis ruſticanorum eius in Iſrael*. VI. *Propter ſonitum iaculantium ſagittas in locis ubi hauritur aqua, illic narrent iuſtitias Iehovæ, & iuſtitias villarum eius in Iſrael*; id eſt, propter ſtrepitum, qui iam ſopitus eſt, nec auditur amplius in locis illis ubi aqua hauriri ſolet, ubi ante, qui ad hauriendam aquam egrediebantur, ſagittis hoſtium configebantur, atque ab haurienda aqua repellebantur: *illic narrent iuſtitias Iehovæ*; hoc eſt, quotquot egrediuntur ad hauriendam aquam, illic dicant Dominum eſſe iuſtiſſimum, qui deleverit hoſtes: *& iuſtitias villarum eius*; id eſt, & iuſtitiam Domini, qua effecit ut filii Iſrael poſtea ſine metu habitent in villis: quia reſtituit Iſraeli villas ſuas, quæ antea non habitabantur præ metu hoſtium. VII. Liberati *a ſtrepitu ſagittariorum inter hauſtra, ibi confabulentur iuſtitias*, vel *de iuſtis operibus, Iehovæ: iuſtit as pagani eius*, ſeu *iuſtis operibus erga paganos ſuos in Iſrael*; id eſt, pueri & puellæ, qui ad hauriendum aquam exeuntes diſcrimen vitæ ſubibant ab hoſtium ſagittis; eodem loco convenientes, hoc iam metu liberati, divinam liberationem prædicent, & opem Dei erga paganos ſuos, quibus deinceps Dei beneficio ſuos pagos tuto inhabitare licet. VIII. Hiſpanicus Interpres: *A cauſa del eſtruendo de los ſecheros quitado de entre los que ſacan las aquas: alli recuenten las iuſticias*, vel *los iuſtos favores de Iehova: las iuſticias de ſus aldeas en Iſrael*. *Ubi colliſi ſunt currus*. Hebr. *a voce, ſtrepitu, ſonitu, ſagittantium*. מחצצים *mechatztzim* proprie *ſagittantium, mittentium, iaculantium ſagittas*. Vereor ne Noſter ſcripſerit *arcus*, & poſtea irrepſerit *currus*: niſi forte reſpexerit ad nongentos ferratos currus Siſeræ. Et recte dixit, *A ſonitu*: nam eſt poeticum epitheton, arcus & ſagittæ. Virgilius V. AEneidos:

...nervo ſtridente ſagitta.

Et rurſus:

...arcumque ſonantem.

Et hoſtium ſuffocatus eſt exercitus. Heb. *inter hauſtra*. משאבים *maſchabbim*, quidam nomen adiectivum putant, *haurientes, hauſtores aquæ*. Poſſis reddere: *A voce ſagittariorum inter aquatores*, ſeu *lixas*. Ut poetice deſcribat fremitum & confuſionem fuſi, profligatique exercitus, quando armatis militibus miſcentur aquatores, lixæ, calones, lignatores, in ſumma rerum perturbatione. Alii ſubſtantivum, *hauſtra, hauritoria, loca ubi hauriuntur aquæ, aquaria*. *A voce ſagittariorum*: ſynecdoche. id eſt armatorum militum: *inter loca ubi hauriuntur aquæ*; hoc eſt, in ipſo torrente Ciſon, ubi forſan voces exaudiebantur militum, qui hauriebantur, & ſuffocabantur in aquis. Quem ſenſum Noſter ſecutus videtur. Vide infra verſ. 21. *Ibi narrentur iuſtitiæ Domini*, id eſt divina iudicia, quæ exercuit in impios. Verbum תנה *tanah*, cuius hic futurum in Pihel ponitur, putant ſignificato congruere cum נתן *nathan, dedit*; voluntque eſſe, *dare, donare, tribuere donum honorificum*, & pro re, ſeu opere laudabili & glorioſo: unde exponunt: *Illic donabunt, diſtribuent, tribuent iuſtitias Iehovæ*. Vel *illic honorifice & glorioſe donabunt laudibus iuſtitias Iehovæ*. Notant eſſe verbum poeticum. Alii: *Ibi fœdus inibunt de iuſtitiis Iehovæ*; id eſt, pangent inter ſe fœdus de celebrandis perpetuo iuſtis operibus Iehovæ. Plerique: *Ibi narrabunt, ediſſerent, docebunt, tractabunt, confabulabuntur, commentabuntur, ſtudebunt, meditabuntur, referent, conferent, prædicabunt, acuent, iterabunt, repetent, inculcabunt, iuſtitias Iehovæ*: tanta eſt linguæ fecunditas, & maieſtas. *Iuſtitiæ Domini*. צדקות *tzidkoth*, notant, pluraliter ſignificare ſemper & ubique *iuſta & bona opera, beneficia, benefacta, opera miſericordiæ*, ſive hominibus, ſive Deo tribuatur. Nihil vetat hic pro *divinis iudiciis & ſuppliciis in hoſtes* accipi. TUNC DESCENDIT POPULUS DOMINI AD PORTAS, ET OBTINUIT PRINCIPATUM. Secunda clauſula non eſt Hebraice, adiecta videtur a Noſtro ad exegeſim primæ. Hebr. *Tunc deſcenderunt populus ad portas*; id eſt, confecto bello cum Siſera, deſcendit populus ad portas, ut egrederetur urbem; quaſi dicat: Iam tum populus potuit libere egredi urbes ſine ullo timore, ac periculo, qui prius metu ſe intra illas continebat. Alii: *Ex quo deſcendunt*

Digitized by Google

dunt ad portas populus Iehovæ; id eſt, conveniunt ad curiam, & forum; ad iudicia, & publicos conventus; ad ſua negotia, & cauſas, quæ olim exercebantur in portis: aut ex oppidis exeunt, commodi, neceſſitatis, voluptatis, aut alia quacumque de cauſa.

V. 13. SALVATAE SUNT RELIQUIAE POPULI. Varie ex Hebræo convertunt. I. *Tunc dominabitur reliquus in fortibus populi*; id eſt, reliquus populus, qui ſcilicet relictus fuit ſuperſtes ab oppreſſoribus, dominabitur ſuper fortes Chenahanæorum. II. *Tunc dominabitur ſuperſtes potentibus populi*. III. Quia futurum ירד *ierad* eſt Pihel, plerique Hebræorum tranſitive exponunt: *Tunc dominari fecit* (futurum pro præterito) ſcilicet Dominus, *ſuperſtitem*, id eſt Iſraelem, qui eſt ſuperſtes, *fortibus*, ſeu *in fortibus, qui ſunt in populo*, Iabin regis Chenahan. IV. *Tunc dominabitur relictus glorioſis populi*: vel *tunc dominabitur reſiduus in præpotentes populi*. V. *Tunc dominatus eſt evaſor fortibus populi*. VI. *Tunc dominabitur ſuperſtes illuſtribus populi*. VII. *Tunc dominabitur qui reliquus fuerit, magnificis populi*. VIII. *Tunc dominari fecit* (Dominus) *ſuperſtites in clariſſimos populi*; id eſt, Dominus dominari fecit ſuperſtites, id eſt Iſraelitas, quos eo bello ſervaverat, in admirabiles, & clariſſimos bellatores populi Siſaræ. Dominus, inquam, dominari fecit filios Iſrael in fortes; id eſt, fecit eos ſuperiores fortibus, & inclytis illis, qui erant in exercitu Siſaræ. IX. *Tunc dominabuntur reliquiæ magnificis populi*; id eſt, Iſrael dominabitur iis qui prius magnifici fuerunt in populo Iabin. X. *Ex quo dominium reſidui tradit magnificis* in *populo*; id eſt, cum Barak captivos fecit Chenahanæos, & dominium reſidui Chenahanæorum, qui reliqui facti fuerant, ſup. cap. III. verſ. 1. & ſeqq. tradit Iſraelitis. *Magnificos in populo* intelligunt Iſraelitas. Quia vox אדירים *addirim*, non eſt in regimine, ideo quidam reddunt, *fortibus in populo*, ſubaudientes Beth, quod exprimitur in poſtrema dictione verſus. Alii Mem retentum in conſtructione volunt. Quidam regimen ſubaudiunt, לאדירים אדירי עם *leaddirim addire gham*, *fortibus*, *fortibus*, inquam, *populi*. Nonnulli regimen ponunt in שריד *ſarid*, & non in *addirim*, & vocem *populi* coniungunt cum *reſiduo*, non cum *fortibus*, hoc ſenſu: *Tunc dominabitur reſiduus populi, fortibus*. Hiſpanicus Interpres: *Abora ba hecho*, ſcilicet Iehova, *que el que quedò del pueblo, ſenoree los magnificos*. Nos traiectione poetica & eleganti, nullo regimine reddidimus (*Tunc dominabitur reſiduus præampliſſimis populus.*) *Addirim* proprie auguſto & eminenti ſignificato deſignat *perampliſſimos*, *præpotentiſſimos*, *prægrandiſſimos*, *clariſſimos*, *glorioſiſſimos*, *inclytos*, *illuſtriſſimos*, *magnificentiſſimos*, *fortiſſimos*, *ſtrenuiſſimos*, *prævalidiſſimos*. Vide infra verſ. 25. Aliqui ירד *ierad*, non a רדה *radah*, ſed a ירד *iarad* deducunt; redduntque: *Tunc deſcendit reſiduum ad fortes populus*; id eſt, poſt victoriam reliquus populus Iſraeliticus accurrebat ad fortes victores. Sed id eſt perturbare omnes grammaticas rationes. DOMINUS IN FORTIBUS DIMICAVIT. Hebr. diverſimode reddunt. I. *Iehova dominari faciet me in fortibus*. II. *Iehova dominabitur per me in fortes*. III. *Dominus dominabitur propter me potentibus*. IV. *Quin Dominus dominabitur mihi per gigantes*. V. *Dominus præcelluit mihi in fortibus*; id eſt, rem geſſit Dominus non adeo per multos, ſed per paucos, eoſque fortiſſimos. VI. *Iehova dominium mihi in fortiſſimos tradit*; id eſt, Iſraelitis me præfecit, ut ſupra verſ. 7. quos ſigillatim quinque ſequentibus verſibus enumerat. Idem eſt hic futurum ירד *ierad*, quod in priore hemiſtichio גבורים *gibborim*, *heroes*, *viri heroici*, *prævalidi*, *præpotentes*, *ſtrenui gigantes*.

V. 14. EX EPHRAIM. Notant, Deboram hoc, & ſequentibus verſibus ſigillatim percenſere omnes tribus Iſrael, hoc ordine: Ephraim, Iudam, Simeon, Beniamin, Manaſſen, Zebulun, Iſſachar, Naphthali, Ruben, Gad, alteram partem Manaſſis, Dan, Aſer. DELEVIT EOS. שרשם *ſchareſcham* Noſter ſumpſit verbaliter pro שרשם *ſchereſcham*, *eradicavit eos*. Alii nominaliter: *De Ephraim radix eorum in Ghamalek*, vel *contra Hamalek*; id eſt, Ioſue, qui fuit de radice, ſtirpe, tribu Ephraim, pugnavit contra Hamalekitas, & devicit eos, Exodi XVII. verſ. 8. & 9. Ita plerique Hebræorum, & noſtrorum intelligunt. Alii volunt, Deboram ſe appellare radicem de Ephraim, quod ipſa de ea tribu eſſet, ut apparet e loco habitationis eius in monte Ephraim; ſupra cap. IV.

IV. verſ. 5. *Radix eorum* dicitur, quia tunc adminiſtrabat rempublicam tamquam Iudex. Et ſuſpicantur quidam Deboram poſt expugnatum Iabin duxiſſe etiam in Hamalekitas. Sed id incertum. Quidam reddunt: *Ex Ephraimo, & ex iis, quorum radix ad Hamalekitas* protenditur; id eſt, & ex tribu Iehudæ, & Schimhonis, quarum hereditas extendebatur ad Hamalekitas uſque, ut oſtendit comparatio cap. I. verſ. 16. ſupra cum I. Samuel. XV. verſ. 6. Cinæi enim, qui habitabant in ſorte Iehudæ, uſque ad Hamalek extendebantur, ut iis locis dicitur. Locutio autem eſt metaphorica, qua comparantur tribus arbori, quarum extrema pars ad auſtrum radix appellatur. ET POST EUM EX BENIAMIN IN POPULOS TUOS, O AMALEC. Hebr. nulla mentio Amalec, ſed tantum: *Poſt te Beniamin in populis tuis*. Exponunt: Poſt te, o Ioſue, de tribu Ephraim, Beniamin puguabit; id eſt, Saul Biniaminita debellabit populos Hamalekitarum a te iam olim ſuperatos. Aliqui volunt hic celebrari Ehudem Biniaminitam, qui Moabitas vicerit, ſupra cap. III. Alii: *Poſt te tribum Ephraim, venit in id bellum tribus Biniamin contra populos tuos hoſtes*. Hiſpanicus Interpres: *Tras ti vino Beniamin contra tus pueblos*, ſcilicet *enemigos*. Sed in id bellum tantum Zebulun, & Naphthali veniſſe dicuntur ſupra cap. IV. verſ. 10. Nonnulli reddunt: *Ex poſt te ſequentibus*, vel *ex ſequentibus te Biniaminitis inter populos tuos*. Atque ita exponunt: *Apoſtrophe ad Deum, qua Biniaminis reliquias ſervata ab excidio Beniaminiticæ tribus* (*cuius mentio habetur infra cap. XIX. & ſequentibus capitibus*) *paucitate ſua non impeditas fuiſſe docet, quominus in populis Dei numerarentur, id eſt tribum unam efficerent, Deumque ſecuturæ eſſent: nam hiſtoriam illam tempore præceſſiſſe, oſtendemus ſuo loco*. Ita illi. Et ſi tempore non præceſſerit, potuit iſtud eſſe vaticinium. DE MACHIR, id eſt de altera dimidia tribu Manaſſe ultra Iordanem. Vide Ioſue XVII. verſ. 1. & cap. III. verſ. 31. DESCENDERUNT. Plerique exponunt, Ut opem ferrent fratribus: quod non puto verum; cum decem millia tantum ex Zabulon, & Naphthali iverint cum Barako, ſupra cap. IV. verſ. 10. Rectius alii: Deſcenderunt ad me, pariturі meo mandato. PRINCIPES. מחוקקים *Mechokekim* (vide ſupra verſ. 9.) *præſides legum, legiſlatores, primarii, qui ius populo dicunt, primates*. QUI EXERCITUM DUCERENT AD BELLANDUM. Multifariam Hebræa transferunt. I. *Trahentes* litteras, ſeu *tractores* litterarum, *in ſtylo ſcribæ*: id eſt, qui ſcribere ſolebant. Quidam putant commendari tribum Zebulun a peritia & arte ſcribendi. II. *Trahentes*, ſeu *ducentes ſtylum ſcribæ*, id eſt colentes ſtudia litterarum. III. *Trahentes cum virga*, ſeu *baculo ſcribæ*; vel *trahentes cum calamo ſcribæ*, id eſt facientes tractus ſeu ductus calamo ſcriptorio, ſicut ſcribæ calamum rardius trahunt formandis characteribus. IV. *Protrahentes in ſtylo, virga*, ſeu *radio deſcriptoris*. Exiſtimant commendari Zebulonios a peritia mathematicarum artium, geometriæ, arithmeticæ, aſtronomiæ, coſmographiæ, quæ virga, ſeu radio exercentur, ad ducendas lineas, tractus, diſtantias. Virgilius Ecloga III.

Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem.

Ubi Servius: *Radio, id eſt virga Philoſophorum, qua Geometræ lineas indicant*. Et VI. AEneidos:

....cœlique meatus
Deſcribent radio, at ſurgentia ſidera dicent.

V. *Convocantes ſtylo ſcribæ*; id eſt, quorum auctoritate conventus habebantur, & quibus populares unis litteris ad ſe transmiſſis obſequuntur. VI. *Trahentes in virga*, ſeu *baculo numeratoris*. Virga ſeu baculus inſigne ducum, & imperatorum exercituum eſt, quo milites trahunt, ducunt, recenſent. Quem ſenſum Noſter ſecutus videtur. VII. *Trahentes in ſtylo litteratoris, ſcribæ, notarii*. Fortaſſe innuit priſcum morem, quo cum ſtipendia militibus darentur, regi, vel imperatori adeſſe ſolebat ſcriba aliquis pari fere ornatu, qui vel rationes ageret, vel ſtipendia numeraret, quod hiſtoria C. Mutii Scævolæ, & Porſenæ a Dionyſio Lib. V. Livio Lib. II. cap. VII. & innumeris aliis conſcripta palam demonſtrat. Livius: *Ibi cum ſtipendium forte militibus daretur; & ſcriba cum rege ſedens, pari fere ornatu multa ageret*, &c. Ergo hic, *Trahentes in ſtylo ſcribæ*; id eſt, ductores militum, ducentes ad bellum, ſub certis ſtipendiis, quorum rationes ſcriba-

ba in tabulas referret, & milites numeraret. Porro quidam ſubaudiunt: Ceperunt arma, & venerunt in auxilium fratrum. Alii verbum *deſcenderunt*, e proximo membro; id eſt, deſcenderunt ad me parituri mandato meo. Sed melius, ad bellum.

V. 15. DUCES ISSACHAR FUERE CUM DEBBORA, ET BARAC VESTIGIA SUNT SECUTI. Hebr. *Et principes in Iſſachar cum Deborah, & Iſſachar: ſic Barak in profunditatem miſſus in pedibus ſuis*, vel *eius*. Exponunt: Principes tribus Iſſachar deſcenderunt, aut venerunt ad Deboram: & non modo principes tribus adfuerunt, ſed etiam tota ipſa tribus Iſſachar. Et etiam Barak in valle coniecit ſe in pedes ſuos. Quaſi dicat: Tanta alacritate bellandi acceſſit ad prælium, ut veniret pedes. Quidam annotant hic cani, cum Barak deſcendiſſet de monte Thabor cum decem millibus ex Naphthali, & Zebulun, coniunxiſſe ſe ei in valle principes Iſſachar cum tribu ſua. Verum id incertum, nec verbum de eo in Scriptura. Alii: *Etiam principes in Iſſachare cum Deborah* futuri ſunt; id eſt, conſentiunt cum ea, & iuſſi ſe ei ſiſtunt, *ſicut Iſſachar Barak*: qui nimirum vocatus cum ſua tribu Naphthalitica acceſſit, ſupra cap. IV. verſ. 6. & imperata fecit, ibidem verſ. 10. *Et qui in convallem miſſus eſt ad veſtigia ipſius*, ſive *ad pedes eius*, id eſt reliquus exercitus, qui eius veſtigia, & ductum ſequebatur, ut ſupra cap. IV. verſ. 10. Sic Exodi XI. verſ. 8. DIVISO CONTRA SE RUBEN, MAGNANIMORUM REPERTA EST CONTENTIO. Hebr. diverſimode reddunt. I. *In diviſionibus Ruben magnæ erant cogitationes cordis*; id eſt, de Reubenitis, Iordane diviſis, & ſeparatis ab aliis, vehementer miror, quod non venerint, ut opem ferrent fratribus ſuis: cor enim diſceptabat apud ſe, & reputabat de illis, cur non veniſſent ad id bellum. II. *In elongationibus Reuben magnæ ſcriptiones cordis*; id eſt, in ſorte Ruben, quæ elongabatur ab aliis interiecto flumine, erant præclari ſcriptores cordis, id eſt viri multum meditantes, excellenti ingenio præditi: fingebant enim in cordibus ſuis præclara meditamina. III. *Cum in ſeparatione Ruben eſſent magni viri & ſapientes corde*. Redarguuntur filii Ruben, qui ſeparati a reliquis tribubus, alto qui ingenio & induſtria valentes, pecoribus ſuis alendis maluerint intendere, quam periclitantibus fratribus opem ferre. IV. *In diviſionibus Reuben erant magni cogitabundi corde*. V. *In partitionibus Reuben fuerunt magnæ conſtitutiones cordis*, id eſt imagines: vel *magni conſtitutionibus cordis*. VI. *In diviſionibus Reuben* viri *magni decretarii cordis*. VII. *In diviſionibus Reuben erant magnæ effigiationes, ſculpturæ, decreta*, aut *imaginationes cordis*. VIII. Hiſpanicus Interpres: *Delas diviſiones de Ruben ſon grandes las diſputas, o los penſamientos del corazon*. IX. *Magni ſtatutis cordis*, ſeu *animi in partibus Reubenis*. Exponunt: *Magni ſtatutis animi*, id eſt magnates induſtrii: periphraſis gubernatorum in iis tribubus, quæ trans Iardenem habitabant, nimirum Reubenitica, Gaditica, & dimidia Manaſſis. Sic autem periphraſtice inſignis illorum fides videtur commendari, qui anteiverunt expediti ſuis fratribus in occupanda ipſorum hereditate cis Iardenem, ex mandato Dei, Numeror. XXXII. Vide Ioſue XXII. Illud *in partibus Reubenis*; id eſt, in, trans Iardaneo tractu. Sic verſu ſequenti. Eumdem ſenſum poſſumus in Noſtro concipere: In Ruben, Gad, & parte altera Manaſſis, diviſis, & ſeparatis Iordane a reliquis fratribus ſuis, reperta eſt contentio magnanimorum, qui certatim contenderunt anteire fratribus ſuis in expeditione occupandæ terræ Chenahanam: vel diſſidebant proceres de ferendo auxilio fratribus ſuis in hoc bello Iabinico. Vide verſ. ſequenti eamdem pene locutionem.

V. 16. QUARE HABITAS INTER DUOS TERMINOS? Varie convertunt. I. *Ut quid habitaſti inter confinia?* interrogat: Ad quid elegiſti tibi poſſeſſionem in primis ipſis confinibus regionis, ultra Iordanem? & reſpondet: *Ad audiendos ſibilos gregum*: nimirum, ad hoc ſe elegiſſe ſortem illis locis, quod cum ipſe gregibus abundaret, ea terra paſcuis abundans, paſcendis gregibus eſſet aptiſſima. Vide Hiſtoriam Numer. XXXII. II. *Cur ſediſti inter duas caulas?* id eſt, remanſiſti inter duos ordines ovium. Hiſpanicus Interpres: *Porque te quedaſte entre las maiadas?* III. *Quare ſediſti intra limites*; id eſt, inter ſepta, & clathra? IV. *Cur deſideres inter duas ſarcinas?* nempe tu Ruben, Gad, & Menaſeh.

zed by Google

naſeh. Apoſtrophe ad tribus quæ trans Iardenem habitant, ut ipſæ quoque agnoſcant vocationem Deboræ, ſuumque ei obſequium profiteantur. Vide ſimilem locutionem Geneſ. XLIX. verſ. 14. UT AUDIAS SIBILOS GREGUM? Hebr. *ad audiendum*, vel *audiendo ſibilos gregum?* Aliqui explicant, quaſi dicat: In tam alto otio & neglectu interim dum videres fratres tuos Iſraelitas in ingenti eſſe periculo. Alii: Id eſt, ad hoc unum advertendo animum tuum ut greges tuos commode cures: quemadmodum facturi videbantur maiores tui, niſi ad officium commune erga fratres ſuos mandato Dei ipſos revocaviſſet Moſes, Num. XXXII. verſ. 4. & ſequentibus; quaſi dicat: Vos quoque igitur vindicem veſtram a Deo datam agnoſcite. Sic ſequenti verſu. *Sibilos gregum*: quidam, *boatus*, *balatus*, *gregum*: alii, *ſibilos* paſtorum iuxta *greges*. Vox שרקות *ſcherikoth*, *ſibilos*, conficta videtur a ſono ſibilorum, quo utuntur paſtores ad regendum gregem. MAGNANIMORUM REPERTA EST CONTENTIO. Hebr. *magnæ inveſtigationes cordis*. Alii, *magna ſcrutinia cordis*. Quidam, *magni ſcrutationibus animi*, id eſt mente ſagaciſſimi. Nonnulli, *magni profunditatibus cordis*, ſeu *magni profundis cogitationibus animi*, id eſt magnates conſulti. Vide verſu præcedenti eamdem ferme phraſim. Quidam illud לפלגות *liplaggoth*, pro infinitivo capiunt: *Et ſepares te Reuben una cum magnatibus & ſapientibus corde.*

V. 17. ET DAN VACABAT NAVIBUS. Notant, cum verbum גור *gur* construitur cum loco, aut re aliqua, & ei iungitur ſine aliqua præpoſitione, tum idem ſignificare quod *verſari*, *converſari*, *commorari*, *degere*. Hic reddunt: *Et Dan quare converſabitur navibus?* vel *& Dan quare degeret* apud *naves*? Poſſeſſionem enim habuit magna ex parte maritimam, Ioſue XIX. verſ. 40. & ſequentibus: ſicut etiam & Aſer, ibidem verſ. 24. & ſequentibus. ET IN PORTUBUS MORABATUR. בפלגות *biplaggoth* Hebr. multifariam exprimunt. I. *Et ſuper fracturas eius caſtrametabitur*. Fracturas maris exponunt colliſiones undarum maris; quaſi dicat: Studet navigationibus & commerciis marinis, non obſtantibus undarum colliſionibus. II. *Et in rupturis ſuis manebat*. Rupturas vocari putant urbes ſemidirutas. Non enim habebant Aſeritæ urbes ſatis munitas, ob id non venerunt ad bellum. III. *Et irruptiones ſuas inhabitabat*. Vocat hoc nomine portus in quos irrumpunt maria, & naves. Et hic eſt Noſtri ſenſus. IV. *Et in rupturis ſuis*, id eſt locis præruptis rupibus, *habitabat*.

V. 18. OBTULERUNT ANIMAS SUAS MORTI. Verbum חרף *chereph* ex Pihel magnam vim habet, quam varie exprimunt. I. *Deboneſtavit animam ſuam ad moriendum*; quaſi dicat: Non ſolum expoſuerunt vitam ſuam morti, ſed etiam opprobrio, quod tam pauci pedites, tanto & tam valido exercitui ſe oppoſuerunt. Aliqui: *Probroſe expoſuit animam ſuam ad moriendum*; id eſt, vitam periculo mortis expoſuit, eam quaſi nihili æſtimans. II. *Vitiavit*, *violavit*, *temeravit*, *proſtituit*, *animam ſuam ad moriendum*; id eſt, non dubitavit animam ſuam violare morte, proſtituere vitam ſuam. III. *Repudiavit animam ſuam ad moriendum*; id eſt, tradidit ſeipſum in mortem. IV. *Devovit vitam ſuam in mortem*. V. *Vituperavit*, *conviciatus eſt*, *opprobravit animam ſuam ad moriendum*. Elegantiſſimus Hebraiſmus. Vilem, & infamem habuit animam ſuam. VI. *Publicavit*, *expoſuit animam ſuam ad moriendum*. VII. *Abiecit ſeipſum*, *animam ſuam*, *ad moriendum*. VIII. Hiſpanicus Interpres: *Menoſprecio in alma para morir*. IX. Proprie, *probris & conviciis perfodit*, *proſcidit*. Vide II. Samuel XXIII. verſ. 9. IN REGIONE MEROME. Quidam aquas Merom intelligunt, de quibus Ioſue XI. verſ. 5. Sed ille locus procul aberat a torrente Ciſon, ubi nunc pugnatum eſt: nam ad aquas Merom fuit aliud cruentum prælium Ioſue adverſus alium Iabin regem Hazor. Plerique hic pro nomine appellativo accipiunt, *ſuper elevationes*, *excelſitates*, *excelſa*, *altitudines agri*. Quidam, *ſuper celſitudines campi*; alii, *in editis locis agri*, id eſt in monte Thabor, de quo ſupra cap. IV. verſ. 14. Nonnulli, *in excelſis campi*; id eſt, aperto campo, in planitie eminenti pugnaverunt. Forte quod Hiſpanice dicimus, *En batalla campal*. Huc videtur reſpexiſſe Hiſpanicus Interpres, cum reddit, *En las alturas della armada*, quod Hiſpanice *campus*, exercitum quoque, & aciem inſtructam ſignificet.

Digitized by Google

V. 19. VENERUNT REGES, ſcilicet Iabin, & confœderati. IN THANACH IUXTA AQUAS MAGEDDO. De his duabus urbibus plenius egimus Ioſue. XII. verſ. 21. Vide etiam Ioſue XVII. verſ. 11. & ſupra cap. I. verſ. 27. Dicuntur hic aquæ Mageddo, quod torrens Ciſon prope urbem Mageddo præterlaberetur. ET TAMEN NIHIL TULERE PRAEDANTES. Hebr. בצע *Betzagh argenti non acceperunt*. De voce *Betzagh* diſſeruimus Gen. XXXVII. verſ. 26. Vide etiam Exodi XVIII. verſ. 21. Varie hic reddunt. I. *Deſiderium argenti*, vel *deſiderabile argentum non acceperunt*; id eſt, nullam prædam ſunt aſſecuti, quod ſperaverant. II. *Utilitatem*, *quæſtum*, *lucrum argenti non acceperunt*: III. *Ne fruſtulum quidem*, aut *ſegmentum argenti acceperunt*; id eſt, nihil acquiſiverunt illo bello. Quidam Hebræorum exponunt: *Fruſtum argenti non accipiebant*; quaſi dicat: Nemini parcebant, etiam oblata pro redemptione quacumque pecunia. Hic ſenſus priores non æquat. Alii: *Lucrum pecuniæ nullum abſtulerunt*.

V. 20. DE CAELO DIMICATUM EST. Hebr. *De cælo pugnaverunt*: Quidam exponunt: *Cæleſtes*, ſeu *Angeli pugnaverunt*. Alii: Id eſt res cæleſtes, pluviæ, venti, grandines, procellæ. Ioſephus Lib. V. Antiquit. cap. IX. *Itaque commiſſa pugna, vehemens imber mixtus grandine ſupervenit, quem ventus in adverſos Chananæorum vultus ingerens, & proſpectum adimens, inutiles eorum iaculatores, ac funditores reddidit: atque etiam ſcutati manibus rigentibus præ frigore gladios vix retinebant. Iſraelitas vero tempeſtas a tergo imminens non ſolum minus offendebat, ſed alacriores etiam faciebat, manifeſtario Dei præſentis ac faventis ſigno accenſos*. STELLAE MANENTES IN ORDINE ET CURSU SUO, ADVERSUS SISARAM PUGAVERUNT. Heb. *Stellæ de viis ſuis pugnaverunt cum Siſera*: alii, *ſtellæ de ſemitis ſuis*, vel *de ſtationibus ſuis*: quidam, *de gradibus ſuis*, vel *de elevationibus ſuis*. Nonnulli: *Sidera ipſa de aggeribus ſuis pugnaverunt contra Siſeram*; id eſt, e ſuperioribus regionibus aeris. Translata locutio a militibus ex editiore loco felicius pugnantibus. מסלות *meſilloth* proprie ſignificat *vias ſtratas*, *lapidibus aggeratas*, & *complanatas*, quales erant illæ Romanæ. *Actum* Latini dicunt eiuſmodi viam.

V. 21. TORRENS CISON, qui labitur ad radices Thaboris, tractum Thahanachæum, & Meghiddunthæum præterfluens. TRAXIT CADAVERA EORUM, vel ſuffocatorum, vel interfectorum. Hebræi multos ibi hoc prælio ſuffocatos produnt. Vide ſupra verſ. 11. Verbo גרף *Garaph* omnia iſta ſubiiciunt: *Volvit*, *involvit*, *convolvit*, *devolvit*, *volutavit*, *carpſit*, *ſcopavit*, *everrit*, *corripuit*. Conſonat verbum Hiſpanicum *Agarrò*. Auctus enim imbribus, ſua rapiditate hoſtium corpora abſtulit. TORRENS CADUMIM. קדומים *Kedumim*, LXX. & Noſter, nec pauci eos ſecuti; ut nomen proprium reliquere. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Cadumim torrens iuxta quem Debbora bellum geſſit*. Alii appellativum malunt: *Torrens anterioritatum*, *antiquitatum*, vel *antiquorum*, *priſcorum*, *caſcorum*; id eſt, antiquiſſimus & vetuſtiſſimus torrens, priſcis etiam mirifice celebratus, quem priſci cecinere poetæ. Aliqui: *Torrens orientalium*, ut indicet eam partem torrentis Ciſon, quæ verſus orientem in mare Genaſarium fluit: Vide ſupra cap. IV. verſ. 7. Nonnulli: *Torrens occurſuum*; id eſt, ad quem utrique exercitus concurrentes manus conſeruerunt. Sic dictum a קדם *kedem*, *ante*, quod unus exercitus ante alium ſteterit, Hiſpanice, *ſe affrontaron*. Alii: *Torrens anterioritatum*; id eſt, ante quem tam ingens Deus patravit miraculum. CONCULCA, ANINA MEA, ROBUSTOS. Nonnulli Hebræorum exponunt: *Calcabas*, *calcaſti fortitudinem*, vel *in fortitudine*, id eſt fortiter & valide, *o anima mea*; quaſi dicat: Tametſi aquæ torrentis Ciſon adeo inundaverint ut corpora hoſtium abripuerint; at Debora cum ſuis Iſraelitis valenter & fortiter illum calcabant, & tranſibant fidenter & intrepide, nullo periculo, ſed maximo miraculo. Vel *calcaſti fortitudinem*; hoc eſt, inceſſiſti per torrentem illum in robore ſuo plenum & tumidum aquis, abſque periculo, ſervante te Deo; ac ſi dicat: Ego pedibus meis tranſivi amnem illum fortiter & viriliter, citraque periculum; nec me mulierem infirmam potuit rapere tranſverſam. Quidam reddunt: *Diliges*, *anima mea*, *fortitudinem*; quaſi dicat: Fortitudinem non obliques aut detorqueas ad deaſtros; ſed directe & re-

ſta in vero Deo colloca. Alii ita convertunt, & explanant: *Dixi, Proculcato, anima mea, robur*. Ut cæleſtia, & terreſtria divinitus in hoſtes irruerunt, ſic ego quoque operam meam adhibui ſtudioſiſſime ut partibus meis cum exercitu defungerer: & quidquid validum fuit, ſive torrentem, qui paulo ante hoſtes abripuit, ſive hoſtes ipſos robori ſuo præfidentes, fortiter ac ſtrenue proculcavi, protrivi. Nonnulli, ſpreta diſtinctione Hebraicorum accentuum, iungunt hanc clauſulam ſuperiori: *Torrentem Kiſon calcabis, anima mea, fortitudine*.

V. 22. UNGULAE EQUORUM CECIDERUNT. Varie ex Hebræo reddunt. 1. *Tunc quaſſati ſunt calces equi*: 2. *Tunc fracti ſunt calcanci equi*: 3. *Tunc conquaſſatæ ſunt ungulæ equi*: 4. *Tunc ſonuerunt calces equi*: 5. *Tunc contuſi ſunt calcanei equi*: 6. *Tunc obtuderunt calces equorum*: 7. *Tunc malleaverunt calcaneos equi*. 8. *Tunc concuſſerunt, conquaſſaverunt calcaneos equi*: 9. *Tunc concuſſæ, attritæ, fractæ ſunt plantæ equorum*: 10. Hiſpanicus: *Las unnas delos cavallos ſe embotaron entonces*. FUGIENTIBUS IMPETU, ET PER PRAECEPS RUENTIBUS FORTISSIMIS HOSTIUM. Hebræa pluriſariam convertunt. I. *calcationibus, calcationibus fortium eius*; id eſt, propter erebras converſiones equitum, ſive equorum Siſeræ. II. *præ fremitibus, fremitibus*, inquam, *fortium eius*; vel *præ concuſſionibus, concuſſionibus robuſtorum eius*. III. *terroribus*, vel *ſtrepitibus, ſtrepitibus fortium eius*. IV. *ſono pedum, ſono pedum fortium eius*. V. *calcitrationibus*, ſeu *calcitratibus, calcitratibus fortium eius*. VI. *Tunc confuderunt, obtuderunt calces equorum, præ plauſibus* (ſubaudi, equorum, qui currendo plaudunt terram) *fortes eius*; vel *præ citatis curſibus* ſuis *fortes illorum*. De voce אביר *abbir* ſatis diſſerui in Geneſ. XLIX. verſ. 24. אבירים *abbirim* ego hic proprium equorum epitheton intellexerim, quaſi dicas *alatos, pennatos, pennigeros, volucres*, a velocitate curſus: iſta enim nomina equis velociſſimis indebantur. C. Caligula habuit, *Incitatum*; L. Verus, *Volucrem*. *Aquilo* antiquis lapidibus celebratur; ut *ἀετὸς, aquila*, Græcis Epigrammatariis. Unde hic reddiderim, *a calcationibus, calcationibus* (geminatio vocis vehementem, & crebrum impetum denotat) *volucrium eius*, ſeu *alatorum*, vel *pennatorum eius*, ut ſit poeticum epitheton equorum. Alii, ad equites ſeu ſeſſores referunt: *Fortium, robuſtorum, præpotentium eius*.

V. 23. MALEDICITE TERRAE MEROZ. Nemo Explanatorum expedit quiſnam fuerit hic locus, vel urbs, aut oppidum Meroz. Videtur proximus conflictui fuiſſe. Satis conſtat, coniici in eum maledicta, execrationes, quod eius habitatores in hoc bello ſe vel neutros exhibuerint, vel deſides & ceſſatores fuerit in ferendo ſuppetias fratribus ſuis. DIXIT ANGELUS DOMINI; id eſt, qui huic bello pro Iſraelitis præfuit, & per me loquitur. Alii exponunt: Id eſt, quicumque ſpiritu Dei afflati ſunt, mecum ſemper pronuntiabunt, Merozitas maledictos eſſe, & Iahelem benedictam. IN ADIUTORIUM FORTISSIMORUM EIUS. Quidam reddunt: *Ad auxilium Iebovæ contra fortes*, id eſt contra Chenahanæos, qui fortiter pugnabant contra filios Iſrael. Sed aptius Noſter, & alii: *Cum fortibus; inter fortes; pro fortibus*. De voce גבורים *gibborim* diximus ſupra verſ. 13.

V. 24. IAHEL. Vide de ea ſupra cap. IV. verſ. 17. & ſeqq. ET BENEDICATUR IN TABERNACULO SUO. Heb. *De mulieribus in tentorio benedicetur*. Quidam explicant: *Præ feminis in tentorio* degentibus & habitantibus *benedicitor*; ideſt, quas decet domi ſe continere: non viros, ut Merozitæ fecerant. Alii: *In tentorio*, ubi ſcilicet Siſeram interfecit.

V. 25. IN PHIALA PRINCIPUM: Plurifariam reddunt Hebræa. I. *in cratere inſignium*, vel *nobilium*; id eſt, in eiuſmodi cratere in quo ſolent bibere nobiles homines. II. *in vaſe coriaceo in utre, maiorum paſtorum*. Sic אדירים *addirim* ſumi videtur Ieremiæ XXV. verſ. 34. & 35. quod ſcilicet ut præſtantioris butyrini lactis, dignioribus paſtoribus ſervabatur. III. *in concha magnatum*. Sic infra cap. VI. verſ. 38. vertit vocem ספל *ſephel* Noſter. Quidam idem faciunt cum tranſpoſito פסל *peſel*, aiuntque vas eſſe dedolatum, & exſculptum, & poſſe verti *concha*. IV. *in ſimpulo magnificorum*, id eſt ample & largiter, ut ad ſatietatem biberet. Exiſtimant ab Hebraica *ſephel* effictam apud Latinos vocem *ſimpulum*, de qua Feſtus: *Simpulum vas parvum non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificiis libabatur. Unde & mulieres rebus divinis deditæ ſimpulatrices dicuntur*. Hinc adagium, *Excitare fluctus in ſimpulo*, apud Ci-

Ciceronem Lib III. de Legibus: de quo Eraſmus Chiliade II. centuria. II. adagio 73. Equidem nec huic loco, nec illi infra cap. VI. verſ. 38. vox *ſimpuli* congruere videtur: in quibus *ſephel* maius aliquod vas quam ſit ſimpulum proculdubio ſignificat. Unde LXX. habent λακάνη. Suidas: *Lacane commune quidem eſt, a particula La vim intendendi habente, a verbo χάνειν, ſtare, apertum eſſe, patere: eſt enim vas patens, & latum.* Phialæ nomen non multum abludit ab Hebraico *ſephel*. Alii reddunt *lagenam*. Hiſpanicus *taçon*. De voce *addirim* diximus ſupra verſ. 13. BUTYRUM. חמאה *chemah*, quidam exponunt: *Butyri*; ſubaudi, lac; id eſt, lac pingue, recens, & non preſſum. Alii, lac, ex quo expreſſum fuerat butyrum.

V. 26. SINISTRAM MANUM MISIT AD CLAVUM. In תשלחנה *tiſchlachnah* quidam volunt Nun, & He redundare, aut forte adiecta eſſe carminis cauſa, pro תשלח *tiſchlach*: *Manum ſuam ad paxillum mittet*. Alii: *Manus eius* (ſingulare pro plurali) *ad clavum immittentur*, ſeu *immittent ſe ſe*: ut ſit futurum plurale, quale obſervant Abdiæ verſ. 13. nimirum ſiniſtra ad clavum, dextera ad malleum, ut ſtatim hic explicatur, extenderunt ſe ſe. FABRORUM. Hebr. *laborantium*. Recte Noſter *fabrorum*, & aliorum artificum. Alii, *ponderoſum, & gravem*: ſub quo laborantes gemunt ac defatigantur. Poetica auxeſis. MALLEOS. להלמות *lehalmuth*, *malleus*, *tudes*, a tundendo: quæ etiam eſt etymologia Hebraica: nam הלם *halam* eſt *tundere*, *contundere*. Feſtus: *Tudites malleos appellabant antiqui a tundendo: inde Ateius philologus exiſtimat Tuditano cognomen inditum, quod caput malleoli ſimile habuerit*. Ligneum hic fuiſſe putant. Hiſpanicus *maço* reddit. QUAERENS IN CAPITE VULNERI LOCUM. Hebr. varie convertunt. I. *Abſcidit caput eius*: falſo, niſi ſit catechreſis poetica. II. *Removit caput eius*. III. *Vertit*, ſeu *volvit caput eius*. IV. *Abraſit caput eius*. V. *Abſtulit caput eius*. VI. *Divulſit*, *diduxit*, *dilaniavit*, *caput eius*. Verbum femineum מחקה *machakah* alibi in Scriptura non legitur. Valentinum *machuca*, id eſt conquaſſavit, non multum ſono ab Hebraico diſſidet. ET TEMPUS VALIDE PERFORANS. Hebr. *Et pertranſivit tempora eius*: vel *& pertranſire fecit* paxillum, *per tempora eius*. Quidam: *Et mutavit tempora eius*, ſcilicet per vices, nunc hoc, nunc illud perfodiendo.

V. 27. EXANIMIS, ET MISERABILIS. Hebr. *devaſtatus*, id eſt exanimatus, extinctus, vel exterminatus, interemptus. Alii, *ſpoliatus*, *direptus* vita.

V. 28. ULULABAT. Verbum יבב *iabab* alibi non invenitur in Scriptura: quod varie reddunt: *Et exclamavit*, *vociferata eſt*, *ululavit*, *eiulavit*. Alii: *Et pipavit*; id eſt, more pullorum voce ſubtili & acuta garrivit. Aliqui: *Et minurivit*, *minurizavit*. Gloſſæ veteres: *Minurit* μινυρίζει, id eſt murmurat; ſuſurrat, exili, & flebili voce cantillat. Feſtus: *Minuritiones appellantur avium minorum cantus*. Nonnulli: *Et iubilavit*, voce conſentiente. Aliqui: *Et cecinit*: volunt id verbum, canticum querelæ admixtum indicare, quale philomelæ, & id genus avibus Latini poetæ adſcribunt.

V. 29. UNA SAPIENTIOR CETERIS UXORIBUS EIUS, HAEC SOCRUI VERBA RESPONDIT. Hebr. *Sapientes principiſſarum eius reſpondebunt: etiam ipſa redire faciet verba ſua ſibi*, vel *ei*, ſcilicet *matri Siſeræ*. Quidam: *Sapientiores principum eius*, id eſt mulieres principes ſapientes, ſive prudentes, quæ illi famulabantur. Alii: *Sapientes domicellæ eius*. Nonnulli: *Sapientes quæque dominæ*. Aliqui: *Sapientes quæque ex præcipuis mulieribus, quæ erant apud ipſam*. Alii: *Sapientes principum feminarum eius*. Quidam Hebraicum regimen ita reſolvunt: *Sapientiores*, vel *ſapientiſſimæ dominarum*, ſeu *principiſſarum*, *& heroinarum eius*. Hiſpanice: *Las mas ſabias de ſus damas*. Sed de coniugibus Siſeræ intelligi cum Noſtro quis vetat? *Reſpondebunt*, vel *reſpondebant*, exponunt: Id eſt verbis ſolabantur illam. Hic poetice acceperim pro alternis canere, ut Exodi XV. verſ. 21. & I. Samuel. XXI. verſ. 11. ſeu alternis minurire, aut ſuſurrare: *Etiam ipſa redire faciet verba ſua ſibi*. Quidam: *Etiam ipſa convertet verba ſua ad ſe*: vel *quin etiam ipſa reſpondebat ſibimet ipſi*; id eſt, ſolabatur ſe ſe. Alii: *Quin & ipſa ſibi ipſi reddebat verba*. Nonnulli: *Etiam ipſa referebat ſermones ſuos ſibi*; quaſi dicat: Secum diſſerebat, interrogans, & ſibi reſpondens.

V. 30.

V. 30. Forsitan nunc dividit spolia. Hebr. *Num non invenerunt, diviſerunt*, partiti ſunt *ſpolium*? id eſt, an non dividunt ſpolia, quæ invenerunt? Maior ſenſus erit per interrogationem, & reſponſionem: *An non invenerunt ſpolia*? Plane invenerunt: nam dividunt prædam. Et pulcherrima feminarum eligitur ei. Hebr. *Matrix, vulva, uterus, duæ matrices, duæ vulvæ, duo uteri*, vel *par matricum capiti viri fortis*. Vel accuſandi caſu: *Matricem*, vel *duas matrices*, ſubaudi partiuntur, *in caput viri*. Synecdochice, & poetice, pro unam puellam, feminam, vel mulierem, par puellarum, vel mulierum. Quidam vocem *matricis*, vel *vulvæ*, integram matricem, ſeu puellam virginem accipiunt. Alii *amicam*, Vestes diversorum colorum. Hebr. *ſpolium*, ſeu *ſpolia*. Nam שלל *ſchalal* eſt collectivum. צבעים *tzebaghim* varie interpretantur: *Spolium rubricatorum*, ſeu *veſtium diffiſſarum, diſſectarum, diſciſſarum, vulneratarum in partes rubro colore diſtinctas*; quaſi dicat, veſtium interſectarum, vulneratarum, violatarum rubro colore: qua etiam ratione imitatione Homerica dixit Virgilius Lib. XII.

Indum ſanguineo veluti violaverit oſtro
Si quis ebur....

elegans poetica locutio. Alii: *Spolium varicolorium, diverſicolorium, diſcolorium*. Nonnulli a אצבע *etzbagh*, *digito*, arceſſunt ſignificatum: *Spolium digitatorum*: intelliguntque veſtes lineis in modum digitorum ductis, pictas, coloratas, intextas. Plerique: *Spolia colorum, tincturarum*, ſeu *coloratorum*; id eſt, colorata, infecta, tincta pretioſo colore erunt ipſi Siſaræ: referet Siſara ſpolia ampla, pretioſa veſtium diverſicolorium. Vide in Ierem. xix. verſ. 9. Et supellex varia. Hebr. *ſpolium coloratorum*, ut paulo ante, רקמה *rikmah*, *recamatura*. Vocem *rikmah* aiunt eſſe proprie *variegaturam, acupicturam, Phrygionicum opus*; quaſi dicat *Phrygiaturam*. Hiſpanice, & Italice, conſona voce, *recamatura, bordadura*. Vide Exodi xxvi. verſ. 36. Addunt Hebræa: *Coloratum*, vel *diſcolor*, רקמתים *rikmataim*, id eſt *duarum, duplicium*, vel *geminarum recamaturarum*, vel *variegaturarum*, ſeu *acu picturarum*: eſt enim nomen duale, & eſſe volunt *opus Phrygionicum utrimque acu pictum & variegatum*; id eſt, ab utraque parte, ſeu facie *recamatum, & actu pictum*: nempe opus *barbaricarium*: quam operis formam *biſacem* dixerunt veteres, in qua variegatio eſſet utrimque par, & ab utraque parte eadem ratione figurata. Vide Exodi xxvi. verſ. 1. Ad ornanda colla. Hebr. *collibus, ad colla, ſpolii*. Quidam exponunt: Erunt in collum, hoc eſt *in caput ſpolii*. Nimirum ante omnia, & præcipue ſeparabuntur, ut dentur principi & imperatori exercitus, nempe Siſaræ. Vel dabuntur *collo ſpolii*, id eſt capiti & duci exercitus. Alii: *Ad colla* virorum *prædæ*; vel *ad colla prædantium*. Hebræa hunc etiam ſenſum admittunt: *Tinctura, color, duarum recamaturarum*, ſive *operis Phrygiani biſacis ad colla ſpolii*; id eſt, quod colla veſtium, quæ ex ſpoliis collectæ fuerant, duplicem recamaturam ad colla haberent. Nimirum quod colla veſtium ſpolii eſſent opere Phrygiobiſaci variegata, & acu picta.

V. 31. Sicut sol in ortu suo splendet. Hebr. *Secundum exire ſolem in fortitudine ſua*. Alii: *Secundum egreſſum ſolis in præpotentia ſua*, id eſt, qui ſcilicet ſubinde lucidior evadit. Quidam: *Sint, ut cum procedit ſol in robore ſuo*. Nonnulli: *Sicut exire ſolem in virilitate ſua*; hoc eſt, cum per mediam æſtatem primum cancri gradum tenet, cum augem occupat.

V. 32. Per quadraginta annos. Aliqui exponunt: *Ad annum quadrageſimum*: nempe ab illo octuageſimo, cuius facta mentio ſupra cap. iii. verſ. 30.

MENOCHII.

Verſ. 1. Cecineruntque Debbora et Barac, &c. Carminis huius hepinicii effectrix, & carminum fuiſſe videtur poetis Debbora, eiuſdem vero iam confecti cantatrix eadem, ſed una cum Barac: quod ex eo probabiliter colligitur, quia Debbora Barac præponitur, cum dicitur: *Cecinerunt Debbora & Barac*: & quia pene ab omnibus Canticum Debboræ dicitur.

V. 4. Cum exires de Seir, &c. Quomodo hæc intelligenda ſint, vide Deut. xxxiii. 2. Vel etiam ſenſus eſt, Dominum

num deducendo populum ſuum per Idumæorum, aliarumque gentium vel terram, vel viciniam, magnum illis inieciſſe metum ac tremorem. CAELIQUE AC NUBES DISTILLAVERUNT AQUIS, ſcilicet præ timore ſudantes; quaſi dicat: Totus orbis tremebat. Vide dicta ad cap. XIX. Exodi num. 18.

V. 5. MONTES FLUXERUNT, &c. quaſi diceret: Montes commoti ſunt, & præ horrore velut liquefacti, ſicut olim tremefactus mons Sinai, Exodi XIX. 18.

V. 6. IN DIEBUS SAMGAR IN DIEBUS IAHEL. Propoſitum erat Debboræ totum illud tempus indicare, quod ſub Aod, vel poſt illum fuerat, uſque ad victoriam hanc. Id ergo deſcribit a duorum, qui in utroque tum ſexu fuerunt præſtantiſſimi, diebus, Samgar ſcilicet, & Iahel. QUIEVERUNT SEMITAE, &c. Diſceſſum eſt a lege divina, eiuſque viæ intermiſſæ: ideo ea ſtatim ſecuta eſt pœna, ut itinera omnia eſſent latronibus obſita, & qui planis antea, tutiſque ſemitis incedebant ſine metu, iam occultos, ac devios tramites quærere ſint coacti.

V. 7. CESSAVERUNT FORTES IN ISRAEL, ET QUIEVERUNT. Tanta erat fortium penuria, ut impune qualibet vagarentur latrones, iiſque obſiſteret nemo. MATER IN ISRAEL. Mater dicitur Debbora, quod ſalutem populo Iſraelis pepererit.

V. 8. NOVA BELLA ELIGIT DOMINUS, qui novum Iſraelitarum hoſtibus pugnandi, eoſque vincendi modum eligere, & adhibere dignatus eſt. CLYPEUS ET HASTA SI APPARUERINT IN QUADRAGINTA MILLIBUS ISRAEL; quaſi dicat: In toto exercitu Iſrael nec haſta erat, nec clypeus. Particula enim *ſi* accipitur pro *non*. Pauci admodum, aut fere nulli arma habebant ex Iſraelitis: fortaſſe enim Iabin ea abſtulerat, ne novas res molirentur.

V. 10. QUI ASCENDITIS SUPER NITENTES ASINOS. Moris erat in regionibus illis (quod rurſum infra cap. X. & XII. videbimus) ut aſinis honoratiores veherentur. *τὸ Nitentes*, in Hebr. eſt *candidos*. SEDETIS IN IUDICIO: qui præeſtis in iudiciis, vel qui commode, & ex arte æquitatis, aſinis nitentibus inſidentes. AMBULATIS IN VIA. Chaldæus habet: *Erunt ambulantes in via eorum, & narrantes ſuper fortitudines quæ factæ ſunt ipſis*. LOQUIMINI: benedicite Domino, ut dixerat ſuperiore verſiculo.

V. 11. IUSTITIAE DOMINI, quas in Chananæos exercuit. AD PORTAS, hoſtiles eorum civitates occupando. Vel ad portas urbium Iſraeliticarum, aſſerendo ſe in libertatem, & principatum obtinens, exercenſque iudicia in portis, ut illo ævo fieri ſolebat.

V. 13. RELIQUIAE POPULI, quem Iabin multis malis attriverat.

V. 14. EX EPHRAIM DELEVIT EOS IN AMALEC. LXX. habent: *Ephraim eradicavit eos in Amalec*. Alii textus habent, *ἐφραὶμ ἐτιμωρήσατο αὐτοὺς ἐν κοιλάδι*, *Ephraim ultus eſt eos in valle*, ſcilicet in valle torrentis Ciſon. Porro quod Noſter habet, *In Amalec*, propterea dici putat Serarius, quod ita tribus in Amalecitas irruiſſet, qui ſe regi Iabin iungere volebant, ſicuti Egloni cap. III. & hic Chananæi reges num. 19. ſequ. DE MACHIR. Laudantur præcipuæ familiæ Manaſſæorum: Machir enim Manaſſe filius fuit, Gen. L. 23.

V. 15. QUI QUASI IN PRAECEPS, AC BARATHRUM, &c. Per metaphoram præcipitis loci, ac barathri, magnitudinem periculi, quod ſponte ſubierunt Reipublicæ cauſa, ponit ob oculos. DIVISO CONTRA SE RUBEN: in partes, diverſaſque ſententias diſtracto, dum aliqui bello abſtinendum, alii in communem Iſraelis contra hoſtes expeditionem prodeundum cenſent. MAGNANIMORUM REPERTA EST CONTENTIO. Principum illius tribus contentio facta eſt, variæque ac diſcordes voluntates.

V. 16. QUARE HABITAS INTER MEDIOS TERMINOS? quare nec in hoſtes irruis, nec Iſraelis caſtris iungeris? UT AUDIAS SIBILOS GREGUM, inter ovium tuarum balatus deſidens, nec communem calamitatem amoliri ſtudens.

V. 17. GALAAD TRANS IORDANEM QUIESCEBAT. Tribus quæ ſunt ultra Iordanem, quæ terra Galaad dicitur, quaſi procul a periculo poſitæ, quietem agebant, nec rem publicam curabant, privatis commodis intentæ. DAN VACABAT NAVIBUS, negotiationi, & mercimoniis. ASER HABITABAT IN LITTORE MARIS, &c. rebus ſuis vacans, negligens laboranti Reipublicæ opem ferre,

V. 18.

Digitized by Google

V. 18. Zabulon vero et Nephtali obtulerunt animas suas morti. Interim dum alii otiantur, in diſcrimen venerunt, & vitæ periculum ſubierunt. In regione Merome. Merome, ſeu, ut in Hebræo eſt, *excelſorum campus*, eſt mons Thabor.

V. 19. Iuxta aquas Mageddo, torrentem Ciſon. Et tamen nihil tulere praedantes. LXX. *Munus argenti non acceperunt*. Alii πλεονεξίαν, *abundantiam*, id eſt rapinoſis, adeo non retulerunt prædam ut ipſi cæſi ſint, & deleti.

V. 20. De caelo dimicatum est contra eos: quia, ut narrat Ioſephus, conflictus huius tempore procella magna exorta eſt, aquæ etiam, & grandinis multum oculis Chananæorum offuſum, ut arma bellica iis uſui eſſe non potuerint. Stellae manentes in ordine et cursu suo, pugnaverunt contra Sisaram, pro ſtellis aliqui intelligunt Angelos, quorum militia, quia ordines ſuos ſervat, dicuntur *manentes in ordine & curſu ſuo*. Alii, ut Caietanus, & Delrio Lib. IV. Diſq. cap. III. quæſt. I. aiunt, ſic aerem, ceteraque elementa, & tempus ipſum ſaviiſſe populo Dei, ut ipſæ quoque ſtellæ ſolitæ imbres ciere, cenſeantur contra Siſaram pro Iſraele pugnaſſe. Dicuntur vero ſtellæ in ordine, curſuque ſuo permanſiſſe, ne putaret quiſpiam eas aliquid paſſas, quemadmodum ſol & luna paſſæ ſunt, dum illis a Ioſue ſtatio imperata eſt, Ioſue x. 2.

V. 21. Torrens Cadumim. Torrentis Ciſon duo ſunt rami: alter properat ad occidentem, & mare mediterraneum; alter ad orientem, & lacum Geneſareth. Hanc partem orientalem putat Serarius appellari *Cadumim*, quia *kedem* ſæpe pro oriente ſumitur in Scriptura, ut Gen. II. 8. & alibi. Dicitur vero torrens cadavera traxiſſe, quia imbribus e cælo miſſis, de quibus dixi verſiculo ſuperiore, intumuerat. Robustos, milites Siſaræ, qui armis, & viribus fidebant.

V. 22. Ungulae equorum ceciderunt, extritæ, debilitatæ. Septuaginta habent: *Impediti ſunt calcanei equi*.

V. 23. Maledicite terrae Meroz. Loci nomen iam ignoti, cuius nec apud Euſebium, nec apud S. Hieron. Libro de Locis, mentio eſt. Huic ergo vel urbi, vel loco, quod ad ſacrum hoc bellum venire noluerit, imprecari omnes vult, non ſua tantum, ſed auctoritate etiam Angeli, de quo ſubdit: Dixit Angelus Domini. Verus Angelus, & fortaſſe Michael, qui bello huic præfuit, tamquam Iſraelitici populi princeps, ac præſes: Daniel. x.

V. 25. In phiala principum, in vaſe aliquo ornato, quale vel principem deceat. Butyrum: lac non ita pridem mulſum, a quo pinguior pars, ex qua butyrum fit, nondum erat ſeparata.

V. 29. Una sapientior, quæ ſapere videri voluit.

V. 32. Quievit terra. Vide ſupra cap. III. num. II.

TIRINI.

Verſ. 4. Domine cum exires de Seir; quaſi dicat: Quando tu Deus inſidens arcæ quaſi throno tuo nobiſcum ambulabas in deſerto, cui Idumæa adiacet, ſtatim ad conſpectum tuum tantus paſſim metus ac tremor omnibus incuſſus eſt, ut non homines modo, ſed & cæli, & nubes, & ipſi montes, ac præ omnibus mons Sinai, metu tui tremuerint, diſſoluti ac liquefacti ſint. Vide Exodi XIX.

V. 6. In diebus Samgar, ſeu ex eo tempore quo mortuo Aod, Iudex fuit Samgar, uſque ad dies Iahel, hoc eſt uſque ad præſens tempus, quo Siſara occiſus eſt manu Iahel, quieverunt semitae, publicæ; id eſt, viæ rectæ, & regiæ teri non potuerunt, propter cædes, & latrocinia quibus infeſtabantur.

V. 8. Si apparuerint. Hebraiſmo, pro *non apparuerunt*; quaſi dicat: Uſque eo nos oppreſſerat tyrannis Iabin, ut in quadraginta millibus Israelitarum, qui partim e tribu Nephthali, & Zabulon collecti erant a Barac, partim ex reliquis tribubus, vix invenire eſſet clypeum, aut haſtam: ſed debuerint armari fuſtibus, ligonibus, vomeribus, & quaſi inermes adverſum Siſaram prodire. Unde & ſoli Deo, quo duce ille profligatus eſt, omnis victoria, & triumphus debetur.

V. 14. Ex Ephraim delevit eos.

Digitized by Google

IN AMALEC; id eſt, Ioſue, qui erat Ephraimita, primus ſuperavit Amalecitas, Exodi XVII. ET POST EUM, futuro tempore ſurget alius EX BENIAMIN; puta Rex Saul, qui eoſdem deleat. Ita Chaldæus, & Rabbini. Niſi malis, duas haſce tribus hic ſpeciatim laudari, quod pugnantibus aliis adverſus Siſaram, ipſæ irruerint in Amalecitas, qui Siſaræ ſuppetias ferre tentabant. Sic laudantur & *principes Machir*, id eſt præcipuæ familiæ *Manaſſeorum*; *a* & aliæ tribus, quod ſtrenuam huic bello operam navarint. Soli perſtringuntur Danitæ, Aſeritæ, Galaaditæ ſeu Rubenitæ, quod ſtudiis propriis, & commodis privatis vacarint, neglecto communi bello.

V. 16. QUARE, o Ruben, HABITAS INTER DUOS TERMINOS? Chaldaice: *Quare medius hærebas & dubius inter terminos hoſtium & Iſraelitarum, exſpectans belli eventum; ut ſi vinceret Siſara, te illi coniungeres; ſin Barac, illi adhæreres?* nempe diviſio ſeu diſſenſio fuit inter principes tuos: magnanimos ſcilicet illos, qui *ſibilos* & balatus *gregum* ſuorum *audire* maluerunt, quam ſonitum buccinæ Barac.

V. 20. DE CAELO DIMICATUM EST; quaſi dicat: Licet deeſſent hæc humana ſubſidia, non defuerunt cæleſtia. STELLAE MANENTES IN ORDINE, ET CURSU SUO; id eſt, non turbatæ: ut nuper imperante iis ſtationem Ioſue *b*, ſed proſequentes ordinarium curſum ſuum, cauſarunt tantas tempeſtates ac procellas grandinum, ventorum, fulgetrorum, ut omnes copiæ hoſtiles turbarentur, frangerentur, ac contererentur; Deo interim, & Angelis, quorum opera hæ tempeſtates ciebantur, Iudæos ubique protegentibus, & in hoſtem animantibus. Simile habes ſub Samuele I. Reg. VII. & Imperatore Theodoſio contra Eugenium, & Maximum tyrannos, teſte Euſebio. Et ſimilia fingit quoque Plato *c* in ſuo bello Atlantico. Ita Ioſephus, Abulenſis, & Lyranus. Addunt Rabbini *d*, *omnia & quæ in cælis, & quæ in terris, pugnaſſe contra Siſaram*, pro Iudæis.

V. 23. MALEDICITE TERRAE MEROZ. Urbs erat prælii loco vicina, fortiſſimis viris referta: quibus, quia ad ſacrum hoc bellum iuvare noluerunt, dira iubet ab omnibus imprecari: iubet, inquam, non tam ſua, quam Angeli Domini auctoritate, qui Debboram ipſam afflabat, & Cantici huius auctor, & dictator erat, inquit Arias. Abulenſis ſanctum Michaelem intelligit, qui toti bello tamquam princeps præfuit, & hoſtes contrivit; etiam maledicta iacit in eos qui iuvare debuerant, ſed metu, vel malitia detrectarant. Huius vero maledictionis effectus nullus quidem memoriæ proditus eſt; ſed videtur locus ingratitudine tanta infamis, vel ſtirpitus exciſus, vel ſaltem æterna oblivione ſepultus fuiſſe: nam nulla deinceps vel in ſacris, vel in profanis hiſtoriis mentio fit urbis Meroz, aut Merozitarum; ut videantur ſimul cum ſuo ſcelere ſepulti fuiſſe.

(*a*) Geneſ. L. verſ. 22. & Num. XXVI. verſ. 29. & Deuter. III. verſ. 15. & Ioſue III. verſ. 31. &c.
(*b*) Ioſue cap. X. verſ. 11.
(*c*) Plato initio Timæi, & in Critia.
(*d*) In tract. *Beracoth*, qui eſt Thalmudici Sederis primi primus.

G O R D O N I.

Verſ. 2. QUI SPONTE. Argumentum Cantici eſt laus Deo pro victoria, ab his qui ſponte venerunt ad bellum Domini.

V. 4. CUM EXIRES DE SEIR... PER EDOM. Sermo eſt de exodo ex AEgypto, attingens mira Dei illa ætate; & quæ quaſi effecerunt ut mundus tremeret.

V. 6. IN DIEBUS SAMGAR, &c. ac ſi diceret: Illis temporibus, plena omnia latrociniis, & hoſtibus, occluſaque itinera, donec veniret Debbora, & nova bella per feminas ſuccederent. Vide cap. III. verſ. 31.

V. 8. CLYPEUS ET HASTA SI APPARUERINT IN QUADRAGINTA MILLIBUS ISRAEL. Illud *ſi*, Hebraice אם, deſignat negationem, pro non apparuerunt: fere enim inermes erant ſocii Barac, ſpoliati prius a Iabin: ergo novum genus victoriæ.

V. 10. SUPER NITENTES ASINOS. Laudem dicite nunc liberi ab hoſte, qui hæc, & illa facitis. Sic invitat principes, iudices, mercatores, &c.

V. 11. & 12. Populus victor ad portas hoſtiles deſcendit, & obtinuit eas. FILI ABINOEM. Hic Barac eſt, cap. IV. 6.

V. 14. EX EPHRAIM. Recenſet Debbora,

bora, & laudat eos qui ad bellum venerunt ex Ephraim, Beniamin, Manaſſe, Zabulon, & Iſſachar: & mox vituperantur abſentes.

V. 16. QUARE HABITAS INTER DUOS TERMINOS? &c. Accuſantur hic qui commodis propriis intenti, defuerunt huic bello communi. Ruben in ſe diviſus erat: alii ad alia tendebant.

V. 18. REGIONE MEROME. על מרומי *ſuper altitudines*: מרום *marom*, *altitudo*. Deſignatur mons Thabor, de quo ſupra.

V. 21. TORRENS קדומים *antiquitatum*: קדם *kedem*, *antiquitas*.

V. 23. MEROZ deſignare videtur locum prælio vicinum: ſed quis iſte Angelus? Multi multa: an ipſe Barac, an Debbora, an, quod probabilius eſt, Angelus cæleſtis, ut habent Abulenſis, & Arias.

V. 32. QUIEVITQUE TERRA PER QUADRAGINTA ANNOS. Vide quæ dixi cap. III. verſ. 11. Barac quidem ducatum geſſit annis quadraginta cum Debbora: at finem ducatus excepit vexatio illata a Madianitis, per ſeptennium; quievit tamen Iſrael a bello gerendo, ea ſolum paſſus quæ narrantur initio capitis ſexti: quod eſt quieviſſe a bello faciendo, ut clare habet Chaldaica paraphraſis. Vide Ioſue XXIV. verſ. 31.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 5. MONTES FLUXERANT, &c. In epinicio poema vocibus utitur exaggerantibus factum, ſtylo nempe poetico.

V. 7. CESSARANT FORTES IN ISRAEL. Pauci erant robuſti bellatores in Iſrael, & impune vagabantur latrunculi.

V. 8. CLYPEUS ET HASTA SI APPARUERINT. *τὸ ſi*, eſt non. Vix, inquit, erant arma in Iſrael, abrepta, & amiſſa ſcilicet in bellis.

V. 10. ASINOS. His utebantur honoratiores, & candidis.

V. 15. DIVISO CONTRA SE RUBEN. Ex Rubenitis aliqui bello abſtinendum putabant; alii illud ſuadebant. Galaad, & Dan abſtinuerunt: adfuerunt Zabulon, & Nephtalim.

V. 18. MEROME eſt mons Thabor.

V. 19. AQUAS MAGEDDO. Torrens eſt Ciſon. NIHIL TULERE, immo deleti ſunt.

V. 21. CADUMIM eſt alter ramus torrentis Ciſon, ex cap. IV. verſ. 13.

BOSSUET.

Verſ. 2. QUI SPONTE OBTULISTIS DE ISRAEL ANIMAS VESTRAS, &c. Pulcherrimum laudum exordium: quod ſe ultro pro patria bello devoverint. Non enim univerſus populus, ſed decem millia pugnatorum ex tribu Zabulon, & Nephtali acciti ſunt: Iud. IV. 8. 10. Hebr. ſic habet: *In ulciſcendo ultiones in Iſrael*: *in devovendo ſe populum*; hoc eſt, qui ulti eſtis Iſraelem; qui vos devoviſtis ad prælium, BENEDICITE DOMINO.

V. 3. AUDITE REGES, AURIBUS PERCIPITE PRINCIPES: EGO SUM, &c. *Ego ... Domino, ego canam; pſallam Domino Deo Iſrael*: Hebr. Ego femina (quod regibus, principibuſque miraculo ſit) ductu meo geſta prælia canam; ſed Domino, cuius potentia vicimus.

V. 4. 5. DOMINE, CUM EXIRES DE SEIR. Sic Deut. XXXIII. 2. *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis*: ubi etiam Seir cum Sinai coniungitur. Vide Pſalm. LXVII. 9. 10. Solebant autem quacumque in victoria redire ad priſca illa ſub Moſe miracula. TERRA MOTA EST.... MONTES FLUXERUNT, &c. figurate: commota omnia, adventante Domino: quo etiam ſignificat quid incolis montium evenerit. Vide Pſalm. CXIII. 7.

V. 6. QUIEVERUNT SEMITAE: *itinera ceſſarunt, & ambulantes in ſemitis ibant per calles devios*: Hebr. Non erant tuta itinera propter incurrentes hoſtes. Quantumvis Samgar vir fortis fuerit, non tamen eius tempore univerſim tranquillæ res erant: ſemel enim ſalvavit populum, Iud. III. 31. nec Iahel ſalvum præſtiterat, licet ex fœdere cum Chananæis icto, ipſis terrori fuerit: Iud. IV. 17.

V. 7. FORTES: *villæ, pagi*, Hebr. ut infra verſ. 11. DONEC SURGERET DEBBORA: *donec ſurrexi Debbora*: Hebr. Miratur, tantum potuiſſe imbellem feminam. Vide canticum Iudith cap. XVI. 7. 8.

V. 8. NOVA BELLA ELEGIT DOMINUS: geſta quippe feminea manu: alii, *rem novam: unde bellum portis*, hoſtilibus ſcilicet, ut intelligit Hieronymus: quæ inter-

terpretatio plana eſt. Alii tamen non incongrue cum LXX. ſic vertunt: *Elegit* (Iſrael) *deos novos, tunc bellum portis*: quod conſequenter intelligendum eſſet, ſuis; ut ex novorum deorum cultu, exitium Iſraelitis venerit. CLYPEUS, ET HASTA SI APPARUERINT IN QUADRAGINTA MILLIBUS ISRAEL: namque ante Debboræ victoriam, ut habetur verſ. 7. erant quidem in Iſraele multa hominum millia, non tamen pugnatores; nec arma ſuppetebant: tanta erat inopia.

V. 9. COR MEUM DILIGIT PRINCIPES ISRAEL: *cor meum ad duces Iſrael*: Hebr. QUI PROPRIA VOLUNTATE OBTULISTIS VOS, &c. *devoventes vos populus*, &c. Hebr. ut ſupra verſ. 2.

V. 10. SUPER NITENTES ASINOS: quod dignitatem notabat, ut paſſim, & Iud. x. 4. XII. 14. IN IUDICIO. In *Middin*, Hebr. quod alii nomen loci intelligunt, quem maxime hoſtes infeſtarent. LOQUIMINI: *meditamini*, Hebr. Attendite cantico.

V. 11. UBI COLLISI SUNT CURRUS, &c. *A voce ſagittariorum, inter fontes* (ſive puteos) *ibi narrent iuſtitias Domini, iuſtitias villæ eius in Iſrael*: Hebr. Iſraelitæ a tumultu bellico tuti, ad puteos, ſeu fontes, ubi coire ſolet populus, iuſtitiam Domini celebrabunt hoſtes ulciſcentis, villaſque terræ ſuæ prius deſertas priſtinæ quieti, ac frequentiæ reſtituentis. AD PORTAS: ubi conventus agebantur. ET OBTINUIT PRINCIPATUM, victoriam, Iſraeliticus populus: de quo per totum verſum. Sed hæc poſtrema verba deſunt Hebr. & LXX.

V. 12. APPREHENDE CAPTIVOS TUOS: Iſraelitas tuos olim captivos, nunc autem liberatos: quod ſequentia docent.

V. 13. SALVATAE SUNT RELIQUIAE POPULI: Iſraelitæ ex tot retro calamitatibus ac ſervitutibus ſuperſtites: obvio ſenſu; ſed Hebr. aliter: *Tunc dominabitur ſuperſtes illuſtribus populi*; hoc eſt, quos Iſraelitas ex tantis bellis ſuperſtites ſervaverat Dominus, illuſtribus populi Siſaræ dominabuntur. DOMINUS IN FORTIBUS: *Dominus dominabitur mihi in fortibus*: Hebr. Eo quod dixerat dominaturos Iſraelitas, ſubdit: Immo non illi, ſed Dominus per eos, in populi mei utilitatem, fortes illos Siſaræ vincet. LXX. ſic, & fortaſſe melius: *Reſiduum deſcendit fortibus: populus Domini deſcendit in potentibus, ex me*; hoc eſt, Iſraelitarum reliquiæ, cum magnis viribus adverſus hoſtes me duce, deſcenderunt.

V. 14. EX EPHRAIM. Hoc verſu & ſeqq. ne ſolas tribus Zabulon, & Nephtali, quæ hoc prælium geſſerunt, commendare videatur, commemorat antiqua aliarum tribuum fortiter geſta: ſic tamen ut primas Zabuloni, & Nephtali tribuat, quorum recentem victoriam celebrandam ſuſceperat. Chaldæus, eumque ſecuti plerique Interpretes hic intelligunt Ioſue Ephraimitam, qui primus vicit Amalecitas; & Saulem Beniamiten, qui poſtea eos delevit. Sed nec ſatis cohærent omnia, nec videtur hic prophetandi de Saule locus. Veriſimile eſt notari geſta quædam ignota nobis, in Amalecitas: ſenſuſque fuerit, ut Ephraimitæ, & Beniamitæ in Amalecitas, ſic Zabulon, & Nephtali in Chananæos egregie pugnaſſe: vel Ephraimitas deleverunt eos in monte Amalec, in tribu Ephraim ſito, de quo Iud. XII. 15. Alii ſic exponunt: Deus victos Chananæos in Ephraimitarum, atque inde in Beniamitarum fines; poſtremo extra terram Iuda uſque in Amalecitas pepulit. O AMALEC: deeſt Hebr. LXX. DE MACHIR PRINCIPES. Machir filius Manaſſis: ut non tantum. Ephraim, ſed etiam Manaſſis eius fratris fortia facta commemoret. ET DE ZABULON, QUI EXERCITUM DUCERENT: *& de Zabulon trahentes in virga ſcribæ*: Hebr. Chaldæus autem hanc virgam intelligit ſtylum, vel calamum. Senſus eſt: ex Machir quidam viciſſe duces; ex Zabulon vero adeo omnes, ut & qui ſtudiis litterarum operam dabant, pro ſtylo iam arma caperent.

V. 15. DUCES ISSACHAR. Iud. XIV. 8. 10. Zabulon, & Nephtali tantum memorantur qui ad bellum citati ſint; hinc tamen liquet adfuiſſe ex tribu Iſſachar, ſed duces tantum, non populum. Et tamen Hebræus repetit: *Iſſachar cum Barac*; quaſi tota tribus affuerit, ex principibus denominatione ducta. QUI QUASI IN PRAECEPS..... SE DISCRIMINI DEDIT: *in vallem miſſus eſt pedibus ſuis*: Hebr. pedes irruit in vallem pugnaturus. DIVISO CONTRA SE RUBEN: *in diviſionibus Ruben, magnæ cogitationes cordis*:

Hebr.

Digitized by Google

Hebr. Ruben, Iordane a reliquis diviſus, multa mihi cogitanda relinquit, cur ſubſidio non venerit.

V. 16. QUARE HABITAS, ut quid quieſcis, INTER DUOS TERMINOS? *Miſchpthaim* Hebr. a radice *ſphthaim*, quæ ſignificat res duas coordinatas ſibique mutuo reſpondentes: quæ vox legitur Geneſ. XLIX. 14. ubi ſarcinæ intelligendæ videntur. Eadem vox Pſal. LXVII. 14. ubi vertitur, *Inter medios cleros*: poteſtque intelligi, duas inter vias. Senſus eſt: *Quare habitas*, ut quid quieſcis, *ut audias ſibilos gregum*? ſibilos paſtorum vocantium greges. Quid quieſcis, o Ruben, velut hæſitabundus duas inter vias, & gregibus tantum paſcendis das operam, non autem adiuvandis civibus? DIVISO. Repetitio admirantis.

V. 17. GALAAD.... QUIESCEBAT. *Galaad..... habitabat: & Dan cur peregrinabatur navibus*? Hebr. ſupple, nec veniebat ſubſidio. Ita & ceteræ tribus rem ſuam agebant; Zabulon vero, & Nephtali publicam. Atque hoc pertinebat ad inſtimulandos reliquorum animos, quem vel pulcherrimum horum Canticorum fructum fuiſſe, in præfatione * diximus.

V. 18. IN REGIONE MEROME. Seu nomen loci, ſeu *ager excelſus*, ut vertunt LXX.

V. 19. PUGNAVERUNT REGES CHANAAN: auxiliares copiæ regum vicinorum.

V. 20. DE CAELO DIMICATUM EST: *de cælis bellaverunt ſtellæ: de exaltatione ſua bellaverunt cum Siſara*: Hebr. Seu tantum indicat pugnatum eſſe de cælis, neque humana, ſed cæleſti ope confectam eſſe rem: ſive ſtellarum nomine deſignat Angelos ſtellis præſidentes. Utcumque eſt, ſignificat, cæleſtes poteſtates, permanentes licet in ordine ſuo, nec ſtationem deſerentes, tamen decertaſſe, immiſſa velut ex alto virtute, nuſquam intermiſſis conſuetis operibus, ac miniſteriis.

V. 22. UNGULAE EQUORUM CECIDERUNT FUGIENTIBUS IMPETU, &c. Tam effuſa, præcepique fuga, ut equi excuſſis ſoleis, ungulisque ruptis, caderent.

V. 23. MALEDICITE TERRAE MEROZ: vicinis terris, quas Hebræi incolebant. DIXIT ANGELUS DOMINI: ille Angelus ſcilicet, datus a Deo ſanctæ plebi dux, præſeſque: de quo Exod. XXIII. 20. 23. & alibi paſſim: ut intelligant, non a ſe tantum, ſed ab illo Angelo maledictos qui decertantes fratres per ſocordiam deſerant.

V. 24. BENEDICTA INTER MULIERES IAHEL, ab illo quoque Angelo: decebat enim ut qui maledicebat improbis, bonis benediceret: quibus patet a Iahele inſtinctu divino rem geſtam.

V. 30. PULCHERRIMA FEMINARUM ELIGITUR EI: more regum Barbarorum, immo & Græcorum, quibus id victoriæ præmium. Vide autem, quam a certa victoriæ ſpe deiecti ſint, quæ ut ſuperiora a verſu fere 17. huius Cantici plana ſunt; ſed eiuſmodi, ut clariſſimorum apud Græcos, & Latinos ingeniorum ornatum & copiam facile exſuperent: ut eloquia divina ne has quidem delicias deſiderare nos ſinant.

* Hanc nos in I. Pſalm. Tomum remittimus.

CA-

CAPUT VI.

Iſraelitis a Madian oppreſſis Gedeon multis ſignis auxilio deſignatur, qui poſt ſacrificium & altare Deo erectum deſtruxit aram Baal, eique rurſum datur ſignum in vellere.

1. FEcerunt autem filii Iſrael malum in conſpectu Domini: qui
tradidit illos in manu Madian ſeptem annis, 2. & oppreſſi
ſunt valde ab eis. Feceruntque ſibi antra & ſpeluncas in
montibus, & munitiſſima ad repugnandum loca. 3. Cum-
que ſeviſſet Iſrael, aſcendebat Madian & Amalec, ceterique
orientalium nationum: 4. & apud eos figentes tentoria, ſic-
ut erant in herbis cuncta vaſtabant uſque ad introitum Ga-
zæ: nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Iſrael, non oves, non
boves, non aſinos. 5. Ipſi enim & univerſi greges eorum veniebant cum taber-
naculis ſuis, & inſtar locuſtarum univerſa complebant, innumera multitudo ho-
minum, & camelorum, quidquid tetigerant devaſtantes. 6. Humiliatuſque eſt
Iſrael valde in conſpectu Madian. 7. Et clamavit ad Dominum poſtulans auxi-
lium contra Madianitas. 8. Qui miſit ad eos virum Prophetam, & locutus eſt: Hæc
dicit Dominus Deus Iſrael: Ego vos feci conſcendere de AEgypto, & eduxi vos
de domo ſervitutis, 9. & liberavi de manu AEgyptiorum, & omnium inimi-
corum, qui affligebant vos: eiecique eos ad introitum veſtrum, & tradidi vo-
bis terram eorum. 10. Et dixi: Ego Dominus Deus veſter, ne timeatis deos
Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Et noluiſtis audire vocem meam.
11. Venit autem Angelus Domini, & ſedit ſub quercu, quæ erat in Ephra, &
pertinebat ad Ioas patrem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius eius excuteret at-
que purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian, 12. apparuit ei Angelus
Domini, & ait: Dominus tecum, virorum fortiſſime. 13. Dixitque ei Gedeon:
Obſecro, mi domine, ſi Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc
omnia? ubi ſunt mirabilia eius, quæ narraverunt patres noſtri, atque dixerunt:
De AEgypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, &
tradidit in manu Madian. 14. Reſpexitque ad eum Dominus, & ait: (a) Vade
in hac fortitudine tua, & liberabis Iſrael de manu Madian: ſcito quod miſerim
te. 15. Qui reſpondens ait: Obſecro, mi domine, in quo liberabo Iſrael? ec-
ce familia mea infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei.
16. Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum: & percuties Madian quaſi unum vi-
rum. 17. Et ille, Si inveni, inquit, gratiam coram te, da mihi ſignum quod
tu ſis qui loqueris ad me. 18. † Nec recedas hinc, donec revertar ad te, por-
tans ſacrificium, & offerens tibi. Qui reſpondit: Ego præſtolabor adventum
tuum. 19. Ingreſſus eſt itaque Gedeon, & coxit hædum, & de farinæ modio
azymos panes: carneſque ponens in caniſtro, & ius carnium mittens in ollam,
tulit omnia ſub quercu, & obtulit ei. 20. Cui dixit Angelus Domini: Tolle
carnes & azymos panes, & pone ſupra petram illam, & ius deſuper funde. Cum-
que feciſſet ita, 21. extendit Angelus Domini ſummitatem virgæ quam tenebat

in

Digitized by Google

in manu, & tetigit carnes & panes azymos: aſcenditque ignis de petra, & carnes azymoſque panes conſumpſit: Angelus autem Domini evanuit ex oculis eius. 22. Videnſque Gedeon quod eſſet Angelus Domini, ait: Heu mi Domine Deus: quia vidi Angelum Domini facie ad faciem. 23. Dixitque ei Dominus: Pax tecum: ne timeas, non morieris. 24. AEdificavit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud, Domini pax, uſque in præſentem diem. Cumque adhuc eſſet in Ephra, quæ eſt familiæ Ezri, 25. nocte illa dixit Dominus ad eum: Tolle taurum patris tui, & alterum taurum annorum ſeptem, deſtrueſque aram Baal, quæ eſt patris tui: & nemus, quod circa aram eſt, ſuccide: 26. & ædificabis altare Domino Deo tuo in ſummitate petræ huius, ſuper quam ante ſacrificium poſuiſti: tolleſque taurum ſecundum, & offeres holocauſtum ſuper ſtruem lignorum, quæ de nemore ſucciderís. 27. Aſſumptis ergo Gedeon decem viris de ſervis ſuis, fecit ſicut præceperat ei Dominus. Timens autem domum patris ſui, & homines illius civitatis, per diem noluit id facere, ſed omnia nocte complevit. 28. Cumque ſurrexiſſent viri oppidi eius mane, viderunt deſtructam aram Baal, lucumque ſucciſum, & taurum alterum impoſitum ſuper altare, quod tunc ædificatum erat. 29 Dixeruntque ad invicem: Quis hoc fecit? Cumque perquirerent auctorem facti, dictum eſt: Gedeon filius Ioas fecit hæc omnia. 30. Et dixerunt ad Ioas: Produc filium tuum huc, ut moriatur: quia deſtruxit aram Baal, & ſuccidit nemus. 31. Quibus ille reſpondit: Numquid ultores eſtis Baal, ut pugnetis pro eo? qui adverſarius eſt eius, moriatur antequam lux craſtina veniat: ſi Deus eſt, vindicet ſe de eo qui ſuffodit aram eius. 32. Ex illo die vocatus eſt Gedeon, Ierobaal, eo quod dixiſſet Ioas: Ulciſcatur ſe de eo Baal, *qui ſuffodit aram eius. 33. Igitur omnis Madian, & Amalec, & orientales populi congregati ſunt ſimul: & tranſeuntes Iordanem, caſtrametati ſunt in valle Iezrael. 34. Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina convocavit domum Abiezer, ut ſequeretur ſe. 35. Miſitque nuntios in univerſum Manaſſen, qui & ipſe ſecutus eſt eum: & alios nuntios in Aſer & Zabulon & Nephthali, qui occurrerunt ei. 36. Dixitque Gedeon ad Deum: Si ſalvum facis per manum meam Iſrael, ſicut locutus es, 37. ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quod per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſrael. 38. Factumque eſt ita. Et de nocte conſurgens, expreſſo vellere, concham rore implevit. 39. Dixitque rurſus ad Deum: Ne iraſcatur furor tuus contra me ſi adhuc ſemel tentavero, ſignum quærens in vellere. Oro ut ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens. 40. Fecitque Deus nocte illa ut poſtulaverat: & fuit ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni terra.

(*) I. Reg. xii. 11.

BRUGENSIS

Romana Correctio.

V. 32. *Qui ſuffodit aram eius.* Antiqui libri ſcribunt compoſitum *ſuffodit*, pro eo quod alii ſimplici *fodit*.

Lectionum Varietas.

V. 18. *Nec recedas hinc.* Manuſcripta noſtra rectius ſcribere videntur *ne* abſque coniunctione, quam *nec* includit.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 4. APUD EOS. Hebr. & LXX. *contra eos*. SICUT ERANT IN HERBIS. Hebr. & Chald. *fructus terræ*. AD VITAM PERTINENS; quaſi dicat, victum.

V. 8. PROPHETAM, id eſt Phineam filium Eleazari ſecundum Hebræos.

V. 11. TORCULARI, id eſt loco ubi erat torcular.

V. 14. DOMINUS, id eſt Angelus Domini. SCITO; quaſi dicat: Ne dubita, vel tunc ſcies, te a Deo mitti. Hebr. ſenſus eſt, Ego te mitto.

V. 15. FAMILIA MEA. Hebr. *millenarium meum*, ſeu *chilias mea*: ſic ſcilicet vocant familiam, ob multitudinem. Id quod nota ad illud Mich. v. *In millibus Iuda*.

V. 16. QUASI UNUM; id eſt, ac ſi unus eſſet ſolus, vel omnes ad unum.

V. 17. SIS, ſcilicet Dei Angelus, vel Propheta.

V. 18. TIBI. Hebr. Chald. & LXX. *coram te*. Auguſtinus notat, non dixiſſe *tibi*, Vide quæſt. XXXVI. in Iudic. ubi etiam notat obtuliſſe ſacrificium extra tabernaculum de conſilio Angeli, quem Prophetam putabat. Aug. Vide ſup.

V. 19. MODIO. Hebr. *epha*. ET OBTULIT EI. Hebr. & Chald. *ad eum, & obtulit*.

V. 21. EVANUIT. Hebr. *abiit*, ſeu *diſceſſit*.

V. 22. HEU MI; quaſi dicat: Actum eſt de me. Hebr. *Ah*, *ah*, quod alias vertit, *A*, *a*, *a*.

V. 23. DOMINUS, id eſt Angelus Domini, ſcilicet diſcedens.

V. 24. PAX, ſcilicet eſt; quaſi dicat: Eſt auctor pacis, ſeu ſalutis. Alii vertunt, *Dominus pacis*. CUMQUE ADHUC, &c. Hebr. & Chald. *adhuc eſt illud altare in Ephra*, &c.

V. 25. TAURUM PATRIS, ſcilicet erat paratus ad ſacrificium idolorum. Iubet ergo Deus ex eo loco tolli.

V. 31. QUI ADVERSARIUS, &c. verba ſunt illorum. Hebr. & Chald. *Qui litigaverit pro eo*, ſcilicet Baal; quaſi dicat, eius cauſa, ſeu contra eum, vel in eius defenſionem, ut ſint verba Ioas.

V. 32. IEROBAAL, id eſt *impugnans Baal*, ſeu *litigans cum Baal*. Nota, quod in hoc verſu nulla eſt mentio Gedeonis, aut Ioas, Hebr. Chald. aut in LXX.

V. 36. DOMUM ABIEZER, ſcilicet cognatos ſuos.

V. 38. DE NOCTE. Hebr. & LXX. *mane*, ſeu *diluculo*. CONCHAM. Chald. *lagenam*: alii *phialam*.

ESTII.

Verſ. 18. NEC RECEDAS HINC, DONEC REVERTAR AD TE, PORTANS SACRIFICIUM, ET OFFERENS TIBI. Pro eo quod habemus, *Offerens tibi*, Hebr. eſt, *Ponamus ante te*. Unde non eſt putandum, Gedeonem voluiſſe Angelo offerre ſacrificium, quod non licet offerre niſi uni Deo; immo & Gedeon ne quidem ſciebat eſſe Angelum, ſed cum eo loquebatur tamquam cum homine. Et ideo voluit experiri per ſignum aliquod in offerendo ſacrificio, utrum ille qui ſibi loquebatur, & bene precatus erat, vere eſſet a Deo miſſus. Qua in re Gedeon non peccavit. Sed de eo magis moveri poteſt quæſtio, quomodo non in eo peccaverit quod auſus eſt ſacrificium offerre extra eum locum qui a Deo deſignatus erat, hoc eſt extra Silo, ubi erat tabernaculum? Reſpondet divus Auguſtinus, eum id non feciſſe proprio inſtinctu, ſed approbante eo quem initio Prophetam eſſe putabat, poſtea autem Angelum Domini eſſe intellexit. Immo non tam ipſe Gedeon, quam Angelus in offerendo ſacrificio miniſter fuit, qui excuſſo igne de petra, ſacrificium incendit. Quare hac in re Dei auctoritatem Gedeon ſecutus eſt. Et eadem excuſatio eſt, quod voluit offerre ipſe non ſacerdos.

V. 36. & 37. SI SALVUM FACIS PER MANUM MEAM ISRAEL....PONAM HOC VELLUS LANAE IN AREA, &c. Quæritur quomodo non peccaverit Gedeon poſt ſufficientem revelationem de vi-

Digitized by Google

victoria conſequenda ſibi factam, adhuc tentando Dominum? ſic enim ille ipſe paulo poſt loquitur: *Ne iraſcatur furor tuus contra me, ſi adhuc ſemel tentavero ſignum quærens in vellere*. Reſpondeo. Petitio ſigni, ſi procedit ex incredulitate, vel diffidentia de divinis promiſſis, peccatum eſt, & ad infidelitatem pertinet. Sic Iudæi in Evangelio ſigna petiverunt. Si autem procedat ex familiaritate cum Deo, cum deſiderio manifeſtandæ gloriæ Dei, aut etiam diſcutiendi ex animo ſuo omnem occaſionem dubitationis, non eſt peccatum. Hoc modo Ezechias etiam poſt certam prædictionem ſanitatis per Iſaiam Prophetam, adhuc ſignum petit, & impetrat; neque ob id reprehenſus legitur. Atque hoc modo Gedeon petivit ſignum. Et tunc coniunctio illa *ſi*, cauſaliter ponitur, ut ſit ſenſus: Quandoquidem dignaris populum tuum per manum meam liberare, ſeu ſalvum facere, peto ut huic promiſſioni velut ſigillum etiam addas manifeſtum aliquod miraculum. Et quod Gedeon nequaquam infidelitatis alicuius accuſandus ſit, patet ex eo quod Hebr. XI. inter eos numeretur qui per fidem mira patrarunt.

MARIANAE.

Verſ. 2. FECERUNTQUE ANTRA. Hebraica vox מנהרות *minharoth* ſignificat *ſpeluncas cum feneſtra, qua lumen accipitur*; quaſi dicat: Non latebras tantum, ſed domicilia faciebant Iſraelitæ præ metu, ubi viverent, & operarentur propter Madianitas.

V. 4. APUD EOS figebant hoſtes tentoria. Hebr. *ſuper eum*, ſcilicet Iſrael. Tum *ſuper* pro *contra*, ut Chald. ſumit; ſed ſignificat etiam *apud*, ſive *iuxta*, quomodo de Chriſto dicitur: *Sedebat ſic ſupra fontem*, Ioan. IV. verſ. 6. tum alibi, *ſtans ſuper illam*. Corrumpebant ſata, SICUT ERANT IN HERBIS. Hebr. *Fructum terræ vaſtabant*: ſic Chald. NIHILQUE OMNINO AD VITAM PERTINENS RELINQUEBANT. Hebr. *Victum non relinquebant, neque alimenta*.

V. 8. MISIT AD EOS VIRUM PROPHETAM, ſcilicet Deus. Hebræi dicunt, hunc fuiſſe Phinees. Sed qui tamdiu vitam propagavit? Dixitque: Sic ait Deus:

V. 10. EGO DOMINUS DEUS VESTER, ut me colatis. NE TIMEATIS DEOS AMORRHAEORUM, timore reverentiæ, & cultus.

V. 11. SEDIT SUB QUERCU. ſcilicet Angelus: alii *ulmo*, id Hebræi volunt אלה *elah* ſignificare. QUAE... PERTINEBAT AD IOAS PATREM FAMILIAE EZRI. Alii ex duabus vocibus, *patrem familiæ*, unam faciunt *Ioas Abſraitum*. Erat ea una ex familiis tribus Manaſſe, in qua Ioas fortaſſis fuit princeps; idque Hieronymus per vocem *patrem* voluit ſignificare. CUMQUE GEDEON FILIUS EIUS EXCUTERET. Hebraica vox ſignificat *virga frumenta purgare*. Alia mox voce (pro qua Noſter dixit, *purgaret*) ſignificatur quod nos etiam dicimus *triturare*, & cum iumentis fit, aut tribula, nempe דוש *dus*. Sententia in utriſque verbis eadem. IN TORCULARI, id eſt loco ubi torcular erat, non palam in agro, ſed clam, metu Madian. Id ſignificant proxima verba: UT FUGERET MADIAN. Heb. *Ut fugeret a conſpectu Madian*.

V. 14. RESPEXITQUE AD EUM DOMINUS, id eſt Angelus Domini, ſed qui Dei perſonam ſuſtinebat, & quaſi Deus loquebatur. SCITO QUOD MISERIM TE. Hebr. *An non miſi te?* Reſpondet Gedeon:

V. 15. OBSECRO, MI DOMINE. Heb *In me domine*, ſed bene redditur per *obſecro*. FAMILIA MEA. Hebr. *millenarium meum*, ſcilicet in quo domus patris mei numeratur, minimum eſt inter ea quæ ſunt in tribu Manaſſe. Aut *chilias* ſumatur pro *familia* ipſa, ut ſumpſit Hieronymus propter multitudinem, ut Michææ V. *Minima eſt in millibus Iuda*, id eſt in familiis Iuda, aut oppidis. Angelus:

V. 16. PERCUTIES MADIAN QUASI UNUM VIRUM; id eſt, non ſecus ac ſi cum uno ſolo res eſſet, ita vinces omnes. Gedeon:

V. 17. DA MIHI SIGNUM QUOD TU SIS, ſcilicet Dei Angelus. Verum ne *recedas, donec ego revertar ad te*.

V. 18. PORTANS SACRIFICIUM, ET OFFERENS TIBI. Hebr. *Proferam*, ſeu *offeram ſacrificium meum, & ponam ante te*. Quomodo proferendi vox ſignificet *offerre*, dixi Geneſ. XIV. verſ. 18. in ſacrificio Melchiſedech.

V. 19. DE FARINAE MODIO. Hebr.

Et ephi (pro, de ephi) *farinæ coxit azymos panes*. Ephi autem cori decima tres modios continet. Nihilominus:

V. 21. EVANUIT. Hebr. *abiit*.

V. 22. QUIA VIDI ANGELUM DOMINI. Oratio defectiva; ſupple, moriar.

V. 24. DOMINI PAX. Verti etiam poteſt, *Dominus pax*: ipſe eſt auctor ſalutis, non eſt quod metuam.

V. 25. ET ALTERUM TAURUM. Duos tauros ſumpſit, quos dicunt fuiſſe deſtinatos ut Baal mactarentur, neque tamen de primo dicitur quid fuerit factum. Sed videtur utrumque obtuliſſe, tametſi Scriptura ſilet. ANNORUM SEPTEM. Quidam tot annis ſaginatum putant; alii ad ortum, & ætatem tauri referunt eos annos.

V. 26. PETRAE HUIUS, SUPER QUAM ANTE SACRIFICIUM POSUISTI. Hebr. *petræ huius in ordine*, id eſt competenter, *diſpoſitis omnibus neceſſariis*, hoc eſt altari facto, lignis compoſitis, ſuppoſito igne. Hieronymus ad prius ſacrificium, ordinem de quo loquitur, retulit: ſcilicet in qua petra prius ſacrificium ordinaſti. Da filium, dicunt oppidani, qui aram Baal deſtruxit.

V. 31. QUI ADVERSARIUS EST EIUS. Dialogiſmus videtur: & hæc verba ſunt quærentium Gedeon ad cædem. Et illa verba, SI DEUS EST, verba ſunt Ioas patris Gedeon: Ex eo die

V. 32. IEROBAAL, id eſt *impugnans Baal*, ſeu *litigans cum Baal*, vocatus eſt Gedeon. Ille ad bellum vocat,

V. 34. DOMUM ABIEZER. Vides eſſe nomen familiæ, ut diximus verſ. 11. de qua erant Ioas, & Gedeon; ideo primos eos ad bellum vocat.

V. 35. MISITQUE ALIOS NUNTIOS IN ASER, ſcilicet Gedeon. Sic lege, non *Azer*, ſcilicet ad eam tribum, ut eſt Heb. & in Rom. ſic Sept.

V. 38. DE NOCTE CONSURGENS. Hebr. *mane ſurrexit*. CONCHAM. *Phialam* potius ſignificat ספל *ſephel*, ut cap. v. verſ. 25. vertit ipſemet Hieronymus: quæ varietas in Sept. etiam iis locis invenitur. Sed parum refert.

MALVENDAE.

Verſ. 2. ANTRA. מנהרות *minharoth* nullibi alibi invenitur: plerique *antra*, *ſpeluncas*, *ſpecus*, reddunt: ſic dictas a feneſtris, ſeu foraminibus, per quæ quaſi per infundibulum in eas lumen influit; vel quod in eas non niſi uno ore, aditu lumen influat. Alii p r antiphraſim, quod careant influentia luminis, quaſi minime lucidæ. Nonnulli, quod in eas confluere ſoleant homines ob timorem hoſtium. Quidam, *fluviorum*, vel *fontium ductus per cavernas* montium exponunt. Ego proprie *confluentias* dixi, id eſt confluxus aquarum, ad ferendum in montibus, quia planis & campeſtribus arcebantus, e ſequente verſu. Forte haud abſurde *confluentias*, *bordas*, id eſt congregationes hominum incertis ſedibus vagantium. SPELUNCAS. מערות *megharoth*, quidam hic *ſiros* reddunt, id eſt ſubterraneas ſcrobes condendis frugibus; quas Hiſpani *ſilos*, vel *ſichas* vocamus. MUNITISSIMA AD REPUGNANDUM LOCA. מצדות *metzadoth* aiunt eſſe loca natura, vel arte munita, in quæ tempore venationis, id eſt perſecutionis, homines profugi ſeſe recipere ſolent; ut in Iudæa plerumque fuerunt cavernæ in rupibus. *Receptus*, *munitiones*, *arces*, *propugnacula*, *præſidia*, conſentiente voce, forſan erunt hic, quas Hiſpanice *mazadas* appellamus.

V. 3. CETERIQUE ORIENTALIUM NATIONUM. Hebr. *& filii orientis*. De his vide Geneſ. xv. verſ. 19.

V. 4. ET APUD EOS FIGENTES TENTORIA. Nonnulli exponunt: Id eſt ſingulis annis; ut & ſeptimo anno facere inceeperant, infra verſ. 33. Simili ſtratagemate uſus eſt Alyattes Lydorum rex adverſus Mileſios, quod Herodotus Lib. I. numer. 17. ita narrat: *Bello, quod geſſit cum Mileſiis, hac ratione Miletum illuc tranſgreſſus obſidebat. Dum fruges in regione erant adultæ, tunc exercitum immittebat procedens in expeditionem ad cantum fiſtularum, fidiumque, ac tibiæ tam muliebris, quam virilis. Cumque in agrum Mileſium pervenerat, non ædificia, quæ in agris erant, diruere, non incendere, non fores effringere, ſed incolumes eſſe paſſim ſinere: arboribus modo, fructibuſque regionis pervaſtatis, rurſus ſe recipiebat.*

4 Edi-

Ædificia autem idcirco Lydus non excidebat, ut & Mileſii habentes unde procederent, humum ſererent, colerentque: & cum hoc illi feciſſent, ipſe cum exercitu ingreſſus haberet aliquid quod popularetur. Hæc faciens undecim oppugnavit annis. USQUE AD INTROITUM GAZAE; id eſt, uſque ad extremos fines terræ Chanahan; quaſi dicat: Totam terram Iſraelitarum vaſtabant.

V. 8. VIRUM PROPHETAM. Hebræorum nonnulli putant hunc fuiſſe Phinees ſacerdotem; cui longæviſſimam vitam tribuunt. Plerique alii, verum quempiam Prophetam, cuius nomen, genus, conditionem, patriam, Scriptura reticet, ut ſupra cap. II. verſ. I. & I. Reg. XIII. verſ. I.

V. II. ANGELUS DOMINI. Nonnulli volunt hunc fuiſſe æternum Dei Filium in humana forma ad tempus aſſumpta: qui infra verſ. 14. vocatur IHUH, & verſ. 15. *Adonai*. Alii tamen unum ex angelicis ſpiritibus. IN EPHRA. Hebr. *In* עפרה *Ghophrah*. Erat patria Gedeonis, infra verſ. 24. & cap. VIII. verſ. 32. Quidam hanc eamdem putant cum illa Ghophrah Beniaminitica Ioſue XVIII. verſ. 23. quam volunt poſtea ceſſiſſe Manaſſitis, ex qua ortus ſit Gedeon Manaſſenſis. Alii diverſam ſtatuunt illam Beniaminiticam ab hac Manaſſenſi. *Pulverulentam* ſonat. GEDEON. Hebr. גדעון *ghidgon* ſignificat *ſucciſorem, exciſorem, militem, imperatorem*. IN TORCULARI. Quidam, quod torcular non videatur aptus locus excutiendis & purgandis triticis, reddunt, *Iuxta torcular*. Alii vocem גת *gath* exponunt, *in quadam areola*, ſive *in parva area*, quantum torculari capiendo ſatis eſt: quo ſenſu accipi hic a Rabbi Iehuda Hebræorum ſcriptorum antiquiſſimo notant. UT FUGERET MADIAN. Hebr. *Ad fugere facere a facie Midian*. Riſus eſt, ut hunc locum exponunt Hebræi. Senſus eſt: Occulte purgabat triticum, ut illud ſubtraheret oculis Madianitarum, ne illud raperent, vel ut illud fugere faceret, ſervaret, ſubduceret ab irruentibus Madianitis: aut ut occultaret illud, & falleret Madianitas. Quidam reddunt: *Ut abſconderet a Madianitis*. Alii: *Ut fugiens deportaret a conſpectu Madianitarum*.

V. 12. VIRORUM FORTISSIME. Hebr. in eumdem ſenſum pluriſariam convertunt: 1. *Vir fortis*; 2. *Potens virtute*; 3. *Vir fortitudinis*; 4. *Prepotens belli*, id eſt *bellipotens*; 5. *Valentiſſime robore*; 6. *Heros, vir heroice, ſucceſſus*; 7. *Prævalide exercitus*; 8. *Gigas virtutis*. Hiſpanice exponunt, *Barragan de valentia*: alii, *Valiente de fuerça*.

V. 14. RESPEXITQUE AD EUM. Hebr. *Et vertit faciem ad eum*. Videtur Angelus, maieſtatis, & religionis ergo, faciem averſam, aut tranſverſam a Gedeone habuiſſe. Alii: *Blande & ſuaviter reſpexit eum*. Quidam: *Et convertit ſe ad eum*. IN HAC FORTITUDINE TUA, qua te valentiſſimum robore vocans, donavi, & me tecum futurum promiſi, ſupra verſ. 12. SCITO QUOD MISERIM TE. Heb. *An non miſi te?* Aſſeverantiſſima Hebraica affirmatio. Vide ſupra cap. IV. verſ. 14.

V. 15. IN QUO LIBERABO ISRAEL? Notant, non diffidentis, ſed conſulentis verba iſta eſſe; quaſi dicat: Non dubito futurum quod promittitur, ſed modum quæro illius efficiendi. ECCE FAMILIA MEA INFIMA EST. אלפי *alpi* varie convertunt. I. *Ecce pater meus pauper eſt*. אלף *eleph*, *patrem* interpretantur, quod אלוף *alluph* ſit *doctor*; & pater ſit dux ac doctor filiorum ac totius familiæ. II. *Ecce mille meum, millenarium meum, chilias mea, tenuis eſt*. Per ſingulas tribus populus in chiliadas diſtribuebatur, unde paſſim in Scriptura reperies appellatos *capita*, vel principes millium, id eſt chiliarchos, ut Exodi XVIII. verſ. 21. & Numer. I. verſ. 16. & alias; quaſi dicat: Chilias mea inter Manaſſes tenuiſſima eſt: chilias mea in qua ego & familia mea ſumus, eſt debiliſſima omnium chiliadum quæ ſunt in Manaſſe. III. *Ecce dux meus pauperimus eſt inter Manaſſitas*; id eſt, præfecturæ, in qua ſum, tenues ſunt vires. ET EGO MINIMUS. צעיר *tzaghir*, *parvus*, *minor*, *exiguus*, & poteſt eſſe ætatis, & qualitatis. Hiſpanicum *çaguero*, id eſt poſtremus, ex Hebraico *tzaghir* defluiſſe putamus.

V. 16. EGO ERO TECUM. Vide ſupra verſ. 12. & Exodi III. veſ. 12. QUASI UNUM VIRUM, id eſt facillime, ac ſi tibi cum uno negotium eſſet. Obſervant, hæc omnia ſic accepiſſe Gedeonem, tamquam ſi a Propheta homine, ſed Dei verbis dicerentur: quamobrem cibum ei exhibe-

hibere voluiſſe, verſ. 17. & 18. & Scripturam poſt, verſ. 22. dicere: *Animadvertens Gvidghon Angelum Iehovæ eum eſſe*: donec ſigno plane divino confirmatus eſſet. Eſſe igitur hæc non diffidentis viri, ſed probantis, atque explorantis ad veræ fidei conſtitutionem confirmationemque in ſe ipſo. Sic Menoach infra cap. XIII. verſ. 15.

V. 17. DA MIHI SIGNUM QUOD TU SIS QUI LOQUERIS AD ME. Quidam reddunt: *Fac mihi ſignum quod tu loquaris mecum*; id eſt, edito ſigno aliquo, oſtende quod tu loquaris mecum ex parte Dei, vel verbis Dei: vel ſigno aliquo demoſtra te a Deo miſſum. Alii: *Fac ſignum aliquod per quod cognoſcam quod tu vere ſis nuntius Dei*: ſigno aliquo conſigna tuum apoſtolatum: oſtende ſignum divinæ tuæ miſſionis. Nonnulli: *Edes igitur mihi ſignum te illum eſſe qui loqueris mecum*. Nimirum neſciebat eſſe illum æternum Dei Filium, vel Angelum Dei, ſed Prophetam Dei; & hoc ſigno aliquo oſtendi cupiebat.

V. 18. PORTANS SACRIFICIUM. מנחה *mincah*, *munus honorificum*, *donarium*, *oblationem*. Aliqui verum ſacrificium intelligunt, quod ad præſentiam viri Prophetæ, ut rebatur, voluerit Gedeon Deo offere. Alii munus tantum cibarium putant, quo virum illum Dei voluerit excipere; quaſi dicat: Donec propoſuerim tibi cibum unde veſcaris, ut tum demum me ſigno inſtruas. Sed Angelus illud vertit in ſacrificium, verſ. 20. & 21.

V. 19. HAEDUM. Hebr. *hædum caprarum*, id eſt tenerum, lactentem, adhuc ſub ubere, & cura matris. ET OBTULIT. Hebr. *Et accedere*, *appropinquare fecit*. Quidam: *Et admovit*; id eſt, exhibuit unde veſceretur.

V. 20. ET IUS DESUPER FUNDE. Explicant: Videlicet in petram illam, ut madeat. Sic enim luculentius fuit miraculum; ut I. Regum XVIII. verſ. 34. & II. Machabæor. I. verſ. 21. 22. 31. 32. nam quamvis materia eſſet pinguior, aquoſa tamen erat, & frigida. Vel e veteri ritu, quo ungebantur altaria, Geneſ. XXVIII. 18. & Exodi XL. verſ. 9. & 10. ſeu, ut alii volunt, loco libaminis.

V. 22. HEU MI, DOMINE DEUS, QUIA VIDI, &c. Notant eſſe interiectionem, exitium ſibi metuentis ex conſpectu Iehovæ, ſeu Angeli, & repente perculſi terrore ex infirmitate carnis ſuæ; quaſi dicat: Heu me, quia actum eſt de me; ſtatim moriar, eo quod Angelum in os viderim. Hæc enim vetus opinio apud Hebræos invaluerat, ut qui Deum, vel Angelum vidiſſet, ſtatim eſſet moriturus. Vide Geneſ. XVI. verſ. 13. & cap. XXXII. verſ. 30. & infra cap. XIII. verſ. 22.

V. 23. DIXITQUE EI DOMINUS: ſcilicet abiens hanc vocem protulit.

V. 24. VOCAVITQUE ILLUD, DOMINI PAX. Hebr. *Et vocavit*, ſeu *nomen impoſuit ei*, יהוה שלום IHUH *ſcalom*, id eſt *Dominus pax*, vel *Domini pax*; quaſi dicat: IHUH eſt *pax*, *ſalus*, *integritas*, *felicitas*, *incolumitas*. Quidam reddunt: *Cum proclamaviſſet ipſi Iehovah pacem*; id eſt, cum eum & de communi Iſraelitarum ſalute, & de particulari ipſius (nam ex conſpectu Iehovæ trepidabat, ſuæque vitæ diffidebat) confirmaſſet. Unde illud, *Et vocavit ei Iehovah ſchalom*, exponunt: Et Iehova proclamavit ei, Ghidghoni, pacem. Quam interpretationem germanam eſſe, clamitare aiunt diſtinctiones, ſeu accentus Hebraicos. Ego non prorſus reſpuerim explanationem; ſed ridiculum eſt eam ex accentibus Hebraicis conſtituere.

V. 25. NOCTE ILLA DIXIT DOMINUS AD EUM, &c. Quod verſu præcedente de ædificatione altaris ſummatim perſtrinxerat, iam hoc verſu, & ſequentibus qualiter actum fuerit, diſtinctius & explicatius per partes exponit: ne arbitremur duo altaria conſtruxiſſe Gedehonem, unum nutu ſuo, quod ei non licebat, aliud iuſſu Dei. TAURUM. Hebr. *iuvencum tauri*, vel *iuvencum taurum*. Exponunt: Id eſt iuvencum illum inſignem iam grandem & adultum. Nam ut Scriptura פר בקר *par bakar*, *iuvencum bovis*, ſolet appellare iuvencum ſubrumum, tenerum, lactentem, adhuc iuvenem, nec dum adultum, quaſi adhuc ſub cura matris poſitum; ita hic vocat *iuvencum tauri*, id eſt adultiorem, & robuſtiorem. ET ALTERUM TAURUM. Hebr. *& iuvencum ſecundum*, id eſt alium, alterum iuvencum. Aliqui exponunt, *ſecundum*; ſubaudi, ab illo; hoc eſt, ſecundæ notæ, non ita magnum, nec conferendum cum primo. Quidam coniunctionem *&*, pro id eſt

ca-

capiunt, redduntque, *nempe iuvencum illum ſecundum*; id eſt, qui in bubili, ordine ſecundus eſt. *Secundum*, id eſt ſecundi ordinis, & ex eorum numero qui in armento ſecundas tenerent. Unde plerique hic duos iuvencos oblatos in ſacrificium volunt. Alii nonnulli unum, eum videlicet qui in armento ordine ſecundus erat: qui ſenſus e verſ. 26. & 28. firmatur. ANNORUM SEPTEM, ſive *ſeptennem*; id eſt, eodem anno natum quo Madianitarum cœperat tyrannis: tot annos habentem, quot Iſraelitæ a Madianitis opprimebantur. Chaldæus: *Qui eſt impugnatus ſeptem annis*. Hebræi: *Qui ſegregatus fuerat ſeptem annis, ut idolo offerretur*. Sic, inquiunt, moris fuiſſe.

V. 26. IN SUMMITATE PETRAE HUIUS. Hebr. *ſuper caput, verticem, obfirmationis iſtius*. מעוז *maghoz*, interpretantur *robur, fortitudinem, arcem, munitionem*; locum natura, vel arte munitum, obfirmatum, in quem homines ſe tempore perſecutionis recipiunt, & ſe ab hoſte tutos eſſe ſperant. Quidam notant, quæ hic dicitur *maghoz*, *munitio*, ſupra verſ. 20. dici סלע *ſelagh*, *rupem*, *ſaxum*; & verſ. 21. צור *tzur*, *petram*: quod calamitoſo illo tempore in eiuſmodi loca tamquam in arces, & munitiones Iſraelitæ ſe recipiebant, ut ſupra verſ. 2. SUPER QUAM ANTE SACRIFICIUM POSUISTI. במערכה *bamnagharachah*, quidam reddunt *in planitie*, id eſt in loco æquabili, & plano, qui eſt ad libellam adæquatus in cacumine arcis, ut illic poſſis ex ordine componere lapides ex quibus extruas altare. Alii, *cum ſtrue*, ſcilicet lignorum, de quibus in fine verſus. Nonnulli, *in loco apto*. Aliqui, *in ordine, ordinatione, diſpoſitione*; hoc eſt, ordinate, rite, legitime, iuxta ordinationem & præſcriptum legis Moſis, diſpoſitum, & concinnatum.

V. 30. PRODUC FILIUM TUUM HUC, UT MORIATUR. Hebr. in præterito, *Et mortuus fuit*. Emphatica locutio Hebraica, indignationem continens; id eſt, cum primum eum eduxeris, interficietur: cum primum exierit, habe pro mortuo, reputa mortuum, momento non differetur eius mors. Sic loqui ſolet Scriptura interdum pathetice, ad ſummam rei certitudinem explicandam: quod non ſemel alibi obſervavimus.

V. 31. QUIBUS ILLE RESPONDIT. Notant, Ioas recte de voluntate Dei inſtructum, tribus argumentis reſpondere concivibus ſuis. Primum, ab audacia eorum qui præter vocationem vindices Bahalis eſſe volebant, & contra voluntatem Dei veniebant; ſecundo, a metu ſupplicii divini, quem illis iniicit; tertio, ab officio ipſius Bahalis, per conceſſionem ironicam: *Si Deus eſt, contendat in eum*, &c. NUMQUID ULTORES ESTIS BAHAL? Hebr. *Numquid vos litigabitis* pro *Bahal*? Quidam: *Numquid vos agetis cauſam Bahal*? ſic mox. QUI ADVERSARIUS EST EIUS, MORIATUR. Hebr. reddi poſſunt: *Qui contenderit in eum*, vel *contra eum*. Et hunc ſenſum ſecutus eſt Noſter: iuxta quem impius videtur Ioas. Alii: *Qui litigaverit pro eo*, in gratiam eius: qui cauſam eius egerit, qui patrocinium, defenſionemve eius ſuſceperit: *morti tradetur*. Quem ſenſum plerique amplectuntur: ſecundum quem Ioas intrepide pietatem profitetur. ANTEQUAM LUX CRASTINA VENIAT. Egregie expreſſit Hebraiſmum, *Uſque ad mane*. Quidam exponunt: *Uſque mane*, id eſt craſtina die mane; quaſi dicat: Interficietur, ſed non ante diem craſtinum. Alii: *Antequam illuceſcat*; *ante mane*. Hiſpanice: *Antes de maňana*, id eſt hodie. Nonnulli: *Dum eſt hoc mane*; ſive *hoc ipſo mane*.

V. 32. VOCATUS EST. Hebr. *Et vocavit eum*: ſcilicet vocans, vel is qui ei nomen impoſuit. Quidam: *Et vocavit eum*, ſcilicet pater filium Gedeonem, non convitii, ſed monumenti cauſa. Verum Noſter recte convertit notiſſimum Hebraiſmum, quo tertia perſona verbi activa, paſſive, ſive imperſonaliter ſumi plerumque ſolet: *Et vocabitur*, pro vocatus eſt. IEROBAAL. Hebr. ירבעל *Ierubbaghal*; quaſi dicas, *Litigatorem, diſceptatorem, iurgatorem, rixatorem, dimicatorem, vindicem, ultorem Bahalis*: quod nimirum cum Bahale contenderit, litigaverit, dimicaverit, eiuſque aram & ſacra diſiecerit. Qui quoque eodem ferme nominis ſignificato appellatus fuit *Ierubbeſeth*, II. Samuel. XI. verſ. 21. cuius nominis notionem ibidem elucidabimus.

V. 33. CONGREGATI SUNT SIMUL, nimirum anno ſeptimo eius calamitatis. ET TRANSEUNTES IORDANEM. Hebr. non eſt, *Iordanem*; ſed tantum, *Et trans-*

Digitized by Google

tranſierunt , proculdubio Iordanem . CASTRAMETATI SUNT: ut quotannis facere conſueverant, ad depopulandas fruges, & abigenda pecora & armenta Iſraelitarum . Vide ſupra verſ. 4. & infra cap. VII. verſ. 12. idem repetitur. Ioſephus: *Cumque idem per continuos ſeptem annos facerent.* IN VALLE ISRAEL. Vide quæ de hac valle annotavimus in Ioſue XVII. verſ. 16

V. 34. SPIRITUS AUTEM DOMINI INDUIT GEDEON. Quidam explicant: Id eſt, inſtruxit eum voluntate, & facultate ad hanc expeditionem pertinente, tamquam armis convenientiſſimis: metaphora frequens, ut Lucæ XXIV. verſ. 49. Romanor. XIII. verſ. 14. Galat. III. verſ. 27. Ceterum *induendi* verbum Hebræis copiam & ubertatem alicuius rei cum externis, & perſpicuis ſignis denotare ſolet, ut Pſalm. XXXIV. verſ. 26. Pſalm. LXIV. verſ. 14. Pſalm. XCII. verſ. 1. Pſalm. CXXXI. verſ. 9. Iob XXIX. verſ. 14. Iſaiæ XV. verſ. 9. Hic ſane ſummam vim & impulſum divini ſpiritus, quo perfuſus fuit Gedeon , deſignat . Sic de Othoniele ſupra cap. III. verſ. 10. Hiſpanice dicemus: *Y el ſpiritu de Iehovah enviſtio a Gedeon.*

V. 35. QUI OCCURRERUNT EI, ſcilicet Gedeoni . Hebr. pluraliter: *Et aſcenderunt in occurſum eorum*, nempe Abiezeritarum, & Manaſſenſium, ut ſe illis iungerent, qui iam congregati erant.

V. 36. DIXITQUE GEDEON AD DEUM. Aliqui per præteritum pluſquam perſectum reddunt: *Dixerat autem Gidhon Deo*: nempe cum hoſtes congregati regionem infeſtarent, & ipſe popularium ſuorum liberationem moliens exploraret vocationem ſuam, expeteretque de ea amplius confirmari: quemadmodum provehitur gradibus ſuis ſanctorum fides.

MENOCHII.

Verſ. 1. IN MANU MADIAN. Madianitæ erant ex Cethura uxore, ſed non per promiſſionum hæredem Iſaac: Geneſ. XXV. 2. SEPTEM ANNIS. Brevior populi afflictio quam narratur ſuperioribus capitibus; niſi dicamus temporis brevitatem compenſatam pœnæ, ac ſervitutis acerbitate : ſtatim enim additur : *Et oppreſſi ſunt valde ab eis.*

V. 3. AMALEC. Amalecitæ erant ex poſteris Iſaac, ſed per Eſau, Gen. XXXVI. 2. CETERIQUE ORIENTALIUM NATIONUM: qui ad orientem terræ ſanctæ habitabant.

V. 4. USQUE AD INTROITUM GAZAE, quæ eſt ultima ora regionis illius ad mare mediterraneum , quod occidentale terræ ſanctæ littus alluit.

V. 8. VIRUM PROPHETAM, cuius nomen non exprimitur. Fuit autem, vel quo ad vocationem , quaſi perpetuam , Propheta; vel ad breve iſtud tempus, quo populum admonebat: primum videtur verius, quia huiuſmodi Prophetarum maior eſt auctoritas. Huius autem Prophetæ oratio convenit cum ea quæ ſupra habetur cap. II. verſ. 1. 2. 3.

V. 11. VENIT ANGELUS DOMINI, fortaſſe ille idem quem dicebamus capite ſuperiore num. 23. ſcilicet Michael Iſraelitici populi præſes , & defenſor . SUB QUERCU. LXX. *ſub terebintho.* QUAE ERAT IN EPHRA. Duplex Ephra , altera in tribu Beniamin, Ioſue XVIII. 23. altera hæc in Manaſſe. Nomen a pulvere ductum, quem Hebræi עפר dicunt. PATREM FAMILIAE EZRI, caput familiæ Ezri. EXCUTERET FRUMENTA. LXX. habent, *Virga excuteret.* IN TORCULARI, in loco torcularis, ubi erat torcular . UT FUGERET MADIAN. Ut triticum illud Màdianitarum manus effugeret, qui non ita facile ſuſpicarentur in torculari eſſe aliquid prædæ cum nondum eſſent vindemiæ. Vel ut ipſe cum tritico fugeret.

V. 13. SI DOMINUS NOBISCUM EST, &c. Non ſunt hæc verba negantis, aut repugnantis, aut de divina bonitate dubitantis, aut expoſtulantis, ſed tantum de orationis ab Angelo (quem viatorem, ſanctumque hominem putabat) veritate, & intelligentia ambigentis.

V. 14. RESPEXIT, non oculis tantum corporis, quod aſſumpſerat, ſed multo magis amicæ voluntatis, & beneficæ potentiæ. DOMINUS: Angelus Domini legatus, ac proinde Dominum referens , licet nondum agnoſceretur a Gedeone . VADE IN HAC FORTITUDINE TUA, qua præditus es, & qua nunc auctus divino beneficio.

V. 15. IN QUO LIBERABO ISRAEL? Qualis ego ſum, aut quæ in me facultas, ut poſſim liberare Iſraelem? FAMILIA

MEA

Digitized by Google

MEA INFIRMA EST IN MANASSE, aliarum familiarum comparatione, quæ in eadem tribu opulentiores ſunt, & florentiores divitiis, & numero capitum. ET EGO MINIMUS IN DOMO PATRIS MEI, vel ætate, vel minime omnium iis facultatibus inſtructus, quæ ad tantum opus neceſſariæ ſunt.

V. 16. PERCUTIES MADIAN QUASI UNUM VIRUM: ac ſi non cum exercitu prævalido, ſed cum uno tantum homine decertandum eſſet.

V. 17. DA MIHI SIGNUM QUOD TU SIS QUI LOQUERIS AD ME. Oculis, auribuſque percipiebat Gedeon Angelum loquentem: petit ergo, ut ſigno aliquo monſtret, atque confirmet ſe talem eſſe cui divinam opem, victoriamque tam nobilem promittenti fides haberi merito debeat.

V. 18. PORTANS SACRIFICIUM. Hebr. *portans munus*. Gedeon enim eo tantum animo fuit, ut hoſpiti cibum apponeret, & hoc conſilio azymos panes coxit, & hædum mactavit. Vocatur autem *ſacrificium*, primo phraſi Scripturæ, in qua ſacrificare interdum eſt quod ſimpliciter mactare. Sic I. Reg. xxv. 11. ait Nabal: *Tollam carnes pecorum meorum, quæ occidi tonſoribus meis*, in Græco eſt, *ſacrificavi*, τέθυκα. Matth. etiam xxii. 4. dicitur: *Tauri mei & altilia mea occiſa ſunt*, Græce τεθυμένα, *ſacrificata*. Secundo, quia quæ Gedeon tulit in cibum, Angelus vertit in ſacrificium, ut videbimus in ſequentibus.

V. 20. PONE SUPER PETRAM. Petram delegit ut ſacrificii huius eſſet altare, quod ex rudibus lapidibus confectum erat Exodi xx. IUS DESUPER FUNDE. Ius cum ſit aquoſæ materiæ, miraculum auget quod verſiculo proximo patratum ab Angelo narratur. Hæc etiam iuris ſuperfuſio unctionis illius inſtar habuit, quia holocauſti altare, Gen. xxviii. 18. Vel, ut vult Arias, fuit inſtar libaminis in ſacrificiis adhiberi ſoliti.

V. 21. ASCENDIT IGNIS DE PETRA, &c. quo igne in holocauſtorum morem ea omnia abſumpta ſunt, quæ extemporaneo illi altari erant impoſita.

V. 22. HEU MI DOMINE DEUS, &c. Ita loquitur Gedeon, quia inter vulgares & idiotas eo tempore vigebat opinio, eum qui Angelum vidiſſet, mox interire. Ita opinandi occaſionem ſumebant ex eo quod dicitur in Exodi cap. xxxiii. 20. *Non videbit me homo, & vivet*. Falſa tamen erat opinio, quia frequenter viſi multis Angeli narrantur in Scriptura, & ſemper innoxie.

V. 23. DIXITQUE EI DOMINUS, &c. Trepidanti Gedeoni Angelus, qui iam paululum receſſerat, dixit, ita ut commode exaudire poſſet: *Pax tecum ne timeas*, &c.

V. 24. ÆDIFICAVIT ALTARE. Non eſt diverſum hoc altare ab eo cuius mentio fit num. 26. ſeq. Sæpe enim in Scripturis breviter aliqua res tangitur, quæ poſtea uberius explicatur, & magis diſerte. Ita hic breviter attingitur erexiſſe Gedeonem aram: quo autem modo, poteſtate, ac loco fecerit, ſubiungitur enucleatius num. 25. 26. 27. VOCAVIT ILLUD, DOMINI PAX. Uſitatum erat erectis huiuſcemodi aris, aut titulis nomina quædam imponere, ut patet Geneſ. xxviii. 22. Exodi xvii. 15. *Domini pax*, ſcilicet eſt; quaſi dicat: Eſt auctor pacis, ſeu ſalutis. USQUE IN PRAESENTEM DIEM, ſcilicet ſtat altare illud.

V. 25. TAURUM ANNORUM SEPTEM, qui ætate tantus ſit, quanta erat Madianitica ſervitus, quæ ſeptem annos tenuerat. DESTRUESQUE ARAM BAAL, QUAE EST PATRIS TUI. Ioas Gedeonis pater idolorum cultor erat. Gedeonem vero par eſt credere impietate maculatum non fuiſſe, a matre fortaſſe, vel avia in vero unius Dei cultu educatum. NEMUS, QUOD EST CIRCA ARAM. Nota veterum conſuetudo, qui lucos diis ſuis ſacrare ſolebant.

V. 26. OFFERES HOLOCAUSTUM. Sacrificare ſacerdotum erat; iuſſu tamen Dei Gedeon non ſacerdos, extraordinarius ſacrificii huius miniſter conſtituitur.

V. 31. NUMQUID ULTORES ESTIS BAAL? &c. quaſi dicat: Ne ſoliciti ſitis, ſacrilegum non patietur ipſe Baal in craſtinum uſque diem vivere, ſed ab eo interficietur quiſquis ille eſt. Magis etiam decet ut Baal, qui a potentia, ac dominatu nomen habet, ſeipſum ulciſcatur, ſuaſque vindicet iniurias.

V. 32. VOCATUS EST GEDEON IEROBAAL: quod idem eſt ac *impugnans*

Baal , vel *iudicans* , aut *damnans Baal*.

V. 33. IN VALLE IEZRAEL. Fuit Iezrael Iudææ tribus oppidum, Ioſue xv. 56. prope montem Gelboe, non procul a Iordane.

V. 34. SPIRITUS AUTEM DOMINI. Vide dicta cap. III. num. 10. DOMUM ABIEZER, familiam Ezri, de qua ipſe erat.

V. 35. OCCURRERUNT EI. Hebr. *Aſcenderunt ad occurrendum eis* : coniunxerunt ſe cum copiis Gedeon,

V. 36. SI SALVUM FACIS, &c. Credebat Deum poſſe, & velle ſalvum facere Iſrael ; ſed duplici ſigno poſtulat fidem ſuam augeri, & alacritatem magis incitari.

V. 37. VELLUS, lanam ab ovibus tonſam: hoc enim ſignificat Hebr. גזה *ghizah*, quod a radice גזז *gazaz* derivatur, quod tondere, excidere, ſuccidere ſignificat.

V. 38. CONCHAM. Hebr. ספל *ſephel*, quod concham, phialam, hydriamve ſignificat. LXX. habent λεκάνη, *pelvim*.

TIRINI.

Verſ. 17. DA MIHI SIGNUM QUOD TU SIS. Hoc eſt, ſigno aliquo proba, te talem eſſe cui divinam opem, victoriamque tam nobilem promittenti fides haberi merito debeat. Neſciebat enim Angelum eſſe ; ſed neque an Propheta eſſet, certo conſtabat. Porro ſignum quod hic petit Gedeon, dedit illi paulo poſt Angelus, nempe ignem tactu ſcipionis ſui miraculoſe e petra productum, quo ſacrificium quod Gedeon attulerat, abſumptum fuit. Patet ex Hebræo.

Petes, an licuerit Gedeoni non ſacerdoti, utpote ex tribu Manaſſe, ſacrificium offerre, & quidem extra locum tabernaculi? Reſpondeo, Gedeonem hic non ſacrificaſſe, ſed ſolum miniſtrum egiſſe, afferendo, & componendo victimam in altari ex imperio & præſcripto Angeli, qui ſcipione ſuo ignem e petra educens, ultimam proximamque operam ſacrificio impendit. Ac proinde ſacerdotis partes hic egit Angelus, Deo omnium Domino ſic iubente. Unde, quod verſ. 18. Gedeon dicit, ſe *ſacrificium* allaturum & *oblaturum* Angelo, non niſi materialiter accipi poteſt; nam formaliter afferebat illud Gedeon pro munere convivali, quod ex intentione Gedeonis ſerviret pro prandio ; ſed voluntate Angeli converſum fuit in ſacrificium. Ita Theodoretus *a*, Caietanus, Arias, & Serarius.

Nota tamen, cum nocte ſequenti iuſſit Deus Gedeoni ut taurum ſibi in eadem petra (verſ. 25. & 26.) immolaret, cum ipſo etiam Gedeone diſpenſaſſe ut ſacerdotii munere fungeretur, offerretque holocauſtum procul a loco tabernaculi: ſicut poſtea diſpenſavit cum Samuele *b*, Elia *c*, & aliis quibuſdam. Nam, ut optime notat ſanctus Auguſtinus *d*, *ita Deus legitima illa* ſacrificiorum *conſtituit*, *ut leges non ſibi*, *ſed hominibus daret*. Unde poterat, quandocumque placeret, extra legis ſuæ limites, ius ſacrificandi dare quibus vellet ſeu hominibus, ſeu Angelis, & quocumque loco, aut tempore, aut modo vellet.

V. 25. TAURUM ANNORUM SEPTEM. Chaldaice, *Taurum pingue factum annos ſeptem*, forte ut mactandus apud AEgyptios Apis plures annos ſaginari conſueverat. Ita Rabbini, Theodoretus, & Iſidorus. Addit Arias, priorem taurum vocari hic *patris Gedeonis taurum*, quod ei proprius eſſet, eiuſque ſolius nomine deſtinatus ſacrificio Baal. Poſteriorem vocari *alterum taurum*, ſcilicet publicum, & publico totius urbis nomine in ſacrificium ei demum Deo devotum, cuius ope iugum Madianiticæ ſervitutis depelli contingeret : unde & tot præciſe annis ſaginatus fuerat, quot eadem ſervitus durarat : ſaginandus quoque diutius, ſi hæc diutius duraſſet, unde & *annuarius taurus* vocabatur, eo quod ſervitutis annos annis æquaret ſuis.

V. 37. SI ROS IN SOLO VELLERE FUERIT. Duo nova ſigna petit Gedeon, non ex infidelitate, ut putat ſanctus Thomas *e*, & Abulenſis (iam enim *ſpiritus Domini*, nempe fortitudinis, *induerat* eum, verſ. 34.) ſed ex magna in Deum fiducia, ad ſuorum quoque commilitonum ad ſe undique confluentium fidem, & ſpem erigendam. Ita Origenes, Iſidorus, Lyranus, Arias, Caietanus, & colligitur ex Epiſtola ad Hebr. XI. 32.

Symbolice, Gedeon petit primo loco, ſibi tamquam vili velleri rorem gratiæ, & opis cæleſtis; poſteriore, eamdem gratiam

tiam

Digitized by Google

tiam petit & terræ reliquæ, id eſt ſuis omnibus commilitonibus.

Allegorice, ros cæleſtis doctrinæ, electionis, & gratiæ, quæ prius ſolum vellus Iudaicæ ſynagogæ humectarat, poſtea exſiccatis, & reprobatis Iudæis, humectavit, fecundavitque univerſam gentilitatis terram. Ita Origenes, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, & Theodoretus *f*. Aliter alibi S. Ambroſius *g*, Rupertus, & Procopius, conformiter Pſal. LXXI. verſ. 6. *Ros in vellere* eſt Chriſtus in uterum Virginis ſine huius corruptione, aut dolore, ſilenter & tranquille Spiritu ſancto irrorante delapſus. Vide de his fuſius Guilelmum Mennens toto Libro III. aurei Velleris, qui putat Philippum Burgundiæ Ducem, cognomento Bonum, cum nobiliſſimum aurei Velleris Equitum Ordinem tertio Idus Ianuarii, anno Chriſti 1430. inſtitueret, non minus ad hoc Gedeonis vellus, quam ad illud Iaſonis fabuloſum e Colchide, mentem intendiſſe: nimirum ut nobiliſſimi Heroes illi Ordini adſcripti meminiſſent ſe veros præſtare Gedeones, & Baalis aras, ac lucos, Turcicas moſcheas, & hæretica conventicula exſcindere, & Madianitas, omneſque Dei hoſtes exſtirpare debere. Idem innuit Franciſcus Haræus, & aperte affirmat Adrianus Barlandus *b*.

(*a*) Theodor. quæſt. XIV.
(*b*) I. Reg. IX. & XVI.
(*c*) III. Reg. XVIII.
(*d*) Auguſt. quæſt. XXXVI.
(*e*) S. Thom. II. II. quæſt. XCVII.
(*f*) Orig. hom. VIII. Hieron. ad Paulinum. S. Ambroſ. Prooemio in Lib. I. de Spiritu ſancto. Auguſtin. Lib. de Unit. Eccl. cap. v. Theod. quæſt. XIV.
(*g*) S. Ambr. de Viduis, poſt initium.
(*b*) Haræus Lib. de Ducibus Brabantiæ. Barland. Lib. de Duc. Brabant. cap. XC.

G O R D O N I.

Verſ. 11. & 12. VENIT AUTEM ANGELUS DOMINI. Angelus in perſona Dei quem referebat, loquitur. Gedeon Manaſſeus eſt, verſ. 15. Ioas pater idolis ſerviebat ex verſ. 25. & 27. & tamen verſ. 31. inquit, pro filio agens: Si Baal eſt Deus, ulciſcatur ſuam deſtructi altaris a Gedeone iniuriam. Dictus inde Gedeon *Ierobaal*, quod cum Baal voluerit contendere: nam רוב *rub* eſt contendere, aut cauſam agere. At quis ille ille Propheta miſſus, verſ. 8. Aliqui Angelum putant; ſed ſane textus virum vocat: ignotus quidem eſſe poterat, ut alias eveniſſe conſtat ſub Regibus. IN TORCULARI, id eſt in loco ubi erat torcular.

V. 16. ad 23. DIXITQUE EI DOMINUS. In Hebr. יהוה. LXX. *ἄγγελος κυρίȣ*. Rem iam attigi. Signum petit Gedeon: datur: nam quæ protulit Gedeon, quamvis ille quidem ut eſculenta hoſpiti grato protulerit; tamen uſus eſt illis Angelus ad holocauſticum ſacrificium. Diſſentiunt Arias, & Theodoretus, an miniſter ſacrificii fuerit Angelus, an Gedeon. Vide Auguſt. quæſt. XXXV. & XXXVI. & Gregor. III. Moral. cap. XVII. Certe Gedeon protulit materiam, ſed iuſſus ab Angelo, qui & intentionem de ſacrificio habebat, & ad conſummationem adhibuit ſupremam manum. Certatur hoc loco, an duo altaria, vel unum tantum extruxerit Gedeon: & quibuſdam quæſt. eſt non magni operæ pretii, quam ut talem prætereo, inſtituti memor.

V. 18. TIBI. Septuag. *coram te*. Conſentit Chaldæus: tamen Auguſt. quæſt. XXXVI. in Iudic. notat, non dixiſſe *tibi*.

V. 19. OBTULIT EI. Hebr. *ad eum*: item Chald. *obtulit*.

V. 25. DUOS ACCEPIT TAUROS. Probabile eſt utrumque obtuliſſe, licet textus unius oblationem tantum proponat. Erant hi tauri parati a patre ut offerrentur Baal.

V. 31. QUI ADVERSARIUS. De hoc dialogiſmo dixi verſ. 1. Chald. *Qui litigaverit pro eo*; quaſi dicat: Efficiat Baal, dum ſe tuetur, ut moriatur auctor iniuriæ: relinquite illi cauſam.

V. 35. & 36. Hoſte in valle Iezrael poſt tranſitum Iordanem conſtituto, non procul a Iordane, prope montem Gelboe; quid eſt quod Gedeon convocato exercitu, petat novum miraculum, præſertim poſt colloquium cum Angelo? Hoc ei aliqui vitio vertunt. Sed dici poteſt, Gedeonem hoc de vellere petiiſſe humiliter, & ſi Deo placeret, idque ad faciendum quod Deus præceperat. cum maiore alacritate, & animoſe. Vide Gen. XXIV.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. 3. Madianitæ ex poſteris Abra-

Digitized by Google

ræ, ſed ex Cetura uxore. Amalecitæ ex poſteris Iſaac, ſed per Eſau, Gen. xxxvi.

V. 11. EPHRA: non quidem illa in Beniamin, Ioſue xviii. 23. ſed altera in Manaſſe. Vox ab עפר, *pulvere*. UT FUGERET MADIAN: ut ipſe cum tritico fugeret.

V. 17. DA MIHI SIGNUM: quo doceat ſe talem eſſe cui ſit fides adhibenda.

V. 18. SACRIFICIUM. In Scriptura *ſacrificare* interdum eſt mactare, & occidere; ut I. Regum xxvii. *Occidi*, Græce eſt τέθυμαι; & Matth. xxii. *Occiſa ſunt*, τεθυμένα, *ſacrificata*.

V. 26. Sacrificare ſacerdotum erat; tamen per Angelum iubente Deo licebat hoc alteri.

V. 34. DOMUM ABIEZER, familiam Eſri, ex qua erat ipſe.

V. 36. DIXITQUE GEDEON. Petit novo ſigno auferri fidem ſibi.

V. 38. CONCHAM, phialam, hydriam.

CAPUT VII.

Probatis ad aquas his qui ad bellum eſſent progreſſuri, Gedeon audito unius e caſtris Madianitarum ſomnio, in eos irruit, tubis, lagenis ac lucernis armatus; quos cum Oreb & Zeb principibus eorum devicit.

I. IGitur Ierobaal qui & Gedeon, de nocte conſurgens, & omnis populus cum eo, venit ad fontem qui vocatur Harad: erant autem caſtra Madian in valle ad ſeptemtrionalem plagam collis excelſi. 2. Dixitque Dominus ad Gedeon: Multus tecum eſt populus, nec tradetur Madian in manus eius: ne glorietur contra me Iſrael, & dicat: Meis viribus liberatus ſum. 3. Loquere ad populum, & cunctis audientibus prædica: (*a*) Qui formidoloſus & timidus eſt, revertatur. Receſſeruntque de monte Galaad, * & reverſi ſunt de populo viginti duo millia virorum, & tantum decem millia remanſerunt. 4. Dixitque Dominus ad Gedeon: Adhuc populus multus eſt, duc eos ad aquas, & ibi probabo illos: & de quo dixero tibi ut tecum vadat, ipſe pergat: quem ire prohibuero, revertatur. 5. Cumque deſcendiſſet populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: * Qui lingua lambuerint aquas, ſicut ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeorſum: qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt. 6. Fuit itaque numerus eorum qui manu ad os proiiciente lambuerant aquas, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. 7. Et ait Dominus ad Gedeon: In trecentis viris qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian: omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum ſuum. 8. Sumptis itaque pro numero cibariis & tubis, omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula ſua: & ipſe cum trecentis viris ſe certamini dedit. Caſtra autem Madian erant ſubter in valle. 9. Eadem nocte dixit Dominus ad eum: Surge, & deſcende in caſtra: quia tradidi eos in manu tua: 10. ſin autem ſolus ire formidas, deſcendat tecum Phara puer tuus. 11. Et cum audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, & ſecurior ad hoſtium caſtra deſcendes. Deſcendit ergo ipſe & Phara puer eius in partem caſtrorum, ubi erant armatorum vigiliæ. 12. Madian autem & Amalec, & omnes orientales populi, fuſi

fuſi iacebant in valle, ut locuſtarum multitudo: cameli quoque innumerabiles erant, ſicut arena quæ iacet in littore maris. 13. Cumque veniſſet Gedeon, narrabat aliquis ſomnium proximo ſuo: & in hunc modum referebat quod viderat: Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volvi, & in caſtra Madian deſcendere: cumque perveniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud, atque ſubvertit, & terræ funditus coæquavit. 14. Reſpondit is, cui loquebatur: Non eſt hoc aliud, niſi gladius Gedeonis filii Ioas viri Iſraelitæ: tradidit enim Dominus in manus eius Madian, & omnia caſtra eius. 15. Cumque audiſſet Gedeon ſomnium, & interpretationem eius, adoravit: & reverſus eſt ad caſtra Iſrael, & ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus noſtras caſtra Madian. 16. Diviſitque trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenaſque vacuas ac lampades in medio lagenarum. 17. Et dixit ad eos: Quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar partem caſtrorum, & quod fecero ſectamini. 18 Quando perſonuerit tuba in manu mea, vos quoque per caſtrorum circuitum clangite & conclamate, Domino & Gedeoni. 19. Ingreſſuſque eſt Gedeon, & trecenti viri qui erant cum eo, in partem caſtrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ, & cuſtodibus ſuſcitatis, cœperunt buccinis clangere, & complodere inter ſe lagenas. 20. Cumque per gyrum caſtrorum in tribus perſonarent locis, & hydrias confregiſſent, tenuerunt ſiniſtris manibus lampades, & dextris ſonantes tubas, clamaveruntque: Gladius Domini & Gedeonis: 21. ſtantes ſinguli in loco ſuo per circuitum caſtrorum hoſtilium. Omnia itaque caſtra turbata ſunt, & vociferantes, ululanteſque fugerunt: 22. & nihilominus inſiſtebant trecenti viri buccinis perſonantes. (*b*) Immiſitque Dominus gladium in omnibus caſtris, & mutua ſe cæde truncabant, 23. * fugientes uſque ad Bethſetta, & crepidinem Abelmehula in Tebbath. Conclamantes autem viri Iſrael de Nephthali, & Aſer, & omni Manaſſe, perſequebantur Madian. 24. Miſitque Gedeon nuntios in omnem montem Ephraim, dicens: Deſcendite in occurſum Madian, & occupate aquas uſque Bethbera atque Iordanem. Clamavitque omnis Ephraim, & præoccupavit aquas atque Iordanem uſque Bethbera. 25. (*c*) Apprehenſoſque duos viros Madian, Oreb & Zeb, interfecit Oreb in Petra Oreb, Zeb vero in Torculari Zeb. Et perſecuti ſunt Madian, capita Oreb & Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Iordanis.

(*a*) Deut. xx. 8. I. Mach. III. 56. (*b*) Pſalm. lxxxii. 10. (*c*) Pſalm. lxxxii. 12. Iſa. x. 26.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 3. *Et reverſi ſunt de populo vigintiduo millia*. Quidam boni libri habent neutrum *reverſa*, pro maſculino *reverſi*: porro *de* præferendum eſt ipſi *ex*.

V. 5. *Qui lingua lambuerint aquas*. Non addas *qui manu & lingua*.

V. 23. *Fugentes uſque ad Bethſetta*. Non mutes *Bethſetta* in *Bethſeca*, id eſt duplex *t* in *c*.

Ibid. Perſequebantur Madian. Sequitur in quibuſdam libris: *Et dedit Dominus victoriam populo Iſrael in die illo*; ſed redundat.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. De nocte. Hebr. ac LXX. *mane*. Excelsi. Hebr. *Moreh*: videtur eſſe nomen proprium.

V. 5. Lingua. Hebr. Chald. & in LXX. ſolum eſt, *lingua*; ſed manus etiam intelligitur, ut patet ex ſeq: & quidem Auguſtinus legit apud LXX. etiam *manu*.

V. 9. Nocte, ſcilicet ſequente illum diem.

V. 10. Puer, id eſt famulus.

V. 11. Vigiliae. Hebr. & Chald. *ultimi*.

V. 13. Tabernaculum, ſcilicet ducis.

V. 15. Adoravit, ſcilicet Deum, gratias agens.

V. 16. Lampades, ſcilicet ardentes tædas.

V. 18. Domino, et Gedeoni, ſcilicet victoria. Alii, *Domini*, & *Gedeonis*, ſcilicet gladius eſt, ut inf. Chald. utrobique *gladius Domini*, & *victoria Gedeonis*.

V. 19. Trecenti. Hebr. Chald. & LXX. *centum*. Noctis mediae. Hebr. Chald. & LXX. *mediis*.

V. 20. Gladius, ſcilicet vincet.

V. 23. Crepidinem, id eſt limitem. Chald. *latus*. Conclamantes. Hebr. *acciti*, ſeu *congregati*. Chald. *congregati*: ſic inf. in verbo Clamavitque, ſcilicet congregatuſque.

V. 25. Viros. Hebr. Chald. & LXX. *principes*.

ESTII.

Verſ. 5. Qui lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, &c. Nota, quod ſicut Dominus paulo ante, proclamatione publica ſeparavit formidoloſos a reliquis, ita nunc idem facit ſigno occulto. Multi enim formidoloſi ad publicam præconis vocem adhuc non receſſerant, dum volunt non minus quam alii fortes haberi. Signum autem tale erat, ut qui manu ad os proiiciente aquas lamberent, tamquam idonei bello ſervarentur; qui vero proni, & ore flumini admoto biberent, tamquam ſegnes domum remitterentur. Ratio autem ſigni eſt, quia ſtando lambere aquas, manu ad os proiectas, indicium eſt, hominem neque admodum ſitire (quia qui ſic bibunt, non multum accipiunt) & non admodum fatigatum eſſe, quia ſtando bibit, & manum ori admovet. Contra ſorbere aquas pronum ac iacentem, ore ipſo flumini admoto, ſignum eſt hominem vehementius ſitire, quia tali modo copioſius bibere poteſt, ſignum etiam eum quaſi fatigationi ſuccumbere.

V. 15. Cumque audisset Gedeon somnium, et interpretationem eius, &c. Nempe Gedeon in caſtris Madian audit ſomnium de pane hordeaceo in caſtra Madian devoluto, & tabernaculum ſubvertente, atque inſuper ſomnii eius interpretationem, quod hoc nihil aliud eſſet quam gladius Gedeonis. Per hæc igitur confirmatus eſt ad invadenda illa caſtra. Et recte hordeaceus panis Gedeonem ſignificabat: quia ſicut panis hordeaceus vilis habetur, & contemptibilis in comparatione triticei, aut ſiliginei; ita Gedeon apud reges Madian nullius erat exiſtimationis. Nequaquam autem putandum eſt ſomnium hoc fuiſſe fortuitum, ſed fuit immiſſum a Deo ad animandum Gedeonem, eiuſque ſocios. Nec obſtat quod ille cui ſomnium hoc immiſſum erat, fuerit a cultu veri Dei alienus. Nam & Pharao, & Nabuchodonoſor impii reges ſimilia ſomnia, Deo inſpirante, viderunt. Hoc autem ex eo patet, quia Deus præcepit Gedeoni, ut deſcenderet in caſtra Madian, ibi auditurus aliquid, per quod confortaretur, & ſecurus in hoſtes irrueret. Deus ergo ſomnium illud, & interpretationem eius præparavit Gedeoni, ad certam victoriæ fiduciam. Ex quibus ſimul intelligitur nullum ominationis, ſeu obſervationis ſomniorum in lege prohibitæ, peccatum Gedeoni poſſe impingi: videlicet quia ſignum datum a Deo non debet proprie, ſeu ſecundum vulgarem loquendi modum omen vocari, mul-

Digitized by Google

multo minus ullatenus reprehendi qui illud obſervat, & actiones ſuas ſecundum hoc inſtituit.

V. 18. CONCLAMATE DOMINO, ET GEDEONI: & infra verſ. 20. CLAMAVERUNTQUE: GLADIUS DOMINI, ET GEDEONIS. Sed cur non fuit hoc arrogantiæ, ut ſuum nomen vellet audiri in voce & clamore militum, ac non potius nomen Dei ſolius? maxime cum audiſſet dicentem Dominum: *Ne glorietur contra me Iſrael, & dicat: Meis viribus liberatus ſum.* Adde, quod & David dicat Pſalm. CXIII. *Non nobis Domine, non nobis*, &c. & Iudas Machabæus II. Machab. VIII. & XIII. modo ſuis dat ſignum adiutorii Dei, modo victoriæ Dei, nuſquam autem ſe præcipit nominari. Sed dicendum, Gedeonem iſtud feciſſe, quaſi ex Dei præcepto, quod intelligebat in expoſitione ſomnii, quando dicebatur: *Non eſt hic aliud niſi gladius Gedeonis*. Quibus verbis quaſi a Deo admonitus, etſi potuiſſet ſuis præcipere, ut exclamarent, *Gladius Gedeonis*; tamen non eſt paſſus ſuum nomen ſolum, nec primum audiri, ſed præpoſito Dei nomine, dici iuſſit: *Gladius Domini, & Gedeonis*.

MARIANAE.

Verſ. I. GEDEON DE NOCTE CONSURGENS. Hebr. *mane ſurrexit*. Vide ducis diligentiam. ERANT... CASTRA MADIAN IN VALLE AD SEPTEMTRIONALEM PLAGAM COLLIS EXCELSI. Hebr. *a ſeptemtrione, a colle More in valle*. *A colle*, id eſt citra collem, vel ad latus collis *More*, id eſt doctoris, vel indicis, ſic dicti quod in eo eſſet ſpecula unde hoſtium adventus indicabatur. Sic explicat Hebræus: eo etiam ſpectavit Hieronymus, cum dixit, *Collis excelſi*.

V. 5. QUI LINGUA LAMBUERINT. Auguſtinus legit, ut & Regia Vulgata, *Qui manu & lingua*, nec ſententia diſcrepat: & verſ. 6. patet, aquam manu, & lingua lambuiſſe. IN ALTERA PARTE ERUNT. Hoc non eſt Hebr. ſed ſuppletur ex illis verbis: *Separabis eos ſeorſum*, qui aquam lambuerint.

V. 8. CASTRA.... MADIAN ERANT SUBTER IN VALLE: quod dixit verſ. I. fuiſſe in latere collis in valle.

V. 9. EADEM NOCTE, ſcilicet quæ proxime ſecuta eſt. Hebraice: *Et fuit in nocte hac*: ſcilicet locutus eſt Angelus Gedeoni.

V. 10. PUER TUUS: famulus tuus deſcendat tecum.

V. 11. IN PARTEM CASTRORUM, UBI ERANT ARMATORUM VIGILIAE. Hebr. *Ad extremam partem armatorum, qui in caſtris*, ſcilicet erant. Hic nihil de *vigiliis*, ſed Hieronymus addidit ad explicationem. Porro pro *armatis*, Hebr. eſt vox quæ ſignificat *quintatos*: de qua re plura Exod. XIII. verſ. 18. Nunc addo, ſic vocari, quoniam delectu habito, fortaſſis quinta pars civium cogebatur arma ſumere. Ibi quidam narrabat, ſomnio videbatur

V. 13. SUBCINERICIUS PANIS EX HORDEO. צליל *zelil*, alii vertunt *tortam*, ut Chald. ſic Pagn. deducentes a צלה *zalah*, quod eſt *aſſare*. Verum non *tortam* abſolute ſignificat, ſed *aſſatam inter prunas*, quod Hieronymus dixit *ſubcinericius panis*. Eodem Sept. reſpexerunt vertentes *μαγὶς*: ſic certe ponit eorum interpretatio Latina. Alii a צלל *zalal* deducunt, quod ſignificat *ſtrepere*: & volunt ſignificari ea voce *ſtrepitum*; quaſi dicat: Et ecce ſtrepitus panis hordeacei volventis ſe in caſtris: ſomnium erat. AD TABERNACULUM, ſcilicet eximium, propter articulum ה *ha* præpoſitum: nimirum tabernaculum principis, ad quod panis ille pervenit. Gedeon cum audiſſet ſomnium,

V. 15. ET INTERPRETATIONEM EIUS. Hebr. *fracturam eius*, ſcilicet ſomnii: ſic vocatur *interpretatio*, metaphora ſumpta a fructibus duri corticis, quo fracto, apparent quæ clauſa erant. ADORAVIT, ſcilicet Deum: gratias egit pro beneficio, & victoriæ ſpe Gedeon. Dedit militibus

V. 16. LAMPADES. Id vox Hebr. ſignificat, ſed & *tædas*, ſeu *titiones ardentes*. Conclamate,

V. 18. DOMINO ET GEDEONI. Voces hæ Hebr. in dativo etiam ſunt. Supple, eſt, aut erit victoria. Chald. *gladius Domini, & victoria Gedeonis*: ſic etiam repetit verſ. 20. Goth. *gladius Domini & Gedeonis*: nimirum ex verſ. 20. id in hunc locum tranſtulere. Sed & Hebræus ſic expli-

plicat, *Domino & Gedeoni*, pro gladio Domini, & Gedeonis: nam & Lamed Hebræis nota genitivi eſſe poteſt.

V. 19. INGRESSUSQUE EST GEDEON, ET TRECENTI VIRI. Hebr. *Venit Gedeon & centum viri*, ſic Sept. & Chald. nam trecenti erant in tres turmas diſtributi: ſic Gedeon cum ſua turma primus acceſſit, ſecuti ſunt alii. INCIPIENTIBUS VIGILIIS NOCTIS MEDIAE. Hebr. *Venit in extremam partem caſtrorum initio cuſtodiæ mediæ*. Nox ſecundum Hebræos in tres vigilias dividebatur, quas vocant *cuſtodias*: initio ergo ſecundæ cuſtodiæ acceſſit, ſuſcitavit cuſtodias, clanxit tubis.

V. 21. STANTES SINGULI IN LOCO SUO. Hebr. *quiſque ſub ſe*. Sed bene redditur, *in loco ſuo*. Modus loquendi Hebraicus. Madianitæ fugerunt uſque ad

V. 23. CREPIDINEM. Hebr. *labium*, id eſt limitem. CONCLAMANTES. Hebr. *Congregatus eſt vir Iſrael de Nephthalim*, ſic verſ. 24. CLAMAVITQUE OMNIS EPHRAIM; pro, congregatus, convocatuſque eſt.

V. 25. DUOS VIROS, ſcilicet interfecit Ephraim. Hebr. Sept. Chald. *duos principes*. INTERFECIT OREB IN PETRA OREB, per anticipationem: nam ſic dicta eſt a cæde eius viri in ea facta. IN TORCULARI, ſcilicet occidit Zeb. Chald. *in planitie*. Sed Hebr. *in torculari*. Sic etiam Sept.

MALVENDAE.

Verſ. 1. AD FONTEM, QUI VOCATUR HARAD. Hebr. חרוד *Charod*. Notant, hunc fontem eum eſſe videri cuius meminit I. Samuel. XXIX. verſ. 1. quia ibi in Iſrael ſitus fuiſſe deſcribitur: & fortaſſe *Charod*, quod ſonat *trepidum*, dictum eſſe, vel a trepidatione viginti duum millium, qui Ghidhonem deſeruerunt, infra verſ. 23. vel a trepidatione Midianitarum fuſorum per Ghidhonem, ibi caſtra habentem; vel denique a trepidatione Saulis ibidem, de qua I. Samuel. XXVIII. verſ. 5. Quidam augurantur, forte a tremore & trepidatione aquarum, & rivulorum perſtrepentium, & concurrentium ita nuncupatum; vel a tonitru, quod eo loco tonitrua frequentius perſtreperent: ut etiam vigeſima prima ſtatio in deſerto dicta eſt חרדה *Charadah*, Num. XXXIII. verſ. 24. Ex hoc loco nuncupatos Charodæos Samma, & Elica viros fortes, II. Samuel. XXIII. verſ. 25. nonnulli putant. COLLIS EXCELSI. Hebr. *de colle Moreh*. Alii, *cis*, *citra collem Moreh*. Aliqui tamen, *ultra collem Moreh*: ut inter caſtra Madian & Gedeon interpoſitus eſſet collis, qui proſpectu adimeret. Noſter מירה *Moreh* a רים *rum* deduxit; & *collis excelſi* vertit. Alii, *collem Moreh* pro nomine proprio accipiunt, ſic dictum quaſi *collem iaculatoris*, a ſagittariis nimirum qui Saulem fugientem aſſecuti ſunt, I. Samuel. XXXI. verſ. 3. nam unus erat e montibus Gelboe, ut nonnulli exiſtimant. Quidam a ירה *ioreh*, id eſt *pluvia tempeſtiva & autumnali*, nomen profectum volunt, qua collis iſte perfunditur: quo ſpectare videtur Davidis ſermo II. Samuel. I. verſ. 21. Nonnulli, *collem monſtratoris*, ſeu *indicis*: quod forſan in eo eſſet proſpectus in totam regionem, unde tota monſtrari poſſet; vel quod ibi eſſent ſpeculatores, & cuſtodiæ provinciæ. Quidam, *a colle proſpiciente*, ſeu *reſpiciente vallem*. Nec deſunt qui *collem timoris*, *terroris*, a ירא *iare*: quod forte locus eſſet tremendus ac metuendus; ſeu periculis, aut graſſatoribus infectus. Aliqui, *collem doctoris*; quod forte in eo eſſet publica aliqua academia. Alii, *collem proiectionis actus*, id eſt longe lateque proiectum. Aliqui a ראה *raah*, *collem conſpicuum*, *aſpectabilem*: quo forte Noſter reſpexit. Poſſis reddere, *collem illuſtrem*. Vel ab aliquo viro Chenahanæo, Moreh vocato, nomen traxiſſe videtur; ut *quercetum Moreh*, Geneſ. XII. verſ. 6. Ibi vide.

V. 3. REVERTATUR. Omiſit Noſter aliud verbum, quod huic ſubnectitur, יצפר *iitzpor*: quod hic tantum legitur in Bibliis, cui omnia iſta ſubiiciunt: *Et mane facto diſcedat*, *mane abeat*, vel *per gyrum*, ſeu *gyrando*, aut *circumgyrando diſcedat*, *evolet*, *maturet*, *acceleret*, *avolet*, *mane exorto abeat*, *diluculet*: proprie eſt, *In morem avis avolet*. Hiſpanicus, *Madruque*. DE MONTE GALAAD. Difficultatem ingerit hæc particula: nam ſi Gedeon cum exercitu erat cis Iordanem in campo Iezrael, haud procul caſtris Madianitarum; quo modo qui nunc recedunt vigintiduo mil-

mille ex caſtris Gedeonis, de monte Galaad recedere dicuntur, qui procul hinc ultra Iordanem aberat. Quidam iſtud, *E monte Galaad*, iungunt non cum verbo *diſcedat*, aut *receſſerunt*: ſed cum *qui formidoloſus & timidus eſt, de monte Galaad*; id eſt, quique Galaaditæ timidi ſunt, & formidoloſi, abeant. Alii, מ *me* Hebraicum capiunt pro *in*, *verſus*, ut Deuter. XXXIII. 2. *Dominus de* (in) *Sinai venit*: exponuntque: Revertens, evolato verſus montem Ghilhadis, id eſt retrorſum, ne animos Iſraelitarum, qui vicini erant hoſtibus, minuerent; hoſtium vero animos confirmarent. Qui duos montes Galaad, unum cis, alium ultra Iordanem ſomniant; aut hic montem Gelboe dictum Galaad arguantur, ſine ulla ratione, aut fundamento loquuntur. Expeditior eſſet ſolutio huius nodi ſi tranſmutatis punctis, pro מהר *mehar, de monte*, legeremus מהר *maher, feſtinanter, celeriter, cito, revertatur, & maturet feſtinanter, cito, Ghilhad*, ſive *in Ghilhad*; vel *avolet feſtinus in Ghilhad*.

V. 4. ET, IBI PROBABO ILLOS. Verbum צרף *tzaraph*, omnia iſta includit: *Exuſſi, excoxi, conflavi, purgavi, defæcavi, examinavi, exploravi, probavi eum ibi*. Proprie dicitur de metallis; metaphorice de hominibus, & aliis rebus. Præteritum hic certitudinem, & accuratiſſimam examinationem denotat; quaſi dicat: Certiſſime, & exactiſſime excoquam, expurgabo illos. Quidam: *Diſperabo eos*; id eſt, deſæcabo, ſeparabo ſcorias, & fæces eorum, a viris fortibus: vel e contra viros fortes, & ſtrenuos a calonibus, catulis, varonibus. Aliqui Hiſpanice, *Eſmerartelos e*.

V. 5. QUI LINGUA LAMBUERINT AQUAS, SICUT SOLENT CANES LAMBERE; id eſt, ſumptam e profluente cava manu aquam ad os applicuerint, & lambuerint; ut verſu ſequente explicatur. Indicium ignaviæ, timidatis, ac trepidationis, hoſte propinquo. Ioſephus Lib. V. cap. X. *Quotquot procumbentes biberent, eos viros fortes crederet: quotquot autem trepide ac tumultuarie potum ſumerent, ſic exiſtimaret, eos metu hoſtium hoc facere. Trecenti inventi ſunt cum perturbatione aquam ſumere, cavis manibus ori admovendo*. Theodoretus quæſt. XV. *Cum plures celeriter ſe demittentes genu flexo biberent: trecenti vero per ignaviam manu aquam ori admoverunt: hos ſolos ut ignavos & ſocordes iuſſit in hoſtes irruere*: Hinc adagium, *Ut canis e Nilo bibit*, de trepidis & ſugientibus: de quo vide Plinium Lib. VIII. cap. XL. Solinum cap. XX. AElianum Hiſtoriæ Animalium Lib. VI. cap. LIII. & Lib. I. variæ Hiſtoriæ, cap. IV. Macrobium Lib. II. Saturnaliorum, cap. II. Et hæc interpretatio magis congruit inſtituto Dei, huius victoriæ laudem in ſolidum ſibi tribuentis: tum & myſterio, quo Deus paucis & invalidis mundum ſub iugum Evangelii miſit, quo Iſaias reſpexit cap. IX. verſ. 4. & Paulus latius explicavit I. Corinth. 1. verſ. 26. & ſequentibus. Vide hic Theodoretum. QUI AUTEM CURVATIS GENIBUS BIBERINT; id eſt, procumbentes ſuper aquas ſecure & intrepide, nullo metu hoſtium, huc illuc reſpectantes.

V. 6. QUI MANU AD OS PROIICIENTE LAMBUERUNT AQUAS. Hebr. *lambentium manu ſua ad os ſuum*. Quidam: *Qui manu ſua lambendo, ore ſuo trahebant aquam*. Alii: *Qui manu ſua ſumptam aquam lambebant*, ſeu *bibebant de manu*. Nonnulli: *Lambentium aquam manu ad os admota*. Aliqui: *Qui lamberant, ſua manu ad os ſuum iniicientes aquam*.

V. 7. OMNIS AUTEM RELIQUA MULTITUDO, &c. Hebr. *Et omnis populus abibunt*, vel *abeunto quiſque in locum ſuum*; id eſt, omnes illi qui in genua ſe curvaverunt.

V. 8. ET TUBIS. Hebr. *& tubas ſuas*. Quidam, *& tubas eorum*, vel *buccinas illorum*, nimirum omnium qui prius abierant, verſ. 3. & tunc abibant: ut plures eſſent buccinæ, quo maior eſſet fragor & ſtrepitus clangentium. ET IPSE CUM TRECENTIS VIRIS SE CERTAMINI DEDIT. Heb. *Et in trecentis viris apprehendit*. Hiſpanice, *hizo preſa*. Quidam: *Et in trecentis viris fecit robur*; id eſt, totum robur exercitus in trecentis illis viris conſtituit. Alii: *Et in trecentis viris obfirmavit* exercitum. Nonnulli: *Et trecentos tantum viros retinuit*. Hiſpanicus Interpres: *Y retuvo a aquellos trecientos varones*. Alius: *Y de los trezientos hombres travò*.

V. 10. PHARA. Hebr. פרה *Purah*. Varie exponi poteſt: *Frugifer, fructuoſus, labefactans, ſors, torcular*: omnia ſunt ſigni-

gnificata boni ominis in re præſenti.

V. 12. Fusi iacebant in valle. Hebr. *cadentes in valle*; id eſt, ſtrati, ſparſim iacebant per illam convallem. Ut locustarum multitudo. Videntur fuiſſe centum triginta quinque millia virorum, ut apparet ex cap. VIII. verſ. 10.

V. 13. Subcinericius panis. צלול *tzelul*, vel צליל *tzelil*, quidam a צלה *tzalah* deducunt, exponuntque, *Aſſum*, *aſſaturam*, *toſtum*, *tortam*, *panem ſub cineres*, *ſeu carbones coctum*. Unde reddunt: *Et ecce torta*, vel *toſtum*, *panis hordeorum*, vel *toſtus panis hordeaceus*. Alii a צלל *tzalal*: *Et ecce tinnitus*, *ſtrepitus*, *tremor*, *panis hordeorum*. Videtur intelligere ſtrepitum illum quem edit panis ſub carbonibus, dum aſſatur & torretur. Volvi. Participium מתהפך *mithappech*, exponunt, *devolventis ſeſe*, vel *devolvens ſeſe*, ſive *vertebat ſeſe*. Aiunt fuiſſe rotundum, & orbicularem, qui rotabat, & volvebatur in caſtris Madianitarum. Non abſurde intellexerim, tortam panis hordeacei *vertentem ſeſe*, id eſt *reverſatam*, ut Noſter loquitur Oſee VII. verſ. 8. quaſi verſam inter prunas, & ex utraque parte toſtam. Ad tabernaculum. Quidam ſingulare pro plurali capiunt, *ad tentoria*, ad unumquodque tentorium; unde reddunt: *Et perveniens ad tentoria*, *concutiebat ipſa ita ut caderent*, *ſubvertebatque ipſa*, *ita ut lapſa iacerent tentoria*. Alii, *ad tentorium*; quaſi dicat, ad tentorium omnium elegantiſſimum, & fortiſſimum, ad ipſum prætorium, ſeu tentorium Imperatoris. Et terrae funditus coaequavit. Hebr. *Et vertit illud de ſupra*, *& cecidit tentorium*. *De ſupra*, id eſt deſuper, ſuperne, a ſummo ad imum, vel ab imo ad ſummum. Italice dicunt, *ſotto ſopra*; vel *ſurſum verſus*.

V. 15. Et interpretationem eius. Hebr. *& fracturam*, *fractionem eius*, id eſt interpretationem, diſtributionem partium, & membrorum eius. Alii, *fractionem eius*, id eſt ſolutionem, & expoſitionem eius. Quidam notant duci metaphoram a fractione nucum, unde eruuntur nuclei; quaſi dicat, *Enucleationem*, *& explicationem eius*. Neſcio qua fronte quidam hic vertunt: *Et fuit cum audiſſet Gedeon narrantem ſomnium*, *& fractorem illius*: cum nulla Hebraice forma ſit participiorum, aut nominum adiectivorum.

V. 16. Lagenasque. כדים *caddim* retinet etiamnum in Græca, & Latina lingua ſuam appellationem, *cados*, *hydrias*, *amphoras*, *lagenas*, *cantharos*, *teſtas*, *ollas*, *fictilia*. Sic verſ. 19._20.

V. 18. Domino, et Gedeoni; ſubaudi, *gladius eſt*, e verſ. 20. infra.

V. 19. Incipientibus vigiliis noctis mediae. Hebr. *in capite*, vel *ad caput vigiliæ mediæ*. Quidam, *principio vigiliæ mediæ*; id eſt, ſub mediam noctem, qua cuſtodes & vigiles mutari ſolent commoditatis cauſa pro caſtrenſi inſtituto: nimirum initio tertiæ vigiliæ, quæ media nocte inibatur. Nonnulli reddunt, *in capite cuſtodiæ ſtatæ*, *conſtitutæ*; id eſt, initio illius diligentiſſimæ, & attentiſſimæ cuſtodiæ, quæ certa cura ac diligentia obibatur. Et custodibus suscitatis. Hebr. *Sed*, *verum*, *excitando excitaverunt cuſtodes*; id eſt, illi quorum erat excitare cuſtodes, iam excitaverunt illos; quaſi dicat: Excitatis iam vigilibus, qui tertiam vigiliam obituri erant. Vegetius Lib. III. cap. VIII. *In quatuor partes ad clepſydram ſunt diviſæ vigiliæ*, *ut non amplius*, *quam tribus horis nocturnis neceſſe ſit vigilare* (videlicet, ſingulos vigiles.) *A tubicine omnes vigiliæ committuntur*: *& finitis horis a cornicine revocantur*. Et par eſt credere vigiliarum uſum & ante Romanos, & aliis nationibus uſurpatum. Quidam parentheſi reddunt (*Tantummodo demum ſtatuebant cuſtodes*.) Alii, *ſubito excitantes vigiles*, ut ad Gedeonem, & ſocios referatur, qui magno ſtrepitu excitaverunt, & commoverunt vigilias, ut caſtra terrore implerent, adeſſe iam hoſtem.

V. 21. Omnia itaque castra turbata sunt. Futurum ירץ *iaratz*, quidam a רצץ *ratzatz* deducunt, redduntque: *Et concuſſa*, *fracta*, *conculcata*, *oppreſſa*, *conquaſſata*, *contrita fuit omnis caſtrametatio*, *turma*, *acies*, *agmen*. Alii a רוץ *rutz*: *Et cucurrit*, *diſcurſabat*, *diſcurrebat*, *omnis caſtrametatio*, præ terrore hoſtium, hinc inde incerta fugæ captantes.

V. 22. Immisitque Dominus gladium in omnibus castris, et mutua se caede truncabant.

BANT. Hebr. *Et poſuit Iehovah gladium viri in proximum ſuum, & in omnibus caſtris*. Quidam: *Direxitque Dominus cuiuſque gladium in proximum ſuum, idque per omnia caſtra*: vel & *in univerſum exercitum*; id eſt, effecit Dominus ut mutua ſe cæde conficerent. Alii: *Et obvertit Iehovah gladium unius in alterum, idque per tota illa caſtra*.

V. 23. USQUE AD BETHSETTA. Hebr. בית-השטה *Beth-Haſchſchittah*. Huius urbis nulla alibi extat notitia, niſi forſan Iudith IV. verſ. 5. quæ *domus ſpinæ* exponitur: forſan quod in eo loco arbores illæ pulcherrimæ etiam naſcerentur, habentes ſimilitudinem albæ ſpinæ, ex qua materia arca, & alia tabernaculi inſtrumenta confecta ſunt, quæ *ligna ſcettim* appellata fuere. Vide Exodi XXV. verſ. 5.

Omiſit hic Noſter locum alium, qui Hebraice vocatur *Tzererathah*, vel *in Tzererath*. Quidam volunt hanc eſſe Tzarthan Ioſue III. verſ. 16. de qua ibi nonnulla notavimus. Unde hic exponunt, per Tzereram; id eſt, per agrum Tzarthanis, ut colligitur ex I. Reg. IV. verſ. 12. Sane ſitus Tzererath hic poſitus, mirifice congruit cum eo Tzarthanis, qui I. Reg. deſcribitur.

ET CREPIDINEM ABELMEHULA. Hebr. *uſque ad labium, littus, ripam, oram, marginem, limitem Abel-Mechulah*. Quidam explicant: *Uſque ad ripam* Iardenis ex adverſo *Abel-Mecholæ*: vel *uſque ad ripam Abel-Mecholæam*; id eſt, uſque ad ripam Iordanis proximam urbi Abel-Mecholæ.

Abelmehula. Hebr. אבל מחולה *Abel-Mecholah*. Hic aliqui *Abel*, non ut nomen proprium, ſed appellativum capiunt, redduntque: *Et uſque ad marginem tractus*, ſeu *planitiei*, *Mecholah*: volunt enim אבל *abel* ſignificare interdum *tractum*, id eſt regionem, potractionem, planitiem, ſeu campum, ut Numeror. XXXIII. verſ. 49. I. Samuel. VI. verſ. 18. Plerique tamen proprium nomen urbis eſſe volunt, Abel-Moholah: de qua Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Abel Mebula, urbs unius de principibus Salomonis: unde fuit & Eliſeus propheta. Eſt autem nunc vicus in Aulone* (id eſt, in valle grandi atque campeſtri per quam fluit Iordanis) *in decimo a Scythopoli milliario contra auſtralem plagam nomine Beth-abula. Sed & Abel mea villula nuncupatur inter Neapolim & Scythopolim*. Ex hac oriundus fuit Eliſeus Propheta, I. Reg. XIX. verſ. 16. Quidam tribui Ephraim adſcribunt, e I. Reg. IV. verſ. 12. Alii Manaſſi. Exponitur *luctus chori*, vel *choreæ, aut tibiæ*, ſeu *fiſtulæ*: vel *luctus ægritudinis*; forſan, quod locus inſalubris eſſet: vel *tractus, planities, campus, concavus*, aut *arenarius*. IN TEBBATH. Hebr. טבת *Tabbath*. A bonitate nomen habet, quod forte terra eſſet bona, & ubere gleba. Quidam putant hanc eſſe *terram Tob*, infra cap. XI. verſ. 3.

V. 24. ET OCCUPATE AQUAS USQUE BETHBERA, ATQUE IORDANEM. Quidam Hebræa convertunt: *Et præoccupate illis aquas Beth-baram uſque, nempe Iardenis aquas*: ſic mox; id eſt, præocupate vada Iordanis uſque Beth-Baram. Alii: *Et præripite eis aquas uſque ad Beth Bara, & Iordanem*; id eſt, ne poſſint aquari, & ſiti conficiantur. *Bethbera*. Hebr. בית-ברה *Beth-bara*. Tremellius, Iunius, Montanus, Scaliger, Druſius, & alii exiſtimant hanc eſſe eam, quæ Ioan. I. verſ. 28. Græcis exemplaribus dicitur *Bethabara*, quaſi Hebraice *Beth-babarah*; ut ſolet He præfigi nominibus, quæ ex appellativis propria fiunt: vel Beth-Barah: & ſane ſitus Beth-barah apud Iordanem, omnino congruit illi Bethabaræ apud Ioannem, quæ quoque ſecus Iordanem deſcribitur. Difficultas eſt, quod hæc cis Iordanem, illa trans Iordanem fuiſſe videatur. *Beth-berah*, exponitur *domus pura, nitida, ſplendida*: vel *domus frumentaria*; vel quod in ea eſſent horrea publica regionis; vel quod frumento abundaret.

V. 25. OREB. Hebr. עורב *Ghoreb*, ex Hebraici ſermonis ratione omnia iſta poteſt ſignificare, *Mixtor, miſcellaneus, acceptus, gratus, congruens, ſuavis, ſponſor, fideiuſſor, pignerator; corvus, arabs, campeſtris*. IN PETRA OREB. Hebr. In צור-עורב *in Tzur-Ghoreb*. Putant eſſe nomen proprium loci, quaſi *Rupes Ghoreb*, nempe locum natura, & arte munitum, quem ſibi tamquam arcem & propugnaculum tegni princeps ille Ghoreb ſtatuerat: de quo vide Iſaiæ x. verſ. 26. ZEB. Hebr.

זאב *zeeb* lupum ſignificat: & fuit id nomen quibuſdam Maurorum regum olim in Hiſpania uſitatum. TRANS FLUENTA IORDANIS. Notant, iam tum Gedeonem cum ſuis hoſtes perſequendo traieciſſe Iordanem, ut oſtendit verſus quartus capitis ſequentis. Unde apparet hæc per prolepſin dicta.

MENOCHII.

Verſ. 2. AD FONTEM, QUI VOCATUR ARAD. Adrichomius vult fontem hunc eſſe in auſtrali latere montium Gelboe: in Hebræo dicitur Fons *Charod*; quaſi dicas, *Fontem terroris*, ſive *pavoris*: ſive a terrore Madianitarum quem non longe ab hoc fonte paſſi ſunt; ſive a timore formidoloſorum, qui poſt aquæ hauſtum domum remiſſi ſunt, de quibus paulo poſt. IN VALLE, Iezrael, de qua ſuperiori cap. num. 33. COLLIS EXCELSI: pars quædam montis Gelboe.

V. 2. MULTUS TECUM EST POPULUS. Triginta duo millia pugnatorum habebat in caſtris Gedeon, ut apparet ex verſiculo ſequenti. Numerus vero Madianitarum, ut colligitur ex cap. VIII. num. 10. erat centum triginta quinque millium; ita ut Iſraelitarum ſinguli haberent pluſquam quatuor Madianitas oppoſitos, cum quibus pugnandum erat.

V. 3. QUI FORMIDOLOSUS ET TIMIDUS EST, REVERTATUR. Ut ita ante prælia proclamaretur, iuſſerat Dominus Deuter. xx. 8. Niſi Dominus monuiſſet, fortaſſe lex iſta ſervata non fuiſſet, vel propter feſtinationem, vel quia omnes qui ad commune periculum tam cito, tam alacres concurriſſent, viros eſſe fortes minimeque meticuloſos credibile videbatur. RECESSERUNTQUE DE MONTE GALAAD. Erant Gedeonis caſtra in monte Gelboe, cuius aliquam partem, vel propter ſimilitudinem cum monte Galaad, qui eſt ultra Iordanem, vel ob aliquam aliam cauſam nobis ignotam, montem Galaad dictum eſſe credibile eſt. Abulenſis quæſt. VI. in hoc caput ait, montem Galaad, cuius hic eſt mentio, montem quemdam parvum eſſe ad occidentalem partem Iordanis circa urbem Iezrael. Caietanus putat ſermonem eſſe de monte Galaad, qui eſt ultra Iordanem, ſed eum refert ad homines, hoc modo. Qui formidoloſus eſt, etiam ſi ſit ex tribu Manaſſe, quæ Gedeonis ipſius eſt, & ultra Iordanem in Galaad ex parte commoratur, etiamſi ſit e monte Galaad, recedat. VIGINTI DUO MILLIA VIRORUM. Licet enim omnes vel plerique magno acceſſiſſent animo, non tamen venerunt in conſpectum hoſtilium caſtrorum: expaverunt, & factam diſcedendi poteſtatem amplexi ſunt.

V. 5. QUI LINGUA LAMBUERINT AQUAS: qui cava manu aquam hauſiſſent, eamque canum more lambuiſſent. CURVATIS GENIBUS BIBERINT: qui corpore prono ad fluentes aquas os applicuiſſent, more iumentorum cum bibunt.

V. 7. IN TRECENTIS VIRIS. Trecentos hos viros retineri iuſſit Dominus, quia temperantes viri, & ad ſenſuum voluptatem minimum inclinati, bellicis laboribus magis idonei, & in periculis animo fortiori eſſe ſolent.

V. 11. CONFORTABUNTUR MANUS TUAE. Confirmatur a Deo Gedeon, ut auctior ipſius eſſet fortitudo, & fiducia, utque milites erectiores fierent, & fidentiores: ſi enim, cum triginta duo millia eſſent, tam multi trepidarunt, quid cenſendum de reliquis trecentis, niſi eis Dominus animos addidiſſet? IPSE ET PHARA. Socium aſſumpſit, quia ita a natura comparatum eſt, ut in terroribus omnibus magno vel ſolatio, vel auxilio ſit aliorum, ſi non plurium, duorum certe, vel etiam unius tantum præſentia.

V. 13. AD TABERNACULUM, vel ducis exercitus; vel eſt ſynecdoche unius tabernaculi nomine, omnia exercitus tentoria ſignificans.

V. 14. NON EST HIC ALIUD, NISI GLADIUS GEDEONIS, &c. Bene coniectat: nam Gedeon ex minima familia, & minimus ipſe inter ſuos bene confertur cum pane hordeaceo, qui eſt inferioris notæ quam triticeus. Subitaria etiam & properata expeditio, panis illius celeri volutatione commode refertur. Tabernaculi deiectio, bene everſionem rei Madianitiæ, clademque deſignat.

V. 15. ADORAVIT, Deum ſcilicet, gratias agens, precatuſque, ut porro omnia bene ſuccederent, ut oſtenſo omine Dominus ipſe pollicebatur.

V. 16.

Digitized by Google

*V.*16. DEDIT TUBAS IN MANIBUS EORUM: ex aliorum enim diſceſſu tantus quantus nunc ſufficeret tubarum numerus ſuppetebat. Has *κερατίνας*, id eſt *corneas*, vocant LXX. LAGENAS VACUAS. Septuaginta habent *hydrias*, ut etiam noſter Interpres hoc cap. num. 10. LAMPADES, faces, quales ſunt ex cera, aut quales ſunt tædæ ex picea, aut aliis huiuſmodi reſiniferis arboribus.

V. 18. DOMINO, ET GEDEONI. Quid hoc ſignificet, colligimus ex num. 20. ubi habemus: *Gladius Domini, & Gedeonis*, & ex Chaldæa paraphraſi, quæ eſt huiuſmodi: *Gladius a facie Domini procedit, & victoria per Gedeonis manus eſt*; id eſt, Deus Madianitas ulciſcitur, Gedeon vero hac in re illius miniſter eſt. Iubentur clamare milites, quia editæ vociferationes alacritatem aggredientium oſtendunt, animoſque hoſtium percellunt.

V. 19. INCIPIENTIBUS VIGILIIS NOCTIS MEDIAE. Noctem in horas duodecim dividebant, cuique vero vigiliæ tres horas tribuebant, quare vigiliæ nocturnæ quatuor erant. Mediæ ergo noctis cuſtodia ea eſt quæ media nocte incipit, hoc eſt tertia vigilia. CUSTODIBUS SUSCITATIS. Non quod cuſtodes dormirent, nam tunc primum excubituri venerant; ſed rei novitate perculſos ſignificat.

V. 22. MUTUA SE CAEDE TRUNCABANT, cæcitate ducti, & rabie acti, dum exiſtimant ſe Iſraelitas cædere, quos in caſtris eſſe putabant.

V. 23. CONCLAMANTES AUTEM VIRI ISRAEL, &c. Victoriæ enim fama percrebuerat, itaque ſtatim tribus Nephthali, Aſer, & Manaſſe Madianitas perſecutæ ſunt.

V. 24. OCCUPATE AQUAS, &c. nam Madianitarum reliquiæ in patriam redituræ, illac iter habituræ erant. BETHBERA. Arias putat eſſe eamdem cum Bethabara, quæ *domum tranſitus* ſignificat, quæ ad ripam Iordanis erat, ubi fluvius tranſiri ſolebat. Serarius putat diverſam: nam hæc dicitur *Bethbera*, & ſignificat *domum frumenti*, illa vero Bethabara, ſignificatque *domum tranſitus*, ut dixi.

V. 25. OREB, ET ZEB. Duces Madianitarum. IN PETRA OREB, cui a cæde Oreb nomen factum. IN TORCULARI ZEB. Opinatur Arias *torcular* hic vocari locum aliquem inter vallem depreſſum, qui torcularis formam aliquam habuerit. Sed nihil vetat, & petram, & torcular proprie accipi.

TIRINI.

Verſ. 7. IN TRECENTIS VIRIS, QUI LAMBUERUNT AQUAS, LIBERABO VOS. Ut antea timidi, ſic nunc intemperantiores rejecti a bello, certiſſima impedimenta victoriarum, & peſtes caſtrorum. Cum enim duo ſint modi, e fluentibus aquis bibendi: unus, ut commode in genua procumbat bibiturus, & proſtrato corpore caput in ipſas aquas inclinet, ſicque inſtar bovis uno quaſi ſpiritu, quantum libuerit potet; alter, ut pedibus erectis, ſed corpore incurvato biblturus, vola manus quantum poteſt aquæ hauriat, & id ſurſum ad os ferat, & lingua inſtar canis tum elambat: certum eſt, qui poſteriore hoc modo bibunt, fortiores ſeſe, magiſque temperantes præbere, eo quod in defatigatione, & ſiti, quia non minus quam alii torquentur, ne hoc quidem ſibi pauxillulæ aut quietis, aut refocillationis indulgere velint, ut genibus inflexis, & ore propius admoto aquas commodius, quietius, abundantius hauriant. Ita fere Lyranus, Arias, Serarius.

V. 14. NON EST HOC ALIUD, NISI GLADIUS GEDEONIS. Uti ſomnium Madianitæ non fuerat humanum, fortuitum, aut naturale, neque a dæmone, ſed a Deo immiſſum; ita & explicatio illius non niſi angelicæ ſuggeſtioni, aut divinæ revelationi aſcribenda eſt: quia alioqui non potuiſſet Gedeon illa ſolide niti, aut per illam certo confirmari. Ita Arias, & Abulenſis. Eſt alioquin inter hunc panem ſubcinericium & Gedeonem nonnulla quoque ſimilitudo, inquit idem Arias: nam ut panis hordeaceus, qui ex vilioribus eſt, ſub cinerem cito coctus, viſus eſt e terra, & ſtatione Iſraelitarum ſublime raptim tolli, volvique identidem ac revolvi, tandemque in Madianitarum caſtra devolvi, regium tabernaculum petere, ferire, proſternere; ita Gedeon in ſpeciem abjectus, & vix de nomine notus, ſubito & tumultuarie pauculis in unum coactis copiis, exitio certiſſimo Madianitis futurus

rus prænuntiatur. Et Hebræi, qui hactenus fuerant quaſi panis & eſca Madianitarum, deinceps gladius eorumdem, & exitium devorantium ſe futuri dicuntur. Ita S. Auguſtinus, Abulenſis, & Lyranus.

V. 16. DEDIT LAGENAS VACUAS (has verſ. 20. vocat *hydrias*, puta teſtaceas) AC LAMPADES. Sic vocantur omnes lucernæ, non modo quæ oleo, aut alia humida materia conſtant, ſed etiam quæ dura & concreta, ut ſunt cereæ, oleaginæ, piceæ faces, aut tædæ. Erant ergo lampades Gedeonis, lignei torres ex pino, cedro, vel cypreſſo, pice, cera, vel reſina obliti, qui facile ignem ſovebant, & vento magis accendebantur. Ita Arias, & Serarius.

V. 22. IMMISIT DOMINUS GLADIUM IN OMNIBUS CASTRIS. Heb. *Immiſit gladium uniuſcuiuſque in proximum ſuum, in totis caſtris.* Madianitæ enim putantes iam Hebræos in mediis ſuis caſtris graſſari præ pavore, mærore, & ita quiſque ſibi vicinum hoſtem eſſe exiſtimans, gladio aut haſta traiiciebat, & qui fugiebant, alios quoque ſequentes fugientes arbitrabantur hoſtes eſſe, ſuoque iugulo imminere. Inſequebantur enim Hebræi continuo tubarum undique perſonantium clangore, & ignium collucentium fulgore, & conclamantium ex omni parte ſtrepitu: neque ullum turbatis Madianitis aut diſquirendi, aut quid agendum eſſet, ſtatuendi ſpatium dabatur. Simili pene ſtratagemate narrat Dio *a*, Pompeium in nocturna cum hoſte formidoloſiſſimo Mithridate pugna, innumerabiles illius copias turbaſſe, fugaſſe, contriviſſe. Et etiamnum in bello moris eſt, quam poteſt quiſque, maximum terrendo turbandoque hoſti ciere ſtrepitum, armorum concuſſione, manuum, pedumque pulſu, tympanorum, tubarum, bombardarum minorum, maiorumque mugitu ac reboatu.

V. 25. OREB ET ZEB. Hi duo e quatuor Madianitarum regibus, ſeu ducibus capti ab Hebræis circa vada Iordanis, nomen ab infelici morte ſua locis ubi occiſi ſunt indiderunt, *Oreb in petra*, *Zeb in torculari*, ad quod forte latebræ cauſa confugerat. Reliqui duo principes *Zebee* & *Salmana* cap. ſeq. capti, & occiſi ſunt. Hanc victoriam comparat Abulenſis cum ea quæ Ioſaphato regi cælitus data fuit II. Paralip. xx. Multiſque nominibus præferenda illi ceteroqui glorioſiſſimæ pugnæ illorum etiam trecentorum Lacedæmoniorum, qui Leonida duce ad Thermophylas numeroſiſſimo ſeſe Xerxis exercitui obiecerunt, & viginti millibus contrucidatis, morti demum omnes ad unum ipſo loco ſuccubuerunt. Nam noſtri trecenti Gedeonii ſupra centum hoſtium millia, ut cap. ſeq. dicetur, & quidem ſolis tubis, ac tædis internecioni dederunt, ne vel uno ſuorum deſiderato, aut læſo.

Allegoricum de Chriſto, & SS. Euchariſtia, & moralem de virtutibus heroicis ſenſum Gedeonicæ victoriæ, lampadum, tubarum, & panis ſubcinericii, vide apud Origenem, Gregorium, Leonem Caſtrium, Ioannem Oſorium, & Serarium *b*.

(*a*) Dio Lib. XXXVI.
(*b*) Orig. hom. IX. Greg. Lib. XXX. Moral. cap. XVII. Leo Caſt. in cap. X. Iſaiæ. Oſor. ſerm. de exped. contra Hæret. & de redit. Hiſp. e bello Anglico.

GORDONI.

Verſ. I. Caſtra Gedeonis ad fontem Harad in monte Galaad ex verſ. 3. caſtra Madian in valle iuxta montem Gelboe, quæ cap. VI. verſ. 33. dicta eſt vallis Ieſrael.

V. 6. QUI LINGUA LAMBUERINT, ſeu, ut aliqui legunt, qui manu & manu. Separandi ergo ſunt qui aquam lambuerint; & inventi ſunt trecenti. His reſervata eſt victoria.

V. 13. SUBCINERICIUS PANIS. Hebr. צליל *tſelil*, *aſſatus inter prunas*. AD TABERNACULUM, primarium in eo exercitu, ut aliqui interpretantur, ex particula ה *ha*, quæ deſignat aliquid eximium; & ubi erat princeps.

V. 16. Gedeon aciem inſtruit, ſed miro modo. Singuli armantur tuba, lagena vacua, & lampade. Has tubas Septuag. vocant κερατίνας, *corneas*. Ioſeph. κριῶ κέρατα. Latinus, verſ. 19. vertit *buccinas*. Lagena porro ſingulis, ſeu ex verſ. 20. hydria; ſed vacua ad maiorem ſtrepitum, cum franguntur hæc vaſa fictilia. At quid ſunt lampades? Sane tædæ, aliæque faces ardentes. Nam alioqui confractis hydriis extinctæ fuiſſent effuſo oleo. Quid iam actum ſit diſce ex verſ. 20. & 21. Sic inſtructa acies, e monte fertur, iniecto terrore,

rore, novis ſemper ſuccedentibus cauſis terroris; prout ordine dabat ſignum Gedeon.

V. 18. CONCLAMATE DOMINO, ET GEDEONI, ſcilicet victoria. Chald. *gladius Domini, & victoria Gedeonis.*

V. 19. ET TRECENTI VIRI. Hebr. *Centum viri*: verum trecenti erant, diſtributi in tres ordines, vel turmas. Hinc Gedeon primus acceſſit cum ſua turma centum virorum: aliæ turmæ inſequuntur. Notatur vigilia. Hebræis nox erat in tres vigilias, ſeu cuſtodias diviſa.

V. 24. CONCLAMAVITQUE OMNIS EPHRAIM: congregatus, ſeu convocatus eſt, verſ. 2.

V. 25. Ephraim interſecit *duos viros* principes, *Oreb*, & *Zeb*. Septuag. habent, *principes*.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. MULTUS...POPULUS. Ad triginta duo millia pugnatorum. Madianitæ in cantris ad centum triginta quinque millia, ex cap. VIII. num. 10.

V. 3. De formidoloſis, vide Deut. XX. 8.

V. 22. MUTUA SE CAEDE TRUNCABANT. Exiſtimabant ſe occidere Iſraelitas, quos putabant eſſe in caſtris,

V. 25. OREB ET ZEB, duces Moabitarum. Oreb nomen ſecit petræ.

C A P U T VIII.

Ephraim inſurgit adverſus Gedeon; qui devictis Zebee & Salmana, viros Soccoth & Phanuel perdidit, & ex inauribus aliiſque populi donis fecit Ephod quod domui ſuæ & Iſraeli fuit in ruinam: poſtquam autem quadraginta annis præfuit, generatis ſeptuaginta filiis ex uxoribus, & uno ex concubina, mortuus eſt, reditque Iſrael ad idololatriam.

1. DIxeruntque ad eum viri Ephraim: Quid eſt hoc quod facere voluiſti, ut nos non vocares, cum ad pugnam pergeres contra Madian? iurgantes fortiter, & prope vim inferentes. 2. Quibus ille reſpondit: Quid enim tale facere potui, quale vos feciſtis? nonne melior eſt racemus Ephraim, vindemiis Abiezer? 3. In manus veſtras Dominus tradidit principes Madian, Oreb & Zeb: quid tale facere potui, quale vos feciſtis? Quod cum locutus eſſet, requievit ſpiritus eorum, quo tumebant contra eum. 4. Cumque veniſſet Gedeon ad Iordanem, tranſivit eum cum trecentis viris qui ſecum erant: & præ laſſitudine, fugientes perſequi non poterant. 5. Dixitque ad viros Soccoth: Date, obſecro, panes populo qui mecum eſt, quia valde defecerunt; ut poſſimus perſequi Zebee & Salmana reges Madian. 6. Reſponderunt principes Soccoth: Forſitan palmæ manuum Zebee & Salmana in manu tua ſunt, & idcirco poſtulas ut demus exercitui tuo panes. 7. Quibus ille ait: * Cum ergo tradiderit Dominus Zebee & Salmana in manus meas, conteram carnes veſtras cum ſpinis tribuliſque deſerti. 8. Et inde conſcendens, venit in Phanuel: locutuſque eſt ad viros loci illius ſimilia. Cui & illi reſponderunt, ſicut reſponderant viri Soccoth. 9. * Dixit itaque & eis: Cum reverſus fuero victor in pace, deſtruam turrim hanc. 10. Zebee autem & Salmana requieſcebant cum omni exercitu ſuo. Quindecim enim millia viri remanſerant ex omnibus turmis orientalium populorum, cæſis centum viginti millibus * bellatorum educentium gladium. 11. (*a*) Aſcendenſque Gedeon per viam eorum qui in tabernaculis mora-

rabantur, ad orientalem partem Noba & Iegabaa, percuſſit caſtra hoſtium, qui ſecuri erant, & nihil adverſi ſuſpicabantur. 12. Fugeruntque Zebee & Salmana, quos perſequens Gedeon comprehendit, turbato omni exercitu eorum. 13. Revertenſque de bello ante ſolis ortum, 14. apprehendit puerum de viris Soccoth: interrogavitque eum nomina principum & ſeniorum Soccoth, & deſcripſit ſeptuaginta ſeptem viros. 15. Venitque ad Soccoth, & dixit eis: En Zebee & Salmana, ſuper quibus exprobaſtis mihi, dicentes: Forſitan manus Zebee & Salmana in manibus tuis ſunt, & idcirco poſtulas ut demus viris, qui laſſi ſunt & defecerunt, panes. 16. Tulit ergo ſeniores civitatis & ſpinas deſerti ac tribulos, & contrivit cum eis, atque comminuit viros Soccoth. 17. Turrim quoque Phanuel ſubvertit, occiſis habitatoribus civitatis. 18. Dixitque ad Zebee & Salmana: Quales fuerunt viri quos occidiſtis in Thabor? Qui reſponderunt: Similes tui, & unus ex eis quaſi filius regis. 19. Quibus ille reſpondit: Fratres mei fuerunt, filii matris meæ: vivit Dominus, quia ſi ſervaſſetis eos, non vos occiderem. 20. Dixitque Iether primogenito ſuo: Surge, & interfice eos. Qui non eduxit gladium: timebat enim, quia adhuc puer erat. 21. Dixeruntque Zebee & Salmana: Tu ſurge, & irrue in nos: quia iuxta ætatem robur eſt hominis. Surrexit Gedeon, (b) & interfecit Zebee & Salmana: & tulit ornamenta ac bullas, quibus colla regalium camelorum decorari ſolent. 22. Dixeruntque omnes viri Iſrael ad Gedeon: Dominare noſtri tu, & filius tuus, & filius filii tui: quia liberaſti nos de manu Madian. 23. Quibus ille ait: Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus. 24. Dixitque ad eos: Unam petitionem poſtulo a vobis: Date mihi inaures ex præda veſtra. Inaures enim aureas Iſmaelitæ habere conſueverant. 25. Qui reſponderunt: Libentiſſime dabimus. Expandenteſque ſuper terram pallium, proiecerunt in eo inaures de præda: 26. & fuit pondus poſtulatarum inaurium, mille ſeptingenti auri ſicli, abſque ornamentis, & monilibus, & veſte purpurea, quibus reges Madian uti ſoliti erant, & præter torques aureas camelorum. 27. Fecitque ex eo Gadeon Ephod, & poſuit illud in civitate ſua Ephra. Fornicatuſque eſt omnis Iſrael in eo, & factum eſt Gedeoni & omni domui eius in ruinam. 28. Humiliatus eſt autem Madian coram filiis Iſrael, nec potuerunt ultra cervices elevare: ſed quievit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit. 29. Abiit itaque Ierobaal filius Ioas, & habitavit in domo ſua: 30. habuitque ſeptuaginta filios, qui egreſſi ſunt de femore eius: eo quod plures haberet uxores. 31. Concubina autem illius, quam habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech. 31. Mortuuſque eſt Gedeon filius Ioas in ſenectute bona, & ſepultus eſt in ſepulcro Ioas patris ſui in Ephra de familia Ezri. 33. Poſtquam autem mortuus eſt Gedeon, averſi ſunt filii Iſrael, & fornicati ſunt cum Baalim. Percuſſeruntque cum Baal fœdus, ut eſſet eis in Deum: 34. nec recordati ſunt Domini Dei ſui, qui eruit eos de manibus inimicorum ſuorum omnium per circuitum: 35. nec fecerunt miſericordiam cum domo Ierobaal Gedeon, iuxta omnia bona quæ fecerat Iſraeli.

(a) Oſe. x, 14. (b) Pſalm. lxxxii. 12.

BRU-

Digitized by Google

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 7. *Cum ergo tradiderit Dominus Zebee & Salmana in manus meas*. Sequitur in multis libris, *Et cum reverſus fuero victor in pace;* ſed non eſt huius loci, at verſus noni ſequentis.

V. 9. *Dixit itaque & eis*. Non omittas & pro *etiam* poſitum.

V. 10. *Bellatorum educentium gladium*. Non interponas & coniunctionem.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. FACERE VOLUISTI. Hebr. Chald. & LXX. *feciſti*.

V. 2. QUID ENIM, &c. Hebr. Chald. & LXX. *Quid feci nunc, ſicut vos*. ABIEZER; quaſi dicat, familiæ meæ. Chald. *Meliores debiles Ephraim, quam fortes Abiezer*.

V. 11. EORUM QUI, &c. Chald. *Arabum*.

V. 13. SOLIS ORTUM: ſcilicet una nocte bellum totum confecerat. Alii vertunt, *occaſum*. Chald. *ſolis introitum*.

V. 16. CONTRIVIT, ſcilicet nudos.

V. 18. UNUS, pro unuſquiſque.

V. 19. FILII MATRIS, id eſt fratres ex parte matris.

V. 21. ORNAMENTA. Hebr. & Chald. *lunulas*: ſcilicet erant figura lunæ.

V. 26. MONILIBUS. Chald. *coronis*.

V. 27. FECITQUE, ſcilicet in fine vitæ: forte autem a parte totum intelligendum; id eſt, omnia ad Dei cultum pertinentia. Auguſtinus quæſt. XLII. in Iudic. FORNICATUSQUE, ſcilicet per idololatriam. IN RUINAM, ſcilicet occaſio idololatriæ.

E S T I I.

Verſ. 16. TULIT ERGO SENIORES CIVITATIS ET SPINAS DESERTI AC TRIBULOS, ET CONTRIVIT CUM EIS. Præcedit immediate ante; quod prius vocaverit puerum de viris Soccoth, interrogans nomina principum, & ſeniorum Soccoth, & deſcripſerit ſeptuaginta ſeptem viros. In hoc facto ergo Gedeonis commendanda eſt prudentia ſimul, & ſeveritas in vindicandis malis. Prudentia, in eo quod annotat nomina ſeniorum civitatis, volens parcere multitudini, & in eos ſolos vindictam exercere qui peccaverant. Nempe prius narratur non plebem, ſed principes Soccoth contumelioſe Gedeoni reſpondiſſe. Et hoc omnibus principibus eſt imitandum: quatenus fieri poteſt, ut multitudini parcentes, in eos ſolos animadvertant, quos eſſe noverunt rebellionis capita & auctores. Et in illos etiam laudabiliter exerceatur ſeveritas, qualem hic exercuiſſe legitur Gedeon, conterendo, & comminuendo eos cum ſpinis, & tribulis deſerti. Vide etiam ſimilem locum II. Regum XI.

V. 22. DOMINARE NOSTRI TU, ET FILIUS TUUS: & infra: NON DOMINABOR VESTRI, NEC DOMINABITUR IN VOS FILIUS MEUS, SED DOMINABITUR VOBIS DOMINUS. Videntur expetiviſſe Gedeonem in regem, qui abſolute, & regali iure eis imperaret; idque putabant meritis eius deberi. Gedeon autem illam eorum petitionem tamquam populo Dei minime conſentaneam reiecit; ſed tantum acceptavit principatum, qualem ſuperiores Iudices geſſerant. Et ad hoc ſignificandum, noluit imperare ut ſibi darentur omnes inaures ex præda, ſed petere hoc ſe ab illis dixit. Petebat ergo populus Gedeonem ſibi fieri dominum, quomodo filii Iſrael I. Reg. VIII. petiverunt ſibi dari regem: & utrique petendo peccaverunt, ſcilicet non contenti tali principatu quem in illo populo Dominus conſtituiſſet; idque partim diffidentia divini auxilii, partim ambitione, & æmulatione aliarum gentium: unde & dicebant ad Samuelem loco citato: *Da nobis regem, ut ceteræ habent nationes*. Quod, quan-

Digitized by Google

quantum Deo diſplicuerit, indicat idem, ſic dicens ad Samuelem: *Non te abiecerunt, ſed me ne regnem ſuper eos*.

V.27. FECITQUE EX EO GEDEON EPHOD.....FORNICATUSQUE EST OMNIS ISRAEL IN EO. Ephod eſt indumentum ſacerdotale, quod ſuperhumerale vocatur. Auguſtinus, ex parte totum intelligens, putat Gedeonem inſtituiſſe in civitate ſua omnem ornatum ſacerdotalem neceſſarium ad ſacrificandum, non idolis, ſed uni Deo, quamquam poſtea populus iiſdem ornamentis abuſus fuerit ad idololatriam; & hoc eſſe quod dicitur: *Fornicatuſque eſt omnis Iſrael in eo*. Et hoc recte: fornicatio enim idololatriam ſignificat ubi de religione fit ſermo. Id autem factum eſt, non vivente Gedeone, ſed poſt eius mortem, quamquam hic per anticipationem referatur.

Sed quæritur, an non ſaltem Gedeon peccaverit, qui huius idololatriæ occaſio fuerit, fabricando Ephod? Quidam reſpondent eum pœnitentiam huius facti egiſſe ante mortem. Quibus obiicitur: Si pœnitentiam egit, quomodo non deſtruxit quod fecerat? Unde dicendum videtur, peccaſſe eum per ignorantiam, idque ex imprudenti, & inordinato zelo pietatis, non attendens quam gravi de cauſa Dominus præcepiſſet, in uno tantum loco a ſe deſignando offerenda eſſe ſacrificia. Nec aliam puto mentem eſſe Auguſtini quæſt. XLI. & XLIX. ſuper Iudices. Peccaſſe enim Gedeonem affirmat, ſed magnitudinem culpæ non explicat. Verum qualiſcumque eius culpa fuerit; attamen ſancte eum obiiſſe, non eſt quod dubitetur, atteſtante Scriptura, quod *mortuus eſt in ſenectute bona*. Hoc enim non niſi de ſanctis viris ſcribitur. Deinde eadem Scriptura dicit: *Poſtquam mortuus eſt Gedeon, averſi ſunt filii Iſrael, & fornicati ſunt cum Baalim*. Hinc enim colligitur Gedeonem, quoad vixit, diligenter continuiſſe populum in vero Dei cultu. Vide Comment. noſtrum in Epiſtolam ad Hebr. cap. XI. verſ. 32.

V. 31. CONCUBINA AUTEM ILLIUS, QUAM HABEBAT IN SICHEM. Erat hæc tamen vera uxor. Sed concubina vocatur more Scripturæ, quia ſerva cum eſſet, abſque conſuetis, & ſolemnibus cæremoniis ducta erat in coniugem. Et quidem ſervam fuiſſe conſtat ex capite ſequenti, ubi ancilla Gedeonis nominatur.

MARIANAE.

Verſ. 1. QUOD FACERE VOLUISTI? Hebr. *feciſti*: ſic Sept. & Chald. Conqueritur Ephraim, quod ad id bellum non ſit vocatus.

V. 2. QUID ENIM TALE FACERE POTUI, QUALE VOS FECISTIS? Quid feci nunc ſicut vos? ſupple, feciſtis. Hebr. *Nonne melior racemi* (pro racemus) ſeu *racematio Ephraim præ vindemia Abiezer*? Ex hac familia erat Gedeon: ſignificatque poſteriorem vindemiam, qua botri colliguntur, & ad quam venit Ephraim, meliorem extitiſſe prima vindemia, id eſt victoria Gedeonis. Porro proximus verſus declarat, in quo illi præſtantiores extiterint. Chald. *Meliores debiles Ephraim quam fortes Abiezer*. Verum ſuperior expoſitio commodior eſt.

V. 3. REQUIEVIT. Hebr. *Tunc lenitus eſt*. SPIRITUS EORUM, ſcilicet Ephraim indignatio. Mollis ſermo frangit iram.

V. 5. QUI MECUM EST. Hebr. *Qui eſt in pedibus meis*; id eſt, a pedibus eſt, mihi ſubiectus. DATE illis PANES: ſic Gedeon viris Soccoth.

V.6. RESPONDERUNT PRINCIPES. Hebr. *dixit principes*, pro unus principum: quæ forma loquendi Hebræis inſolens non eſt. Aut ſingulare pro plurali, *dixit* pro *dixerunt*, quod ſecutus eſt Hieronymus, Sept. & Chald. Nolunt panes dare. Quid Gedeon?

V. 7. CONTERAM. Hebr. *triturabo*, vos ſcilicet.

V. 10. ZEBEE AUTEM ET SALMANA REQUIESCEBANT CUM OMNI EXERCITU SUO. Hebr. *Zebee & Salmana in Carcor, & caſtra eorum cum ipſis*. *Carcor* nomen urbis trans Iordanem.

V. 11. ASCENDENSQUE GEDEON PER VIAM EORUM QUI IN TABERNACULIS MORABANTUR. Chald. *Arabum*, nimirum qui inſtar Nomadum domos non habent. Per eam partem, ubi Arabes tendebant, irruit in caſtra. QUI SECURI ERANT, non eſt Hebr. ET NIHIL ADVERSI SUSPICABANTUR. Hebr. *Et caſtra erant in ſpe*; pro, venturi ſecuri.

V. 13.

V. 13. ANTE SOLIS ORTUM. Hebr. *deſuper* (ſcilicet exiſtente) *ſole*, ſive *ex ad aſcenſum ſolis*. Quod quidam referunt ad ſolis ortum, ut Hieronymus; ut ſit ſenſus, Ante aſcenſum ſolis: quod voces Hebraicæ modo expoſitæ poſteriori patiuntur. Indicatur etiam intra unam noctem partam victoriam, & Gedeon reverſum in Soccoth. Alii ſequentes priorem verborum ſignificationem, quæ Pagnini eſt, referunt ad ſolis occaſum, quo Gedeon venit in Soccoth.

V. 16. CONTRIVIT CUM EIS, ſcilicet ſpinis. Hebr. *Et cognoſcere fecit in eis* (ſcilicet ſpinis) *viros Soccoth* Effecit pœna, ut delictum agnoſcerent: quod idem eſt, caſtigavit eos, contrivit eos. ידע *iadab* hic *conterere* ſignificat, ut Hebræi ipſi ſentiunt. Dixit Gedeon ad Zebee, & Salmana, quales erant viri quos occidiſtis? Reſpondent:

V. 18. SIMILES TUI. Hebr. *Qualis tu, tales ipſi*, id eſt tibi ſimillimi. UNUS EX EIS; quaſi dicat: Unus præ ceteris filius regis videbatur: ſic Chald. Aut *unus*, pro unuſquiſque, ſinguli quaſi filii regis. Gedeon:

V. 19. FILII MATRIS MEAE: ſcilicet ex alio patre erant fratres eius. Mandat filio ut occidat eos. Illi: Tu potius occidito:

V. 21. QUIA IUXTA AETATEM ROBUR EST HOMINIS. Hebr. *quia ſicut vir* (id eſt quiſque) *fortitudo eius*; id eſt, ut quiſque eſt, ſic eſt fortis: puer ut puer, vir ut vir. Hieronymus ſententiam bene expreſſit. TULIT ORNAMENTA AC BULLAS, quibus cameli ornantur. Plerique pro *ornamentis & bullis*, vertunt *lunulas*, quod lunæ ſpeciem ea ornamenta referrent; & citant pro ſe Chald. Verum ego in Chald. & Sept. *torques* invenio, qui in collis erant camelorum eorum. Populus offert principatum Gedeoni. Ille:

V. 23. NON DOMINABOR VESTRI. Ea reipublicæ forma non erat regia, ſed ariſtocratica. Petit tamen:

V. 24. DATE MIHI INAURES EX PRAEDA VESTRA. Hebr. *Inaurem*, pro inaures, *date mihi*.

V. 26. MILLE SEPTINGENTI AUREI SICLI. Vox *ſicli* additur ab Interprete: neque Hebr. neque Chald. eſt, nec in Sept. ſed in multis aliis locis Hebraice ſupprimitur, & bene ſuppletur. ABSQUE ORNAMENTIS ET MONILIBUS. Hebr. priori loco *haſaboranim*, pro qua Chald. verſ. 21. *torques* poſuit, hic *lunulas*, quod utroque loco multi ſequuntur. Poſteriori loco eſt *hanetiphoth*, pro qua Hieronymus *monilia* poſuit; Hebræus *torques*, ſeu *collaria*; Chald. *coronas*. Miram varietatem, præſertim cum mox repetatur. *Præter torques aureas camelorum*, non videtur verbis ſuperioribus torques ſignificaſſe camelorum, ſed alia ornamenta.

V. 27. FECITQUE...EPHOD, non ut coleretur, ſed ut victoriæ monimentum eſſet. Sed poſt eius mortem fornicatus eſt populus, colens illud, & fuit in ruinam poſteris Gedeon. id eſt occaſio idololatrandi; & in eis Gedeon ipſe videtur malum & ruinam paſſus, ut littera ait: Obiit Gedeon, & ſepultus eſt

V. 32. IN EPHRA DE FAMILIA EZRI. Hebr. *in Ephra Abiezreitarum*: ſic enim familia ea Gedeonis vocabatur, ut patet verſ. 2. Deinde averſi ſunt Iſraelitæ.

V. 33. PERCUSSERUNTQUE CUM BAAL FOEDUS. Hebr. *Et poſuerunt ſibi Baalberith in deum*. Itaque idolum ipſum vocabatur *Baalberith*, id eſt *Baal fœdus*, ſicut & *Beelzebub*: ſic Chald. niſi quod vocat בעיל קיים *Behil keiam*: *Sibi poſuerunt in errorem*, Chald. quod ſcilicet Heb. eſt *Baalberith*: ſic Sept. certe Regia ſic habent: *Et poſuerunt ſibi Baalberith in fœdus, ut eſſet eis ipſe in deum*. At Romana Biblia Sept. ſic: *Et poſuerunt ſibi fœdus cum Baal*, τῷ Βαὰλ διαθήκην, *ut eſſet eis ipſe in Deum*.

MALVENDAE.

Verſ. 1. IURGANTES FORTITER. Quidam notant, hos iurgandi nactos audaciam ex cæſis a ſe duobus principibus Madianitarum, Horebo, & Zeebo, quaſi eo facinore ſibi præfidentes.

V. 2. QUID ENIM TALE FACERE POTUI, QUALE VOS FECISTIS? Hebr. *Quid feci nunc ſicut vos*? vel *ſecundum vos*? id eſt, quod veſtram virtutem, & præſtantiam æquet? Quidam: *Quid feci nunc cuiuſmodi vos*? ſubaudi, feciſtis; quaſi dicat: Præclariora, & fortiora multo facinora vos in hoc bello edidiſtis quam

ego: nam duos præcipuos Madianitarum principes interfeciſtis. Alii, quaſi dicat: Ego nihil hactenus feci, quod ſit cum factis veſtris comparandum: neque enim gladium diſtrinxi, aut ullum hoſtium interfeci: omnia enim a Deo hactenus, non a me confecta ſunt. RACEMUS. עוללות *gholeloth*, plurale femineum, *racemationes*, id eſt racemi ultimi, qui in vinea poſt vindemiam relinquuntur. Hiſpanice *rebuſca*. Hebræa quidam ita convertunt: *Nonne meliores, præſtantiores, ſunt recemationes Ephraimitarum vindemia Abihezeritarum*. Pugnam cum vindemia, fugientium vero perſecutionem cum racematione comparat; quaſi dicat: Nos Abihezeritæ non tantum pugnando, quantum vos Ephraimitæ fugatos a nobis perſequendo, conſecuti ſumus. Alii: *Nos Abihezeritæ nec viribus, nec præſtantia cum vobis Ephraimitis ſumus comparandi*. Chaldæus: *Infirmi tribus Ephraim præſtantiores ſunt robuſtis familiæ Abihezer*. Hiſpanicus Interpres: *Lo deſhechado de vueſtra tribu, es meior que toda mi familia*.

V. 3. REQUIEVIT SPIRITUS EORUM, QUO TUMEBANT CONTRA EUM. Quidam Hebræa clarius reddunt: *Tunc deſtitit iratus illorum animus ab eo*. Vel *remiſit ſe impetus commoti animi eorum*.

V. 5. SOCCOTH. De hac vide Geneſ. XXXIII. verſ. 17. & Ioſue XIII. verſ. 27. Erat in tribu Gad ultra Iordanem. PANES. ככרות *cicceroth*, *maſſas*, *orbes*, *fruſta*, *tortas*, *tractas*, *buccellas*. Hiſpanicus Interpres, *algunos bocados de pan*. Alii, *bogaças*. Aliqui reddunt: *Date, quæſo, tractas panis*, puta quam celerrime paratas, & coctas, ne noſtrum iter abrumpatur. Alii, *globos panum*. Hiſpanice *bollos*. Alii *quartales de pan*. Melius *quintales*: nam *cicceroth* ſunt *talenta*, quæ ferme Hiſpanis exponuntur *quintales*, quorum unumquodque 140. libras pendit. QUI MECUM EST. Hebr. *Qui in pedibus meis*, vel *qui eſt ad pedes meos*; id eſt, qui ſequitur veſtigia mea, vel qui me ducem ſequitur, aut qui comitatur me. ZEBEE. Hebr. זבח *Zebach*, *mactatorem*, & *victimarium* ſonat, vel quod eſſet truculentus, & interfector; vel quod plures victimas diis mactaret, impenſe religioſus. SALMANA. Hebr. צלמנע *Tzalmunnah*, licebit interpretari *umbram*, ſeu *imaginem mobilem, nutantem, vagam*.

V. 7. CONTERAM CARNES VESTRAS. Hebr. *Triturabo carnem veſtram*: id eſt, & triturando cædam carnem veſtram, nimirum repetitis ictibus, ut ſolent qui triturant, ad necem uſque cædam. Ego potius proprie, & citra metaphoram intellexerim trituraſſe eos cum ſpinis, & tribulis, ut I. Paralipom. XX. verſ. 3. Vide infra verſ. 16. TRIBULISQUE. ברקנים *barkonim*, aiunt ſpeciem eſſe *tribuli acerrimi*, qui, ut fulgur oculos penetrat, ac lædit, ita illi corpus: idcirco conferunt cum ברק *barak*, *fulgur*, & cum עקרבים *ghakrabbim*, *ſcorpionibus*. Unde hic vertunt: *Et triturabo carnem veſtram cum ſpinis deſerti, & ſcorpionibus*. S. Iſidorus Lib. V. Originum, cap. XXVII. *Virgæ ſunt ſummitates frondium, arborumque, dictæ quod virides ſunt, vel quod vim habeant arguendi: quæ ſi lenis fuerit, virga eſt; ſi certe nodoſa, vel aculeata, ſcorpio rectiſſimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infigitur*. Hinc ſæpe in Actis Martyrum occurrit, cæſos eos ſcorpionibus: & ita accipiendi videntur *ſcorpiones* I. Regum XII. verſ. 11. Alii volunt, *barkonim* eſſe *oxyacantham*, ſpinam acutam & validam, implexam, quæ hortorum ſæpe oras ambit, rubentibus baccis, de qua Dioſcorides Lib. I. cap. CXXIII. Hanc aiunt Hiſpanice vocari *perlitero*. Nec deſunt qui putent *barkonim*, voce per metatheſim congruente, eſſe quam Hiſpanice appellamus *cambronera*. *Oxyacantha*, vel *oxyacanthes* huic loco aptius convenit. Vide infra verſ. 16.

V. 8. PHANUEL. De hoc loco vide Geneſ. XXXII. verſ. 30.

V. 10. ZEBEE AUTEM ET SALMANA REQUIESCEBANT. Hebr. *Et Zebach & Tzalmunagh in kar kar*. Divinant eſſe urbem ultra Iordanem verſus terram Madian, ſeptem, aut octo paſſuum millibus a Phanuel diſtantem, non procul torrente Arnon. Quod & ratio, & tempus fugæ Madianitarum indicare videtur. Nec abſurde exponet: *Et Zebach & Tzalmunagh in exparietatione*; ſubaudi, erant, vel manebant: ut intelligamus eos intra ruinas aliquas parietum, ſeu intra parietinas aliquas reliquias fuſi exercitus utcumque ſe muniviſſe.

V. 11. EORUM QUI IN TABERNACULIS MORABANTUR, nimirum Arabum Scenitarum. Strabo Lib. XVI. pag. 766.

766. *Incolunt Arabiam primi poſt Syros & Iudæos, homines agricolæ. Poſt hos regio eſt arenoſa & ſterilis, quæ palmas habet, & ſpinam, & myricam, & foſſiles aquas. Eam Arabes Scenitæ, camelorum paſtores habitant*. Vide eumdem pag. 765. Plinius Lib. VI. cap. XXVIII. *Scenitæ & ipſi vagi, ſed a tabernaculis cognominati, quæ ciliciniis metantur, ubi libuit*. Solinus cap. XXXVI. *Scenitæ cauſam nominis inde ducunt, quod tentoriis ſuccedunt, nec alias domos habent: ipſa autem tentoria cilicina ſunt: ita nuncupant velamenta e caprarum pilis texta*. Diodorus Siculus Lib. II. num. 95. *Arabes Scenitæ, qui paſtores ſunt, & vitam in tabernaculis degunt. Hi magnos pecorum greges alunt, & in vaſtiſſimis campis diverſantur*. NOBE. Hebr. *Nobach*. De hac urbe vide Numeror. XXXII. verſ. 42. IEGBAA. Hebr. *Iogbbehah*. Urbs fuit in tribu Gad: de qua vide Numer. XXXII. verſ. 35.

V. 13. ANTE SOLIS ORTUM. Quidam Hebræa reddunt, *paulo ante æſtum*.

V. 16. ET CONTRIVIT CUM EIS, ATQUE COMMINUIT VIROS SOCCOTH. Hebr. *Et cognoſcere fecit in eis viros Suchoth*; id eſt, notum illis fecit quis ipſe eſſet, & quanta virtute præditus; vel erratum ſuum, quanto ſuo ipſorum damno cibaria exercitui denegaverant. Quidam: *Et docuit, erudivit, in eis viros Suchoth*; hoc eſt, docuit eos ſuo malo ſapere impoſterum. Nonnulli: *Et animadvertit in eis in viros Suchoth*. Alii: *Et ſentire fecit in eis viros Suchoth*; id eſt, punivit, caſtigavit. Aliqui: *Et documentum in eis dedit viris Suchothanis*; id eſt, eos cum illis cædendo Suchothanos informavit, ut impoſterum ſaperent.

V. 17. OCCISIS HABITATORIBUS CIVITATIS. Hebr. *Et interfecit viros urbis*. Quidam *viros urbis*, primarios & magnates intelligunt: non enim volunt cunctos cives interfectos, ſed primarios tantum e ſenatoribus, ut verſu præcedente.

V. 18. QUALES FUERUNT? איפוה *ephoh* proprie eſt quæſitivum loci, *ubi, ubinam?* ſemel hic tantum quæſitivum formæ, e ſubiunctis eſſe volunt, *qualiter, quales*; id eſt, quali vultu, vel quo oris habitu, ac forma corporis erant. QUASI FILIUS REGIS. Hebr. *iuxta formam filiorum regis*; id eſt, regali & magnifica forma, filii regis os, habitumque gerens.

V. 19. NON VOS OCCIDEREM. Ita interpretantur; ſed illos fratres meos veſtra ipſorum vita redemiſſem. Atque hoc pacto non poteſt haberi Gedeonis iuramentum, ac ſi cum lege Dei pugnaret, qua iubebatur hoſtes populi Dei interficere.

V. 20. IETHER. Expoſitio nominis eſt *exuberans, excellens, præſtans*.

V. 21. QUIA IUXTA AETATEM ROBUR EST HOMINIS. Hebræa varie convertunt: 1. *Quia ſicut vir, eſt fortitudo eius*; 2. *Ut enim vir eſt, ſic eſt fortitudo eius*; 3. *Nam qualis eſt vir, tale eſt robur eius*. Ac ſi dicant: Vir plenus & integer, plenum & integrum habet robur; at hic cum ſit puer, iuſtum adhuc non habet robur quo poſſit nos conficere. ORNAMENTA AC BULLAS. Duabus vocibus unam reddidit, שהרונים *ſaharonim*: aiunt eſſe *bullas in modum lunæ rotundæ, quæ adhibentur ornatus cauſa, ornamenta circulari & lunari forma, bullatas phaleras*. Nam סהר *ſahar* eſt *rotunditas*, Canticor. VII. verſ. 2. & Chaldaice luna סיהרא *ſihara* dicitur. Hiſpanicus Intepres *planchas* dixit, id eſt laminas. Vide in Iſaiæ III. verſ. 18.

V. 24. ISMAELITAE. Hi ſuperius in tota hiſtoria Gedeonis Madianitæ ſunt dicti: fortaſſe quia ſimul cum Madianitis Iſmaelitæ etiam advenerant, tamquam fratres ac conſanguinei, nam utrique ex eodem parente Abrahamo; vel quod mixtim & confuſe habitarent. Vide quæ de his obſervavimus in Geneſ. XXXVII. verſ. 25. & 28.

V. 26. MILLE SEPTINGENTI AURI SICLI. Hebr. *mille ſeptingenti aurum*, vel *auri*; omnes fere ſubaudiunt, *ſicli*. Summa eſt ſex millium octingentorum aureorum Hiſpanicorum. ET MONILIBUS. נטיפות *netiphot* aiunt eſſe *ornamenta*, & *vaſcula aurea, quibus* נטף *nataph*, id eſt *gutta*, ſeu *ſtacte*, ſeu *opobalſamum*, Exodi XXX. verſ. 34. continebatur; quaſi dicat, *guttatoria, ſtillatoria*. Quidam *reſinaria, unguentaria* reddunt, id eſt capſulas aureas, ſive pyxides, ſive onyches ſuaviſſimi unguenti plenas, quas nobiles, & principes viri, ſeu feminæ deliciarum, cauſa deferre

te

Digitized by Google

re ſolebant. Nonnulli *myrothecia*, vel *myrothecidia* vertunt. Alii *catenulas*, *torques*, *collaria*, ex margaritis & unionibus eſſe volunt. Sic Iſaiæ III. verſ. 19. ET VESTE PURPUREA, QUIBUS REGES MADIAN UTI SOLITI ERANT. Strabo Lib. XVI. pag. 784. de Arabiæ regibus: *Reges purpurati incedunt*.

V. 27. FECITQUE EX EO GEDEON EPHOD. Aliqui reddunt: *Aptavitque Gedeon illud* aurum *in amiculum*. Non diſplicet interpretatio S. Auguſtini. quæſt. XLI. Ephod hic ſynecdochice a præſtantiori parte intelligi totum ipſum ornatum, & apparatum ſacrum ſummi Sacerdotis. Nec mirum Gedeonem ephodem ſeorſim dedicaſſe; cum etiam apud Livium Lib. VI. cap. XX. A. Cornelius Coſſus inter opima ſpolia, Romæ in templo Iovis Feretrii thoracem dedicaverit. ET POSUIT ILLUD IN CIVITATE SUA EPHRA. Plerique intelligunt, in memoriam, ſeu monumentum partæ a ſe victoriæ, quaſi trophæum. Hariolantur quidam, non fuſo auro illud opus fuiſſe confectum, ſed connexis circulis aureis ad eum modum quo militare giacum, ut Hiſpanice vocamus: nam eiuſmodi thoraces in vetuſtis trophæis cernimus. Et puto cum S. Auguſtino, non omnino citra culpam, quod imaginem rei ſacræ templo deſtinatæ, profane extra tabernaculum dedicaverit, & anſam dederit Iſraelitis, eo ad ſuperſtitioſos cultus abutendi: quod & ſequentia indicant. FORNICATUSQUE EST OMNIS ISRAEL IN EO. Hebr. *Et fornicati ſunt omnis Iſrael poſt eum ibi*. Pronomen Hebraicum *eum* & poteſt referri ad ephod; id eſt, abuſi ſunt Ephod ipſo ad ſuperſtitioſos & idololatricos cultus: quem ſenſum Noſter expreſſit: & ad Gedeonem: & quidam ita exponunt, Poſt Gedeonem, id eſt eius exemplo: qui ſenſus durus eſt in Gedeonis pietatem, ac fidem. Alii, poſt eum mortuum: unde reddunt: *Ubi ſcortati ſunt omnes Iſraelitæ poſt mortem ipſius*, Gedeonis; id eſt, demum mortuo Gedeone abuſi ſunt ad cultum Bahalinorum, infra verſ. 33.

V. 28. NEC POTUERUNT ULTRA CERVICES ELEVARE. Hebr. *Et non addiderunt ad levare caput ſuum*. Bifariam hic Hebraiſmus exponitur. I. Non ultra auſi ſunt inſurgere in Iſraelitas, ſe illis opponere, aut tentare aliquid in eos. II. Adeo afflictæ ac depreſſæ res eorum fuere, ut priſtinum ſtatum recuperare non potuerint: iacuerunt, nec potuerunt e calamitate emergere. Puriſſimus Hiſpaniſmus: *No pudieron levantar cabeça*. QUIEVIT TERRA PER QUADRAGINTA ANNOS, QUIBUS GEDEON PRAEFUIT. Hebr. *Et quievit terra quadraginta annis in diebus Gedeon*. Quidam: *Sic quievit terra diebus Ghidhonis in annum uſque quadrageſimum*: videlicet ab illo anno quadrageſimo cuius meminit auctor ſupra cap. V. verſ. 32. Verum hæc incerta ſunt, ut in Othoniele monuimus ſupra cap. III. verſ. II.

V. 29. ET HABITAVIT IN DOMO SUA; id eſt, privatus vixit. Vide ſupra cap. II. verſ. 6. & quæ notavimus ad inſcriptionem huius Lib. (nemp. cap. I.)

V. 31. CONCUBINA AUTEM ILLIUS. Hanc iuſtam & legitimam, non quidem primariam, ſed ſecundariam fuiſſe uxorem, quam eſſe vim nominis פילגש *pilegheſch*, Geneſ. XXII. verſ. 24. annotavimus, plerique cenſent: alii vere pallacam extra legitimum torum, & Abimelechum ſpurium ac nothum exiſtimant. Ioſephus nothum eum appellat, & matrem eius drumam. Neſcimus unde hauſerit. GENUIT EI FILIUM NOMINE ABIMELECH. Hebr. *Peperit ei etiam ipſa filium, & poſuit nomen eius Abimelech*. Vel *impoſuit nomen ei Abimelech*. Verbum *poſuit* eſt maſculeum, & ita referendum ad Gedeonem. Significat *Abimelech, pater meus rex*. Videtur pater quaſi præſagio ſui principatus, hoc filio nomen indidiſſe.

V. 33. PERCUSSERUNTQUE CUM BAAL FOEDUS, &c. Hebr. *Et poſuerunt ſibi Bahal-berith in deum*. Poteſt reddi: *Et poſuerunt ſibi Bahal fœdus in Deum*: qui eſt ſenſus Noſtri. Sed non eſt dubium בעה-ברית *Baghal-berith*, nomen proprium fuiſſe dei, ſeu idoli cuiuſdam Sichimitarum, qui in Sichem templum habuerit, capite ſeq. verſ. 4. & 46. Enodatio nominis eſt, *Baghal*, ſeu *dominus*, *auctor*, *herus*, *patronus*, *vir*, *maritus fœderis*, ſeu *pacti*. Quiſnam autem hic deorum extiterit, nemo ſatis expedit: nec vacat aliorum coniecturas ad nauſeam uſque referre. Haud inepte quidam *Baghal-berith*, deum.

Digitized by Google

deum confœderatorem, mediatorem, interceſſorem exponunt, qui pacem, amicitiam, fœdera inter deos & homines conciliaret, quaſi internuntium, ac ſequeſtrem inter utroſque, qualem poetæ Mercurium fingunt, quem deorum interpretem vocare conſueverunt. Alii deum auctorem, præſidem, patronum fœderum humanorum, qui primum fœdera invenerit, & iis præſideat eorum arbiter, ac vindex: quem Mercurium quoque eſſe dicunt. Diodorus Siculus Lib. V. Nume. 236. *Mercurii inventioni tribuunt caduceatorum* (ſæcialium) *legationes in bellis, pacificationes item, & fœderum libamenta, horumque inſigne caduceum, quod verba ad hoſtem facturi præferunt, eoque tuti accedunt & recedunt*. Et ratione Hebraica, *Bagbal-berith* hæc omnia poſſit complecti, *Deus, dominus, patronus, auctor puritatis, munditiei*, vel *ſerenitatis*, aut *alimenti, cibi*, vel *recreationis*: nimirum quod hiſce rebus præeſſet. Divinare quoque quis poſſet, ut Iudæi ſalaces erant, ne forte hic deus eſſet, quem Maro IV. AEneidos deſcribit:

> .... *ſi quod non æquo fœdere amantes*
> *Curæ numen habet, iuſtumque memorque precatur.*

quem Nemeſin, aut Anterotem Servius interpretatur.

V. 35. NEC FECERUNT MISERICORDIAM CUM DOMO IEROBAAL, &c. Paraſceve ſeu tranſitio ad ſequentem hiſtoriam, quæ ſtatim cap. IX. narratur.

MENOCHII.

Verſ. 1. QUID EST HOC QUOD FACERE VOLUISTI? &c. Evocarat Gedeon ſupra cap. VI. 35. ad belli huius ſocietatem, & auxilium tribus quatuor: omiſerat cum alias, tum vero tribum Ephraim. De hoc iſta iam quæritur, & tumultuatur, quaſi per contemptum fuiſſet præterita; aut quod illi invidiſſet gloriam, quam totam in ſuam tribum Manaſſe Gedeon derivare voluiſſet.

V. 2. QUID TALE FACERE POTUI, QUALE VOS FECISTIS? In Hebræo, & Græco eſt: *Quid feci nunc ſicut vos?* qui ſcilicet Oreb, & Zeb Madianitarum Principes cœpiſtis. NONNE MELIOR EST RACEMUS EPHRAIM VINDEMIIS ABIEZER? Adagialis locutio. Senſus eſt: Vos o tribus Ephraim, adeo præſtantiores eſtis tribu Manaſſe, ut veſtra racematio noſtram ſuperet vindemiam. Vos, poſt vindemiam cæſorum Madianitarum, cepiſtis eorum duces: at facinus hoc pluris eſt quam quæ nos ex tribu Manaſſe (qui in ceteris etiam vobis concedimus) in hoc bello præſtitiſſe videmur.

V. 3. REQUIEVIT SPIRITUS EORUM, &c. Ut enim ait Sapiens Proverb. XV. 1. *Reſponſio mollis frangit iram.*

V. 5. SOCCOTH: quæ vox *tabernacula* ſignificat, quod ſcilicet Iacob ex Meſopotamia rediens, ſuique fratris gratiam exquirens, ibi tabernacula fixerit, Geneſ. XXXIII. Eſt hæc urbs in tribu Gad. FORSITAN PALMAE MANUUM, &c. quaſi dicerent: Inani ſpe tibi victoriam polliceris, atque ita loqueris quaſi iam ceperis hos reges, quos bellum inſtauraturos putamus, timemuſque ne ſi vobis commeatum ſuppeditaſſe reſciverint, victoriam adepti in nos ſæviant.

V. 7. CONTERAM CARNES VESTRAS CUM SPINIS, TRIBULISQUE DESERTI: ſpinis, ac durioribus ſentibus carnes veſtras ad mortem uſque lacerabo. Meriti ſane mortis pœnam, qui fatigatos milites in cauſa communi exiguo commeatu non modo iuvare noluerunt, ſed ultro etiam irriſerunt, in milites fratres ſuos, in Gedeonem ducem, in Rempublicam, ac Deum peccantes.

V. 8. VENIT IN PHANUEL. Inde nomen habuit hæc urbs, quod Iacob ibi Dominum viderit, cum eoque luctatus ſit, Gen. XXXII. 33. *Phanuel* Aquila vertit *facies Dei*; Septuag. *ſpecies Dei*. Eſt autem hæc urbs in eadem tribu Gad, contra torrentem Iaboc, in finibus Amorrhæorum.

V. 9. DESTRUAM TURRIM HANC. Quod proprerea minatus eſt Gedeon, quia (ut ait Abulenſ. quæſt. XI.) minitanti Gedeoni reſponderint, ſe ipſius minas nihil facere; ſibi adverſus eas turrim illam ſuam ſtare.

V. 11. PER VIAM EORUM QUI IN TABERNACULIS MORABANTUR. Hi ſunt Arabes, qui a tabernaculis *Scenitæ* appellati ſunt. AD ORIENTALEM PAR-

PARTEM NOBE. Huius urbis mentio ſit Numer. XXXII. 42. IEBGAA erat in tribu Gad, eiuſque mentio ſit Num. XXXII. num. 35. SECURI ERANT, ET NIHIL SUSPICABANTUR. Quia noctu fuerat commiſſum prælium, non putabant Madianitæ futurum ut nullam ſuis quietem daret Gedeon, præſertim cum amnis eſſet etiam tranſmittendus.

V. 14. APPREHENDIT PUERUM DE VIRIS SOCCOTH, &c. Deſcripſit nomina primariorum civium Soccoth, qui ſcilicet participes fuerant criminis, ne cum ſontibus inſontes eodem exitio involveret.

V. 18. QUALES FUERUNT VIRI QUOS OCCIDISTIS IN THABOR? Cum Hebræi laterent in montibus, & ſpeluncis, ob Madianitarum incurſiones, de quibus ſupra cap. VI. Gedeonis fratres, vel germani, vel uterini ſeceſſerant in Thabor. Hos ergo reges iſti in latebra illa Thaboris repertos interemerunt. De his interrogat Gedeon. SIMILES TUI, ET UNUS EX EIS QUASI FILIUS REGIS. Reſpondent cum laudatione, & tacita quadam adulatione Gedeonis, quod egregia eſſet forma, & dignitate, quæ principem deceret.

V. 19. NON VOS OCCIDEREM. Nam alioquin eos occidere non tenebatur illius præcepti vi quod Num. XXXI. 17. datum fuit. Hoc enim temporarium erat, quod in ſolum illud tempus valebat, ob vindictam ſceleris quod admiſerant Num. XXV. cum Iſraelitas ad ſcortandum cum puellis Madianitis provocarunt, & ſubinde ad idololatriam.

V. 20. IETHER: quæ vox *præſtantem* ſignificat, ſive *excellentem*. SURGE, ET INTERFICE EOS. Volebat Gedeon ab eo reges illos perimi: primo, ut iniuſtam patruorum ſuorum mortem ulciſceretur; ſecundo, ut diſceret in Iſraelitici populi hoſtes gladium ſtringere; tertio, ut maiore cum cruciatu, & dedecore mors illis inferretur: nam nec niſi multis ictibus pueri manus invalida illos poterat conficere, & magnis viris permoleſtum eſt a tantulo puero neci dari: quarto, ut victoriæ, gloriæque ſuæ filium participem faceret.

V. 22. OMNES VIRI ISRAEL. Plurimum facit ad Gedeonis gloriam quod Iſrael univerſus in hoc conſpiravit, ut principem illum facerent. DOMINARE NOSTRI, regio more. TU, ET FILIUS TUUS, ET FILIUS FILII TUI. Putat Serarius oblatam regiam poteſtatem in tertium tantum gradum poſteritatis. Crediderim tamen, hac phraſi offerri imperium in filios, ac deinceps in nepotes, ac poſteros iure ſucceſſionis perpetuo tranſmittendum.

V. 23. NON DOMINABOR VESTRI, &c. ſcilicet ut rex. Princeps enim, & rex veſter eſt ipſe Deus, qui populum hunc quaſi peculium, & hereditatem ſuam gubernat, fovet, ac tuetur.

V. 24. DATE MIHI INAURES, aureas ſcilicet, quales Iſraelitæ appendere ſolebant auribus, ut hoc verſiculo dicitur: nec tamen omnes inaures poſtulat; ſed tantum petit ut unuſquiſque unam ex præda, quæ illi obtigit, inaurem dare velit: nam in Hebr. eſt: *Date mihi vir inaurem prædæ veſtræ*; id eſt, quilibet unam det. Eumdem ſenſum exhibent Septuaginta.

V. 26. MILLE SEPTINGENTI AURI SICLI. Aureus ſiclus fere æquivalet quatuor nummis aureis noſtratibus. Itaque mille, & ſeptingenti auri ſicli efficiunt aureos noſtros ſex mille octingentos. ABSQUE ORNAMENTIS, ET MONILIBUS, &c. Non tantum aurum illud datum eſt, ſed etiam hæc inſuper addita. *Ornamentis*. Vox Hebraica שהרנים *ſabaronim* ornamenta quædam ſignificat, quæ lunularum figuram habent, quare LXX. μηνίσκους. id eſt *lunulas*, vocant. Iis ornabantur equi, & cameli in ſuis frenis, ac phaleris, &c. *Monilibus*. Hebr. נטיפות *netiphoth*, quod a verbo נטף *nataph*, *ſtillare*, derivatur, vel a nomine נטף *nataph*, quod ſtacten, guttam, balſamum, ſeu opobalſamum ſignificat, videtur indicari monilia hæc olfactoriola fuiſſe, myrothecia, pyxidulaſve unguentarias, quibus Orientales his deliciis abundantes delectabantur. TORQUES AUREOS CAMELORUM: quibus ſcilicet eorum cervices, & colla ornabant.

V. 27. FECITQUE EX EO GEDEON EPHOD. Ephod genus veſtis eſt, quod humeros tegit, & pectus ambit, illiuſque uſus ſacer erat, quia ſemper ad divinum cultum referebatur. FORNICATUSQUE EST OMNIS ISRAEL IN EO. Quod dicitur, *In eo*, Hebraicus textus habet *poſt eum*,

Digitized by Google

rum, ut etiam Septuag. & ſenſus eſt, poſt mortem Gedeonis Iſraelitas in idololatriam lapſos. Vel ſenſus eſt, *In eo*, id eſt *ephode*, peccavit Iſrael, abutendo ſacra veſte, quam confecerat Gedeon ad divinum cultum, ſi forte aliquando contigiſſet tabernaculum divino iuſſu transferri in Ephra. Qua explicatione retenta, adhuc dicendum eſt, id poſt Gedeonis mortem contigiſſe. ET FACTUM EST GEDEONI, ET OMNI DOMUI EIUS IN RUINAM. Licet enim Gedeon non peccaverit ſacrum illud inſtrumentum parando, quia nulla lege id facere vetabatur, tamen eius domus. & cognatio reliquos Iſraelitas ſecuta peccavit poſtea: quod Gedeoni dicitur fuiſſe in ruinam, non quidem in ſe, ſed in propinquis ſuis cognatis, ac poſteris, qui peccato Iſraelitarum conſentientes, in magnas inciderunt ærumnas, ut aliqua ex parte cognoſcetur cap. IX. ſequenti.

V. 30. SEPTUAGINTA FILIOS, in iis numerando etiam Abimelech, de quo numero ſequenti. EGRESSI SUNT DE FEMORE EIUS. Vide dicta Gen. XLVI. 26.

V. 31. CONCUBINA AUTEM ILLIUS, &c. Uxor ſecundaria, legitima quo ad matrimonii vinculum, ſed familiæ Gedeoni gubernationis expers, nec materfamilias. *Drumam* eam vocat Ioſephus Lib. V. cap. IX. QUAM HABEBAT IN SICHEM. Habitabat quidem Gedeon in Ephra, ibique domum habebat, & uxores ſuas: verum quia princeps, & populi iudex erat, frequenter adibat Sichem, ibique hæc illius concubina morabatur. NOMINE ABIMELECH; quæ vox vel ſignificat *patrem regem*, vel *patrem regis*. Nominis huius impoſitione, vel ſpectavit druma mariti ſui dignitatem, quam in filio ſuo conſpici voluit; vel ei nomen eſſe optavit omem regni, ad quod eum aliquando pervenire cupiebat.

V. 32. IN SENECTUTE BONA. Heb. *in canitie bona*, bene ſenex. Præterea *bona ſenectus* tranquillitatem ſignificat, ſecundam famam, auctoritatem, conſcientiam bonam, & divinam amicitiam.

V. 33. AVERSI SUNT: defecerunt a Domino. PERCUSSERUNT CUM BAAL FOEDUS, cum Baal-berith, ut ſignificant Hebræa, quæ habent: *Poſuerunt ſibi Baal-berith in deum*. Vide cap. IX. ſeq. num. 4.

V. 35. NEC FECERUNT MISERICORDIAM. Miſericordia hic accipitur pro omni pene virtute, quæ in alium, ad eius utilitatem, gloriam, ac bonum emanat, ut eſt benevolentia, beneficentia, pietas, gratitudo, iuſtitia, &c. IEROBAAL GEDEON. Ponuntur hic ſimul duo Gedeonis nomina, quod expoſitionis cauſa factum indicant Septuaginta, qui vertunt: *Cum domo Ierobaal, ipſe eſt Gedeon*.

TIRINI.

Verſ. 2. NONNE MELIOR EST RACEMUS EPHRAIM, VINDEMIIS ABIEZER? id eſt, pauculæ perſonæ a vobis Ephraimitis captæ, & cæſæ, puta Oreb, & Zeb, reges Madianitarum, nonne iure merito pluris æſtimandæ ſunt quam omnes reliqui Madianitæ, quos ego cum meis contribulibus cecidi? Ita Abulenſis, & Arias. Ergo blande, humiliter, ac modeſte ſe, ſuoſque deprimens vir ſapientiſſimus æque ac fortiſſimus, quiritatoreſque illos extollens, ſedavit iras, compeſcuit iurgia, conciliavit offenſos.

V. 5. SOCCOTH, & (verſ. 8.) PHANUEL. Erant hæ duæ civitates in tribu Gad. Prior *Soccoth*, id eſt *tabernacula*, vocabatur, quod Iacob e Meſopotamia rediens, ſuique fratris Eſau gratiam quærens, tabernacula ibi fixiſſet, Gen. XXXIII. verſ. 17. Poſterior *Phanuel*, id eſt *videns Deum*, quod idem Iacob ibidem Dominum vidiſſet, cum eoque luctatus fuiſſet, Gen. XXXII. verſ. 30. Iuſtiſſime autem punivit horum incolas Gedeon, quod barbara immanitate etiam fruſtum panis negaſſent duci, militique tam præclare de ipſis merito, iam fame pene deficienti. Neque hoc modo, ſed inſuper amaro quoque ſarcaſmo ridebant ducem ſuum, quaſi obtenta iam victoria, & quidquid antea feciſſet, nihil aut leve foret: quod vero adhuc tentabat, nempe aſſequi, & capere duces Madianitarum fugitivos, inane ac ridiculum eſſet.

V. 23. NON DOMINABOR VESTRI. Negat ſe admiſſurum dominatum regium, quem illi in tertiam uſque ſtirpem offerebant. Iudex ergo eſſe non detrectabat Gedeon, immo manſit tota vita: ſed huius erant limitata iura; neque enim quidquam publicum (ſi bellum excipias) ſuo ſo-

lius arbitratu, ſine conſenſu ſynedrii agere, aut decernere poterat Iudex. At qui dominium habet abſolutum, quale hic deferebat populus Gedeoni, nullis niſi divinis adſtrictis legibus, quidquid collibitum eſſet, immenſa quadam licentia ſtatuebat, ac faciebat. Sed maluit princeps prudentiſſimus, ius & imperium divinum in populo Dei inviolatum illibatumque ſervare, & odioſum regni munus, quod iam tum a nonnullis appeti forte cœperat, & Samuelis *a* ævo palam poſtulatum fuit, magno excelſoque animo repudiare, maior ſane repudiato diademate, quam arrepto vel admiſſo evadere potuiſſet. Et notat prudenter Plato *b*: *Ubi viri boni ſunt, non ſecus illic pugnari ne quis princeps fiat, quam alibi ut quis fiat.*

V. 27. FECIT EPHOD. De forma, & materia huius veſtis dixi Exodi XXVIII. Sed cum varii eſſent Ephodes; puta, vel politicus, quo David *c* indutus tripudiavit ante arcam; vel eccleſiaſticus, aut ſacer: & hic vel pontificalis *d*, vel ſacerdotalis *e*, vel leviticus *f*, quæritur qualis hic fuerit quem fecit Gedeon. Reſpondeo, eccleſiaſticum fuiſſe, & pontificali ſimilem, quoad formam, ſed materia ſolidiore: nam ex auro totus erat, & gemmis. Videtur vero Gedeon in publico eum poſuiſſe, ut eſſet monimentum victoriæ per Dei oraculum, & opem cælitus acceptæ. Forte etiam in memoriam ſacerdotii ſibi extra ordinem a Deo conceſſi, cap. VI. verſ. 26. quando iuſſus eſt erigere altare iuxta domum ſuam, & tauros in eo immolare, voluit hanc veſtem pontificalem in familia perpetuo extare. Forſan & per Ephod ſignificatur hic omne genus veſtium ſacerdotalium, cum omni ſuppellectile ad ſacrificandum neceſſaria. Et his veſtibus etiam ipſe ſubinde uſus eſt in ſacrificiis Deo iſtic offerendis: fruſtra enim calceus, cuius numquam eſt uſus. Vide Serarium ex S. Auguſtino, Theodoreto, & Abulenſi *g*. FORNICATUSQUE EST OMNIS ISRAEL IN EO. Hebraica, & Græca, poſt Gedeonis mortem id factum dicunt, cum poſteri eius illud tam nobile monimentum vel adorarunt quaſi idolum, ut & æneo ſerpenti *h* Moyſis poſt contigit; vel certe tranſtulerunt ad Baal eo exornandum, & oracula ſic ab eo exprimenda: ut ſolebat Pontifex Iudæorum ſuo ephod indutus, oracula reddere. De quo vide Exodi cap. XXVIII. ET FACTUM EST GEDEONI in poſteris eius, ſeu OMNI DOMUI EIUS IN RUINAM, ut patebit cap. ſeq. Neque enim peccavit in iis ipſe Gedeon, ut patet ex iam dictis; ſed peccarunt poſteri illius, qui re adiaphora, & optima, & optimo fine conſtituta, impie abuſi ſunt. Hinc verſ. 31. dicitur Gedeon *quieviſſe in ſenectute bona*; & arguuntur Iudæi ingratitudinis erga illum, verſ. 34. & 35. & Apoſtolus ad Hebr. XI. Gedeonem inter ſanctos ac beatos recenſet: & expreſſum Chriſti typum geſſiſſe, docent S. Auguſtinus, Iſidorus, & alii *i*.

(*a*) I. Reg. VI. & VIII.
(*b*) Plato in Politia ſua.
(*c*) II. Reg. VI. verſ. 14. & I. Paralip. XV. verſ. 27.
(*d*) Exodi XXVIII. verſ. 6.
(*e*) I. Reg. XXII. verſ. 18.
(*f*) I. Reg. II. verſ. 18.
(*g*) Aug. quæſt. XLI. Theod. quæſt. XVI. 16. Abulenſ. XXIII. & XXIV.
(*h*) IV. Reg. XVIII. verſ. 4.
(*i*) Auguſt. ſerm. CVIII. de Temp. Iſidor. cap. III. IV. V. VI.

GORDONI.

Verſ. 2. GEdeon (dictus *Ierobaal* verſ. 35.) molli reſponſo frangit iram. Manaſſæus eſt, & dum ſuperbientem Ephraim laudat, & ſuæ tribui, & domui Abiezer (ex qua erat Gedeon) anteponit, ſedat indignantes Ephratæos. Gedeon erat ex familia Abiezer: cui anteponit Ephraim in hac ſimilitudine. Plus, inquit, feciſtis vos in hac victoria; & melior eſt racemus veſter quam mea vindemia: ſic requievit, ſeu ceſſavit indignatio Ephraim.

V. 5. Soccoth, & Phanuel, urbes Iſraelitarum: prior eſt in tribu Gad, & ubi Iacob rediens e Meſopotamia fixit tabernaculum, Gen. XXXII. Phanuel locus eſt (ut nomen indicat) ubi Iacob cum Angelo luctatus eſt, Geneſ. XXXII. verſ. 33. etiam in tribu Gad.

V. 11. QUI IN TABERNACULIS MORABANTUR. Irruit per eam partem ubi Arabes ſine domibus manebant, inſtar Nomadum, in tabernaculis.

V. 13. ANTE SOLIS ORTUM REVERSUS, vel ad ortum ſolis: ubi ſignificatur peractam fuiſſe victoriam intra noctem unicam. Aliqui *occaſum ſolis* vertunt.

V. 19.

V. 19. INTERFICE EOS. Imperat Gedeon ſuo filio ut occidat iſtos.

V. 21. ORNAMENTA AC BULLAS. Septuag. *torques*. Erant ex vario genere ornamenta.

V. 23. Recuſat Gedeon dominari populo. Certe forma regiminis non erat monarchica, aut regia ante Saulem, apud Iſraelitas.

V. 26. Vox *Sicli* appoſita a noſtro Interprete, recte ſenſum explicat: nec eſt in Hebræo.

V. 27. EPHOD veſtis erat, pectus tegens, & humeros. Græce ἐπωμὶς; apud LXX. ἐφὼδ; Latine, *Superhumerale*. Ephod triplex erat, pontificale, leviticum, & politicum: quo tertio uſus eſt David II. Reg. VI. verſ. 14. diſtinctio erat in materia. Ceterum an ephod Gedeonis fuerit politicum, vel pontificale, certant Interpretes. Sane probabile eſt fuiſſe politicum, & victoriæ monumentum. Sed poſt mortem Gedeonis fornicatus eſt populus colens illud: quod fuit in ruinam poſteris Gedeonis, ſeu occaſio idololatriæ.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. Gedeon ex cap. VI. verſ. 35. evocavit ad ſocietatem belli quatuor tribus, alias omiſit. Ephraim una ex omiſſis de hoc iam queritur, quaſi Gedeon invidiſſet horum querulorum gloriam.

V. 8. PHANUEL, urbs, cui nomen fecit Iacob, quod ibi Dominum vidiſſet, Gen. XXXII. 33. *Phanuel*, *facies* Dei.

V. 11. NOBE: de hac Num. XXXII. in fine.

V. 26. MILLE SEPTINGENTI AUREI SICLI, &c. Siclus auri dat fere quatuor aureos nummos noſtros, atque ita hi ſicli 1700. dant aureos noſtros 6800. Nec ſolum datum eſt hoc aurum, ſed inſuper hæc adiecta ſunt quæ recenſet.

V. 27. Habitabat Gedeon in Ephra frequenter; tamen ut erat Iudex populi, habitabat in Sichem.

V. 35. IEROBAAL GEDEON. Simul hic vides duo Gedeonis nomina.

CAPUT IX.

Abimelech occiſis ſeptuaginta fratribus ſuis, imperium ſibi tyrannice uſurpat; qui poſt parabolam Ioatham fratris eius qui ſervatus erat, exercitum Gaal devicit, turrimque Sichem excuſſit, & a muliere tandem fragmine molæ oppreſſus eſt.

1. ABiit autem Abimelech filius Ierobaal in Sichem ad fratres
matris ſuæ, & locutus eſt ad eos, & ad omnem cognatio-
nem domus patris matris ſuæ, dicens:
2. Loquimini ad o-
mnes viros Sichem: Quid vobis eſt melius, ut dominentur veſtri
ſeptuaginta viri omnes filii Ierobaal, an ut dominetur unus vir?
ſimulque conſiderate, quod os veſtrum & caro veſtra ſum.
3. Lo-
cutique ſunt fratres matris eius de eo ad omnes viros Sichem
univerſos ſermones iſtos, & inclinaverunt cor eorum poſt Abimelech, dicentes:
Frater noſter eſt.
4. * Dederuntque illi ſeptuaginta pondo argenti de fano Baal-
berit. Qui conduxit ſibi ex eo viros inopes & vagos, ſecutique ſunt eum.
5.
Et venit in domum patris ſui in Ephra, & occidit fratres ſuos filios Ierobaal
ſeptuaginta viros, ſuper lapidem unum: remanſitque Ioatham filius Ierobaal mi-
nimus, & abſconditus eſt.
6. Congregati ſunt autem omnes viri Sichem, & uni-
verſæ familiæ urbis Mello: abieruntque & conſtituerunt regem Abimelech, iux-
ta quercum quæ ſtabat in Sichem.
7. Quod cum nuntiatum eſſet Ioatham, ivit,

& ſtetit in vertice montis Garizim: elevataque voce clamavit, & dixit: * Audite me viri Sichem, ita audiat vos Deus. 8. Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe regem: dixeruntque olivæ: Impera nobis. 9. Quæ reſpondit: Numquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & dii utuntur & homines, & venire ut inter ligna promovear? 10. Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni, & ſuper nos regnum accipe. 11. Quæ reſpondit eis: Numquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructuſque ſuaviſſimos, & ire ut inter cetera ligna promovear? 12. Locutaque ſunt ligna ad vitem: Veni, & impera nobis. 13. Quæ reſpondit eis: Numquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter ligna cetera promoveri? 14. Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: Veni, & impera ſuper nos. 15. Quæ reſpondit eis: Si vere me regem vobis conſtituitis, venite, & ſub umbra mea requieſcite: ſi autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & devoret cedros Libani. 16. Nunc igitur, ſi recte & abſque peccato conſtituiſtis ſuper vos regem Abimelech, & bene egiſtis cum Ierobaal, & cum domo eius, & reddidiſtis vicem beneficiis eius, qui pugnavit pro vobis, 17. & animam ſuam dedit periculis, ut erueret vos de manu Madian, 18. qui nunc ſurrexiſtis contra domum patris mei, & interfeciſtis filios eius ſeptuaginta viros ſuper unum lapidem, & conſtituiſtis regem Abimelech filium ancillæ eius ſuper habitatores Sichem, eo quod frater veſter ſit: 19. ſi ergo recte & abſque vitio egiſtis cum Ierobaal, & domo eius, hodie lætamini in Abimelech, & ille lætetur in vobis. 20. Sin autem perverſe: egrediatur ignis ex eo, & conſumat habitatores Sichem, & oppidum Mello: * egrediaturque ignis de viris Sichem, & de oppido Mello, & devoret Abimelech. 21. Quæ cum dixiſſet, fugit, & abiit in Bera: habitavitque ibi ob metum Abimelech fratris ſui. 22. Regnavit itaque Abimelech ſuper Iſrael tribus annis. 23. Miſitque Dominus ſpiritum peſſimum inter Abimelech & habitatores Sichem: qui cœperunt eum deteſtari, 24. & ſcelus interſectionis ſeptuaginta filiorum Ierobaal, & effuſionem ſanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem ſuum, & in ceteros Sichimorum principes, qui eum adiuverant. 25. Poſueruntque inſidias adverſus eum in ſummitate montium: & dum illius præſtolabantur adventum, exercebant latrocinia, agentes prædas de prætereuntibus: nuntiatumque eſt Abimelech. 26. Venit autem Gaal filius Obed cum fratribus ſuis, & tranſivit in Sichimam. Ad cuius adventum erecti habitatores Sichem, 27. egreſſi ſunt in agros, vaſtantes vineas, uvaſque calcantes: & factis cantantium choris, ingreſſi ſunt fanum dei ſui, & inter epulas & pocula maledicebant Abimelech, 28. clamante Gaal filio Obed: Quis eſt Abimelech, & quæ eſt Sichem, ut ſerviamus ei? numquid non eſt filius Ierobaal, & conſtituit principem Zebul ſervum ſuum ſuper viros Emor patris Sichem? Cur ergo ſerviemus ei? 29. utinam daret aliquis populum iſtum ſub manu mea, ut auferrem de medio Abimelech. Dictumque eſt Abimelech: Congrega exercitus multitudinem, & veni. 30. Zebul enim princeps civitatis, auditis ſermonibus Gaal filii Obed, iratus eſt valde, 31. & miſit clam ad Abimelech nuntios, dicens: Ecce Gaal filius Obed venit in Sichimam cum fratribus ſuis, & oppugnat adverſum te civitatem. 32. Surge itaque nocte cum populo qui tecum eſt, & latita in agro: 33. & primo mane oriente ſole, irrue ſuper civitatem: illo autem egrediente adverſum te cum populo ſuo, fac ei quod potueris. 34. Surrexit itaque Abimelech cum omni exercitu ſuo nocte, & tetendit inſidias iuxta Sichimam in quatuor locis. 35. Egreſſuſque eſt Gaal filius Obed, & ſtetit in introitu portæ civitatis. Surrexit

autem

Digitized by Google

autem Abimelech, & omnis exercitus cum eo de inſidiarum loco. 36. Cumque vidiſſet populum Gaal, dixit ad Zebul: Ecce de montibus multitudo deſcendit. Cui ille reſpondit: Umbras montium vides quaſi capita hominum, & hoc errore deciperis. 37. Rurſumque Gaal ait: Ecce populus de umbilico terræ deſcendit, & unus cuneus venit per viam quæ reſpicit quercum. 38. Cui dixit Zebul: Ubi eſt nunc os tuum, quo loquebaris: Quis eſt Abimelech ut ſerviamus ei? Nonne hic populus eſt, quem deſpiciebas? Egredere, & pugna contra eum. 39. Abiit ergo Gaal, * ſpectante Sichimorum populo, & pugnavit contra Abimelech, 40. qui perſecutus eſt eum fugientem, & in urbem compulit: cecideruntque ex parte eius plurimi, uſque ad portam civitatis: 41. & Abimelech ſedit in Ruma: Zebul autem, Gaal & ſocios eius expulit de urbe, nec in ea paſſus eſt commorari. 42. Sequenti ergo die egreſſus eſt populus in campum. Quod cum nuntiatum eſſet Abimelech, 43. tulit exercitum ſuum, & diviſit in tres turmas, tendens inſidias in agris. Videnſque quod egrederetur populus de civitate, ſurrexit & irruit in eos 44. cum cuneo ſuo, oppugnans, & obſidens civitatem: duæ autem turmæ palantes per campum adverſarios perſequebantur. 45. Porro Abimelech omni die illo oppugnabat urbem: quam cepit, interfectis habitatoribus eius, ipſaque deſtructa, ita ut ſal in ea diſpergeret. 46. Quod cum audiſſent qui habitabant in turre Sichimorum, ingreſſi ſunt fanum dei ſui Berith, ubi fœdus cum eo pepigerant, & ex eo locus nomen acceperat, qui erat munitus valde. 47. Abimelech quoque audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos, 48. aſcendit in montem Selmon cum omni populo ſuo: & arrepta ſecuri, præcidit arboris ramum, impoſitumque ferens humero, dixit ad ſocios: * Quod me videtis facere, cito facite. 49. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, ſequebantur ducem. Qui circumdantes præſidium, ſuccenderunt: atque ita factum eſt, * ut fumo & igne mille homines necarentur, viri pariter & mulieres, habitatorum turris Sichem. 50. Abimelech autem inde proficiſcens venit ad oppidum Thebes, quod circumdans obſidebat exercitu. 51. Erat autem turris excelſa in media civitate, ad quam confugerant ſimul viri ac mulieres, & omnes principes civitatis, clauſa firmiſſime ianua, & ſuper turris tectum ſtantes per propugnacula. 52. Accedenſque Abimelech iuxta turrim, pugnabat fortiter: & appropinquans oſtio, ignem ſupponere nitebatur: 53. (a) & ecce una mulier fragmen molæ deſuper iaciens, illiſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius. 54. (b) Qui vocavit cito armigerum ſuum, & ait ad eum: Evagina gladium tuum, & percute me: ne forte dicatur quod a femina interfectus ſim. Qui iuſſa perficiens, interfecit eum. 55. Illoque mortuo, omnes qui cum eo erant de Iſrael, reverſi ſunt in ſedes ſuas: 56. & reddidit Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem ſuum, interfectis ſeptuaginta fratribus ſuis. 57. Sichimitis quoque, quod operati erant, retributum eſt, & venit ſuper eos maledictio Ioatham filii Ierobaal.

(a) II. Reg. xi. 21. (b) I. Reg. xxxi. 4. I. Paralip. x. 4.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 4. *Dederuntque illi ſeptuaginta pondo argenti*. Scribendum eſt *pondo* indeclinabile, non *pondera*.

V. 7. *Audite me viri Sichem, ita audiat vos*

vos Deus. Non eſt addenda vocula *ut*: *Ita ut audiat*.

V. 20. *Egrediaturque ignis ex eo*. Non eſt auferendum *ex eo*.

V. 39. *Spectante Sichimorum populo*. Pro *ſpectante*, quod eſt adſpiciente, non ſubſtituas *expectante*.

V. 48. *Quod me videtis facere, cito facite*. Non eſt commutandum præſens *videtis* cum præterito *vidiſtis*.

V. 49. *Ut fumo & igne mille homines necarentur*. Non mutes nominativum *homines* in genitivum *hominum*.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. FRATRES MATRIS, id eſt cognatos ex parte matris.

V. 4. PONDO, id eſt ſiclos. Hebr. Chald. & LXX. *argenteos*, ſcilicet ſiclos. BAALBERITH. Nota, quod Chananæi omnes deos vocabant *Baal*, id eſt *Dominum*: diſtinguebant autem additione, verbi gratia *Berith*, *Zebub*, *Peor*, &c. INOPES. Hebr. Chald. & LXX. *vacuos*; quaſi dicat vanos, ſeu otioſos.

V. 5. SEPTUAGINTA, ſcilicet fere, non enim ſe, nec Ioatham.

V. 6. MELLO. Propinqua erat Sichem. Quidam dicunt non fuiſſe urbem, & quidem Hebr. Chald. & LXX. ſolum dicunt *domum Mello*, id eſt familiam Mello: ſic & infra.

V. 9. DII, ſcilicet in templis. INTER. Heb. *ſuper*. Chald. & LXX. *Ut imperem arboribus*.

V. 13. DEUM, ſcilicet in libaminibus.

V 14. RHAMNUM. Genus eſt rubi, diciturque habere vim producendi ignem: unde inf. *Egrediatur ignis*, &c. ſignificatur vero hic Abimelech; ut in ſuperioribus, eius fratres.

V. 15. VERE. Hebr. Chald. & LXX. *in veritate*; quaſi dicat, bona fide. REQUIESCITE. Hebr. & LXX. *confidite*. Chald. *habitate*.

V. 16. RECTE ET ABSQUE PECCATO. Hebr. Chald. & LXX. *in veritate & perfectione*.

V. 23. MISITQUE DOMINUS, &c. vel permittendo, vel poteſtatem dando ad patem perturbandam. Auguſtinus quæſt. XLV.

V. 24. ADIUVERANT, ſcilicet in cæde, vel regno.

V. 27. VASTANTES. Hebr. Chald. & LXX. *vindemiantes*: ſcilicet quod antea facere non audebant. CALCANTES, ſcilicet in torculari, ſeu lacu, ut vinum exprimerent.

V. 31. OPPUGNAT, pro occupat.

V. 33. ORIENTE SOLE, id eſt eius fulgore diluculo apparente: ſic in Evangelio, *orto ſole*; id eſt, ad ortum veniente, & fulgorem ſuum iactante: Auguſtinus quæſt. XLVI. Hebr. Chald. & LXX. *circa ortum ſolis*, ſeu *oriente ſole*.

V. 37. UMBILICO, id eſt editiore loco, vel medio. QUAE RESPICIT QUERCUM. Hebr. & Chald. *quercus Mehonanim*. LXX. *quercus aſpicientium*. Alii, *querceti augurum*, ſeu *ariolorum*.

V. 41. SOCIOS. Hebr. Chald. & LXX. *fratres*.

V. 42. IN CAMPUM, ſcilicet ad ſua negotia.

V. 45. SAL: ſcilicet ne illic aliquid naſceretur, ſed eſſet ſterile ſolum.

V. 46. BERITH. Id nomen fani, ſeu idoli, a fœdere.

V. 51. EXCELSA. Hebr. Chald. & LXX. *fortis*.

V. 54. PERCUTE. Hebr. Chald. & LXX. *interfice*.

V. 57. MALEDICTIO, id eſt imprecatio.

E S T I I.

Verſ. 2. QUID VOBIS EST MELIUS, UT DOMINENTUR VOBIS SEPTUAGINTA VIRI, AN UT DOMINETUR VOBIS UNUS VIR? Argumentum pro ſua ambitione ſumit ex præſtantia regiminis monarchici. Sed obſcurum eſt quomodo dicat dominaturos ſeptuaginta viros, omnes filios Ierobaal, ſeu Gedeonis, cum populus ille hactenus ab uno ſoleat regi; nec veriſimile ſit quod tunc admiſſurus erat tam multos principes? Sed reſpondeo, hoc Abimelech illis verbis voluiſſe, ac ſi diceret: Etiamſi unum ex illis faciatis iudicem, aut principem veſtrum, tamen ceteri quoque, quia gene-

nere pares ſunt, etiam principatum & poteſtatem ſibi in vos vendicabunt: omnes erunt veſtri domini, itaque erunt vobis graves, & oppriment vos. Quare melius eſt, ut iis omnibus e medio ſublatis, me unum eligatis vobis in principem, qui ſum OS VESTRUM, ET CARO VESTRA, id eſt propinquus veſter. Nempe ad Sichemitas loquitur.

V. 6. CONSTITUERUNT REGEM ABIMELECH, ſcilicet Sichemitæ. Dicitur quidem infra verſ. 22. *Regnavit itaque Abimelech ſuper Iſrael tribus annis*: non non tamen videtur eum electum fuiſſe a toto populo Iſraelitico, ſed ſolum a Sichimitis contribulibus ſuis ex genere materno. Qua electione obtenta videtur Abimelech ſibi ſumpſiſſe principatum in univerſum Iſraelem vi armata, collecto ſibi exercitu ex hominibus vagis, ut hic dicitur. Quocirca tyrannus potius cenſendus eſt quam rex, non ſolum quia principatum convertit ad privatum commodum (qua nota Philoſophus tyrannum a principe diſtinguit) verum etiam quia principatum arripuit contra ius, ut cui nec electione, nec alio iuſto titulo deberetur.

V. 13. NUMQUID POSSUM DESERERE VINUM MEUM, QUOD LAETIFICAT DEUM ET HOMINES? Sic inducitur loquens viris: ubi multi laborant, quid illud ſit quod vinum etiam dicatur lætificare Deum. Quidam intelligunt vinum lætificare Deum, ſicut dicitur Pſalm. CIII. *Lætabitur Dominus in operibus ſuis*. Sed plus requirere videntur illa verba quibus de pinguedine ſua in hac eadem parabola dicit oliva: *Qua & dii utuntur & homines*. Verum in Hebræo eſt: *Quia in me honorificabunt deos & homines*. Itaque alii hyperbolem faciunt, ut non aliud ſignificetur quam vini maxima vis ad exhilarandum: ita ut ſi Deus opus haberet re aliqua ad exhilarationem, non alio quam vino uti vellet. Sed quoniam hæc non ſunt Scripturæ verba, ſed Ioatham filii Gedeonis, non eſt valde laborandum ut ea ſecundum ſenſum aliquem verum interpretemur. Poſſunt enim ſimpliciter accipi, ut quoniam populus ille iam defluxerat ad idola (maxime quod & Hebræum *Elohim* tam deos quam Deum poteſt interpretari) nempe quod Ioatham ſecundum ſenſum populi locutus fuerit, quaſi iuxta gentilium fabulas dii convivia inter ſe exercerent, & nectareo vino ſe recrearent.

MARIANAE.

Verſ. 1. ABIIT AUTEM ABIMELECH filius Gedeonis, AD FRATRES MATRIS SUAE, id eſt ad avunculos ſuos, ſive ad cognatos matris ſuæ. Cognati *fratres* vocantur.

V. 3. VIROS SICHEM. Hebr. *Dominos proceres*: ſic etiam verſ. 3. & 6.

V. 4. DEDERUNTQUE ILLI SEPTUAGINTA PONDO ARGENTI, Hebr. *ſeptuaginta argenti*, pro argenteos; ſed plerique ſupplent *ſiclos*, ſicut Hieronymus ipſe ſupplevit cap. VIII. verſ. 26 Verum id exile donum Hieronymo viſum eſt ad conducendos milites, ideo dixit *ſeptuaginta pondo*, id eſt libras. DE FANO BAALBERITH, ſumpta ſcilicet. De hoc idolo cap. ſuperiori verſ. 34. INOPES ET VAGOS conduxit. Hebr. *vacuos & turbulentos*. Otium fons ſeditionum. Sept. κενὶς ἢ θαμβουμένης, *vacuos & ſtolidos*, ſeu *turbulentos*: vacuos, inquam, prudentia, & ſenſu. Occidit fratres ſuos

V. 5. SEPTUAGINTA fere: nam neque ſe occidit qui de ſeptuaginta unus erat, neque Ioatham. ET ABSCONDITUS EST. Hebr. *Quia abſcondit ſe*, vel *abſconditus eſt*. Congregatæ ſunt.

V. 6. UNIVERSAE FAMILIAE URBIS MELLO. Hebr. *Et omnis domus Millo*: ſic Sept. Quidam putant, eſſe *Mello* urbis nomen vicinæ Sichem. Alii, domus nomen, ubi conventus gentis erant; quaſi dicant: Convenere proceres Sichem, & omnis domus Mello, id eſt ſenatus. CONSTITUERUNT REGEM ABIMELECH, ſcilicet reipublicæ forma mutata: quod illi malo fuit, pro poteſtate vexatis civibus. IUXTA QUERCUM QUAE STABAT IN SICHEM. Alii vertunt, *In planitie ſtatuæ, quæ erat in Sichem*, ſcilicet in aliqua platea urbis, ubi ſtatua erat. Sept. *quercum* dicunt, Chald. *planitiem*. Ioatham ait, Audite me:

V. 7. ITA AUDIAT VOS DEUS. Hebr. *Et audiat vos Deus*. Arbores regnum olivæ offerunt: illa non vult pinguedinem deſerere.

V. 9.

V. 9. QUA ET DII UTUNTUR. In templis oleo ad alimentum luminum. UT INTER LIGNA PROMOVEAR. Hebr. *Inquieter ſuper ligna*. Poteſtas inquieta, inquietum regimen. Sic verſ. 11. & 13. pro *promovear*, Hebr. eſt *inquieter*. Offerunt viti. Illa:

V. 13. VINUM... LAETIFICAT DEUM, id eſt in libaminibus: & quoniam feſta conviviis celebrabant, Deum vino lætificare videbantur. Offerunt rhamno. Ille:

V. 15. SI VERE, id eſt bona fide, ex animo me regem conſtituitis? REQUIESCITE. Hebr. & Sept. *confidite*; id eſt, a me opem expectate.

V. 16. RECTE ET ABSQUE PECCATO. Hebr. & Sept. *In veritate & perfectione*; hoc eſt, ſincere, & bono animo ſi egiſtis cum domo Gedeon, bene; ſin minus, ignis conſumat Sichem:

V. 20. ET OPPIDUM MELLO. Hebr. *& domum Mello*: ſic mox: DE OPPIDO MELLO, *de domo Mello*: ſic Sept. utrobique. Chald. tum hic, tum verſ. 6. totum, *Bethmillo*, relinquit quaſi nomen proprium loci, aut familiæ.

V. 23. MISITQUE DOMINUS inimicitias inter regem & ſubditos, permittendo, vel dando vires ad turbandam gentem. Auguſtinus quæſt. XLV. QUI COEPERUNT EUM DETESTARI. Hoc per parenthesim, ut ſequentia ad Deum referantur ſcilicet.

V. 42 ET SCELUS INTERFECTIONIS... CONFERRE: ſed *ſcelus* ſumitur pro pœna ſceleris חמס *hamas*, ut Pſal. VII. verſ. 17.

V. 26. VENIT AUTEM GAAL. Ex alio loco, ubi habitabat, venit in auxilium Sichimitis. Ea ope Sichimitæ egreſſi ſunt,

V. 27. VASTANTES VINEAS. Hebr. *vindemiantes ſuas*, ſcilicet vineas, quod ſcilicet ante facere Sichimitæ metu Abimelech non audebant: ſic Sept. & Chald.

V. 29. DICTUMQUE EST ABIMELECH. Hebr. *Et dixit Abimelecho*: ſcilicet aliquis illi dixit; vel Gaal ipſe inſultans abſenti quaſi eſſet præſens, illud addidit ad priora convitia: ſcilicet veni cum copiis. Miſit Zebul ad Abimelech

V. 31. CLAM, vel caute, ſeu ſecreto, ut Chald. neque enim Zebul volebat decipere Abimelechum, ſeu eum ſequebatur. Quid nuntiat? ECCE GAAL... VENIT, OPPUGNAT, opprimit, CIVITATEM.

V. 33. IRRUE SUPER CIVITATEM. Hebr. *Vaſtabis, prædaberis ſuper* (contra) *civitatem*. QUOD POTUERIS. Hebr. *Iuxta quod invenerit manus tua, fac ei*, ſcilicet Gaal. Venit Abimelech. *Gaal ait: Ecce populus*.

V. 37. DE UMBILICO TERRAE DESCENDIT, id eſt de monte qui eminet ut umbilicus in corpore; vel de medio terræ, quod *umbilicum* vocat, quia umbilicus in medio corporis eſt. QUERCUM. Hebr. *quercum*, aut *planitiem*: אלון *ælon* utramque interpretationem patitur. *Mehonim*: nomen proprium, quod ſignificare poteſt *aſpicientes*, ut Sept. vertunt; aut *augures*, ut alii: Noſter omiſit. Ergo pars venit per viam quæ reſpicit quercum Mehonim.

V. 41. GAAL ET SOCIOS EIUS. Hebr. *fratres eius*: ſic Sept. & Chald. Eos expulit Abimelech.

V. 42. IN CAMPUM, ſive ad negotia egreſſus eſt populus, ſive acie inſtructa ut dimicaret.

V. 46. INGRESSI SUNT FANUM DEI SUI BERITH. Hebr. *Venerunt ad arcem Bethel* (id eſt *domus Dei*) *Berith*. Ego hoc idolum puto eſſe, quod ſupra *Baalberith* vocatum eſt. Sed quem ſupra *Baal* dixit, hic *deum* vocat. Quod autem in Vulgata ſequitur: *Ubi fœdus Cum eo* (ſcilicet Abimelecho) *pepigerant, & ex eo locus nomen acceperat, qui erat munitus valde*: totum hoc additum eſt ab Interprete. Deinde Abimelech ivit contra Thebes.

V. 50. QUOD CIRCUMDANS OBSIDEBAT EXERCITU. Hebr. *Et caſtra poſuit in Thebez, & cepit eam*.

V. 51. TURRIS EXCELSA. Hebr. *Fortis erat in eo oppido*. Inde mulier miſit

V. 53. FRAGMEN MOLAE, ſuperioris molæ intellige: nam id ſignificat רכב *rechceb*: ſic Hebræus; Latine *catillus* dicitur. Inferior *cheſeb* כשב; Latine *meta*: utraque Hebr. רחים *rahaim*. Ea ergo mola mulier fregit caput Abimelech.

MALVENDAE.

Verſ. 2. AD OMNES VIROS SICHEM. Hebr. *in auribus omnium domi-*

Google

minorum Sechem, id eſt primorum, optimatum, principum. Alii, *omnium virorum*, *hominum habentium*, vel *habitantium Sechem*, id eſt omnium civium.

V. 4. SEPTUAGINTA PONDO ARGENTI. Hebr. *ſeptuaginta argenti*. Quidam, *ſeptuaginta ſiclos*. Sed nimium ea exigua ſumma ad conducendum exercitum: nam ſunt 280. tantum drachmæ argenteæ Hiſpanicæ. Alii, *ſeptuaginta argenti libræ*, aut *minæ*, quæ duplæ traduntur ad noſtrates: eritque ſumma 1680. unciarum, ſive 3360. ſiclorum, id eſt regalium Hiſpanicorum 13440. Neque hæc ſumma ſatis videtur exercitui conducendo, niſi fortaſſe illis temporibus: proinde non deſunt qui reddant, *ſeptuaginta argenti talenta*, cuilibet talento tribuentes duodecim millia regalium Hiſpanicorum. Unde reſultat ſumma ducentorum millium, & amplius decem millium ſiclorum, qui conficiunt octingenta millia & amplius quadraginta millia regalia Hiſpanica: quod pondus argenti ſufficere tunc potuit conducendo exercitui. Verum hæc non ſatis comperta.

V. 5. SEPTUAGINTA VIROS, excepto Iothamo. Synecdoche, ut infra verſ. 56. Vide in Geneſ. XXXV. verſ. 26. REMANSITQUE. Hebr. *Exuberavit*, *ſuperabundavit*, *ſuperavit*, *ſuperfuit*. Non ſine myſterio uſus eſt hoc verbo Spiritus ſanctus: ut quia Abimelech diſſerebat ſeptuaginta fratres nimios & ſuperabundantes eſſe imperio; ipſi unus ſolus omnium minimus ſatis ſuperque fuerit, ad eum evertendum. Hiſpanice, *Le ſobrò*. IOATHAM. יותם *Iotam*. Præſagio ſuæ calamitatis hoc nomen accepiſſe videtur, quod *pupillum* ſeu *orphanum* ſignificat. Siquidem ſexaginta novem fratribus orbatus, pupillus & orphanus in ſumma ærumna manſit. Alii exponunt, *Deus integer*, non tam recte.

V. 6. ET UNIVERSAE FAMILIAE URBIS MELLO. Hebr. *Et omnis domus Millo*. Plerique volunt fuiſſe locum, ſeu urbem haud longe a Sichem. Alii totum eſſe nomen proprium loci בת-מלוא *Beth-Millo*, cuius quoque erit mentio II. Regum XII. verſ. 20. Hiſpanice dices *caſallena*, id eſt *domus plena*, forte a plenitudine & abundantia dicta. Aliqui appellative reddunt: *Et omnis domus munitionis*, ſive *& omnes incolæ munitionis*: fortaſſe omnes qui arcem urbis Sichem; & omnes munitiones eius obtinebant, nempe milites præſidiarii Sichemi exiſtentes. Hebræorum nonnulli volunt, *Milo* fuiſſe locum amplum, & latum, comitiis & conventibus publicis deſtinatum, dictum *Milo*, quaſi *plenitudinem*, ſeu *impletionem*, quod hominibus impleretur. Hiſpanice dicimus *la caſa de la ciudad*, *o de la villa*, ubi fiunt publica comitia, & de negotiis publicis refertur. Unde quod hic dicitur, *Et omnis domus Milo*, apte poſſis metonymice exponere: *Et tota curia plena*, id eſt centuriata comitia, ut Latini vocant; quaſi dicat: Plenis comitiis creaverunt eum regem. Hiſpanicus Interpres: *Con todo el ſenado o cabildo*, vel *toda la caſa del ayuntamiento*. De altero loco Milo in Ieruſalem agemus II. Samuel. V. verſ. 9. & I. Regum IX. verſ. 24. Vide infra verſ. 20. IUXTA QUERCUM QUAE STABAT IN SICHEM. עם אלון מצב אשר בשכם *Ghim elon mutztzab aſcher Biſchehem*. Diverſimode convertunt. I. *Iuxta planitiem ſtatuæ, quæ erat in Sechem*. II. *In Elon fixa, quæ in Sechem*. Elon aiunt genus eſſe arboris nunc ignotæ, quæ fixa dicitur, quod eſſet ſacra & incædua, quam non licebat incidere, eradicare, exſcindere, quod eſſet Deo conſecrata. III. *Cum planitie ſita, quæ in Sechem*. IV. *Sub quercu prope Sechem ſita*. V. *In planitie ſtatuæ, quæ erat in agro iuxta Sechem*, hoc eſt in platea, in qua erat quædam ſtatua. VI. *Apud planitiem ſtatuæ, quæ erat in agro Sechemitano*, id eſt in campo illo prope Sichem, ubi Ioſue magnum lapidem erexiſſe legitur ſub quercu, Ioſue XXIV. verſ. 26. Vide annotata ibi. VI. *Iuxta quercum, ſtationem, quæ erat in Sechem*. De voce *Elon* diſſeruimus in Geneſ. XII. verſ. 6. *quercum*, *quercetum*, ſeu *ilicem*, *ilecitum*, plerique interpretantur. Hanc ipſam omnino eſſe quæ Gen. XII. verſ. 6. dicitur אלון-מורה *Elon-Moreh*, ubi habitavit Abraham; & ſub qua etiam Iacob idola defodit Geneſ. XXXV. verſ. 4. nimium cæcus fuerit qui non videat. *Mutztzab* vero & poteſt eſſe participium paſſivum Hiphil, *ſtatuta*, *conſtituta*, *ſita*, *fixa*; & poteſt eſſe nomen ſubſtantivum, *ſtatio*, *propugnaculum*, *præſidium*, ubi ſtant milites, & ſuas ſtationes & cuſtodias obeunt, Iſaiæ XXIX. 3. Unde hic reddi poteſt: *Apud quercum*

ſtationis militaris, *quæ* erat *in Sichem*: nam ibi ad quercum illam erat ſtatio militaris, & præſidiaria, quæ erat in Sichem. Hiſpanice: *Alli eſtava el cuerpo de guardia*. Alii *Mutztzab* hic *ſtatuam* exponunt, redduntque: *Iuxta quercum ſtatuæ, quæ erat in Sichem*. Statuamque interpretantur magnum illum lapidem ſeu titulum, quem Ioſue in campo prope Sichem ſub quercu erexiſſe deſcribitur Ioſue XXIV. verſ. 26. Ibi vide. Nec prorſus abſurde expoſueris: *Cum robore ſtationis, quæ in Sechem*; id eſt, acceſſit quoque ad populi, ſenatuſque Sechemitani conſenſum in deligendo Abimelecho in regem, etiam robur ſtationis militaris, quæ erat in Sechem.

V. 8. IERUNT LIGNA. Hebr. *Eundo iverunt arbores*; id eſt, aliquando iverunt. Apologus, ut II. Reg. XIV. verſ. 9.

V. 9. NUMQUID POSSUM DESERERE PINGUEDINEM MEAM? החדלתי *hechodalti*, quidam ex Hiphil faciunt: *Num deſerere, ceſſare faciam?* Alii ex Hophal: *Num ceſſare facta ero?* Quidam: *Deſtituarne?* id eſt, efficiamne ut priver pinguedine mea? Alii: *Cogererne deſiſtere cum pinguedine mea?* Sic verſ. 11. & 13. QUA ET DII UTUNTUR ET HOMINES. Hebr. *Qua per me honorificant deos & homines*. Alii: *Quam in me & dii & homines honorant*, ſeu *magnifaciunt*. Quidam: *Per quam honorantur Deus & homines*. Adhibetur enim oleum ad ſacrificia, & lucernas, ad unctionem regum, ſacerdotum, ac prophetarum, denique ad corpora humana delibuenda. *Elohim* hic & verum, & falſos deos ſignificare poteſt, ut verſ. 13. UT INTER LIGNA PROMOVEAR? Hebr. *Ad moveri ſuper arbores*; id eſt, ut ſuperem dignitate, & altitudine reliquas arbores? Quidam: *Ut irem vagatum propter alias arbores*? id eſt, ut irem circumcurſatum ad regium munus exequendum. Sic oſtendit omnis auctoritatis, atque principatus comitem eſſe laborioſiſſimam ſolicitudinem, quam pater ſuus prudenter, modeſteque refugerit. Itidem ſequentia verſ. 11. & 13.

V. 13. VINUM QUOD LAETIFICAT DEUM: quia in libaminibus Deo offerebatur, Numeror. XV. verſ. 5. 7. 10. quo etiam ritu gentiles diis vina libabant. Virgilius IV. AEneidos:

.... *Lenæum libat honorem*.

ET HOMINES. Pſalmo CIII. verſ. 15. *Et vinum lætificet cor hominis*. Item Prov. XXXI. verſ. 6. Ieremiæ XVI. verſ. 7.

V. 14. AD RHAMNUM. אטד *atad*. Ter tantum hæc vox in Scriptura reperitur, Gen. L. verſ. 10. Noſter pro nomine proprio ininterpretatam reliquit; hic vero, & Pſalmo LVII. verſ. 10. *rhamnum*. Ita quoque habent LXX. & Ioſephus, qui annotat, *rhamni lignum ad ignaria valere*. Plinius Lib. XXIV. cap. XIV. *Inter genera ruborum rhamnus appellatur a Græcis candidior & fruticoſior: is floret ramos ſpargens rectis aculeis, non ut ceteri aduncis, foliis maioribus*. S. Gregorius Nyſſenus in Pſalm. LVII. *Species inter ſpinas omnium difficillima eſt rhamnus, cuius acutæ ſunt cuſpides, continuæ vero prominentiæ, & eos qui accedunt propius, lædentes, venenoſæ autem lacerationes*. S. Hieronymus in II. Aggæi: *Rhamnus ſpinoſus frutex, & arbuſcula ſentibus, unciniſque contexta, quæ teneat quidquid attigerit, & retentum vulneret, & vulneratorum ſanguine delectetur*. Rhamnum accurate deſcripſit Lævinus Lemnius de herbis, & arboribus Bibliacis, cap. VI. Notatu quoque digna quæ de eo obſervarunt Cælius Rhodiginus Lib. XXII. cap. XXXI. & Iacobus Delecampius Annotationibus ad Plinii Lib. XXIV. cap. XIV. Item Henricus Stephanus in Appendice Theſauri Parte II. colum. 3. ex Gorræo. Hiſpanice vocant *cambron*, *o cambronera*. Quidam notant, *rhamnum*, Afris *atad* dici. Alii, *atad*, *carduum* eſſe volunt, quo in poliendis pannis uti ſolent. Nonnulli *cynoſpaton*, id eſt *ſentem canis*, vel *cani rubum*, vel *rubum caninum*, genus ſpinæ ſumme aculeatum, de quo Theophraſtus Lib. III. Hiſtoriæ Plantarum, cap. XVIII. Plinius Lib. XXIV. cap. XIV. Columella Lib. XI. cap. IV. Dioſcorides, & alii. Quidam volunt, *atad* eſſe genus rubi odorati ferentis roſas, nempe *cynorrhodon*, vel *roſam caninam*, ſeu *caniroſam*, de quo Plinius Lib. VIII. cap. XLI. & Lib. XXV. cap. II. Hiſpanicus Interpres *eſcaramuio* reddidit. *Rhamnus* recte huic loco convenire videtur. Theodoretus in Pſalm. LVII. *Rhamnus autem ſpina eſt & maxima, & velut arbor*. Euthymius: *Rhamnus autem dumorum quoddam genus eſt, quod maximis atque acutiſſimis refertum eſt aculeis*.

V. 17. ET ANIMAM SUAM DEDIT

Digitized by Google

PERICULIS. Hebr. *Et proiecit animam ſuam longe, procul, remote, eminus*, a ſe; id eſt, longe ſe periculo mortis expoſuit. Conſimilem locutionem habes ſupra, cap. v. verſ. 18. Alii: *Obiecit animam ſuam ex oppoſito, e regione, ex adverſo*; id eſt, obiecit vitam ſuam, oppoſuit ſe pro vobis, hoſtibus. Hiſpanicus, *Menoſprecio ſu vida*.

V. 19. HODIE LAETAMINI IN ABIMELECH, ET ILLE LAETETUR IN VOBIS; quaſi dicat: Fruimini vos illo, & ille fruatur vobis: ſit vobis, ac illi felix fauſtaque inauguratio iſta in regem.

V. 21. ABIIT IN BERA. Hebr. *in Beer*: Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Bera, ubi cum Abimelech Ioathan fugiſſet, habitavit. Diſtat autem vicus Bera ab Eleutheropoli octo millibus ad Aquilonem.* Alii exiſtimant hanc eſſe *Babalath-Beer*, Ioſue XIX. verſ. 8. vel *Beer-Sebah*, terminum auſtralem, & remotiſſimum terræ Chananææ: quæ nunc hic contracte dicatur *Beer*. Vide Ioſue XIX. verſ. 8.

V. 23. SPIRITUM PESSIMUM. Hebr. *ſpiritum malum*, id eſt affectum malum, ſeu ſpiritum diſcordiæ; quaſi dicat: Oborta eſt diſcordia inter eos, ita volente Deo. QUI COEPERUNT EUM DETESTARI. Diverſimode hunc locum ex Hebræo convertunt. I. *Prævaricatique ſunt viri Sechem in Abimelecho*; id eſt, defecerunt ab Abimelech rege ſuo. II. *Et perfide egerunt, perfidi, perfidioſi fuerunt domini Sechem in Abimelecho*. III. *Et excurrerunt*, ſeu *incurrerunt domini*, &c. id eſt, vi, & dolo incurſionem, ſeu excurſionem fecerunt in eum. IV. *Et mentiti ſunt primates Sechem in Abimelech*; id eſt, rebellaverunt ei, fregerunt fidem, qua ſe ei obſtrinxerant, non ſervaverunt pactum.

V. 24. ET SCELUS INTERFECTIONIS, &c. Hunc verſum ex Hebræo verbotenus reddidimus (*Ad venire iniuriam ſeptuaginta filiorum Ierubbaghal: & ſanguinem eorum ad ponere ſuper Abimelech fratrem eorum, qui interfecit eos: & ſuper potientes Sechem qui tenuerunt manus eius ad interficere fratres ſuos.*) Alii clarius ita. I. *Ut veniret iniuria ſeptuaginta filiorum Ierubbaghal: & ut ſanguinem eorum poneret ſuper Abimelech fratrem eorum, qui interfecerat eos; & ſuper viros Sechem, quia roboraverunt manus eius, ut occideret fratres ſuos.* II. *Ut ſcilicet iniuria illata ſeptuaginta filiis Ierubbahal veniret: & ut ſanguinem eorum devolveret Deus ſuper Abimelech fratrem eorum, qui eos occiderat: adeoque & ſuper cives Sechem, qui manus eius roboraverant, ut occideret fratres ſuos.* III. *Ut rediret iniuria ſeptuaginta filiis Ierubbahalis illata*, id eſt cædes eorum reponeretur, *Abimelecho fratri eorum, qui interfecerat eos: & Sechemitis, qui confirmaverant manus eius, ut interficeret fratres ſuos.* Proprie: *Ad venire violentiam*, vel *ut veniret iniuria*, &c. Hiſpanicus Interpres: *Para que el agravio de los ſetenta hijos de Ierubahal viniesse*, ſcilicet *a pagadero*; id eſt, ut Deus violentiam illam & iniuriam conferret in caput Abimelech; hoc eſt, ut puniret eum Deus propter vim illatam ſeptuaginta filiis Ierubbahalis. Aut ut rediret in caput Abimelech pœna, & dignum ſupplicium, oppreſſionis filiorum Ierubbahalis. *Et ad ponere ſanguinem eorum ſuper Abimelechum*; id eſt, ut imponeret ipſi Abimelech cædem, id eſt reatum culpæ, & pœnæ iniuſte, & crudeliter effuſi ſanguinis innoxii. Et illud magnam vim habet: *Qui tenuerunt manus eius*; id eſt, qui fuerunt adminiſtri cædis, & illum adiuverunt in cæde fratrum ſuorum.

V. 25. NUNTIATUMQUE EST ABIMELECH. Notant, eſſe orationem ellipticam, quæ ſuppletur ex oratione ſequenti, verſ. 27. quaſi dicat, qui ex relatione, in Sichimitas infenſus in agro Sichimitano graſſabatur. Simile eſt Geneſ. XXXV. verſ. 22.

V. 26. GAAL. Hebr. געל *Gaghal* nomen ſonat *faſtidioſum, abominatorem, ſpretorem*. Vanus fuiſſe videtur, & linguæ ventoſæ. Alii per metatheſim, *iuvencum*, ſeu *vitulum* interpretantur, quaſi fortem, & prævalidum, & ad labores, & pugnas opportunum. FILIUS OBED. Hebr. עבר *ghebed*, id eſt *filius ſervi*, fortaſſe libertini generis; ſed opibus, & factionibus, atque clientelis ad ſummam potentiam evectus.

V. 27. EGRESSI SUNT IN AGROS. Præſentia, & ope Gahalis, & cognatorum eius animati, auſi ſunt oppido egredi, quo prius metu Abimelechi in agro graſſantis ſe continebant. UVASQUE CALCANTES. Hebr. tantum eſt, *Et calcaverunt*: plerique uvas ſubaudiunt. Hiſ-

Ddd 2 pa-

panicus: *Y piſaron*, vel *legarearon*. Aliqui: *Et calcaverunt*, ſive *& viaverunt*; id eſt, freti præſidio Gahalis audacter per vias & itinera inceſſerunt, calcaverunt intrepide vias publicas, quod antea facere non audebant. ET FACTIS CANTANTIUM CHORIS. Hebr. *Et fecerunt exaltationes, laudes*. Quidam: *Et fecerunt lætitias*, vel *& lætati ſunt*; id eſt, fecerunt choros, ut fieri ſolet tempore vindemiarum. Alii: *Hymnoſque concinnebant*. Nonnulli: *Feceruntque laudativa carmina*; id eſt, cantu ſuo, & laudibus Gahalis declararunt ſe omni metu Abimelechi ſolutos eſſe, & hoc beneficium Gahali adſcribere. Magna fuit olim tempore vindemiæ iucunditas & lætitia, quam choris, & canticis celebrare conſueverunt. Tacitus Annal. II. *At Meſſalina non alias ſolutior luxu, adulto autumno ſimulacrum vindemiæ per domum celebrabat, urgeri præla, fluere lacus, & feminæ pellibus accinctæ aſſultabant, ut ſacrificantes, vel inſanientes Bacchæ: ipſa crine fluxo, thyrſum quatiens, iuxtaque Silius hedera vinctus, gerere cothurnos, iacere caput ſtrepente circum procaci choro*. Lampridius in Heliogabalo: *Ferunt multi ab ipſo primum repertum, ut in vindemiarum feſto multa in dominos iocularia, & audientibus dominis dicerentur*. *Vinalia* hæc feſta Romanis dicebantur apud Varronem, & Feſtum: diverſa ab his *Meditrinalia*, de quibus iidem Varro, & Feſtus. Vide infra verſ. 42. MALEDICEBANT ABIMELECH; id eſt, ſolemni ritu in templo diris eum devoverunt. Hiſpanicus Interpres: *Excomulgaron con ſolemne rito a Abimelech*.

V. 28. PRINCIPEM ZEBUL. Hebr. *Zebul præfectus eius*. Vox פקיד *pakid* hæc omnia complectitur: *Viſitator, numerator, cenſor, commiſſarius, adminiſtrator, epiſcopus, ſuperintendens, præpoſitus, præfectus*. Hiſpanicus apte *aſſiſtente* reddidit. Senſum huius verſus plerique ita concipiunt: Quis Abimelech, filius Ierubbahalis, hominis inviſi Sichimitis, nempe qui deo eorum bellum indixerit, everſa ſtatua, araque Bahalis, & luco eius exciſo: ad hæc, qui privatus vixit, nec imperium in quemquam habuit, extra ordinem tantum unius belli dux delectus. At Sichimitæ liberam rempublicam iam olim conſtitutam habuerunt. Indignum ergo ut ei ſerviant Sichimitæ. SERVUM SUUM SUPER VIROS EMOR PATRIS SICHEM. Noſter legit עבדו *ghibdo*, *ſervum ſuum*: nunc exemplaria habent עבדו *ghibdu*, *ſervite viris Chamor patris Sechem*. Exponunt: Id eſt, ſi ſerviendum eſt, ne patiamini vos ſervitute premi duriore quam olim huius loci cives ſub Chamore, qui Sichimitis erat veluti pater: & idem imperium retinete penes gentem ipſius. Unde reddunt: *Servite viris* natis *Chamore principe Sechecemi*. *Patrem* hic pro principe accipiunt. Ego ſuſpicor hunc Gahalem impium & idololatram fuiſſe ex vetuſto genere Sichimitarum Chananæorum, qui a filiis Iacob interfecti fuerunt, ac eo ſuam orationem tecte dirigere, ut ſe regem faciant ortum ex antiqua proſapia Chamoris, & Sechemi eius filii: vult enim aliquem deligi regem e priſco illo ſanguine Sichimitarum: nam illa clade parvulos evaſiſſe, conſtat e Geneſ. XXXIV. verſ. 29. ac ſe latenter inſinuat, & clarius ſe prodit verſ. 29.

V. 29. DICTUMQUE EST ABIMELECH, &c. Hebr. *Et dixit ipſi Abimelecho: Auge exercitum tuum, & exi*. Arroganter abſentem exagitat, & prælium poſcit alter hic Drances, cui Mavors ventoſa in lingua.

V. 31. CLAM. בתרמה *bethormah*. Quidam ſecuti Chaldæum exponunt, *in ſecreto, in abſcondito, occulte, latenter*: plerique, *in dolo, in fallacia, in impoſtura*. Nonnulli Hebræorum, & Noſtrorum, quia nomen *Tormah* in hac forma, & ſignificatione alibi non invenitur in Scriptura, pro nomine proprio urbis, aut loci accipiunt, redduntque: *Et miſit legatos ad Abimelech in Thormah*. Voluntque hunc ipſum eſſe locum qui infra verſ. 41. appellatur *Arumah*, qui a celſitudine, ſeu elevatione nomen habet, forte quod editus, & ſublimis eſſet: ubi tunc morabatur Abimelech. Vide I. Samuel I. verſ. I. ET OPPUGNAT ADVERSUM TE CIVITATEM. Hebr. *Et ecce ipſi coanguſtantes, coarctantes, conſtringentes, prementes urbem ſuper*, vel *contra te*. Quidam: *Et ecce ipſi obſidione cingunt civitatem contra te*; id eſt, obſident, & cuſtodiunt urbem, ne in eam ingrediaris. Alii: *Et ecce ipſi occupant civitatem contra te*. Nonnulli: *Qui ecce cum civitate oppugnaturi ſunt te*. Aliqui: *Et ecce ipſi anguſtantes*, vel *anguſtantes civita-*

tem

tem ſuper te; id eſt, comprimunt, conſtringunt, contrahunt urbem contra te; quaſi dicat: Sacramento adigunt, & cogunt civitatem ut arma contra te ſumat.

V. 33. IRRUE SUPER CIVITATEM. Verbum פשט *paſchat* vim & impetum denotat: *Et irrues, invades, detrahes, nudabis, ſpoliabis, vaſtabis, excurres od prædam, graſſaberis, impetum facies, ſuper urbem*: nempe cæſo Gahale cum civibus, qui foras proceſſerint, ut ſtatim ſubiicit. Vide infra verſ. 44. FAC EI QUOD POTUERIS. Hebr. *Et facies illi iuxta quod inveniet manus tua*. Quidam: *Facies ergo ut uſus feret*. Alii: *Sic facies ei prout obvenerit manui tuæ*. Hiſpanicus: *Haras con el ſegun alcançare tu mano: o ſegun que ſe te offrecera*. Melius, *Segun que te viniere ala mano*.

V. 34. IN QUATUOR LOCIS. Hebr. *quatuor capitibus*: quidam, *quatuor cuneis, turmis*: alii, *quatuor capitaneis*, ſeu *ducibus*: nonnulli, *quatuor ordinibus*: aliqui, *quatuor agminibus*: nimirum ut illos circumveniret. Sic ſupra cap. VII. verſ. 16. & infra verſ. 37. 43. 44.

V. 37. DE UMBILICO TERRAE, id eſt ex editiore loco terræ, vel e tumulo terræ. Alii, *e medio*, vel *per medium terræ*. PER VIAM, QUAE RESPICIT QUERCUM. Hebr. מעוננים *meghonenim*, *de via quercus*. *Meghonenim* Noſter pro appellativo accepit, *oculantium, obſervantium, aſpicientium quercum*. Alii nomen proprium loci exiſtimant, ſic dicti, quaſi *quercum obſervantium, aſtrologorum, planetariorum, mathematicorum*: de qua voce vide quæ annotavimus in Deuter. XVIII. verſ. 10. fortaſſe quod ſub ea, vel ex ea auguria, ſeu oracula captarent ſuperſtitioſi harioli, & divinaculi. Notum eſt Dodonæum oraculum, ubi quercus loquaces, & oracula fundentes. Virgilius:

> .... *atque habitæ Graiis oracula quercus*.

Euſebius Lib. II. Præparationis Evangelicæ, cap. v. *Annoſam quercum inter arenas deſertas cultam, & oraculum, quod ibi eſt*. Silius III. Punicorum:

> *Implet fatidico Dodonida munere quercum*.

Claudianus Panegytico:

> .... *rurſuſque locutæ*
> *In te Chaoniæ moverunt carmine quercus*.

Quidam hic vertunt: *Per viam planitiei Mehonenim*; id eſt, per viam, qua itur in campeſtria Mehonenim. Alii: *De via querceti augurum*. Nonnulli: *Per viam quæ ducit ad planitiem hariolorum*.

V. 38. UBI EST NUNC OS TUUM, &c. Exponunt, quaſi dicat: Ut heri ore, ita nunc manu te virum præſta. Hæc autem verba in ſpeciem videntur eſſe viri honori conſulentis; ſed vere ſpectabant ad Gahalis excidium: nam hoc agit Zebul veritate, & illud fraude ſimulat. Ego potius irridentis, & inſultantis vanitati Gahalis, verba eſſe puto. NONNE HIC POPULUS EST, QUEM DESPICIEBAS? ſupra verſ. 28. & 29. & videtur Zebul alludere ad nomen Gahalis, & ingenium: nam *Ghaghal, deſpectorem, ſpretorem, abominatorem, faſtidioſum* ſonat, ſupra verſ. 26.

V. 39. SPECTANTE SICHIMORUM POPULO. Hebr. *ad facies virorum*, ſeu *dominorum Sechem*. Quidam exponunt, *coram, in conſpectu*, id eſt ſpectantibus viris Sichem: qui eſt ſenſus Noſtri. Alii, *ante viros Sechem*, id eſt præiens eis tamquam dux.

V. 40. USQUE AD PORTAM CIVITATIS. Heb. *uſque ad ianuam*, ſeu *oſtium portæ*. Quidam, *uſque ad opertionem portæ*. Significari putant magnam ſtragem editam circum portam, interim dum porta fugientibus aperitur, e concurſu & protruſione ſeſe illic conglobantium & comprimentium, cædente cervices hoſte.

V. 42. SEQUENTI ERGO DIE EGRESSUS EST POPULUS IN CAMPUM. Tremellius & Iunius hæc annotant: *Ut prius conſilium de tollendo Abimelecho initum verſ. 29. exequerentur, etſi priore duce deſtituti; tanto flagrabant in Abimelechum odio. Nam qui de operibus ruſticis accipiunt, non conſiderant vindemiam iam factam fuiſſe, & eius nomine epulum Meditrinaliorum, ut Latini vocant, celebratum ſupra verſ. 27. aratio autem non ſtatim vindemiam ſubſequitur*. Hæc illi, in quibus obiter illud notandum, imprudenter confugiſſe eos *vinalia*, quæ peregerunt verſ. 27. cum *meditrinalibus*, quæ erant diverſa, diverſis diebus, & ritibus celebrata. Vinalia enim altera, ſeu ruſtica agebantur XIII. kalendas ſeptembris, auctore Plinio Lib. XVIII. cap. XXIX. velut M. Varro Lib.

V. de

V. de Lingua Latina cap. III. ſcribit, ante diem XII Kalend. ſeptembris: at Meditrinalia pridie kalend. octobris, ut eſt in veteri kalendario Romano: vel ad V. idus octobris, ut in alio kalendario conſignatur. Sed vide de his Rudolphum Hoſpinianum Lib. II. de Feſtorum origine, cap. XXII. & XXIV. Ceterum Ioſephus annotat, Sichimitas tunc egreſſos ad vindemiæ reliquum peragendum, quod cœperant verſ. 27. Alii ad ruſticana alia opera, nempe ad parandam ſementem, cuius tempus iam poſt vindemiam inſtabat. Veroſimilius eſt prodiiſſe in prælium contra Abimelechum.

V. 45. INTERFECTIS HABITATORIBUS EIUS. Condigna hos pœna reperit, qui Abimelechum regem primi conſtituerant. ITA UT SAL IN EA DISPERGERET. Hebr. *Et ſeminavit eam ſale*. Nedum aratrum induxit, ſed etiam ſale conſevit. Quidam volunt, in perpetuæ deteſtationis ſymbolum: nam ſal perpetuitatis hieroglyphicum eſt. Theodoretus: *Hoc autem denotabat ſterilitatem, quoniam ex ſale nullus fructus naſcitur*. Volebat eam haberi perpetuo execratam, & nulli uſui.

V. 46. IN TURRE SICHIMORUM. Hanc quidam extra urbem Sichem fuiſſe putant, nimirum pagum aliquem aut vicum, ſeu villam, ſive caſtellum prope Sichem, ut ſolent circum urbes eiuſmodi turres aut caſtella eſſe, ditiorum, & magnatum voluptuarii ſeceſſus. Alii, hanc putant eſſe domum Mello, de qua ſupra verſ. 6. Sed non dubito fuiſſe arcem ipſam urbis: ex qua cum ibi ſe ſatis tutos non reputarent, in munitiorem locum fanum Bahalis-berith, vel religionis ergo, ut in aſylum, ſe receperunt viri, vel primores Sechem. INGRESSI SUNT FANUM DEI SUI BERITH. Hebr. *Et venerunt ad propugnaculum domus dei Berith*. Alii, *ad arcem Bethel-berith*. Quidam, *ad arcem Bethel, pro fœdere*; id eſt, ut vitam cum Abimelech paciſcerentur. צריח *tzeriach*, aiunt eſse locum, vel ædificium altum & elevatum, ut turrim, arcem: ſic dictum quod ſpeculator inde exclamat, & valide vociferatur. Quidam Hebræorum *dentem rupis* interpretantur. Alii locum vel arte, vel natura præruptum, & munitum, utrimque habentem prærupta, & fortia vel natura, vel arte: *Munitionem, propugnaculum, arcem, turrim munitam*. Noſter veram, & elegantem paraphraſim, & explanationem ſubiicit & voci ברית *berith*, & vocis *tzeriach*, dicens: *Ubi fœdus cum eo pepigerunt, & ex eo locus nomen acceperat, qui erat munitus valde*. Et ſane ſolent eſse loca templorum munitiſſima, quaſi arces, & propugnacula.

V. 48. IN MONTEM SELMON. צלמן *Tzalmon*, montem non longe abfuiſse a Sichem, hinc perſpicue patet: ab oriente urbis, verſus Iordanem collocant: nivoſus fuit, Pſalm. LXVII. verſ. 15. Nomen plerique ab umbra ſeu umbroſitate deducunt, quod eſset arboribus umbroſus, opacus, denſus, quod ſatis hic innuitur: vel cavernoſus, tenebricoſus, nubibus obſitus, caliginoſus. QUOD ME VIDETIS FACERE, CITO FACITE. Hebr. *Quid vidiſtis feci*. Videtur traiectio: Vidiſtis quid fecerim. Alii: *Quod vidiſtis*, quod *feci*; id eſt, quod vidiſtis me facere. Vel *Quod vidiſtis, feci*, ſeu *feci quod vidiſtis: feſtinate, facite ſicut ego*.

V. 50. AD OPPIDUM THEBES. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Thebes urbs, quam cum oppugnaret Abimelech, fragmine molæ ictus interiit. Eſt autem uſque hodie vicus nomine Thebes, in finibus Neapoleos* (id eſt Sichem) *pergentibus Scythopolim, quaſi in tertio decimo eius lapide*. Volunt aliqui fuiſse ſitam non procul, ad occidentem ipſi Sichem: nec deſunt qui hanc putent eſse Thisbe, vel Thebes patriam Tobiæ, in Græcis Tobiæ 1. verſ. 2. ſed falluntur perſpicue: cum Thisbe, vel Thebes patria Tobiæ fuerit in ſuperiore Galilæa, in ſorte Nephthali, non longe a Kedes, & Haſor, ut ibidem dicitur; & hæc Thebes Abimelechi eſset in tribu Ephraim, haud procul a Sichem. *Thebetz* vero neſcimus quid aliud ſignificare poſſit Hebraice, quam *lutoſam*, quaſi *luteam*, *cœnoſam*, *paludinoſam*: vel in qua multa copia byſſi tenuiſſimi lini proveniret.

V. 53. ET ECCE UNA MULIER, &c. Conſimili nece interfectum Pyrrhum regem Epirotarum Argis, ſaxo, vel tegula in caput eius e muris a muliere deiecta, auctores ſunt Plutarchus in eius vita, Iuſtinus Lib. XXV. extremo, & alii.

V. 56. ET REDDIDIT DEUS MA-

LUM

Digitized by Google

LUM, QUOD FECERAT ABIMELECH CONTRA PATREM SUUM. Hebr. *Et redire fecit, reduxit Elohim* (id eſt Deus, vindex, & iuſtiſſimus iudex) *malum Abimelechi, quod fecit patri ſuo*. Quidam: *Et convertit*, ſubaudi in caput eius, *malum*, id eſt ſcelus, ſive flagitium, *Abimelechi*, *quod fecit patri ſuo*. Plena locutio habetur verſu ſequente. Alii: *Rependit itaque Deus Abimelech malum, quod contra patrem ſuum deſignaverat*. Nonnulli: *Sic fecit Deus ut rediret maleficium Abimelechi, quo affecerat patrem ſuum*. Hiſpanicus Interpres: *Arſi pues pago Dios a Abimelech el mal que hizo contra ſu padre*.

MENOCHII.

Verſ. 2. VIROS SICHEM, viros primarios: hi enim viri in Hebræo dicuntur בעלים *bebalim*, id eſt *domini*. DOMINETUR UNUS VIR. Melior monarchia reliquis reipublicæ formis. Hinc argumentum petit Abimelech. OS VESRUM, ET CARO VESTRA, propinquus veſter.

V. 4. SEPTUAGINTA PONDO ARGENTI. In Hebræo, Chaldæo, & Græco tantummodo eſt: *Dederunt ei ſeptuaginta argenti e domo Baalberith:* & videtur ſubintelligendum talenta, quod Vulgatus noſter voce *pondi* expreſſit. Porro talentum, tria ſiclorum millia continebat. Siclus vero unus argenteus, ut alibi diximus, quatuor argenteis regalibus Hiſpanicis æquivalebat. DE FANO BAALBERITH. *Berith* ſignificat fœdus, pactum, teſtamentum. Vel ergo dicitur Baalberith quod fœderibus præeſſet, ut apud Græcos ζεὺς ὅρκιος; vel quod ſuo illi Baal certa aliqua cæremonia devoviſſent; vel tandem quod in eo fano populus Sichem cum Abimelech fœdus pepigiſſet.

V. 5. SEPTUAGINTA VIROS: ſexaginta octo, nam Ioathan evaſit, & ipſe Abimelech e numero erat ſeptuaginta. Ponitur ergo numerus rotundus, ut ſere fieri ſolet, etiamſi unus, aut alter deſideretur, aut ſuperſit. Sic dicimus paſſim ſeptuaginta Interpretes, cum tamen fuerint ſeptuaginta duo. SUPER LAPIDEM UNUM. Id factum vult Abulenſis, quia Abimelech non hoſtis, ſed iudicis perſonam ſuſtinere voluit videri, atque ita tamquam facinoroſos criminis alicuius compertos in loco ſupplicii mactari iuſſit. Arias Montanus putat lapidem hunc inani deo Baalberith quaſi aram ſtatutum, ac dicatum: quia vero Baalis aram confregerat, ac diſturbarat Gedeon cap. VI. 27. & ſuper petra, araque nova, in Baalis contumeliam ſacrificium obtulerat, voluiſſe Abimelech dæmonis illius iniuriam ulciſci, populique voluntatem, qui Baali addictus erat, ſibi adiungere.

V. 6. FAMILIAE URBIS MELLO. *Mello* eſt urbs, ſeu oppidum Sichimis proximum: eſt etiam alius locus eodem nomine appellatus, de quo II. Reg. V. 9. & alibi ſermo eſt. CONSTITUERUNT REGEM ABIMELECH. Non legitimo iure Abimelech regnavit, ſed malis artibus principatum occupavit: ſolet tamen inter populi Iudices cenſeri, quia facto rempublicam adminiſtravit, licet iure ad illius gubernationem non venerit. IUXTA QUERCUM, QUAE STABAT IN SICHEM. Septuaginta etiam vocant *quercum ſtationis*: quæ ſcilicet tanto tempore ſtetit: aſſeritur enim fuiſſe illa eadem ſub qua olim Abraham, Iacob, & Ioſue conſtiterunt, Gen. cap. XII. num. 7. & cap. XXXV. 4. & Ioſue XXIV. 26. Vel etiam dicitur quercus ſtationis, quia non ipſa tantum ſtabat, ſed & collocatam olim ibi ſtatuam ſtantem, de qua Ioſue loco citato, adhuc haberet. Vide quæ ibi dicta ſunt.

V. 7. IN VERTICE MONTIS GARIZIM. Non longe aberat a Sichem mons hic, ſicut & alter ei oppoſitus Hebal: ambo benedictionum, execrationumque cæremonia celebres, Deuter. XXVII. & Ioſue VIII. ITA AUDIAT VOS DEUS; id eſt, ſi a Deo preces veſtras calamitate aliqua, aut ærumna preſſi admitti cupitis, & me calamitoſum ſecundis auribus audite.

V. 8. IERUNT LIGNA UT UNGERENT SUPER SE REGEM: apologus: ſic Ezechielis cap. XVII. 24. lignis traditur ſcientia.

V. 9. QUAE RESPONDIT, &c. Oliva, ficus, & vitis regem deprecantur, & bono proprio carere ſe poſſe negant; quod tamen bonum, etiamſi privatæ maneant, aliis proſit, immo plus proſit, quam ſi ad regnum promoveantur. QUA ET DII

UTUN-

UTUNTUR ET HOMINES. Hebr. *Honerantur dii & homines*. Oleo honoratur Deus, dum ad ſacrificia Exodi XXIX. Levitic. II. 6. 7. & alibi, adhibetur; ad luminaria item ſacra Exodi XXV. 35. Num. IV. ad altarium, ſacerdotum, & Pontificum conſecrationem adhibetur. Homines vero honorantur oleo, quia illud ad regum unctiones adhibetur, quare etiam num. 8. dictum eſt: *Ierunt ligna ut ungerent ſuper ſe regem*. Alii uſus olei inter homines quotidiani ſunt, nec illos opus eſt recenſere.

V. 11. FRUCTUSQUE SUAVISSIMOS. Hebr. *redditum optimum*, quo ſignificatur & ficus fertilitas, & lucrum, quod ex ficetis exiſtit.

V. 13. LAETIFICAT DEUM ET HOMINES. Deus vino lætificatur, quia in ſacrificiis, & libaminibus adhibebatur; homines, quia in conviviis, & communibus menſis ad potum.

V. 14. DIXERUNTQUE LIGNA AD RHAMNUM, &c. Divus Hieronymus in Aggæi cap. II. *Rhamnus*, inquit, *ſpinoſus frutex, & arbuſcula ſentibus, uncinisque contexta, qua teneat quidquid attigerit, & retentum vulneret, & vulneratorum ſanguine delectetur*. VENI, ET IMPERA SUPER NOS. Cum fructuoſarum arborum optimæ principatum non admitterent, ad infructuoſarum peſſimam, & nocentiſſimam venitur, rhamnum ſcilicet.

V. 15. SUB UMBRA MEA REQUIESCITE. Licet rhamni umbra quietem, protectionem, ſecuritatemque polliceri videatur; tamen ſub ea qui latent, vix caput erigere, brachium porrigere licet, aut corpus commovere, quin ſentibus, ac ſpinarum aculeis compungaris, quod tyrannorum ingenium eſt. EGREDIATUR IGNIS, &c. Hoc etiam tyrannicum eſt: ſi non fiant omnia prompte quæ præcipiuntur, exardeſcunt, & iram, non in vulgares tantum homines, ſed in primores etiam, qui per cedros Libani ſignificantur, expromunt.

V. 16. NUNC IGITUR SI RECTE, &c. eſt apologi apodoſis, circa quam notandum tribus arboribus, quæ imperium recuſant, ſignificari omnes viros bonos, qui ſi ad regnum Iſraeliticum vocati fuiſſent, illud non admiſiſſent, quod id contra divinam voluntatem eſſe non ignorarent. Rhamnus ambitioſos, impios, divinique timoris expertes, ac nominatim Abimelech tyrannum notat. Hoc poſito, ſententia eſt: Si regem eligendo, fratres meos occidendo, patri meo defuncto tanta mala inferendo, bene feciſtis, bene ſit vobis, & regi veſtro, lætamini vos cum illo, & viciſſim ipſe vobiſcum: ſin vero male feciſtis, ut certe male, & peſſime feciſtis, ipſe rex vos perdat, & vos illum; mutua vos ira, & odio conficiatis, mutuis vos ignibus in cinerem redigatis.

V. 23. SPIRITUM PESSIMUM. D. Auguſtinus, & alii diabolum interpretantur. Is poſtea diſcordiarum, malorumque omnium auctor, & incentor fuit. Sic Pſal. LXXVII. 40. dicitur: *Miſit Dominus in eos iram indignationis ſuæ, immiſſiones per angelos malos*. Quod autem dicitur miſiſſe Dominus ſpiritum hunc, cum S. Auguſtino intelligendum eſt *permiſſive*, ut ſcilicet, ſpiritum malignum inter eos volentem permiſerit Deus ire, & pacem perturbare, &c. HABITATORES SICHEM. Plebem intelligit, quæ ſcelus ab Abimelech, & primoribus Sichem civibus adſcribebat, ac propterea eos oderat, & averſabatur.

V. 25. POSUERUNTQUE INSIDIAS, Sichimitæ, qui cum Gaal conſpiraverant, ut Abimelech everterent. DUM ILLIUS PRAESTOLABANTUR ADVENTUM, ſcilicet Abimelech. AGENTES PRAEDAS DE PRAETEREUNTIBUS: latrocinia in eos potiſſimum exercentes, qui pro Abimelech ſtabant.

V. 26. GAAL FILIUS OBED. Vir cognatione magna, opibus, viribuſque potens, popularis, & gratioſus, ex qua tribu, aut urbe fuerit, non exprimitur in ſacro textu.

V. 27. VASTANTES VINEAS. In Hebræo, & apud LXX. eſt, *vindemiantes vineas*. Adventu Gaalis alacres facti Sichimitæ, quod prius facere non audebant, colligendis uvis inſiſtunt, vinum exprimunt, & inter vulgarem vindemiatorum laſciviam Abimelechum carpunt, & lacerant dictis. INGRESSI SUNT FANUM DEI SUI, ut eum laudarent, ei de excuſſo Abimelechi iugo gratias agerent, hoſtiaſque immolarent.

V. 28. QUIS EST ABIMELECH? quam vilis, quam improbus! ET QUAE EST SICHEM?

Digitized by Google

CHEM, UT SERVIAMUS EI? E contrario, quæ & quanta eſt Civitas Sichem? NUMQUID NON EST FILIUS IEROBAAL? A patris perſona vocat Abimelech in invidiam. Gedeonem etiam invidioſe Ierobaal vocat, ut patratam ab illo everſionem aræ Baal, cui Sichimitæ erant addicti, revocet in memoriam. CONSTITUIT PRINCIPEM ZEBUL SERVUM SUUM. Præfectum conſtituit Zebul clientem ſuum. SUPER VIROS EMOR. Inducitur mentio Emor patris Sichem, ut civitatis huius antiqua nobilitas, libertaſque in memoriam revocetur ex Gen. XXXIV.

V. 36. CUMQUE VIDISSET POPULUM GAAL, DIXIT AD ZEBUL. Simulabat Zebul amicitiam cum Gaal, & clam illo, ut dicitur num. 31. Abimelech monuerat, ut cum ſuis veniret in Sichem. UMBRAS MONTIUM VIDES. Conatur Zebul Gaalem a ſuſpicione adventantis exercitus removere, ne imminenti malo occurreret.

V. 37. DE UMBILICO TERRAE. Umbilicus terræ vocatur, non ut aliquando, id quod eſt medium, ſed quod editius eſt, & fortius, ut ſunt montes. Alii putant vocari umbilicum, quod locus eſſet in terræ illius medio, colliſque bonus, & ferax. PER VIAM QUAE RESPICIT QUERCUM. Illam credo quercum intelligi de qua ſupra num. *6.*

V. 38. UBI EST NUNC OS TUUM, &c. Iam Zebul larvam deponit, & amarulenta eorum exprobratione, quæ Gaal dixerat num. 28. eum ad manus cum Abimelech conferendas impellit.

V. 40. IN URBEM COMPULIT. Duæ erant in Sichem factiones; altera Zebul, altera Gaal ſequebatur: quamvis ergo victus Gaal, fuſuſque fuiſſet ab Abimelech, tamen eum Zebul urbe excludere non potuit; ſed cum primum potuit, expulit, ut narratur num. 41.

V. 43. QUOD EGREDERETUR POPULUS DE CIVITATE: non ut agreſtibus vacaret operibus, ut putavit Sabellicus Lib. VIII. exemplorum cap. III. ſed ut pugnaret.

V. 45. ITA UT SAL IN EA DISPERGERET, in perpetuæ deteſtationis notam, ac ſignum: ſal enim ex quo nullus fructus naſcitur, ſterilitatem ſignificat.

V. 46. QUOD CUM AUDISSENT QUI HABITABANT IN TELLURE SICHIMORUM. Aliqui putant turrim hanc intra civitatem ſitam fuiſſe. Serarius exiſtimat in loco non admodum diſſito, ſed non intra urbem: alioqui non diceretur, *Quod cum audiſſent*, &c. ſed potius *quod cum viderent*. Putat idem Serarius turrim hanc fuiſſe Mello, de qua dictum eſt ſupra num. *6.* INGRESSI SUNT FANUM DEI SUI BERITH, ut ſcilicet loci munitione, ac religione ſe tuerentur.

V. 48. IN MONTEM SELMON. Mons hic eſt in eadem tribu Ephraim non procul a turri Sichem, orientem, ac Iordanem verſus: denſæ ibi arbores, & nix, quæ vix tandem liquefiebat. Pſal. LXVII. 16. *Nive dealbabuntur in Selmon.*

V. 50. VENIT AD OPPIDUM THEBES. *Thebes* urbs eſt in tribu Manaſſe, ut ait Adrichomius num. 59.

V. 53. FRAGMEN MOLAE. LXX. indicant fuiſſe fragmentum ſuperioris molæ: habent enim κλάσμα ἐπιμύλιον.

V. 54. NE FORTE DICATUR QUOD A FEMINA INTERFECTUS SIM. Immo dicitur, & porro ſemper dicetur: *Quis percuſſit Abimelech filium Ierobaal?* dicebat Ioab II. Reg. XI. 21. *Nonne mulier miſit ſuper eum fragmen molæ de muro, & interfecit eum in Thebes?*

TIRINI.

Verſ. I. ABIMELECH FILIUS Gedeonis, non ex primaria, aliqua uxore quæ familiam adminiſtraret & cuius filii paterna gauderent hereditate; ſed ex ſecundaria uxore, & inferioris ordinis, quæ alias concubinæ vocabantur, ut dixi Geneſ. XXV. verſ. 6. Cum enim Gedeon, tamquam iudex, & princeps totius populi, ſæpius ab urbe ſua Ephra, ubi præcipuæ illius uxores degebant, abeſſe, & in Sichimis adeſſe cogeretur, delegit & in Sichimis ſibi uxorem, ſed, ut dixi, ſecundariam, ſeu concubinam, quam Ioſephus *a Druman* vocat: quæ quia ex ea urbe oriunda erat, ibique parentes ſuos propinquoſque omnes habebat, & reliquis uxoribus non æque cara futura eſſet, relicta eſt a Gedeone in Sichimis in domo paterna. Ex hac matre natus Abimelech, maxima crudelitate & tyrannide iugula-

tis ſeptuaginta fratribus ſuis principatum vi rapuit: neque contentus titulo iudicis etiam rex audire voluit, verſ. 6. 18. & 22. Sed revera non niſi tyrannus fuit, typus Antichriſti, & aliorum hoſtium Eccleſiæ Dei.

V. 5. OCCIDIT FRATRES SUOS.... SUPER LAPIDEM UNUM. Putat Arias, lapidem hunc idolo *Baal-berith*, id eſt *deo fœderis b*, ſeu *pacti*, velut altare, ſacrum fuiſſe; ſtatutum vero ſeu erectum, & dedicatum a tyranno Abimelech eodem loco quo ante fuerat eiuſdem idoli ara, quam confregerat, ac diſturbarat pater eius Gedeon cap. VI. Nempe ulciſci voluit Abimelech dæmoni factam iniuriam, & ſacrilegii paterni damnatos publica iudicum ſententia ſeptuaginta filios, ad numen læſum hac ſacra victima placandum, omnes in eo altari iugulatos immolavit. In eumdem finem videntur Sichimitæ eidem Abimelecho præciſe ſeptuaginta argenti pondo, verius talenta, ex ſacro eiuſdem idoli theſauro appendiſſe, ut ad ſingulorum fratrum, qui erant ſeptuaginta, caput demetendum cederet talentum unum. Habes de ſimilibus fratricidis Ocho Perſarum rege, qui octoginta fratres ſuos, & Phrahate Parthorum, qui triginta fratres una cum patre ſuo iugulavit, apud Iuſtinum *c*: & noſtra ætate de Othomannis, Amurathe, Selymo, Baiazethe, & aliis apud Bozium *d*.

V. 8. IERUNT LIGNA. Pulchro ſuo apologo docet Ioatham, quam ſtulte egerint Sichimitæ, cum ſceptrum regium, quod pii, prudenteſque omnes hucuſque merito recuſarunt, in impium parricidam contulerunt, a quo nihil præter ſpinas, & flammas, & extremum interitum expectare poſſint.

Nota, arborem hic eſſe hominem, ſed inverſum, & conſilii, ac rationis capacem. Oliva, ficus, vitis, inter bonas laudataſque arbores omnium præſtantiſſimæ, ac fecundiſſimæ, deſignant homines imperio omni ex parte dignos, ſed qui zelo perfectioris cultus Dei, & ſtudio propriæ ſalutis, illud contemnunt, ſibique vacare præoptant. Rhamnus vero, qui vix lignum eſt, ſed ſpinæ tantum exiles & pungentes, ſignificat imperio ineptos, ſed ſuperbia, ac ſævitia plenos tyrannos: qui cum nil norint niſi pungere, ſtimulare, & affligere ſubditos, ſimulant tamen ſe velle ſua umbra eos protegere, ſolari, ac refocillare. Quod ſi quis vel tantillum contra mutiat, ſubito flammas iaculantur & ignes, etiam in cedros Libani, id eſt in nobiliſſimos, in optimos quoſque. Sed fere tum contingit, ut tyranni eodem quod in ſuos excitant incendio, etiam ipſi afflentur, & pereant, uti hic Abimelech, & Sichimitis eventurum Ioatham ominatur. Pro morali vide Baſilium, & Theodoretum *e*.

V. 23. MISITQUE DOMINUS SPIRITUM PESSIMUM, diſſenſionis, inquit ſanctus Auguſtinus: adeoque & ipſummet diabolum, quem non permiſſive tantum, ſed & imperative poteſt dici miſiſſe Deus, tamquam lictorem ſuum, ut & Abimelecho regnum eriperet, & vitam; ſimulque Sichimitas debitis pœnis plecteret. Ita ſanctus Auguſtinus *f*, Caietanus, & Arias.

(*a*) Ioſephus Lib. V. cap. IX.
(*b*) Infra verſ. 46.
(*c*) Iuſtin. Lib. X. & XLII.
(*d*) Thom. Bozius de Signis Eccl. Lib. XII. cap. VII. & IX.
(*e*) Baſil. hom. de humilitate. Theod. quæſt. XVI.
(*f*) Auguſt. quæſt. XLV.

G O R D O N I.

Verſ. 1. ABIMELECH FILIUS Gedeonis (ex cap. VIII. verſ. 31.) ambit, idque malis artibus, principatum. Tragœdiam hanc dat hoc totum cap. IX. Tyrannum Ioſephus Lib. V. cap. IX. vocat. Ponitur quidem in catalogo Iudicum; quamvis nec dignus hoc munere ſit, nec proprie iudex: damus tamen illi triennium ex verſ. 22.

V. 4. SEPTUAGINTA PONDO ARGENTI DE FANO BAALBERIT. Hoc multi exponunt eſſe ſeptuaginta libras argenti. ברית *berith* eſt fœdus, quaſi deus fœderis. Ex huius idoli fano ſeptuaginta libras argenti ſumptas aliqui interpretantur: nam ſi ſiclos tantum intelligas, exiguum eſt & ridiculum donum. Occiſi vero dicuntur ſeptuaginta fratres ſuper lapidem unum: forte aut ad lapidem decollati, aut ſtrangulati. Ceterum numquam fuit Abimelech rex totius Iſrael, nec Iſraelitarum rex primus dicendus eſt. Et merito per apologum, factum hoc reprehendit Ioatham qui evaſit ſolus ex filiis Gedeonis. Apologus eſt: Ligna, habitis comitiis

mitiis de rege eligendo, cum meliores arbores recuſarent principatum, tandem inſipienter rhamnum eligunt infructuoſum: & diadema accipit lignum prorſus illaudatum.

V. 5. Et venit in domum patris sui in Ephra, et occidit fratres suos, &c. Ex verſ. 2. omnes filii Ierobaal dicuntur ſeptuaginta: quomodo hic occidit ſeptuaginta, nam nec ſeipſum occidit, nec fratrem natu minimum? Senſus videtur occidiſſe fratres ſuos, præter Ioatham abſconditum, quem excipit textus, & ſeipſum, qui ſatis intelligitur exceptus, ex ipſa narratione, qui omnes erant ſeptuaginta viri. Alii dicunt occidiſſe fere ſeptuaginta; niſi fuerint forte ſeptuaginta duo filii, & Scriptura omittat fractionem, ut ſoler aliquando.

V. 6. Constituerunt regem, aut principem; aut certe regem, mutata forma reipublicæ. Ut ut ſit, in regibus non numeratur, ob cauſas quas facile ſuggerit textus; cum nec ſucceſſio, nec electio legitima faveant.

V. 23. Misitque Dominus spiritum pessimum. Hic ſpiritus eſt dæmon, miſſus, ſeu permiſſus. Permittit ergo Deus inimicitias inter regem & ſubditos, & permiſſione hac dando vires ad turbandam gentem. Aug. quæſt. XLV. ἐξαπέστειλεν, & Hebr. וישלח *viiſchlach*, *miſit*: ſic Pſal. LXXVII. verſ. 49. *immiſſiones per angelos malos*.

V. 26. & 27. Venit autem Gaal. Hic venit in auxilium Sichimorum contra Abimelech. Vastantes. Septuaginta, *vindemiantes*. Nec abeſt Hebræus, & *calcantes uvas*, in torculari: quod paulo ante non licuit ob metum Abimelech.

V. 37. De umbilico terrae, de colle, qui eminet inſtar umbilici.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 2. An ut dominetur unus vir? Sic perſuadet meliorem eſſe monarchiam. Caro vestra, propinquus veſter.

V. 5. Super lapidem. Putatur locus ſupplicii publicus, ubi occiſi ſunt hi, velut deprehenſi in facinoribus. Montanus aram Baal eſſe vult.

V. 6. Mello. Hæc eſt urbs Sichimis vicina.

V. 7. Montis Garizim. Non longe abeſt a Sichimis.

V. 8. Apologus de arboribus regnum deprecantibus, negantibuſque ſe poſſe carere proprio bono.

V. 27. Vastantes, more ſolito vindemiantes: quod prohibebat Abimelech. Et dum hoc lætantes agunt, maledicunt Abimelecho.

V. 28. Emor. Reponitur memoria Emor, ut ſic renovetur memoria antiquæ nobilitatis Sichimorum.

V. 38. Os tuum. Zebul iam mutat perſonam depoſita larva.

V. 40. In urbem compulit. Ex Sichimitis pars una ſequebatur Zebul, altera pars pro Gaal ſtabat. Tandem ex verſ. 41. Zebul expulit e civitate Gaal, & ſequaces.

Digitized by Google

CAPUT X.

Thola vita functo, Iair dux ſuccedit: Iſraelitæ vero in idololatriam lapſi traduntur Philiſthæis & Ammonitis; quibus pœnitentibus, Dominus ingratitudinem improperat, tandemque eorum miſeretur.

1. POſt Abimelech ſurrexit dux in Iſrael Thola filius Phua pa-
trui Abimelech, vir de Iſſachar, qui habitavit * in Samir
montis Ephaim: 2. & iudicavit Iſraelem viginti & tribus
annis, mortuuſque eſt, ac ſepultus in Samir. 3. Huic ſuc-
ceſſit Iair Galaadites, qui iudicavit Iſraelem per viginti &
duos annos, 4. habens triginta filios ſedentes ſuper triginta
pullos aſinarum, & principes triginta civitatum, quæ ex no-
mine eius ſunt appellatæ Havoth Iair, id eſt oppida Iair, uſque in præſentem
diem, in terra Galaad. 5. Mortuuſque eſt Iair, ac ſepultus in loco cui eſt vo-
cabulum Camon. 6. Filii autem Iſrael peccatis veteribus iungentes nova, fece-
runt malum in conſpectu Domini, & ſervierunt idolis, Baalim & Aſtaroth,
& diis Syriæ ac Sidonis & Moab, & filiorum Ammon & Philiſthiim: dimiſe-
runtque Dominum, & non coluerunt eum. 7. Contra quos Dominus iratus,
tradidit eos in manus Philiſthiim & filiorum Ammon. 8. Afflictique ſunt, &
vehementer oppreſſi per annos decem & octo, omnes qui habitabant trans Ior-
danem * in terra Amorrhæi, qui eſt in Galaad: 9. in tantum, ut filii Ammon,
Iordane tranſmiſſo, vaſtarent Iudam & Beniamin & Ephraim: afflictuſque eſt
Iſrael nimis. 10. Et clamantes ad Dominum, dixerunt: Peccavimus tibi, quia
dereliquimus Dominum Deum noſtrum, & ſervivimus Baalim. 11. Quibus lo-
cutus eſt Dominus: Numquid non Ægyptii & Amorrhæi, filiique Ammon &
Philiſthiim, 12. Sidonii quoque & Amalec & Chanaan oppreſſerunt vos, &
clamaſtis ad me, & erui vos de manu eorum? 13. Et tamen reliquiſtis me, &
coluiſtis deos alienos: idcirco non addam ut ultra vos liberem: 14. ite, & in-
vocate deos quos elegiſtis: ipſi vos liberent in tempore anguſtiæ. 15. Dixerunt-
que filii Iſrael ad Dominum: Peccavimus, redde tu nobis quidquid tibi placet:
tantum nunc libera nos. 16. Quæ dicentes, omnia de finibus ſuis alienorum
deorum idola proiecerunt, & ſervierunt Domino Deo: qui doluit ſuper miſeriis
eorum. 17. Itaque filii Ammon conclamantes in Galaad fixere tentoria: contra
quos congregati filii Iſrael, in Maſpha caſtrametati ſunt. 18. Dixeruntque prin-
cipes Galaad ſinguli ad proximos ſuos: Qui primus ex nobis contra filios Am-
mon cœperit dimicare, erit dux populi Galaad.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 1. *In Samir montis Ephraim*. Neque hic mutes genitivum *montis* in ablativum *monte*.

V. 8. *In terra Amorrhæi, qui eſt in Galaad*. Pro *qui*, quod refert Amorrhæum, alii legunt *quæ*, quod terram.

COM-

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. PATRUI ABIMELECH. Hebr. *filii Dodo*, quod videtur eſſe nomen proprium, nullaque ſit mentio Abimelech. MONTIS. Hebr. Chald. & LXX. *in monte*.

V. 4. SEDENTES, id eſt ſolitos equitare. PULLOS, ſcilicet mulos, ſeu mulas.

V. 8. AMORRHAEI, ſcilicet olim.

V. 11. LOCUTUS, ſcilicet per Angelum, vel Prophetam aliquem.

V. 12. CHANAAN: ſic etiam LXX. at Hebr. & Chald. *Mahon*, ſcilicet Mahonitæ.

V. 16. DOLUIT; id eſt, compaſſus eſt.

V. 17. CONCLAMANTES. Hebr. & Chald. *congregati*.

ESTII.

Verſ. 1. THOLA FILIUS PHUA PATRUI ABIMELECH DE TRIBU ISSACHAR. Obſervandus hic locus. Nempe, cum Gedeon, & Abimelech fuerint de tribu Manaſſe, & Thola de tribu Iſſachar, & ipſi inter ſe patrueles dicantur, maniſeſtum eſt has tribus fuiſſe permixtas. Facitque hoc pro eorum ſententia qui dicunt, non ſolum id licitum fuiſſe in duabus tribubus Levi, & Iuda, ſed etiam in aliis, modo non ſubeſſet periculum transferendæ poſſeſſionis ex una tribu in aliam. Vide Auguſtinum ſuper hunc locum. In Hebræo nulla eſt difficultas. Sic enim legitur: *Thola filius Phua, filii Dodo, vir de Iſſachar*. Sed illud Septuaginta verterunt: *Filius Phua, filius patrui eius*, ſcilicet Abimelech: quod ſecutus eſt Hieronymus. Expendendum vocabulum Hebr. *Dodo*.

V. 4. ET PRINCIPES TRIGINTA CIVITATUM. Ex his verbis videri poteſt præfecturam huius Iair habuiſſe ſpeciem abſoluti dominii, quandoquidem triginta filios ſuos triginta civitatibus præfeciſſet, quæ & a nomine ipſius dictæ fuerint *Havoth-Iair*, *id eſt oppida Iair*. Poteſt tamen etiam dici Iairum ſic præfeciſſe ſuos filios, I. Reg. XVIII. ſcilicet cum nuda poteſtate iudicandi, non autem dominandi.

V. 13. NON ADDAM UT ULTRA VOS LIBEREM. ITE, ET INVOCATE DEOS QUOS ELEGISTIS: IPSI VOS LIBERENT. Primum quod dicitur, *Non addam ut ultra vos liberem*, non ſimpliciter, & aſſertorie accipiendum eſt: nam poſtea divina ope ſæpe liberati ſunt. Sed vel comminantis ſunt verba, vel (quod in idem recidit) prædicentis ſub conditione; ſi videlicet non agatis pœnitentiam. Illud autem, *Ite, & invocate deos quos eligiſtis*, neque præcipientis eſt, neque permittentis, ſed exprobrantis cum quadam irriſione, quod ſchema ſermonis dicitur ſarcaſmus. Sæpe enim Scriptura Deum inducit loquentem humano more, & utentem figuris inter homines uſitatis. Senſus igitur eſt: Nunc reipſa experimini, quam infirmos deos elegeritis ad colendum, qui vos ſcilicet de præſenti afflictione eripere non poſſunt.

MARIANAE.

Verſ. 1. THOLA FILIUS PHUA PATRUI ABIMELECH. Hebr. *filius Phua filii*, vel *filius*, *Dodo*. Plerique putant, *Dodo* eſſe nomen proprium patris Phuæ. Alii *Dodo* putant ſignificare patruum eius; ut ſit ſenſus: Thola fuit filius Phua, & filius patrui eius: ſic ponunt Sept. & Chald. Sed quem refert pronomen *eius*? nempe Abimelechum, qui proxime præceſſerat. Itaque Thola fuit filius Phua, qui Phua fuit patruus Abimelech frater Gedeonis. Quod Hieronymus ſecutus in textu addidit de ſuo vocem *Abimelech*; ſed & codices Heb. invenio variaſſe. Sic enim Hebræus ait ובקצי נוסחאות; id eſt, *& in quibuſdam codicibus ex Thargum ſcribitur, filius fratris patris eius: & iuxta ſententiam meam erit filius* (ſcilicet fratris Phuæ) *Abimelech*. Ubi vides duos: & Hebraicos codices variare, & Hebræos ſentire, quod Hieronymus, per *Dodo* intelligi patruum ſeu fratrem patris Abimelech. Aliud eſt quomodo Gedeon de tribu Manaſſe fuit, fra-

frater Phua, qui erat de tribu Iſſachar, ſed ex duobus coniugiis matris utriuſque, obiectio diſſolvitur. QUI HABITAVIT IN SAMIR MONTIS EPHRAIM. Heb. *in monte Ephraim*, ſic Sept. & Chald. ſed utroque modo ſignificatur Samir eſſe partem montis Ephraim. Itaque *montis Ephraim*, pro parte montis Ephraim poſitum eſt in Vulgata. Habuit filios triginta

V. 4. SEDENTES, id eſt equitantes. TRIGINTA PULLOS ASINORUM. Mulos, ſeu mulas intelligunt quidam. Sed & in locis calidis aſini magno corpore fiunt idonei ad equitandum. Et erant PRINCIPES TRIGINTA CIVITATUM. Idem Hebraice nomen eſt *pullorum*, & *civitatum*, in quo, & in numero *triginta*, elegans paranomaſia eſt, quæ Latine ſatis explicari non poteſt. Quæ appellatæ ſunt OPPIDA IAIR. *Cavoth* vox Hebr. magis ſignificat *villas*, ſic dictas a vivendo, quoniam in agris iucundior vita eſt. Porro Num. XXXI. verſ. 41. idem Hieronymus *chavoth*, *villas* interpretatur. Verum ibi dictas refertur a Iair filio Manaſſe, hic a Iair Iudice, qui multis poſt vixit annis. Fortaſſis ab utroque ſic ſunt dictæ. Afflicti ſunt qui habitabant

V. 8. IN TERRA AMORRHAEI. Quondam eius gentis ea terra fuit. Qui ibi habitabant, vehementer afflicti ſunt a Philiſthæis.

V. 11. LOCUTUS EST DOMINUS, per Angelum, aut Prophetam.

V. 12. ET CHANAAN: ſic Sept. at Hebr. & Chald. *Mahon*. Sed ii in parte Chanaan erant qui Iſraelitas oppreſſerunt.

V. 16. DOLUIT SUPER MISERIIS EORUM. Hebr. *Et afflicta eſt*, vel *defatigata anima eius in labore Iſrael*. Loquitur de Deo humano more, ut Geneſ. VI. verſ. 6. *Et tactus dolore cordis*.

V. 17. CONCLAMANTES. *Congregati* vel *convocati ſunt*: Hebr. & Chald. IN MASPHA. Ea vox ſignificat *ſpeculam*, quoniam locus ſublimis erat, & inde procul deſpectus. Sic Hebræus.

MALVENDAE.

Verſ. 1. DUX IN ISRAEL. Hebr. *ad ſalvandum*, vel *ut ſalvum faceret*, *Iſraelem*; id eſt, ut ſervaret, ut liberaret Iſrael: nam hoc eſt proprium muneris principis, ac ducis populi. Quidam, *ad conſervandum Iſraelem*; id eſt, ad continendum Iſraelem in cultu Dei, atque adeo in pace, & parta ante libertate. THOLA. Hebr. תולע *Tholagh*. Exponitur, *Vermiculus*, *purpuratus*, *coccineus*, forſan a colore. Aliis *comatus*, ab inſigni coma. FILIUS PHUA. Hebr. פואה *Puah*, *lateralem*, *angularem* ſignificat; forte quod bene compactus eſſet, ac firmis lateribus. PATRUI ABIMELECH. S. Auguſtinus quæſt. XLVII. *Verum oritur quæſtio, quomodo fuerit patruus Abimelech vir de tribu Iſſachar: cum Abimelech patrem habuerit Gedeon, qui Gedeon de tribu fuit Manaſſe? Quomodo ergo Phua & Gedeon fratres fuerunt, ut poſſit eſſe Phua patruus Abimelech, cuius patrui filius ſuccederet, ſecundum iſtam narrationem, ipſi Abimelech? Potuerunt ergo Gedeon & Phua unam habere matrem, ex qua diverſis patribus naſcerentur, & fratres eſſent unius matris filii, non unius patris. Solebant enim nubere feminæ de aliis tribubus in aliis tribubus. Unde & Saul cum eſſet de tribu Beniamin, dedit filiam ſuam David homini de tribu Iuda. Et ſacerdos Ioiade utique homo de tribu Levi, duxit filiam Ioram regis, hominis de tribu Iuda. Hinc factum eſt, ut Elizabeth & Mariam cognatas in Evangelio legamus, cum fuerit Elizabeth de filiabus Aaron: ex quo intelligimus, de tribu Levi & filiabus Aharon, aliquam nupſiſſe in tribu Iuda, unde ita fieret inter ambas illa cognatio, ut Domini caro non ſolum de regia, verum etiam de ſacerdotali ſtirpe propagaretur.* Ceterum Hebræa habent: *Tholagh filius Phuah, filii* דודו *Dodo*. Noſter ſecutus LXX. *dodo* pro appellativo accepit, *filius patrui*, ſeu *avunculi eius*, nempe Abimelechi. At pro nomine proprio cuiuſdam viri Iſſachariani capiunt Caietanus, Sanctes, Vatablus, Leo Iudas, Mercerus, Marinus, Tremellius, & Iunius, Montanus: ac plerique Hebræorum, quod etiam ſecutus eſt Hiſpanicus Interpres. IN SAMIR MONTIS EPHRAIM. Notant, Samir oppidum fuiſſe Iſſacharis conterminum Ephraimitis: atque hoc Samir diverſum omnino eſſe ab altero Samir in ſorte Iudæ, Ioſue XV. verſ. 48. Vide ibi rationem nominis a nobis explicatam.

V. 3. IAIR. Diverſus hic ab illo vetuſtiore Iairo, Numer. XXXII. verſ. 41. tametſi

uter-

uterque Manaſſita. *Clarum*, *candidum*, *lucentem*, *illuſtrem* libet interpretari.

V. 4. PULLOS ASINARUM. Quidam *aſellos* vertunt: alii *mulos*, ex aſino & equa generatos: quod non credo: nam quod Noſter addidit femineum *aſinarum*, ex aſinabus genitos indicat: facilius fuerit exiſtimare fuiſſe mulos ex aſina & equo procreatos. Sed rectius eſt, ut pullos utroque parente aſinini generis editos intelligamus. Notant, vehi aſinis, tunc fuiſſe inſigne nobilium, ac principum. Vide ſupra cap. V. verſ. 10. & infra cap. XII. verſ. 14. Hiſpanicus Interpres: *Era toda la nobleza de aquellos tiempos*. Aliqui *pullos* equorum intelligunt, quaſi ii eſſent equeſtris ordinis, & equitandi arte præſtantes. ET PRINCIPES TRIGINTA CIVITATUM. Hebr. *& triginta urbes eis*; ſubaudi, erant. Ioſephus: *Triginta enim filios habuit Iair, equites egregios, & Galadenæ oppidorum principes*. עירים *ghaiarim* in hoc verſu eleganti paranomaſia bis poſitum, primo loco ſignificat *pullos*, ſecundo loco ſignificat *urbes*, *civitates*, quæ alias dici ſolent ערים *gharim*; ſed puto hic propter paranomaſiam additum prius Iod. Quidam exiſtimant *gharim* ſignificare iuſtas civitates; at *ghaiarim*, civitates minores, ſemiurbes, civitatulas, urbeculas: nempe oppida magna, ſed urbibus minora, quæ iuſtam urbium magnitudinem non æquent; facie tamen, & cultu urbium æmula: qualia multa ſunt in Hiſpania, & in hoc noſtro regno Valentino oppida, Morella, Alzira, Ontinent, Saguntum; & quales fuiſſe videntur triginta iſtæ villæ Iair. HAVOTH-IAIR. Hebr. *Chavoth-Iair uſque in præſentem diem*. Vide Numer. XXXII. verſ. 41. & Deuteron. III. verſ. 14. Ioſue XIII. verſ. 30. Ceterum quidam annotant has triginta urbes dictas villas Iair, de nomine huius Iair recentioris, non de nomine illius prioris Iair. Sed ex Scriptura ſatis colligi videtur, iam ante hunc Iairum, ab illo vetuſtiore dictas villas Iair, quod eas ceperit: quæ ſane videntur fuiſſe ſexaginta: ſed hic pater triginta poſſederit, alias triginta ſingulas filiis ſuis, qui erant triginta, diſtribuerit.

V. 5. CAMON. Hebr. קמון *Kamon*. Ioſephus: *In Camone urbe Galadenæ*. Ab abundantia ſegetum nomen accepiſſe videtur: vel quod locus eſſet ſurrectus & eminens.

V. 6. BAALIM ET ASTAROTH. Vide de his ſupra cap. II. verſ. 11. & 13. ET PHILISTHIIM. Obſervant, a Philiſthæis adhuc Iiphthachi tempore Iſraelitarum partem, quæ ad occidentem verſus mare mediterraneum ſita eſt, infeſtatam, & preſſam fuiſſe: nam in hiſtoria Iiphthachi tantum de Hammonitis ſcribi; de Philiſthæis vero demum in hiſtoria Samſonis.

V. 8. AFFLICTIQUE SUNT, ET VEHEMENTER OPPRESSI PER ANNOS DECEM ET OCTO. Hebr. *Et attriverunt & confregerunt filios Iſrael in anno ipſo, octodecim annis omnes filios Iſrael*, &c. Exponunt, In anno ipſo, quo ſcilicet deſciverunt a cultu divino. Alii, *Anno ipſo*, quo mortuus eſt Iair. Quidam reddunt: *Hi autem confregerant & conquaſſaverant Iſraelitas anno, hoc anno, inquam, decimo octavo omnes Iſraelitas, qui erant ultra Iardenem*, &c. Explicant: *Hi autem*, puta Hammonitæ: hic enim de Philiſthæis ſilentium, ut verſ. 6. nuper dicebamus: *anno*, qui mox ſcilicet ſubiicitur, nempe decimo octavo. Vide cap. XI. verſ. 4. Hos octodecim annos numerandos a morte Iairis ad initium principatus Iiphthach, Ioſephus, S. Auguſtinus, & alii obſervarunt.

V. 9. AFFLICTUSQUE EST ISRAEL. Hebr. ותצר *vattetzer* eſt futuri tertia perſona feminea. Notant, verbum יצר *iatzar*, quando abſolute ponitur, aut conſtruitur cum dativo, ut hic, tunc neutraliter ſumi, ac idem eſſe quod *anguſtum*, *coarctatum*, *conſtrictum eſſe*: unde reddunt: *Et anguſtia*, *coarctatio*, *conſtrictio fuit Iſraeli valde*.

V. 11. NUMQUID NON ÆGYPTII, ET AMORRHAEI, &c. Hebr. *An non de Ægypto, & de Æmorrhæo, de filiis Hamon, & de Philiſthim?* ſubaudiunt, liberavi vos? ut ſit apoſiopeſis irato conveniens. Alii nectunt hunc verſum cum ſequenti, quaſi pendens huius verſus ſententia, ſequenti abſolvatur: idque bifariam, I. *An non Ægyptii, Amorrhæi, filii Amnon, & Palæſthini; ſed & Zidonii, & Amalec, & Mahon affixerunt vos, & liberavi vos de manu eorum, cum ad me clamaretis?* II. *An non ex Ægyptiis, & ex Amorrhæis, & ex Hammonitis, & ex Peliſchthæis: Tzidoniis quoque, & Amalekitis, & indigenis opprimentibus vos, cum clamaretis ad me, tum ſervavi vos e manu eorum?* Verum gemina hæc interpretatio diſtrahit atque alio

aver-

Digitized by Google

avertit ordinem, & vim Hebraicorum verborum.

V. 12. Et Chanaan. Hebr. *& Maghon*, ſeu *Mahon*. Proprium nomen gentis cuiuſdam accipiunt Caietanus, Sanctes, Vatablus, Munſterus, Clarius, Leo Iudas, Mercerus, Marinus, Montanus, Hiſpanicus Interpres. Quidam eos eſſe volunt, qui I. Paralipom. IV. verſ. 41. & II. Paralipom. XXVI. verſ. 7. vocatur *Meghunim*, utrobique Græci *Minæos* reddiderunt. Minæi populi Arabiæ noti ſunt e Strabone Lib. XVI. pag. 768. & 776. Plinio Lib. VI. cap. XXVIII. Diodoro Siculo Lib. III. Numer. 123. Ptolemæo Lib. VI. cap. VII. Commercia eos cum Iudæis habuiſſe, diſerte Diodorus; & Strabo affirmant. Alii *Mahon*, ſeu *Mahonitas*, Madianitas intelligi volunt: neſcio quo fundamento, niſi quod alioquin, aiunt, Madianitæ hic omiſſi eſsent, ſed poſſunt intelligi ſub Hamalekitis, e cap. VI. verſ. 3. Nec deſunt qui Mahonitas hic habitatores urbis & regionis *Bahal-Mehon*, ultra Iordanem, Numer. XXXII. verſ. 38. accipiant. Nonnulli *Mahon* ut nomen appellativum exponunt, redduntque, *Et habitaculum*, ſeu *habitaculi viros*; id eſt, gentes illius terræ, quam habitatis, ſeu indigenæ terræ huius manſionis veſtræ, videlicet reliquiæ Chenahanæorum, quæ vos preſſerunt. Et hunc ſenſum Noſter proculdubio ſecutus eſt. מען *maghon* aliqui *caveam* interpretantur: fortaſſe innuat *Cœlen*, ſeu *Cavam-Syriam*.

V. 13. Idcirco non addam ut ultra vos liberem. Quidam: *Idcirco non liberabo vos ultra*. Alii: *Hac de cauſa vos ultra non eripiam*. Nonnulli: *Idcirco non pergam ſervare vos*, quia coluiſtis, & adhuc colitis deos alienos.

V. 14. Ite, et invocate, &c. Continet hic verſus ſarcaſmum graviſſimum cum indignatione; quaſi dicat: Nihil minus facient, quam ut ſervent vos: cum nullius ſint opis.

V. 15. Redde tu nobis quidquid tibi placet. Hebr. *Fac tu nobis ſecundum omne bonum in oculis tuis*; id eſt, animadverte in nos propter peccatum noſtrum, ut voles. Alii: *Fac tu nobis quidquid tibi viſum fuerit*: vel *fac tu nobis omnino prout bonum videtur in oculis tuis*. Tantum nunc libera nos. Hebr. *Verumtamen eripe nos, obſecro*, vel *nunc, die ipſa*, vel *hoc ipſo die*, id eſt hoc tempore. Quidam, *de præſenti periculo*.

V. 16. Qui doluit super miseriis eorum. Hebr. *Et abbreviata fuit anima eius in labore Iſrael*. Quidam: *Et anguſtiis affecta eſt anima eius propter laborem Iſrael*. Alii: *Et coarctatus eſt animus eius propter afflictionem Iſraelis*. Verbum קצר *katzar* hic *anguſtiam*, *& anxietatem* denotat; quaſi dicat: Doluit vehementer ſuper afflictione Iſraelis: non potuit ultra æquo animo ferre ærumnas Iſraelis. Antropopathia! Hiſpanicus Interpres exponit: *Tuuo Dios compaſſion de ſu pueblo. Por dar a entender la ternura del amor, atribuye a Dios anima, y affectos humanos*. Vide ſimilem locutionem Numer. XXI. verſ. 4. & 5. & infra cap. XVI. verſ. 16. Nonnulli ſenſum alio trahunt: *Ita imminutus eſt animus eius propter laborem Iſraelitarum*; id eſt, imminuta eſt indignatio eius, quia dixerat Deus: *Non pergam ſervare vos*, verſ. 13. *propter laborem Iſraelitarum*: cum quo ab hoſtibus premebantur, tum quo ſtudebant in gratiam redire cum Deo. Aliqui reddunt: *Ut animus eius iram remitteret propter afflictionem Iſraelis*.

V. 17. In Maspha. Hebr. *Mitzphah*. Hæc eſt illa Mitzphah Galahaditica, de qua vide Ioſue XI. verſ. 3. & infra cap. XI. verſ. 29.

V. 18. Erit dux populi Galaad. Hebr. *Erit in caput omnibus habitatoribus Ghilhad*. Quidam: *Erit princeps, dux, primarius, omnibus*, &c.

MENOCHII.

Verſ. 1. Surrexit dux in Israel. In Hebræo, Chaldæo, & Græco textu dicitur, *Surrexit ut ſalvaret Iſraelem*. Salvavit autem abducendo ab idololatria, & a malis liberando, in quæ ob tyrannidem Abimelech populus incurrerat. Filius Phua patrui Abimelech, vir de Issachar. Gedeon fuit e tribu Manaſſe, quomodo ergo Phua frater Gedeonis potuit eſſe de tribu Iſſachar? *Potuerunt*, inquit D. Auguſtinus quæſt. XLVII. *Gedeon & Phua unam habere matrem, ex qua diverſis patribus naſcerentur, & fratres eſſent unius*

matris filii, non unius patris. IN SAMIR MONTIS EPHRAIM. Urbs in confinio Ephraim, licet ad tribum Iſſachar pertineret. Additur illud, *Montis Ephraim*, quia eſt alia Samir in tribu Iuda, Ioſue xv. 48.

V. 3. IAIR: quod nomen *illuminans* ſignificat; ſic ille etiam vocabatur Iairus Marci v. & Luc. VIII. GALAADITES, quia ex ea parte tribus Manaſſe, quæ trans Iordanem habitabat. Tota vero illa regio aliquando dicitur *terra Galaad* in ſacris litteris.

V. 4. SEDENTES SUPRA TRIGINTA PULLOS ASINARUM. Aſinis inequitabant, eoſque habebant in deliciis antiqui Hebræi, vel quia eorum molliſſimus eſt inceſſus, vel quia (quod D. Hieronymo placet) equi Hebræis vetiti erant: quod tamen non eſt omnino verum, ut docui in Hieropoliticis Lib. III. cap. XIII. I.

V. 6. BAALIM, diis. ASTAROTH, deabus. SIDONIS, Aſtarthe ſcilicet. Vide III. Reg. XI. 5. & 33. MOAB, Chamos. Vide III. Reg. XI. 5. & 33. Num. XXI. 20. & Ierem. XLVIII. & XLIX. ET FILIORUM AMMON, ſcilicet Moloch, III. Reg. XI. 5. & 33. Ierem. XLIX. Amos I. Chamos etiam, vide capite ſequenti huius Libri Iudic. num. 24. PHILISTHIIM, Dagon. Vide infra cap. XVI. num. 33. & I. Reg. num. 24. & ſeq.

V. 8. AFFLICTIQUE SUNT ET VEHEMENTER OPPRESSI. Hebr. valde ſignificanter: Iſti confugerunt, & conquaſſarunt Iſraelitas.

V. 14. ITE, ET INVOCATE DEOS QUOS ELEGISTIS. Non eſt præceptum, ſed ironia, vel ſarcaſmus. Reſpondiſſe videtur hæc Dominus vel per Angelum, ut cap. II. num. I. vel potius per Prophetam aliquem, ut cap. VI. num. 8.

V. 15. REDDE TU NOBIS QUIDQUID TIBI PLACET; quaſi dicant: Non reddas obſecramus per iſtos alienigenas, nimirum quia ut poſtea dixit David II. Reg. XXIV. 14. *Melius eſt in Dei, quam hominum manus incidere*. TANTUM NUNC LIBERA NOS. Promiſſio eſt quædam conſtantiæ in divino cultu, & obſequio; quaſi dicant: Perſeverabimus deinceps in te colendo: ſi ſecus faciamus, non refugimus quo minus nos acerrime punias.

V. 6. DOLUIT SUPER MISERIIS EORUM. Hebræus: *Anguſtata eſt anima eius in labore Iſraelis*. Loquitur Scriptura de Deo more humano. Sic Geneſ. cap. VI. 6. dicitur: *Pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra, & tactus dolore cordis intrinſecus*, &c.

V. 17. IN MASPHA. *Maſpha* ſignificat *ſpeculam*, ideoque pluribus in locis Maſphæ inveniuntur. Hæc noſtra eſt in Galaaditide, ut Abulenſi videtur, & Ariæ, qui in tabula terræ Chanaan eam ultra Iordanem collocat, ad littus orientale Phanuelis, de qua ſup. cap. VIII. num. 8.

V. 19. QUI PRIMUS EX NOBIS, &c. Sententia eſt: Is noſter dux ſit, & populi Iudex, qui primus auſus fuerit contra Ammonitas arma movere. Verum, quia periculum hoc videbatur, & fieri forte poterat ut qui audax, & manu promptus eſſet, conſilio tamen eſſet deſtitutus, nec tanto muneri par eſſet, mutato conſilio Iephte deligunt, & miſſa legatione, de qua cap. ſeq. num. 5. rogant ut Dux exercitus, & populi Iudex eſſe velit.

T I R I N I.

Verſ. I. SURREXIT DUX... THOLA: non proprio marte, vel vi, vel fraude, ut tyrannus Abimelech, ſed ſolemni populi electione. Qua via & alii deinceps hunc ſubſecuti, Iudices facti ſunt. Ita Abulenſis. Sub huius iudicis annum tertium, notat Euſebius, Herculem, in Lybia regnantem, Antæum Neptuni filium, qui hoſpites ſecum palæſtra dimicare compellebat, ulnis eliſum interemiſſe: & hydram quoque (quam Plato *a* callidiſſimam ſophiſtriam fuiſſe aſſerit) confeciſſe: aliaque heroica certamina conſummaſſe, de quibus fuſe Apollodorus, Hyginus, & Pauſanias *b*. VIR DE ISSACHAR. Petes: Quomodo ergo Thola dicitur hic fuiſſe nepos Gedeonis ex fratre Phua, cum conſtet Gedeonem fuiſſe de tribu Manaſſe *c*? Reſpondeo, cum S. Auguſtino *d*, Gedeonem, & Phuam ex diverſis quidem patribus diverſarum tribuum natos fuiſſe, ſed ex una eademque matre. Potuiſſe enim feminas nubere viro alterius tribus, quando ea occaſione hereditates non transferebantur in alteram tribum, dixi Num. ult.

V. 4. EX NOMINE EIUS SUNT

appellata OPPIDA IAIR. Dices: Numer. XXXII. verſ. 41. dicitur Iair filius Manaſſe occupatis vicis Galaaditidis, eos appellaſſe *villas Iair*. Reſpondeo: Senior ille Iair prior indidit iſtis vicis illam nomenclaturam, & forte villas ut erant ſine muris reliquit, poſterior, qui muris illas cinxit, & in oppida evexit, eamdem comprobavit ac roboravit, & celebriorem fecit.

V. 6. DEIS... SIDONIS, puta Aſtaroth *e*; & *Moabitarum*, Chamos *f*; & *Ammonitarum*, itidem Chamos *g*, & Moloch *h*; denique & *Philiſthæorum*, Dagon *i*. Horum omnium idolorum nefario cultui ſe manciparant Iſraelitæ ante tempora Iephte.

V. 18. QUI PRIMUS COEPERIT DIMICARE. ERIT DUX, non in bello hoc ſolo, ſed & poſtea ſuper tota Galaadite. Et ſic quidem decreverant hi principes, & primo bellum aggredi auſuro principatum quaſi præmium propoſuerant. Sed cum ne hoc quidem præmio quiſquam præſentium auderet adire tantum diſcrimen; communi conſenſu Iephte iam factis recentibus, & fama clarum ad id munus evocandum cenſuerunt,

(*a*) Plato in Eutydemo.
(*b*) Apoll. Lib. II. Hygin. cap. XXXI. Pauſanias Lib. V. &c.
(*c*) Iudic. VI
(*d*) Auguſt. quæſt. XLVII.
(*e*) Iudic. II. verſ. 13. & III. Reg. XI. verſ. 5. & 33.
(*f*) Ibid. & Num. XXI. verſ. 29.
(*g*) Iudic. XI. verſ. 14.
(*h*) III. Reg. XI. ſup. Ierem. XLIX. & Amos I.
(*i*) Iudic. XVI. & I. Reg. V.

GORDONI.

Verſ. 1. THOLA non geſſit bella: ſaltem nulla narrantur hic. Multum tamen feciſſe putatur pellendo idololatriam: magnum eſt hoc in bellis præſidium. Hic quidem Thola filius Phua eſt ex tribu Iſſachar; patruum tamen (ut hic vides) habuit ex tribu Manaſſe: quod contigiſſe putandum eſt, quia mulieres unius tribus poterant nubere viris alterius tribus. SAMIR pars eſt montis Ephraim.

V. 3. IAIR. Hic etiam pacem pietate, & prudentia retinuit annis 22. GALAADITES, ex tribu Manaſſe. Trans Iordanem, ex Ioſepho, eſt terra Galaad. De eo quod verſ. 4. eſt de pullis aſinarum, ſcribit Hieronymus Eſa. cap. XXXVI. Iudæos, priſcis illis temporibus, mulis inequitaſſe, & aſinis: non quod equitandi carerent ſcientia; ſed quia receptum hoc apud illos erat: immo præceptum putat Hieron. Pſalm. LXXV. & Eſa. XXXVI. Heb. עירים *bhaiarim*. LXX. πώλοις. Hebræa vox pullum ſignificat, ſed proprie ex aſina.

V. 4. HAVOTH IAIR. *Chavoth* חוֹת, a radice חיה, villas ſignificat, quas ſic dictas aliqui putant a vivendo, quia ibi vita iucundior eſt: a quo non valde abeſt vox Hebr.

V. 7. Excurrentibus annis 22. Iairi, Iſrael vexatur graviter a Philiſthiim annis 18. quod eſt argumentum capitis reliqui: En ingratum Deo, & inconſtantem populum, qui deos falſos toties ſectatur; Aſtarthem cum Sidoniis; Chamos cum Moabitis; Moab cum Ammonitis, & Dagon cum Philiſthæis.

V. 8. IN TERRA AMORRHAEI. Nempe olim ea terra Amorrhæorum fuit.

V. 11. LOCUTUS EST DOMINUS, per Angelum, aut Prophetam, ut paſſim alias.

V. 16. DOLUIT. Exprimit morem humanum.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 17. IN MASPHA. Hæc Maſpha eſt in Galaaditide,

V. 18. QUI PRIMUS EX NOBIS.:. COEPERIT DIMICARE ERIT DUX POPULI GALAAD. Poſtea eſt mutatum hoc conſilium eligendi ducem, & electus ſuffragio populi Iephte.

CA-

CAPUT XI.

Iephte index factus, Dei ſpiritu accenſus, primum ratione agit cum rege Ammonitarum; deinde ubi eos viciſſet, ob votum temere factum filiam ſuam ſacrificavit.

1. * FUit illo tempore Iephte Galaadites vir fortiſſimus atque pugnator, filius mulieris meretricis, qui natus eſt de Galaad. 2. Habuit autem Galaad uxorem, de qua ſuſcepit filios: qui poſtquam creverant, eiecerunt Iephte, dicentes: Heres in domo patris noſtri eſſe non poteris, quia de altera matre natus es. 3. Quos ille fugiens atque devitans, habitavit in terra Tob: congregatique ſunt ad eum viri inopes, & latrocinantes, & quaſi principem ſequebantur. 4. In illis diebus pugnabant filii Ammon contra Iſrael. 5. Quibus acriter inſtantibus, perrexerunt maiores natu de Galaad, ut tollerent in auxilium ſui Iephte de terra Tob: 6. dixeruntque ad eum: Veni & eſto princeps noſter, & pugna contra filios Ammon. 7. Quibus ille reſpondit: (a) Nonne vos eſtis, qui odiſtis me, & eieciſtis de domo patris mei, & nunc veniſtis ad me neceſſitate compulſi? 8. Dixeruntque principes Galaad ad Iephte: Ob hanc igitur cauſam nunc ad te venimus, ut proficiſcaris nobiſcum, & pugnes contra filios Ammon, ſiſque dux omnium qui habitant in Galaad. 9. Iephte quoque dixit eis: Si vere veniſtis ad me, ut pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritque eos Dominus in manus meas, ego ero veſter princeps? 10. Qui reſponderunt ei: Dominus, qui hæc audit, ipſe mediator ac teſtis eſt, quod noſtra promiſſa faciemus. 11. Abiit itaque Iephte cum principibus Galaad, fecitque eum omnis populus principem ſui. Locutuſque eſt Iephte omnes ſermones ſuos coram Domino in Maſpha. 12. Et miſit nuntios ad regem filiorum Ammon, qui ex perſona ſua dicerent: Quid mihi & tibi eſt, quia veniſti contra me, ut vaſtares terram meam? 13. Quibus ille reſpondit: (b) Quia tulit Iſrael terram meam, quando aſcendit de AEgypto, a finibus Arnon uſque Iaboc atque Iordanem: nunc ergo cum pace redde mihi eam. 14. Per quos rurſum mandavit Iephte, & imperavit eis ut diceerent regi Ammon: 15. Hæc dicit Iephte: Non tulit Iſrael terram Moab, nec terram filiorum Ammon: 16. ſed quando de AEgypto conſcenderunt, ambulavit per ſolitudinem uſque ad mare rubrum, & venit in Cades. 17. (c) Miſitque nuntios ad regem Edom, dicens: * Dimitte me ut tranſeam per terram tuam. Qui noluit acquieſcere precibus eius. Miſit quoque ad regem Moab, qui & ipſe tranſitum præbere contempſit. Manſit itaque in Cades, 18. & circuivit ex latere terram Edom, & terram Moab: venitque contra orientalem plagam terræ Moab, & caſtrametatus eſt trans Arnon: (d) nec voluit intrare terminos Moab: Arnon quippe confinium eſt terræ Moab. 19. Miſit itaque Iſrael nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Heſebon, & dixerunt ei: Dimitte ut tranſeam per terram tuam uſque ad fluvium. 20. Qui & ipſe Iſrael verba deſpiciens, non dimiſit eum tranſire per terminos ſuos: ſed infinita

multitudine congregata, egreſſus eſt contra eum in Iaſa, & fortiter reſiſtebat: 21. Tradiditque eum Dominus in manus Iſrael cum omni exercitu ſuo, qui percuſſit eum, & poſſedit omnem terram Amorrhæi habitatoris regionis illius, 22. & univerſos fines eius, de Arnon uſque Iaboc, & de ſolitudine uſque ad Iordanem. 23. Dominus ergo Deus Iſrael ſubvertit Amorrhæum, pugnante contra illum populo ſuo Iſrael, & tu nunc vis poſſidere terram eius? 24. *Nonne ea quæ poſſidet Chamos Deus tuus, tibi iure debentur? Quæ autem Dominus Deus noſter victor obtinuit, in noſtram cedent poſſeſſionem: 25. (e) niſi forte melior es Balac filio Sephor rege Moab: aut docere potes, quod iurgatus ſit contra Iſrael, & pugnaverit contra eum, 26. quando habitavit in Heſebon, & viculis eius, & in Aroer, & villis illius, vel in cunctis civitatibus iuxta Iordanem, per trecentos annos. Quare tanto tempore nihil ſuper hac repetitione tentaſtis? 27. Igitur non ego pecco in te, ſed tu contra me male agis, indicens mihi bella non iuſta. Iudicet Dominus arbiter huius diei, inter Iſrael & inter filios Ammon. 28. Noluitque acquieſcere rex filiorum Ammon verbis Iephte, quæ per nuntios mandaverat. 29. Factus eſt ergo ſuper Iephte Spiritus Domini, & circuiens Galaad, & Manaſſe, Maſpha quoque Galaad, & inde tranſiens ad filios Ammon, 30. votum vovit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, 31. quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino. 32. Tranſivitque Iephte ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos: quos tradidit Dominus in manus eius. 33. Percuſſitque ab Aroer uſque dum venias in Mennith, viginti civitates, & uſque ad Abel, quæ eſt vineis conſita, plaga magna nimis, humiliatique ſunt filii Ammon a filiis Iſrael. 34. Revertente autem Iephte in Maſpha domum ſuam, occurrit ei unigenita filia ſua cum tympanis & choris: non enim habebat alios liberos. 35. Qua viſa, ſcidit veſtimenta ſua, & ait: Heu me, filia mea, decepiſti me, & ipſa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero. 36. Cui illa reſpondit: Pater mi, ſi aperuiſti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, conceſſa tibi ultione atque victoria de hoſtibus tuis. 37. Dixitque ad patrem: Hoc ſolum mihi præſta quod deprecor. Dimitte me ut duobus menſibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis. 38. Cui ille reſpondit: Vade. Et dimiſit eam duobus menſibus. Cumque abiiſſet cum ſociis ac ſodalibus ſuis, flebat virginitatem ſuam in montibus. 39. Expletiſque duobus menſibus, reverſa eſt ad patrem ſuum, & fecit ei ſicut voverat, quæ ignorabat virum. * Exinde mos increbuit in Iſrael, & conſuetudo ſervata eſt: 40. ut poſt anni circulum conveniant in unum filiæ Iſrael, & plangant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.

(a) Gen. xxvi. 27. (b) Num. xxi. 24. (c) Num. xx. 14. (d) Num. xxi. 13. (e) Num. xxii. 2.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 1. *Fuit illo tempore Iephte*. Quidam addunt, *Fuit itaque illo tempore Iephte*.

V. 17. *Dimitte me ut tranſeam per terram tuam*. Non eſt omittendum pronomen *me*, nec præpoſitio *per*.

V. 24. *Nonne ea quæ poſſidet Chamos*. Non commutes præſens *poſſidet* cum præterito *poſſedit*.

V. 39. *Exinde mos increbuit in Iſrael*. Scribendum eſt *increbuit*, non *increvit*.

COM-

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. ALTERA. Chald. *alterius tribus*. LXX. *meretrice*.

V. 3. INOPES, ET LATROCINANTES. Hebr. & Chald. *vacui*, id eſt otioſi. LXX. *inopes*.

V. 11. LOCUTUS EST; quaſi dicat: Repetivit illud pactum. CORAM DOMINO, id eſt coram arca Domini; vel quaſi dicat, velut præſente Domino, qui ubique eſt.

V. 12. QUID MIHI, ET TIBI? quaſi dicat: Quid tibi eſt negotii mecum?

V. 20. INFINITA MULTITUDINE. Hebr. Chald. & LXX. *omni populo ſuo*. FORTITER RESISTEBAT. Hebr. Chald. & LXX. *Pugnavit cum Iſrael*.

V. 24. POSSIDET. Hebr. & Chald. *Poſſidere fecit*.

V. 26. HABITAVIT, ſcilicet Iſrael. IORDANEM: ſic etiam LXX. At Hebr. Chald. & Complut. *Arnon*. TRECENTOS. Non ait Scriptura id, ſed tantum refert quid Iephte dixerit.

V. 27. HUIUS DIEI. Hebr. *bodie*.

V. 35. DECEPISTI; quaſi dicat: Magno errore mihi obviam veniſti, magnoque meo incommodo. Hebr. *depreſſiſti*, ſeu *bumiliaſti*. DECEPTA ES. Hebr. & Chald. *turbaſti me*. APERUI, ſcilicet vovendo.

V. 37. VIRGINITATEM; quaſi dicat: Quod cogar innupta mori.

V. 39. FECIT EI, &c. Hieron. in VII. Ierem. *Non placuit Deo ſacrificium, ſed animus offerentis*.

ESTII.

Verſ. 1. FILIUS MULIERIS MERETRICIS. Arias Montanus habet *meritoria*. Vatablus interpretatur concubinam, id eſt ductam ſine ſolemnibus cæremoniis. Chaldæus Paraphraſtes vertit *cauponariam*. Eſt in Hebræo idem vocabulum, quod Ioſue II. ubi Rahab a noſtro Interprete quoque vocatur meretrix. Septuaginta expreſſe habent *πορνὴν*, id eſt meretricem. Vide & dictum cap. II. Ioſue.

V. 3. CONGREGATIQUE SUNT AD EUM VIRI INOPES, &c. Hic non aliud dicitur de Iephte, quam quod I. Reg. cap. XXII. de David dicit Scriptura: conveniſſe ad eum omnes qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo, & ipſum ſactum eſſe eorum principem: niſi quod hic additur, ET LATROCINANTES. Sed ſciendum hoc in Hebræo non haberi. Tantum enim ibi eſt: *Et collecti ſunt ad Iephte homines vacui, & egreſſi ſunt cum eo*. Deinde verbum *latrocinari* in bonam quoque partem accipi poteſt, pro eo quod eſt, quomodocumque prædas agere. Et veriſimiliter illi prædas agebant ex hoſtibus vicinis.

V. 23. & 24. ET TU NUNC VIS POSSIDERE TERRAM EIUS? NONNE EA QUAE POSSIDET CHAMOS DEUS TUUS? &c. Obſerva in Iephte exemplum prudentis principis, qui non prius bellum infert hoſti, quam facta expoſtulatione de iniuria accepta; addita etiam proteſtatione non ſe, ſed adverſarium cauſam dediſſe belli movendi, dum dicit: *Igitur non ego pecco in te, ſed tu contra me male agis, indicens mihi bella non iuſta. Iudicet Dominus arbiter huius diei inter Iſrael & inter filios Ammon*. Quod autem Iephte dicit: *Nonne ea quæ poſſidet Chamos Deus tuus tibi iure debentur?* ſecundum opinionem eorum loquitur, ad quos verba faciebat. Non enim ignorabat Iephte, Chamos inane idolum, nihil poſſidere poſſe, nec proinde ius poſſeſſionis ad Ammonitas tranſmittere; ſed ita loquebatur ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam. Vide etiam III. Reg. XXI.

V. 35. HEU ME, FILIA MEA, DECEPISTI ME, ET IPSA DECEPTA ES. Hebr. *Heu filia mea, incurvando incurvare feciſti me, & tu fuiſti inter turbantes me*; quaſi dicat: Humiliaſti me, & turbaſti me, qui ob victoriam elatus eram, & gaviſus. Dicit aute ſe humiliatum, & conturbatum, quia per eius occurſum, quæ unica erat ei filia, amputabatur ei ſpes omnis poſteritatis: quod erat viro principi grave malum, illo præſertim tempore, quo maximum erat hominibus ſtudium propagandæ poſteritatis.

V. 39. EXPLETISQUE DUOBUS MEN-

*V.*24. Nonne ea quae possidet. Hebr. *Poſſidere fecit Chamos Deus tuus, id poſſides*, quæ victis hoſtibus ope Dei tui, ut putabas, cepiſti; & omne quod expulit Dominus Deus noſter a facie noſtra, id poſſidemus. Notat Hebræus, idem verbum Hebræis ſignificare *expellere*, & *poſſeſſionem dare*, nempe *horis*; ſed cum iungitur cum *a facie*, ſignificat *expellere*; cum abſolute ponitur, ſignificat *dare poſſeſſionem*.

*V.*26. Habitavit, ſcilicet Iſrael. Iuxta Iordanem: ſic Sept. at Hebr. *iuxta manus Arnon*, id eſt *loca*, ſeu *ripas Arnon*: ſic Chald. Per trecentos annos. Scriptura tantum refert quod Iephte dixit. Sed locus hic conferri debet cum III. Reg. vi. verſ. 1. & Actor. xiii. verſ. 20. ut horum annorum certus numerus eliciatur. Quare tanto tempore? &c. Hebr. *Quare non liberaſtis* (id eſt, repetiiſtis) *in tempore hoc* (id eſt hoc annorum ſpatio) *hanc terram*?

*V.*29. Spiritus Domini; id eſt, cœpit Iephte agi ſpiritu Domini, & per *ſpiritum Domini* poſſumus intelligere ſpiritum fortitudinis. Vovit, qui poſt victos Ammonitas redeunti e domeſticis primum occurreret,

V. 31. Eum holocaustum offeram Domino. Hebr. *Et erit Domino, & offeram illud holocauſtum*: ſic Sept. Hebræus, *& offeram*; pro, vel offeram. Nimirum egredi poterat, quod offerri non poſſet, ut homo, ut canis, ideo vovet donaturum Deo quod egredietur primum, aut ſi aptum ad id erit, facturum holocauſtum. Ita Hebræi non putant Iephte filiam occiſam, ſed Dei obſequiis in virginitate mancipatam. Hieronymus ad cap. vii. occiſam putat, nec placuiſſe Deo id Iephte ſacrificium, ſed animum. Occurrit filia; & ille:

*V.*35. Decepiſti me. Hebr. *Humiliaſti me*. Et ipsa decepta es. Hebr. *& ipſa in turbantibus me*; pro, turbaſti me. Aperui enim os meum, ſcilicet vovendo: non mutabo. Illa: *Dimitte me*,

V. 37. Circumeam montes. Hebr. *Vadam, & deſcendam ſuper montes*. In montes aſcenditur. Sed quoniam Maſpha, ubi Iephte habitabat, quæ vox *ſpeculam* ſignificat, eminebat aliis montibus, deſcendere dicitur in montes alios. Plangam virginitatem: non vitam, quia non eſt occiſa, ut quidam putant; ſed virginitatem, quia innupta manſit.

V. 40. Post anni circulum. Hebr. *a diebus in dies*, id eſt annuatim conveniant filiæ Iſrael, et plangant. Hebr. *ad loquendum*, ſcilicet conſolandum eam: nam videtur fuiſſe incluſa, nec videtur mos ille plangendi ultra eius vitam extitiſſe. Alii vertunt, *ad lamentandum*. Diebus quatuor. Quatuor illi dies an iuncti eſſent, an interpolati, incertum.

MALVENDAE.

Verſ. 1. Iephte. Hebr. יפתח *iipthtach* ſignificat *apertorem*, *ianitorem*, *oſtiarium*, *portarium*. Fortaſſe id ei nomen inditum a vilitate natalium, quod viles homines, & infimæ ſortis ſoleant ianitorum officio admoveri: vel præſagio, quod Iſraelitis iannam ſalutis aperuerit. Galaadites, & a regione, & ab antiquo generis proauctore Ghilhad Machiris filio, Numer. xxvi. verſ. 29. & Ioſue xvii. verſ. 3. Vir fortissimus. גבור חיל *gibbor chaiil*, *heros ſtrenuitatis*. Vide de hac locutione ſupra cap. vi. verſ. 12. Mulieris meretricis. De voce זונה *zonah* diſſeruimus in Ioſue ii. verſ. 1. hic vere meretricem accipimus, atque Iephte extra iuſtum & legitimum torum procreatum. Galaad. Alius hic a Ghilhade Machiris filio, tamen ex poſteris eius: unde facile intelligimus, Iiphthachum Manaſſitam fuiſſe.

V. 2. De altera matre. Hebr. *mulieris alterius*. אחרת *achereth*, *alius*, *exteræ*, *poſteræ*, *præpoſteræ*; id eſt, non domeſticæ & legitimæ; quaſi dicant: Nothus & adulterinus es tu.

V. 3. In terra Tob. Quidam volunt hanc eſſe quæ *Tabath* dicitur eodem ſignificatu, ſupra cap. vii. verſ. 23. ſed *Tabath* cis Iordanem fuiſſe videtur: cum terram Tob in Galahaditide extitiſſe plerique tradant. Ioſephus: *Tunc autem in Galadena degebat*. Alii aiunt, fuiſſe tractum, vel terram ad regionem Ghilahaditidem, non procul ab Hammonitis in ingreſſu Arabiæ deſertæ, de qua II. Samuel. x. verſ. 6. & 8. quæ I. Machabæor. v. verſ. 13. vocatur *Tubin*, vel, ut ipſi emendant, *Tob*, ex qua dicuntur Tubianæi II. Machab. xii. verſ. 17. Terram autem טוב *Tob* dictam exiſtimant, vel a principe, qui ei præerat, nomine *Tob*, Hiſpaniſce *el*

el bueno; vel a bonitate, & ubertate ſoli. VIRI INOPES, ET LATROCINANTES. Duabus vocibus vim unius Hebraicæ expreſſit: *Homines vacui*. Quidam intelligunt homines vacuos bonis, patrimonio, & cura domeſtica, qui cum nihil domi habeant, ex militia, & rapto compendium quærunt. *Errantes*, Hiſpanice *aventureros*, exponunt. Poſſis intelligere *vacuos*, id eſt liberos, expeditos, promptos, ad quodvis facinus. Sed rectius eſt accipere fuiſſe cuneum latronum, & hominum perditiſſimorum, ex præda & rapto viventium. ET QUASI PRINCIPEM SEQUEBANTUR. Hebr. *Et egrediebantur cum eo*. Exponunt, puta in expeditiones militares, quas Iiphthach homo profugus & exul ad tolerandam vitam cogebatur ſuſcipere: quarum irruptionum & excurſionum documento Ghilhaditæ adducti ſunt, ut eum ſibi ductorem præficerent. Huius autem vocationis extra ordinem, auctor Deus fuiſſe putandus eſt, ex ſponſione Ghilhaditarum, ſupra cap. x. verſ. 18. Vide Deuteron. XXIII. verſ. 2. iam enim forte aliquoties in Hammonitas irruperat: & probabile eſt.

V. 4. IN ILLIS DIEBUS. Hebr. *Et fuit de diebus*, vel *poſt dies*. Quidam: *Fuit autem poſt aliquot dies*, ſeu *elapſo autem aliquanto tempore*. Aliqui: *Et fuit a diebus*, id eſt poſt annum integrum, ut Geneſ. XXIV. verſ. 55. *Habitabit puera apud nos dies*, id eſt annum totum, aut decadem menſium. Sic enim interpretantur Hebræi. Ergo hic exponunt: Poſt excurſiones Hammonitarum in Galaad, & conventum Iſraelitarum de deligendo belli duce in Maſphath habitum, ſupra cap. x. verſ. 17. & 18. anno iam elapſo inſtructiores Hammonitæ denuo ad bellum proceſſerunt. Quem ſenſum neutiquam probo. Rectius alii: *Fuit autem poſt dies*, id eſt poſt annos illos, nimirum ultimo annorum illorum octodecim, de quibus cap. x. verſ. 8.

V. 7. NONNE VOS ESTIS, QUI ODISTIS ME, &c. Sive ii fratres fuerint Iiphthach; ſive ex magiſtratu, qui hereditatem Iiphthacho abiudicaverint; ſive utrique ſimul, qui eum expulerunt.

V. 8. OB HANC IGITUR CAUSAM NUNC AD TE VENIMUS. Hebr. *Idcirco nunc reverſi ſumus ad te*, &c. quaſi dicat: Miſſa faciamus iſta, & audi cauſam ob quam iam ad te venimus: nam propterea venimus, ut veniens nobiſcum pugnes contra Hammonitas. SISQUE DUX OMNIUM, QUI HABITANT IN GALAAD. Hebr. *Et eris nobis in caput omnibus habitatoribus Ghilhadis*. Explicant, non tantum in hoc negotio, ſed poſtea in ceteris principatum apud Galhaditas obtinebis, ut ſupra cap. x. verſ. 18. Non totius Iſraelis hic, ſed Galadenæ tantum regionis Iiphthacho offertur principatus. Deinde vero conſenſu omnium, factus eſt totius Iſraelis princeps ac Iudex, infra cap. XII. verſ. 7.

V. 10. DOMINUS, QUI HAEC AUDIT, IPSE MEDIATOR AC TESTIS EST, QUOD NOSTRA PROMISSA FACIEMUS. Hebr. IHUH *erit audiens inter nos, ſi non ſecundum verbum tuum, ſic faciemus*. Quidam: *Iehova audiat inter nos, ſi non fecerimus iuxta ſermonem tuum*; quaſi dicant: Iehova, qui audit omnia, erit teſtis auritus huiuſce rei, quam tibi pollicemur: ſumetque debitas de nobis pœnas, ſi non præſtiterimus. Alii: *Iehova cognoſcet inter nos, niſi ſecundum verbum tuum ſic fecerimus*; id eſt, paciſcemur tecum præſente Iehova, ut cognoſcat de pacto noſtro, & violatores eius puniat.

V. 11. LOCUTUSQUE EST IEPHTE OMNES SERMONES SUOS CORAM DOMINO IN MASPHA. Quidam exponunt: Id eſt, recenſuit omnia verba ſupradicta, & conditiones prædictas, quæ prius cum legatis, ſeu ſenatoribus habuerat. *Coram Domino*, id eſt pro concione, in publico conventu, audiente populo. *Ubi ſunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*: Matth. XVIII. verſ. 20. Sic Deuteron. VI. verſ. 25. & cap. XX. verſ. 4. Aliqui: *Coram Domino*, quia teſtis, & auditor pacti adhibitus fuit ſupra verſ. 10. Hiſpanicus Interpres: *Hizo proteſtacion ſolemne como governador de pueblo*; id eſt, ſolemniter pro concione more ducum, populum allocutus eſt: & ſolemnibus pactis conventis utrimque habitis, imperator belli, ac princeps populi ſolemni ritu delectus eſt. Poſſis exponere: *Coram Domino*, id eſt publice, ac ſolemniter invocato Domino, ut cœptis propitius adeſſet.

V. 12. QUID MIHI ET TIBI EST &c.

Digitized by Google

&c. id eſt, quid mihi tecum negotii eſt, quid cauſæ, ut venias oppugnatum terram meam?

V. 13. QUIA TULIT ISRAEL TERRAM MEAM, QUANDO ASCENDIT DE AEGYPTO, &c. Mentitur iſte perſpicue, ac falſo ſuam fuiſſe dicit regionem, quæ prius Moabitarum fuerat, deinde Sichonis Amorrhæi, poſtremo optimo iure belli Iſraelitarum, ut perſcribitur Numer. xxvi. verſ. 24. 25. 26. & ſeqq. CUM PACE, id eſt rebus adhuc utrimque integris, antequam decernatur bello. REDDE MIHI EAM. Hebr. *Et nunc reſtitue illas*, ſcilicet urbes, vel regiones. Quidam, *loca illa*.

V. 15. NON TULIT ISRAEL TERRAM MOAB, &c. Dilucida & aperta inficiatio Iiphthachi, qui eſt primus locus defenſionis ipſius; cuius inficiationis confirmatio tribus ſequentibus verſibus continetur, a narratione rerum geſtarum Numer. xx. & xxi. Deuter. II. quæ oſtenditur nihil rei fuiſſe Iſraelitis cum Hammonitis, & Moabitis, ſed tantum cum Amorrhæis. Vide Deuteron. II. verſ. 9. 19. & 29. *Non tulit Iſrael terram Moab*. Hoc veriſſimum eſt, cum ex hiſtoria Numeror. tum e locis Deuteronomii nuper citatis. Certum quidem eſt, regni Sichonis Amorrhæi, illi a Moſe adempti, magnam partem ante Moabitarum fuiſſe, ut diſerte ſcribitur Numer. xxi. verſ. 26. & ſeqq. ſed ea tunc non Moabitarum, ſed Amorrhæorum cenſebatur; nec Moſes Moabitis, ſed Amorrhæis iure belli abſtulit.

V. 19. MISIT ITAQUE ISRAEL NUNTIOS AD SEHON. Notant eſſe alteram partem defenſionis Iiphthachi, nempe aſſertionem iuris ſui, a legitimo bello contra Sichonem, qui tunc eam regionem poſſidebat.

V. 20. QUI ET IPSE ISRAEL VERBA DESPICIENS, NON DIMISIT EUM TRANSIRE PER TERMINOS SUOS. Hebr. *Et non credidit Sichon Iſraelem tranſire in termino ſuo*. Quidam: *Et non fidit Sichon Iſraeli, ut tranſiret per terminum ſuum*; id eſt, non tantum credidit Sichon Iſraeli, ut fineret eum tranſire per terram ſuam. Vel non exiſtimavit Iſraelem bona fide, & ſine iniuria tranſiturum; idcirco noluit ei tranſitum dare per limites ſuos.

V. 22. ET UNIVERSOS FINES EIUS. Hebr. *omnem terminum Amorrhæi*; id eſt totam regionem quam Hammonitæ ſupra verſ. 13. iuris ſui eſſe falſo affirmabant; ut oſtendit vera hiſtoria, & limitum circumſcriptio, Numer. xxi. & hic expreſſa. ET DE SOLITUDINE USQUE AD IORDANEM. Hebr. *& a deſerto uſque ad Iarden*, id eſt ab Arabia deſerta, &c.

V. 23. DOMINUS ERGO DEUS ISRAEL SUBVERTIT AMORRHAEUM, &c. Obſervant hanc eſſe tertiam partem defenſionis Iiphthachi, quæ continet confirmationem iuris, a victoria divinitus data: quam amplificat per conceſſionem iuris gentium, argumento a minori ad maius, ſequenti verſu.

V. 24. NONNE EA QUAE POSSIDET CHAMOS? &c. Hunc verſum ex Hebræo alii ita convertunt. I. *Nonne, quod poſſidendum dederit tibi Chamos deus tuus, illud poſſidebis? Sic quidquid expulerit Iehova Deus noſter a facie noſtra, illud poſſidebimus*. Loquitur iuxta opinionem ipſius Ethnici; quaſi dicat: Nonne cuius dederit tibi dominium Chemos deus tuus, dices illud tuum eſſe? Sic eadem ratione regionem eorum, quos expulerimus auctore Iehova Deo noſtro, illam poſſidebimus. II. *Quod ſi daret tibi aliquid poſſidendum Chemos deus tuus, an tu id non poſſideres? Poſſidebimus ergo & nos, quæ nobis poſſidenda tradidit Dominus Deus noſter coram nobis*. III. *Nonne cuius heredem inſtitueret te Chemoſch deus tuus, illius heres eſſes? Sic quemcumque expulit Iehova Deus noſter a facie noſtra, illius hereditatem obtinebimus*. Prior pars verſus ſynchoreticôs, ſeu per conceſſionem dicta eſt; quaſi dicat, ut dem iſtud a Chemoſcho fieri poſſe, &c. argumentum a minore ad maius: Si quod putatis a diis veſtris vobis attributum eſſe, iuſte vos illud poſſidere arbitramini, multo iuſtius nos poſſidemus quod Iehova Deus noſter nobis tradidit. *Chamos deus tuus*. De eo egimus Numer. xxi. verſ 29. Moabitarum, & Hammonitarum deus erat. VICTOR OBTINUIT. Verbum הוריש *horiſch* in Hiphil, geminam, & contrariam induit ſignificationem: *Expulit, exterminavit, hereditate, aut poſſeſſione deiecit*: & *hereditare fecit, heredem inſtituit, in hereditatem, & poſſeſſionem miſit, poſſidere fecit*. Et uterque ſenſus apte huic loco congruit.

V. 25. Nisi forte melior es Balac filio Sephor. Hebr. *Et nunc an bonus, bonus tu præ Balak filio Tziphor?* Geminatio poſitivi comparationem, aut ſuperlationem continet. Quidam: *Et nunc num multo præſtantior es Balak filio Tzippor?* Alii: *An vero tu plus iuris habes quam Balak filius Zippor?* Nonnulli: *Iam vero an ullo pacto melior es Balako filio Tzipporis?* Notant, quartum hunc eſſe deſenſionis Iiphthachi locum, nempe confutationem, duobus argumentis, a ſilentio Moabitarum, qui prius regionem poſſederant, Numer. XXI. verſ. 26. & ſeqq. atque ideo eorum magis intereſſuiſſe: & a longiſſimi temporis præſcriptione, quæ continetur verſu ſequente. Quod iurgatus sit contra Israel. Hebr. *An litigando litigavit?* geminatio magnam aſſeverationem habet: An umquam, omnino, ullo pacto, litigavit huius regionis cauſa? ſic ſequenti membro.

V. 26. Aroer. Hic ſcribitur Hebr. *Ghargħor*, ſeu *Harhor*; infra tamen verſ. 33. & alibi ſemper ſcribitur *Gharoghcr*, ſeu *Harober*. Vide Numer. XXXII. verſ. 34. Iuxta Arnon. Pleraque Latina exemplaria, ut etiam LXX. *iuxta Iordanem*: ſed prior illa lectio melior. Hebr. *ſuper manus Arnon*. Varie reddunt: *Iuxta terminos Arnon, ad ſpatia Arnonis, ſecundum Arnonem: ad ripas, oras, tractus, Arnonis*. Per trecentos annos. Magna hic Chronologorum contentio, qui conſtent iſti trecenti anni, & unde initium eorum auſpicandum. Nos id in ſcrupulis Chronologorum ſacrorum reponimus, de quo videndi cumprimis Explanatores. Euſebius in Chronico: *Iephte in libro Iudicum ab ætate Moyſi, uſque ad ſemetipſum ait ſupputari annos trecentos*. Tremellius, & Iunius hæc annotant: *Ab exitu ex Ægypto incipit numerus, unde narrationis ſuæ initium fecerat Iiphthach ſupra verſ. XVI. præciſe autem trecentos annos numerat, licet ex hiſtoriæ veritate, quam Chronica noſtra confirmat ſupputatio 305. anni interceſſerint. Sed hoc genus ellipſeos non eſt inſolens ad rotundationem numeri. Vide infra cap. XX. verſ.* 46. Horum ſupputatio eſt 40. Moſis ab exodo; 17. aut 18. Ioſue; 40. Othonielis; 80. Ehudis, & Samgaris; 40. *Deboræ*; 40. Gedeonis; 3. Abimelechi; 23. Tholæ; 22. Iairis: ſumma eſt 305. aut 6. annorum. Nobis plane, qui hæc ad vivum reſecare non poſſumus, initium trecentorum annorum ducendum ab expugnato Sichone Amorrhæo, quando Iſraelitæ habitare cœperunt in Heſebon, & in Aroer, &c. diſerte hoc verſu dici a Iiphthacho, videtur. Et ſi ab eo tempore uſque ad hanc legationem Iiphthachi aliqui ſuperant, aut deficiunt anni, non eſt admodum curandum, cum eiuſmodi locutiones ſoleant eſſe rotundæ. Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis? Hebr. *Et cur non eripuiſtis in tempore ipſo?* Quidam: *Cur tum non aſſeruiſtis eas?* vel liberaſtis, vindicaſtis eas urbes, ſeu regiones?

V. 27. Igitur non ego pecco in te, &c. Notant, concluſionem eſſe bimembrem hoc verſu, qua primum iniuſtam Hamonitarum expeditionem, iuſtamque ſui defenſionem probat, qui iniuſte illatum bellum, iuſte propulſet: deinde Deum inter utroſque iudicem ac vindicem invocat.

V. 29. Factus est ergo super Iephte Spiritus Domini. Vide ſimilem locutionem ſupra cap. III. verſ. 10. Et circuiens Galaad. Hebr. *Et pertranſivit Ghilhadem*, ducens ſecum exercitum. Et Manasse, id eſt Baſanitidem, in qua tribus Manaſſe dimidia ſortem acceperat.

V. 31. Eum holocaustum offeram Domino. Hebr. *Erit ipſi* IHUH, *& offeram eum holocauſtum*. Coniunctionem *Vau*, *&*, pro disiunctiva complures accipiunt, hoc ſenſu: *Erit ipſi* IHUH, *aut offeram eum in holocauſtum*: ſic enim accipitur *Vau* ſæpius in Scriptura, ut Geneſ. XXVI. verſ. II. Exodi I. verſ. 10. & cap. XXI. 15. exponuntque: *Erit ipſi Iehovæ*; ſubaudi, conſecratum illi, & Deo mancipatum, ſi immolatitium non ſit, aut aptum ſacrificio cruento: & ſi fuerit immolatitium, ſeu aptum ad ſacrificium, *fiet ex eo holocauſtum*. Hunc ſenſum eſſe probabilem, multis Hebræorum, & Noſtrorum aſſertum, non eſt dubium, & qui contra arguntantur, ridiculi ſunt.

V. 33. Usque dum venias in Mennith. Per febrem delirabant qui *Minnith* imam Armeniam interpretabantur, id eſt imam Armeniæ minoris partem

Ana-

Amano iunctam: dictam enim Armeniam volebant, quaſi Aram Minnith, id eſt Syriam Minæam corrupto vocabulo: atque hanc hic eſſe aquilonarem partem; Abel vero vinearum, auſtralem. Poſtea iidem Tremellius, & Iunius hæc annotarunt: *Minnitha oppidum ſitum in Hammonitarum termino, non procul a Rabba, Anithan vocat Ptolemæus Libro Geographiæ V. cap. XVII. Itaque incurſionem Iiphthachi circumſcribit auctor auſtrali termino, ubi erat Minnith, & orientali, ubi Abel vinearum, id eſt Planities vinearum ferax.* Ita illi. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Mennit, ubi Iephthe præliatus eſt: nunc autem oſtenditur Mannith villa in quarto lapide Esbus, pergentibus Philadelphiam.* Minnith regionem fuiſſe tritico abundantem, quod Tyrum deferebatur, ſcribitur Ezechiel. XXVII. verſ. 17. ET USQUE AD ABEL, QUAE EST VINEIS CONSITA. Hebr. *& uſque ad Abel vinearum.* Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Abela vinearum, ubi dimicavit Iephte in terra filiorum Ammon: nam & uſque in præſentem diem in ſeptimo lapide Philadelphiæ villa Abela cernitur vinetis conſita. Alia quoque eſt civitas nomine Abela, vini fertilis in duodecimo a Gadaris milliario contra orientalem plagam.* Nec non *& tertia in Phœnice Abela, inter Damaſcum & Paneadem.*

V. 34. NON ENIM HABEBAT ALIOS LIBEROS. Hebr. *& non ei* ממנו *mimmennu, de eo, filius, aut filia.* Hebræi notant *mimmennu, de eo,* poſitum pro ממנה *mimmennah, de ea,* ſeu *præter eam.* Thargum: *De ea,* vel *ex illa,* ſcilicet filia Iiphthach, *filius, aut filia,* quia erat virgo. Alii: *Et ipſi Iiphthach non erat ex eo,* id eſt ex ſe ipſo, filius, aut filia. Forſan eius uxori ex alio marito erant filii, quos ipſe ut ſuos educabat; ſed ipſi ex ſe ipſo non erant liberi, præter illam. Forte illud *de ex eo,* poſſit ſumi pro inde, hactenus, ex tunc, huc uſque, ex eo tempore.

V. 35. DECEPISTI ME. Varie Hebræa reddunt: 1. *Incurvando, incurvaſti me:* 2. *Humiliando, humiliaſti me:* 3. *Genuflectendo, feciſti me genuflectere:* 4. *Deprimendo, depreſſiſti me;* ſeu *omnino, prorſus, valde, mirum in modum, depreſſiſti me:* 5. *Omnino proſtraviſti me.* Exponunt, quaſi dicat: Eram nuper elatus ea victoria quam reportaveram de Hammonitis, ſuperatis; tu vero depreſſiſti me; immo vero prorſus perdidiſti, ac exterminaſti: actum eſt de poſteritate mea. Alii, quaſi dicat: Qui me ante hac turbare conati ſunt, operam luſerunt, ut fratres mei, & Hammonitæ; at tu hoc facto prorſus me deiicis: nam quod promiſi, revocare non poſſum. APERUI ENIM OS MEUM AD DOMINUM. Hebr. *Et ego ampliavi, aperui ample, ac libere os meum ad* IHUH; id eſt, diſerte, & expreſſe, ſpontaneeque vovi. Alii: *Ego enim pandi os meum Iehovæ.* ET ALIUD FACERE NON POTERO. Hebr. *Et non potero reverti.* Quidam exponunt: *Et non potero reverti;* ſubaudi, ad pandendum; id eſt, non potero votum hoc altero commutare. Alii: *Et non potero converti, retractare, mutare ſententiam, recantare.*

V. 36. FAC MIHI QUODCUMQUE POLLICITUS ES. Hebr. *Fac mihi ſecundum quod exivit de ore tuo.* Revera cruento holocauſto fuiſſe immolatam, plerique veterum, ac recentiorum exiſtimarunt, ex hoc verſu, & verſ. 39. Ioſephus Lib. V. Antiquit. cap. XII. *At illa non illibenter accepit, gratulatoriam ſe fore pro victoria patris & civium libertate hoſtiam. Ad præfinitum terminum pater mactatam holocautoma obtulit, neque legitimum, neque Deo gratum ſacrum faciens: nec quidquam penſi habens, quid fama de hoc facto locutura eſſet.*

Tertullianus Lib. III. adverſus Marcionem, Carmin. cap. IV. de Iephtha:

> *Hic, quia quæ non vult Deus, promiſerat amens,*
> *Occurrit primo carum ſibi pectore pignus:*
> *Nulli ſperata cecidit quod ſorte repente,*
> *Promiſſum ut ſtaret, ſolvit pia iura parentis,*
> *Peccati votum, violenta mente copertus.*
> *Immanis timor orbatæ ſolatia vitæ,*
> *Pro ſcelere obtinuit famam, pro crimine laudem.*

S. Athanaſius in Synopſi: *Iephte filiam in occurſum progreſſam, immolandam occidit.* S. Gregorius Nazianzenus orat. XXII. de morte ſeptem fratrum Machabæorum: *Hoc facinus, Iephte ſacrificio cautius atque magnificentius.* S. Hieronymus Lib. I. in Io-

vinianum: *Iephte filiam virginem, quæ immolata ſit Domino, quæ cæſa ſit, lugens.* Et in VII. Ieremiæ: *Quod ſi Iephte obtulit filiam ſuam virginem Deo, non ſacrificium placet, ſed animus offerentis.* S. Ambroſius Lib. I. Officior. cap. L. *Nam de Iephthe quid dicam qui immolavit filiam, quo votum impleret? melius fuerat nihil tale promittere, quam promiſſum parricidio ſolvere.* Severus Sulpitius Lib. I. Sacræ Hiſtoriæ, de filia Iephte: *At illa non feminea conſtantia, mori non recuſans, ultro ad patrem rediit, votumque Domino reddidit.* S. Ioannes Chryſoſtomus homilia X. in Epiſtolam ad Romanos: *Sic & Iephte pietatis ac religionis ſpecie perſuaſit diabolus filiam ut immolaret, illegitimumque ſacrificium offeret:* & homilia XIV. ad populum Antiochenum: *Etenim Iephte Deo pollicitus ſe, primum ſibi occurſurum poſt belli victoriam iugulaturum, in filiæ necem cecidit: filiolam enim primum ſibi occurrentem immolavit.* S. Auguſtinus Lib. I. de Civitate Dei, cap. XXI. *Iephthe filiam, quæ patri occurrit, occidit: cum ſe immolaturum Deo id voviſſet, quod ei redeunti de prælio victori primitus occurriſſet.* Hoc ipſum pluribus docet quæſt. XLIX. in hunc Librum. S. Iſidorus Peluſiota Lib. I. Epiſt. LXXXVII. *Filia Iephte mortem quoque magno animo ſuſcepit, atque cum virginitate præclare diſceſſit.* Theodoretus quæſt. XIX. in Iudices: *Quamobrem permiſit Dominus Deus mactari filiam Iephte? ſtolida nimium erat Iephte pollicitatio. Dominus igitur Deus cædem hanc non cohibuit.* Auctor apud S. Iuſtinum Martyr. quæſt. XCIX. ad Orthodoxos: *Permiſit autem Deus illam in ſacrificio victimam offerri, non quod humano delectaretur ſanguine*, &c. Anaſtaſius Nicænus quæſt. XXXVI. in Scripturam: *Cur Deus non prohibuit Iephte ſacrificare filiam, ut Abraham filium?* S. Iſidorus in Librum Iudicum, cap. VII. *Iephte rediens poſt triumphum immolavit filiam.* Ioannes Zonaras Tomo I. *Immolat puellam, cremat.* Hoc ipſum quoque adſtruunt Procopius Gazæus in hunc locum, Michael Glycas Parte II. Annalium, S. Thomas II. II. quæſt. LXXXVIII. artic. 2. ad 2. & innumeri alii recentiores. Atque etiam e proteſtantibus, Petrus Martyr Vermilius, Renerius Reineccius, Georgius Buchananus in Tragœdia Iephtheh. Ceterum non reali ſacrificio mactatam, & crematam, ſed Deo tantum conſecratam, & naziræam factam, docent ex Hebræis, Rabbi Ioſeph Kimchi, Rabbi Levi filius Gerſon, Rabbi David Kimchi, Rabbi Aben Melech; ex noſtris Lyranus, Vatablus, Iſidorus Clarius, Sanctes, Pagninus, Arias Montanus; e proteſtantibus, Munſterus, Chyttræus, Tremellius, & Iunius, Buxſtorſius, Druſius, Schindlerus. Sane Tremellius, & Iunius ita in hunc locum ſcribunt: *Fac mihi quemadmodum exivit ex ore tuo. Senſus eſt: Quod voviſti pater me ſanctam fore Domino, conditionem accipio: id ego quoque voveo, & me a poteſtate patria emancipatam Deo ſoli mancipo. Sic illa ratum efficit votum patris, & ultro ſtabilit, ſe in perpetuum quaſi naziræam futuram Domini.* Nam quod *de ἀνθρωποθυσία, id eſt humano ſacrificio, quidam interpretati ſunt, neque hac delectatur Deus, neque ſenſit hoc Iiphthachi fides. Etenim Deus prohibet eam & damnat Deuteronom. XII. verſ. 31. Ideoque primogenitos mandavit redimi, & tantum abeſt ut vel peccatoris mortem deſideret, ut contra dederit Filium ſuum pro peccatoribus moriturum. Si enim ſacrificium Iitzchaki, quod imperaverat, recuſavit; quanto minus votivum fuiſſet accepturus? Iiphthachum vero minime illud crediſſe, quamvis militarem virum, nobis perſuadet vera illius fides, quam Apoſtolus prædicat Hebr. XI. verſ. 32.* Atque hanc ſententiam nos probabiliorem reputamus.

V. 37. ET PLANGAM VIRGINITATEM MEAM, quam Deo conſecravi, & ſervatura ſum, extincta in me omni ſpe prolis, & propagatione ſanguinis in domo paterna, quæ tum magna felicitas habebatur. Alii, ætatem meam virginalem, teneram, nubilem, florentem. Claudianus Lib. I. de Raptu Proſerpinæ:

Iam vicina toro plenis adoleverat annis
Virginitas ...

V. 39. ET FECIT EI SICUT VOVERAT. Hebr. *Et fecit ei votum ſuum, quod vovit.* Quidam: *Et executus fuit in ea votum ſuum, quod voverat*; id eſt, illam non redemit æſtimatione pecuniæ, ſecundum legem quæ habetur Levitici XXVII. verſ. 4. ſed reliquit conſecratam Domino: ideo non paſſus eſt illam nubere, ne alterius quam Iehovæ eſſe videretur: quod ex le-

gis

Digitized by Google

gis ignoratione (ut corrupta erant tempora) profectum eſt: dicit enim ſupra verſ. 35. ſe non poſſe repetere: & puella patri fidem habens, virginitatem ſuam deflet; cum pater eam a voto dedicationis, ſeu ſanctificationis eius, triginta ſiclis ex lege redimere potuiſſet. EXINDE MOS INCREBUIT IN ISRAEL, ET CONSUETUDO SERVATA EST. Hebr. tantum: *Et fuit ſtatutum in Iſrael*, nempe id quod ſequente verſu proponitur. Quidam: *Et fuit lex*. Alii: *Fuitque ritus in Iſraele*; id eſt, abiit in conſuetudinem.

V.40. UT POST ANNI CIRCULUM. Hebr. *a diebus in dies*. Quidam exponunt, *de anno in annum*, *annuatim*, *quotannis*, *annua vice*, *anniverſaria die*. Alii, *certis & ſtatis diebus*. Nonnulli, *perenniter*, *iugiter*, *continuo*, *in poſterum*, *futuris temporibus*. Vide ſimilem locutionem Exodi XIII. verſ. 10. ET PLANGANT FILIAM IEPHTE. Hebr. לתנות *letannoth*, *ipſi filiæ Iiphthach*. De ſignificatione, ac vi verbi תנה *tanah* diſſeruimus ſupra cap. v. verſ. 11. Hic varie interpretantur. I. *Ad alloquendum*, vel *ut alloquerentur*, *filiam Iiphthachi*; id eſt, ut conſolarentur eam, quod ſcilicet coacta eſſet propter votum patris ſui ſervare virginitatem. II. *Ad lamentandum*, ſeu *plangendum*, vel *ut plangerent filiam Iiphthachi*: qui eſt ſenſus Noſtri. Hiſpanicus Interpres: *Para endechar la hiia de Iiphthach*; id eſt, ut ei carmina triſtia & lugubria decantarent, nempe nenias, threnos, monodias, epicedia. III. *Ad confabulandum cum filia Iiphthach*. IV. *Ut diſſererent cum filia Iiphthach*. V. *Ad donandum* (laudes) *filiæ Iiphthach*. VI. *Ad ineundum fœdus filiæ*, cum filia *Iiphthach*; id eſt, ad ſpondendum ſe quotannis redituras. Ridicula expoſitio. Melius: *Ad conferendum*, *commentandum*, *depangendum*, *filiæ Iiphthach*; id eſt, celebrandum panegyricum conventum filiæ Iiphthach, in eoque laudes eius prædicandas. De filia Iiphthach non omiſerim quod de Melchiſedekianis prodit S. Epiphanius hæreſi LV. *In Sebaſta autem, quondam Samaria appellata, filiam Iephthe deificarunt, & in eius honorem quotannis feſtivitatem celebrant.*

MENOCHII.

Verſ. 1. IEPHTHE. *Iephthe* ſignificat apertionem, ac ianuam, ut Iudææ tribus oppidum Iephtha Ioſue v. 43. GALAADITES, de tribu Manaſſe, ut cum Pererio ſentit Serarius; ſunt tamen qui putent fuiſſe de tribu Gad. Sic Abulenſis, & Caietanus. FILIUS MULIERIS MERETRICIS. LXX. πορνὴν vocant Iephthe matrem, cum noſtro textu conſentientes. Itaque ſpurius erat Iephthe, non ante patris nuptias per ſimplicem fornicationem natus, ſed per adulterium, vel colligitur ex textu num. 2. & colligit Serarius quæſt. 1.

V. 2. EIECERUNT IEPHTHE, non vi, manuque privata, ſed publica: hoc enim ipſemet ſignificat cum num. 7. miſſis e communi gentis concilio ad ſe legatis, ait: *Nonne vos eſtis qui odiſtis me, & eiecistis de domo patris mei?* QUIA DE ALTERA MATRE NATUS ES, quia nothus es.

V. 3. HABITAVIT IN TERRA TOB, quæ ſecundum Abulenſem, & Ioſeph. Lib. V. cap. IX. eſt Galaditidis pars. LATROCINANTES: qui ſoliti erant prius latrocinari, licet duce Iephthe iam non latrocinarentur, vel certe in Iſraelitarum regione latrocinia non exercerent, ſed vicinorum infidelium, qui Iudæis erant infeſti. Adde, apud priſcos Latinos latronis nomine milites intelligi, ut idem ſit latrocinari quod militare. Exempla ſuppetunt ex Plauto in milite glorioſo.

V. 6. ESTO PRINCEPS NOSTER. Non fuit initio Iephthe Iſraelitarum omnium creatus princeps, ſed Galaaditarum tantummodo, ut patet ex cap. x. 18. & hoc loco, ut etiam num. 8. ſequenti. Galaaditæ vero hic vocantur omnes Iudæi qui trans Iordanem habitabant.

V. 7. ET EIECISTIS DE DOMO PATRIS MEI, &c. In quo paſſus ſit iniuriam non conſtat ex ſacro textu. Fieri tamen potuit ut aliqua re donatus a patre Galaad, quam retinere iure poſſet, ſpoliatus eſſet; vel quod ætate adhuc iunior ſit eiectus, cum necdum ad vitam idonee agendam ſatis eſſet inſtructus; vel quod per calumniam, & falſas criminationes domo exturbatus ſit.

V. 9.

V. 9. Ego ero veſter princeps? conſtituetis me principem veſtrum, ſi rem proſpere geſsero contra Ammonitas? Honeſta oratio, & modeſta poſtulatio fuit. Petit enim id tantum quod & ipſi dare poterant, & in concilio ſuo ſe daturos ante definierant, & nunc quoque ultro ac ſponte detulerunt.

V. 10. Nostra promissa faciemus. LXX. *Secundum verbum tuum ſic facimus*; hoc eſt, omnino te principem conſtituemus.

V. 11. Omnis populus, Galaaditarum: nec victoriam expectavit, ut ſcilicet benevolentiam in Iephthe demonſtrarent, & illi plane fidere oſtenderent, eumque alacriorem ad bellum redderent. Omnes sermones tuos, conſilia tua de bello contra Ammonitas, exponendo etiam ſummam legationis ad ſe miſſæ, ut quæ acta eſſent confirmarentur, & quid porro agendum eſset, ſtatueretur. Coram Domino in Maspha. Dicitur *coram Domino*, vel quia teſtis, ac mediator adhibebatur Dominus; vel quia in Iſraeliticorum conventuum medio adeſſe cenſebatur Dominus, Deuter. vi. & xx.

V. 12. Misit nuntios, &c. qui peterent ab rege Ammonitarum ut deſiſteret a bello, quod illius nullam iuſtam cauſam haberet.

V. 13. Quia tulit Israel terram meam, &c. Mentitur rex Ammon cum ait, Iſraelitas partem aliquam regni Ammonitarum occupaſse: nam terra illa a finibus Arnon uſque ad Iaboc, Amorrhæorum erat cum illam Iſrael invaſit, & antequam eſset Amorrhæorum, Moabitarum fuerat, non autem Ammonitarum: quare nullum ius in tractum illum rex Ammon habebat. Vide Deuter. 11. 16. & 37.

V. 16. Quando de AEgypto conscenderunt, &c. Tota hæc narratio perſpicua eſt ex cap. xxi. Numer. & Deuter. 1. & 11.

V. 24. Nonne ea quae possidet Chamos deus tuus? &c. Sententia eſt. Quemadmodum cenſetis vos iure poſſidere quæ vobis tradidit Chamos deus veſter; ita nos iure poſſidemus quæ a Deo noſtro tradita nobis ſunt. In Hebræo eſt: *Nonne quod hereditate obtinere te fecit Chamos deus tuus, hoc hereditate obtinebis? Chamos*, aliqui eumdem putant cum Baccho, quia Græcis *κῶμος* eſt & *comeſſatio*, & *compotatio*. Alii, quia מוש *muſc*, *removere*, & *depellere* ſignificat, Deum malorum averſorem, & depulſorem vocatum, ut a Latinis olim Averruncum, & a Græcis *διὰ ἀποτρόπαιον*. Alii tandem, quia eadem radix מוש *palpare* ſignificat, ita Deum illum effictum ſuſpicantur, ut oblatas victimas quaſi palpaturus, & contrectaturus exprimeretur.

V. 25. Nisi forte melior es Balac, &c. Quemadmodum Balac Moabitarum rex tractum illum numquam repetiit tamquam ad ſe pertinentem; ita multo minus tu, tanto poſt tempore, repetere iure potes, aut debes.

V. 26. Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis. Cum trecentis annis hæc loca tenuerimus pacifice, æquum non eſt ut tanto poſt tempore poſſeſſionem noſtram turbare velitis. Sic poſtea præſcriptionis lex civili iure inducta eſt, quæ naturali innititur æquitate. Porro quod dicitur *trecentis annis*, &c. ita intelligendum eſt, ut, ſive ab exitu ex AEgypto, ſive a devicto Amorrhæo eos computemus, ſemper intelligamus rotundum numerum poni: alioqui ſubtilius computanti, aut aliquid deerit, aut aliquid redundabit. Emmanuel Sa nodum ſolvit dicendo, Scripturam non affirmare trecentos annos illos fuiſse, ſed eam referre tantum quid dixerit Iephthe.

V. 27. Dominus arbiter huius diei. In Hebr. eſt: *Iudicet Dominus iudex diei*, qui ſcilicet hodie iudicat, & rerum omnium arbiter eſt. Iudicat autem Deus, cum fontibus pœnam infligit: facitque per cædes, & calamitates, ut omnes intelligant ſe damnaſſe eam partem, cuius cauſa erat iniuſta.

V. 29. Factus est super Iephthe Spiritus Domini. Vide dicta ſupra cap. iii. num. 10. Maspha quoque Galaad. Vide dicta ſupra cap. x. num. 17.

V. 31. Quicumque primus egressus fuerit de foribus domus meae, &c. Sunt qui putent, intentionem voventis fuiſse rem, quæ occurreret, conſecrare Domino, aut in holocauſtum offerre pro conditione ſcilicet rei quæ occurriſset, ideoque filiam immolatam

latam negant, ſed perpetuæ virginitati addictam: de quo poſtea. Alii cenſent divino Spiritu incitatum, votum concepiſse de offerendo in holocauſtum eo qui primum ſibi occurriſset, nihil in particulari ſtatuens; ut docet mox ſecuta admiratio, & gemitus in occurſu filiæ. Votum ergo hoc Iephthe in mitiorem partem interpretandum, ut ſcilicet vel non peccaverit, vel non graviter illud concipiendo, cum nec damnetur in Scriptura, & Spiritu afflatus in illud erupiſſe videatur, ſitque Deus vitæ, ac necis dominus, & votum etiam videatur fuiſſe cauſa victoriæ.

V. 33. Usque dum venias in Mennith, quæ eſt urbs in finibus Ammonitarum, non procul a Rabba verſus meridiem. Usque ad Abel, quae est vineis consita. *Abel* planitiem ſignificat: dicitur *vineis conſita*, ut ab aliis urbibus eiuſdem nominis diſtinguatur: nam eſt Abel Meolach, de qua III. Regum IV. 12. & Abel quæ Sichittim, ſive Nachal Haſchittim dicitur. Vide Ioelis ult. num. 10.

V. 34. Filia cum tympanis et choris: ſolebant enim puellæ epinicia canere, ut colligitur ex cap. XV. Exod. num. 2. & I. Reg. XVIII. 5. & aliis locis.

V. 35. Decepisti; quaſi dicat: Magno errore mihi obviam veniſti, magnoque meo incommodo. Hebr. *Depreſſiſti*, ſeu *humiliaſti me*. Vulgati Interpretis ſententia eſt: *Decepiſti*, quia cum ex te gaudium mihi pollicerer, mæroris occaſionem nactus ſum: *decepta es*, quia cum crederis te patri honorem choris æqualium virginum allaturam, ex meo voto mortis victima facta es.

V. 37. Plangam virginitatem meam cum sodalibus meis: plangam ſcilicet, & lamenter ſterilitatem, proliſque orbitatem.

V. 38. Cui ille respondit: Vade. Tantulam immolationis dilationem recte, & abſque omni peccato conceſſit filiæ pater.

V. 39. Et fecit ei sicut voverat, offerendo ſcilicet eam in holocauſtum, quod veteres fere omnes ſentiunt, Tertullianus, Ambroſius, Auguſtinus. Nazianzenus, Hieronymus, Epiphanius, Chryſoſtomus, & alii a Serario longo ordine citati quæſt. XVI. in hoc caput. Quae ignorabat virum. Cui minus moleſta fuit mors, quam ſobolis orbitas. Tunc enim habebatur maledicta ſterilis, Exodi XXIII. 26. Deuteron. VII. 14. Sap. III. 13. Geneſ. XXX. 1. I. Reg. 1.

V. 40. Plangant filiam Iephthe.... diebus quatuor. Anniverſarius hic luctus ſtatutus eſt in filiæ Iephthe honorem, quæ ſe poſt conceſſum bimeſtre ſpatium tanta conſtantia ſacrificio ſtetit. Secundo, ut oſtenderetur etiam difficilia quæ vovimus facienda. Tertio, ut incitarentur omnes Iſraelis filiæ ad Dei cultum, parentum obedientiam, patriæ caritatem. Quarto, ut monerentur in poſterum a triſtibus huiuſmodi votis abſtinendum. Quinto, ut oſtenderetur carorum memoriam lamentari nefas non eſſe.

T I R I N I.

Verſ. 2. De altera matre natus; id eſt, non ex vera & legitima uxore, ſed meretrice, ut dicitur verſ. 1. Erat ergo Iephte nothus & ſpurius; divino tamen inſtinctu, ut effecta monſtrarunt, ad principatum a Galaaditibus electus fuit, atque ita per diſpenſationem in lege Deuter. XXIII. in eccleſiam Dei, ſeu ad iura populi Iſraelitici admiſſus. Id merebatur pietas illius & morum probitas, animi magnitudo, rerum gerendarum induſtria, & qua præ omnibus tunc egebant Iſraelitæ, bellandi peritia. Exempla plurium ſpuriorum qui non obſtante vitio natalium, egregia fuerunt indole, factiſque clariſſimis ac dignitatibus inſignes, habes apud Laertium, Plutarchum, Athenæum, & Serarium *a*.

V. 11. Locutus est Iephte omnes sermones suos coram Domino in Maspha; id eſt, repetivit ſolemne pactum, de expeditione adverſus Ammonitas ſuſcipienda, ſi populus viciſſim, ut promiſerat, ipſum in poſterum pro ſuo duce, & principe admitteret. Repetivit, inquam, *coram Domino*, id eſt in publico populi conventu, qui locum Dei tenet. Pacto hoc ſolemniter confirmato, mox per legatos expoſtulat cum rege Ammonitarum de iniuſto adverſus Iudæos bello.

V. 23. Deus Israel subvertit Amorrhaeum. Prima hæc eſt ratio qua conatur Iephte deducere regem Ammo-

Ammonitarum ab iniuſto bello: quia nempe terras Amorthæorum, quas Iudæis Ammonita volebat eripere, dono dedit Iudæis Deus terrarum & regnorum omnium dominus. Secunda erat, præter iſtas Amorrhæorum terras nihil obtinebant Iudæi quod eſſet Ammonitici, vel Moabitici regni: vetuerat enim Deus terras horum occupari, Num. xxi. & Deuter. ii. & iii. Tertia, iſtas Amorrhæorum terras a Iudæis occupatas, numquam vel amica, vel armata manu repetiit rex Moabitarum Balaac, qui tamen apud eos optimus, & potentiſſimus, & ſapientiſſimus habebatur, & ad quem longe potiori iure ſpectare videbantur, quam ad Ammonitas. Quarta, quia præſcriptione fere trecentorum *b* annorum iam ſtabilitum erat ius & poſſeſſio Iſraelitarum. Sed fruſtra argumentis diſceptabat cum armato. Itaque & ipſe militem colligit, neque exſpectat ut Ammonita tranſeat in fines Iſraeliticos, ſed præoccupat ipſe, & ſuos in Ammonitidem inducit. Sed prius quam manus confereret.

V. 30. VOTUM VOVIT DOMINO, nempe inſtinctu Spiritus ſancti, quo dicitur hic dotatus fuiſse. Unde dico cum S. Anſelmo, & Serario, & Saliano, non peccaſse Iephte cum vovit ſe in holocauſtum vera & perfecta crematione immolaturum Deo, quicumque victori domum reduci primus gratulabundus occurreret, etſi foret domeſticorum gratiſſimus, etſi foret uxor, etſi filia unigenita. Et vero victoria tam illuſtris intuitu, & merito huius voti cælitus conceſsa, indicio eſt votum iſtud Deo ſingulariter placuiſse. Ob eaſdem cauſas, & quia nemo diſsuaſit, nemo ſeſe oppoſuit, nemo contradixit, immo S. Paulus ad Hebræos xi. probat, & laudat, videtur Deo eximie placuiſse ipſa etiam expletio voti, & realis immolatio filiæ, quam fecit parens per ignem. Neque enim poſsum comprobare ſententiam quorumdam Rabbinorum, & noſtri ſæculi hæreticorum, quos ſecutus eſt Lyranus, & Mariana, qui dicunt non occiſam, ſed metaphorice immolatam ſuiſſe, id eſt virginitatem toto vitæ tempore ad inſtar nazaræ ſervare iuſsam. Timent enim, inquit Genebrardus, iſti Rabbini, ne, ſi realem hic mactationem admittant, typum dent Chriſtianis Filii Dei a Patre cæleſti in monte Calvariæ ſacrificati, qualis olim eiuſdem typus fuerat Iſaac in monte Moria ab Abrahamo immolandus, ſi neci ſubtractus non ſuiſset. Nempe voluit Deus auctor & dominus vitæ omnium, etiam extare in re difficillima exemplum plenæ obedientiæ, & quidem in ſexu fragiliore, non ſolum quoad voluntatem, & reſignationem animi, ut fuerat illud Iſaaci, ſed etiam reipſa, & quoad executionem. Voluit item Chriſto filio ſuo, non ſolo affectu, ſed & reipſa morituro, præire typum, in quo realis, & ultroneæ mortis tolerantia omnibus conſpicua & illuſtris eſset. Et hæc de reali filiæ immolatione eſt ſententia veterum Iudæorum, Chaldæi Paraphraſtæ, Ioſephi, Tertulliani, Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, Nazianzeni, Epiphanii, Chryſoſtomi, Theodoreti, Sulpicii, Iſidori, Procopii, S. Thomæ, Caietani *c*, & fere omnium Chriſtianorum. Et licet quidam Patrum, ut Tertullianus, Ambroſius, Procopius, & S. Thomas cenſeant peccaſſe hic Iephte, S. Auguſtinus vero, & Hieronymus dubitent; reliqui tamen conſtanter laudant, & probant ob rationes ſupra dictas. Quin & ob tantam animi fortitudinem, qua tenera hæc virguncula, ſolo religionis amore, & in patrem, in patriam pietate, grataque victoriæ cælitus partæ memoria, crudeli gladio iugulum, flammis corpuſculum tam prompta, tam læta tradidit, immenſis eamdem laudibus omnes extollunt: & illi tam celebratæ Iphigeniæ, Marcellique, & Marii, & Erichthæi immolatis *d* filiabus, omnibuſque illis virginibus quas ἀρχτινομένας *e* vocabant: item Pyladi, & Oreſti, & invidendis Dionyſio tyranno Pythagoræis *f* illis, reo & vadi, ambobus pro altero mori certantibus, longe præferunt hanc Seilam (ſic enim a Philone vocatur) quin & Iſaaco ipſi eam conferunt Severus Sulpicius, Ambroſius *g*, Serarius, & alii.

(*a*) Athen. Lib. XIII. Serarius hic quæſt. iii.
(*b*) Chron. cap. xxiv.
(*c*) Ioſeph. Lib. V. cap. ix. Tertullian. Lib. III. cont. Maric. Ambroſ. Lib. III. de Virginit. Auguſt. hic quæſt. xlix. Hieron. in iii. 7. Ierem. Nazian. orat. xx. Epiph. hæreſ. lv. Chryſ. hom. de Iephte. Theodor. quæſt. xix. Sever. Sulpicius Lib. I. Iſidor. cap. vii. Procop. hic. S. Thom. II. II. quæſt. lxxxiv. a 2. Caiet. hic.
(*d*) Plutarch. in Parallelis.
(*e*) Rhodiginus Lib. XXVI.
(*f*) Cicero Tuſcul. v.
(*g*) Ambr. Lib. V. Officio cap. xii.

GOR-

GORDONI.

V. 1. DE Galaad monte, & regione dixi Gen. xxxi. Eſt trans Iordanem. Hic Iephte eſt Galaadites: patrem etiam habuit nomine Galaad, unum ex primoribus; ſed hunc Iephte ex meretrice ſuſcepit. Hinc pellitur a fratribus: dux creatur ab Iſraelitis transiordaneis: nec apparet an a cisiordaneis fuerit approbatus, quos nunc premebant Philiſthiim; probabile tamen eſt, poſt caſtigatos Ephraimitas, omnes in eum conſenſiſſe.

V. 2. QUIA DE ALTERA MATRE. Chald. *De matre alterius tribus.* Septuag. *de meretrice.* Immo filiis Concubinarum, ſeu uxorum minorum non dabatur pars hereditatis, ſed munus aliquod. Vide Gen. xxii. verſ. 24.

V. 3. IN TERRA TOB. *Tob* putatur princeps, vel regulus in vicina aliqua regione: eo cum ſuis ſeceſſit Iephte. Hunc mox evocant Galaaditæ (ex Iſraelitis) contra Ammonitas, verſ. 10. ubi iuratur.

V. 19. USQUE AD FLUVIUM. Aliæ editiones: *Uſque ad locum meum*, ſcilicet quo ire deſidero: ſic Hebr. & Septuag. Iordanem intelligo. Fortiter tamen reſiſtebat Amorrhæus Sehon, verſ. 20.

V. 23. DOMINUS ERGO. Verba ſunt Iephte, ut docet verſ. 28. quibus noluit acquieſcere rex Ammon, qui proinde victus eſt.

V. 25. & 26. Rationes pro pace attulit Iephte petitas a præſcriptione, a iure belli, & divino imperio. At qui ſunt hi anni 300. a quorum initio Iſrael dicitur poſſediſſe hanc terram? Varii ex variis initiis ineunt rationem horum annorum: & cum non exeant illis præcise 300. anni, dicunt poſitum eſſe integrum numerum omiſſis fractionibus; ut aliquoties fieri ſolet. Sane refert tantum Scriptura quod dictum eſt a Iephte: & quis demum evincet Iephte egiſſe chronologum, & ad unguem putare voluiſſe hos annos. Immo etiam qui ſervitutes ſeparant ab annis Iudicum, augent numerum; qui vero non ſeparant, pauciores dabunt. Ego quidem (includendo ſervitutes in annis Iudicum) reperio a principio principatus Ioſue ad ſextum annum Iephte parum in exceſſu, vel defectu abeſſe hoc totum intervallum (quo modo locutus videtur Iephte) ab annis 300. at vero ab exodo ſunt plures, cum ſint addendi 40. anni. Sed, ut dixi, Scriptura tantum refert quod dixit Iephte.

V. 31. QUICUMQUE PRIMUS FUERIT EGRESSUS, &c. Multa de hoc voto Interpretes, an iuſtum fuerit, an ex motione Spiritus ſancti, an vero impium. Tale non eſt illud de immolatione filii in Abrahamo. Prolixe de hac re Serarius, Procopius: immo & Chryſoſtomus, hom. xiv. ad populum, hoc votum damnat. Ego certe divinare nolo, ut dicam hoc votum eſſe ex inſtinctu Spiritus ſancti.

V. 36. QUA VISA. Hebræi non putant Iephte filiam occiſam, ſed mancipatam obſequio Dei in virginitate. Hieronymus rectius occiſam docet: et ſacrificium hoc Deo non placuiſſe, quamvis animus voventis pietatis quemdam affectum habuiſſe videatur.

V. 37. *Plangere virginitatem*, eſt plangere ſterilitatem, & prolis orbitatem. Hebr. *flere ob virginitatem*, על בתולי, *al bethulai*. Non quod virginitas ſit inferior matrimonio; ſed quod illo tempore carere ſobole calamitas habebatur.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 9. Grata conditio: nempe ſtatuite, ſi vicero, me principe. Placuit, & ſtetit conditio, ex verſ. 10.

V. 12. MISIT NUNTIOS ad regem Ammonitarum.

V. 13. MENNITH eſt inter Ammonitarum urbes extrema verſus meridiem.

CAPUT XII.

Ephrathæi adverſus Iephte inſurgentes ad vada Iordanis occiduntur, cum vocem Scibboleth proferre non poſſent; quo vita functo, ſuccedunt duces Abeſan, Elon, & Abdon.

1. ECce autem in Ephraim orta eſt ſeditio : nam tranſeuntes
contra aquilonem , dixerunt ad Iephte: Quare vadens ad
pugnam contra filios Ammon, vocare nos noluiſti, ut per-
geremus tecum? Igitur incendemus domum tuam . 2. Qui-
bus ille reſpondit : Diſceptatio erat mihi & populo meo
contra filios Ammon vehemens: vocavique vos , ut præbe-
retis mihi auxilium , & facere noluiſtis . 3. Quod cernens
poſui animam meam in manibus meis , tranſivique ad filios Ammon , & tra-
didit eos Dominus in manus meas . Quid commerui , ut adverſum me conſur-
gatis in prælium? 4. Vocatis itaque ad ſe cunctis viris Galaad, pugnabat con-
tra Ephraim: percuſſeruntque viri Galaad Ephraim, quia dixerat: Fugitivus eſt
Galaad de Ephraim , & habitat in medio Ephraim & Manaſſe . 5. Occupave-
runtque Galaaditæ vada Iordanis , per quæ Ephraim reverſurus erat. Cumque
veniſſet ad ea de Ephraim numero , fugiens , atque dixiſſet : * Obſecro ut me
tranſire permittatis : dicebant ei Galaaditæ : Numquid Ephrathæus es? quo di-
cente : Non ſum : 6. interrogabant eum: Dic ergo Scibboleth, quod interpre-
tatur Spica . Qui reſpondebat , Sibboleth: eadem littera ſpicam exprimere non
valens . Statimque apprehenſum iugulabant in ipſo Iordanis tranſitu. Et ceci-
runt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia . 7. Iudicavit itaque
Iephte Galaadites Iſrael ſex annis : & mortuus eſt , ac ſepultus in civitate ſua
Galaad. 8. Poſt hunc iudicavit Iſrael Abeſan de Bethlehem : 9. qui habuit tri-
ginta filios, & totidem filias, quas emittens foras, maritis dedit, & eiuſdem nu-
meri filiis ſuis accepit uxores , introducens in domum ſuam. Qui ſeptem annis
iudicavit Iſrael : 10. mortuuſque eſt, ac ſepultus in Bethlehem . 11. Cui ſucceſſit
Ahialon Zabulonites : & iudicavit Iſrael decem annis : 12. mortuuſque eſt , ac
ſepultus in Zabulon. 13. Poſt hunc iudicavit Iſrael Abdon, * filius Illel, Pha-
rathonites: 14. qui habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes, aſcen-
dentes ſuper ſeptuaginta pullos aſinarum, & iudicavit Iſrael octo annis: 15. mor-
tuuſque eſt, ac ſepultus in Pharathon terræ Ephraim, in monte Amalec.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 5. *Obſecro ut me tranſire permittatis*. Præferendum eſt plurale ſingulari *permittas*.

V. 13. *Filius Illel*. Alii minus recte *filius Elel*.

Digitized by Google

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 3. POSUI.... IN MANIBUS; id eſt, expoſui periculo.

V. 4. FUGITIVUS; quaſi dicat, vilis reſpectu Ephraim, ut ſolent qui fugiunt; vel quaſi dicat, apoſtata, qui nos olim deſeruit, manens ultra Iordanem. IN MEDIO, ſcilicet duarum tribuum.

V. 6. SCIBBOLETH, ſcilicet per ש *ſc.* QUOD INTERPRETATUR SPICA. Id additum ab Interprete. Alii, *aquarum decurſum*, ſeu *alveum* interpretantur, & quidem utrumque ſignificat. SIBBOLETH, ſcilicet per ס *ſ.*

V. 8. ABESAN. Hic quibuſdam eſt Booz.

E S T I I.

Verſ. 3. QUOD CARNENS, POSUI ANIMAM MEAM IN MANIBUS MEIS. Reſpondet his verbis Iephte Ephrataeis ſeditionem contra ſe moventibus. Eſt autem phraſis Hebraica, *ponere animam ſuam in manibus ſuis*, pro eo quod eſt exponere vitam ſuam periculo. Sic & David Pſal. CXVIII. *Anima mea in manibus meis ſemper*; quaſi dicat: Verſabar in perpetuo diſcrimine vitae: quem ſenſum etiam indicant verba ſequentia: *Poſuerunt peccatores laqueum mihi*, &c. Ratio autem locutionis eſt, quia anima apud Hebraeos vitam ſignificat: quod autem in manibus quis habet, hoc paratus eſt expendere, ſicut pecuniam, & ſimilia. Similiter ergo qui vitam paratus eſt expendere, dicitur animam ſuam in manibus ſuis ponere.

V. 6. DIC ERGO SCIBBOLETH, QUOD INTERPRETATUR SPICA, &c. Narratur quomodo Ephrataei volentes tranſire vada Iordanis deprehenſi ſint, neſcientes cum aſpiratione pronuntiare *Scibboleth*, ſed reſpondentes *Sibboleth*, ſicque iugulati ſunt. Ubi ſciendum, illam adiectionem, *Quod interpretatur ſpica*, non eſſe in Hebraeo. Multi etiam putant quod vox Hebraica *Scibboleth* iuxta interpretationem Hebraeam magis ſignificet *impetum currentis aquae*: ut ſic Galaditae Ephrataeos tentaverint ex re praeſenti, perinde atque ſi dicerent: Vultiſne tranſire fluentes aquas? hoc eſt, vultiſne *Scibboleth*? ubi dum Ephrataei quadam proprietate linguae ſuae, non ſcirent reſpondere per aſpirationem, ita, volumus *Scibboleth*; ſed ſine aſpiratione *Sibboleth* ſupponerent, pro littera Scin reddentes Samech, deprehenderentur eſſe Ephrataei. Nec hoc mirum, nam & hodie experimur quaſdam litteras alio ſono a Francis, Italis, vel Hiſpanis, alio a Germanis proferri; & nec poſſe quidem a pluribus eodem ſono proferri, etiamſi conentur.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. ECCE AUTEM IN EPHRAIM ORTA EST SEDITIO. Hebr. *Convenit vir Ephraim*; pro, convenere, vel conſpirarunt viri Ephraim, contra Iephte ſcilicet.

V. 3. POSUI ANIMAM MEAM IN MANIBUS MEIS: expoſui me periculo. Metaphora ducta ab iis qui vas fragile manibus portant: ſic Pythoniſſa Sauli, I. Reg. XXVIII. verſ. 21. *Poſui animam meam in manu mea*. Et Pſalm. CXVIII. verſ. 109. *Anima mea in manibus meis ſemper*. Galaad percuſſit Ephraim.

V. 4. QUIA DIXERAT. Ephraim dixit de Galaad: FUGITIVUS EST GALAAD. Alii vertunt: *Abiecti, viles ſunt Galaaditae prae Ephraim. Vos Galaad* (id eſt Galaaditae) *in medio Ephraim, in medio Manaſſe*; hoc eſt, undique cincti eſtis noſtris copiis, ne poſſitis evadere. Id Ephraimitae dixerunt contra Galaad. Illi victo Ephraim occuparunt vada Iordanis. Ex prolatione vocis *Scibboleth* agnoſcebant quis eſſet Ephrathaeus.

V. 6. SCIBBOLETH, QUOD INTERPRETATUR SPICA. Ea vox per ש *Scin* ſignificat *ſpicam*; ſignificat etiam *decurſum aquarum*. Porro *quod interpretatur ſpica* additur ab Interprete. Ephrathaei proferebant ס *Samech*, *Sibboleth*, quae vox tamen idem ſignificat, quamvis prolatione corrupta. EADEM LITTERA SPICAM EXPRIMERE NON VALENS. Hebr.

Digitized by Google

Et non dirigebat ad loquendum ſic; id eſt, non dirigebat os ſuum, ut recte eam vocem pronuntiaret, quod Ephrathæi eas litteras permutarent.

V. 8. ABESAN. Hunc quidam putant fuiſſe Booz virum Ruth: & iudicavit Iſrael ſeptem annis.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ECCE AUTEM IN EPHRAIM ORTA EST SEDITIO. Hebr. *Et vocatus eſt vir Ephraim*, id eſt viri Ephraim. Quidam notant, ſive a Iiphthacho advocati (ut verſu ſequenti teſtatur Iiphthach) tardius advenerint; ſive certo conſilio Iiphthachum agreſſuri ultro convenerint. TRANSEUNTES CONTRA AQUILONEM. Aliqui exponunt, nempe in Ghilhaditarum agrum, ubi dicta eſt poſtea, ut opinantur, ex hoc caſu Ephraimitarum ſilva, II. Samuel. XVIII. verſ. 6. Erat in tribu Manaſſe trans Iordanem. VOCARE NOS NOLUISTI. Obſervant, iſtos audaciæ ſuæ peccatum, quo antea quoque fuerant in Gedhonem uſi ſupra cap. VIII. hic mendacio cumulare: eoque pacto Iiphthachum laceſſentes, meritas ſibi pœnas accerſere: quas pœnas Iiphthachum non vindictæ ſtudio, ſed ſpiritus Dei teſtificatione ab eis ſumere; a quibus ſumendis Gedeon humanitus abſtinuerat. INCENDEMUS DOMUM TUAM. Superbiæ, temeritatis, ac omnis ſeditionis vox plena, acerrimoque ſupplicio vindicanda.

V. 2. DISCEPTATIO ERAT MIHI, ET POPULO MEO CONTRA FILIOS HAMMON VEHEMENS. Hebr. nos verbatim expreſſimus (*Vir litis fui ego, & populus meus, & filii Ghamon valde.*) Alii ſic: *Magna controverſia orta eſt inter me & populares meos, & Hammonitas.* Nonnulli: *In controverſia eram ego & populus meus contra Hammonitas gravi.*

V. 3. POSUI ANIMAM MEAM IN MANIBUS MEIS. Aliqui: *Expoſui vitam meam in manu mea*; id eſt, in vitæ periculum me conieci. Notiſſimus Hebraiſmus. Sic I. Samuel XIX. verſ. 5. & cap XXVIII. verſ. 21. Pſalm. CXVIII. verſ. 109. Aliter: *Salutem & vitam a dextra mea quæſivi, non a veſtra ope.*

V. 4. PERCUSSERUNTQUE VIRI GALAAD EPHRAIM, QUIA DIXERAT: FUGITIVUS EST GALAAD DE EPHRAIM, ET HABITAT IN MEDIO EPHRAIM, ET MANASSE. Varie totum hunc locum ex Hebræo diſtinguunt, & convertunt. I. *Et percuſſerunt viri Ghilhad ipſum Ephraim, quod dixiſſent abiecti Ephraim, eſtis Ghilhad in medio Ephraim, & in medio Menaſeh*; id eſt, quod dicere ſoliti eſſent antea abiectiſſimi quique, & peſſimi ex Ephraim: Vos eſtis, qui habitatis Ghilhad; quaſi dicant: Nihil aliud eſtis quam meri Ghilhaditæ, habitantes inter Manaſſe & Ephraim. Gallice: *Vous eſtes Galaadites pour tout potage*. II. *Et percuſſerunt viri Ghilhad ipſum Ephraim, quia dixerunt: Evaſores Ephraim vos*, id eſt abiecti, *o Gilhad in medio Ephraim, in medio Menaſeh*; quaſi dicant: Vos, Ghilhaditæ, eſtis homines obſcuri & ignobiles, ac nullius nominis, nec vos pro fratribus agnoſcimus, habitantes inter duas tribus clariſſimas, ac nobiliſſimas, & maximi nominis. III. *Deinde percuſſerunt viri Ghilhaditæ Ephraimitas: dicebant enim, Gilhaditæ medii inter Ephraimitas & Menaſchen: Perfugæ Ephraimitarum eſtis*. Exponuntque: *Deinde percuſſerunt*, &c. nimirum poſt conflictum dum perſequebantur fugientes: nam hic verſus prolepticus eſt, complectiturque hiſtoriam quæ planius duobus verſibus ſequentibus deſcribitur. *Dicebant enim: Gilhaditæ medii*, &c. id eſt, milites Iiphthachi, qui inter regionem ſuam, nempe Menaſſenſem, & Ephraimitarum ſe collocarent ad obſidenda itinera, & occupanda vada Iordanis, quo præcluderent Ephraimitis reditum. *Fugitivus*. Hebr. plurale פליטים *pelitim*, *evaſores*, *evaſos*, *fugitivos*, *perfugas*: & figurate, *viles*, *abiectos*, *infames*, ſignificare aiunt.

V. 6. DIC ERGO SCIBBOLETH, QUOD INTERPRETATUR SPICA, QUI RESPONDEBAT SIBBOLETH, EADEM LITTERA SPICAM EXPRIMERE NON VALENS. Nimis eſt pervagatum, in una & eadem lingua, & ſignificatione, diverſas interdum eſſe pro varietate, aut vitio nationum, multarum vocum pronuntiationes. In Hiſpania, Caſtellani enuntiant *çebolla*, *çaragoça*, & id genus alia: Valentini, *ſebolla*, *ſaragoſa*, &c. nimirum illi cum *ç* bleſo, nos cum *ſ* ſibilante. Sic Ephraimitæ vocem *Scibboleth*, quæ ſcribitur

Digitized by Google

bitur cum Scin dextro, quod eſt denſius & pinguius, pronuntiabant cum Scin ſiniſtro, ſeu Samech; quod erat vitium gentis. Sic nos Valentini vitioſe, pro *facere*, *facile*, pronuntiamus, *faſere*, *faſile*, & id genus alia, pro ç exprimentes ſ. Atque hac ratione in eodem ſermone Ephraiimitæ dignoſcebantur vitio pronuntiationis, & iugulabantur; tanto eis damno ſtetit prava pronuntiatio! Sic Petro Galilæa ſermonis Hebraici diverſa ab Ieroſolymitana pronuntiatio ſere periculum creavit, Matthæi XXVI. 73.

Scibboleth, quod interpretatur ſpica. Hebr. non ſunt tres poſtremæ dictiones, additæ a Noſtro; ſed id plane ſignificat vox שבולת *Scibboleth*. Iob XXIV. verſ. 24. *Et ſicut caput ſpicæ*, ſeu *culmi*, *circumcidentur*. Ex hac voce quidam Cybelem poetis dictam exiſtimant, quæ agricolis pro dea frugum habita, & venerata fuit: quam poſtea quoque Cererem, & Rheam, aliiſque nominibus neſcientes vocis originem appellarunt. Certum quoque eſt, *Scibboleth* ſignificare *fluxum*, ſeu *decurſum aquarum*, vel *fluminis*, ut Pſalm. LXVIII. verſ. 3. & 16. Iſaiæ XXVII. 12. Unde facere intelligimus ad traiectus Jordanis e re præſenti probatos Ephraimitas a Ghilhaditis. Ut ſi Hiſpanice iuſſus dicere *Raudal*, dixiſſet *Raodal*.

QUI RESPONDEBAT SIBBOLETH. Nimirum pronuntians cum Samech, ſeu Scin ſiniſtro, quæ erat vox corrupta ex blæſa Ephraiimitarum pronuntiatione, nihil per ſe ſignificans. Ut ſi Valentinus iuſſus pronuntiare *facere*, enuntiaſſet *faſere*. Quare recte Noſter expreſſit, *Dic ergo Scibboleth*: *qui reſpondebat*, *Sibboleth*: quod ſane ut Ephraiimita, etiam Valentinus feciſſet. EADEM LITTERA SPICAM EXPRIMERE NON VALENS; id eſt, non poterat eamdem litteram ſibi a Galahaditis propoſitam reddere, quæ ſpicam, ſeu decurſum fluminis ſignificaret: nam pro Scin dextro pronuntiabat Scin ſiniſtrum, ſeu Samech: & vitioſa pronuntiatio ſignificatum aut mutat, aut tollit. Ceterum Hebræa hic varie exprimunt. I. *Et non rectificabat ad loquendum ſic*; id eſt, nec recte poterat loqui ſic, ſeu non exacte proferebat, ut proponebatur illi. II. *Nec erat inſtructus ad loquendum ſic*. III. *Et non faciet dirigere linguam ſuam ad loquendum ſic*. IV. *Et non dirigebat loqui ſic*. V. *Nec compararet ſe ad loquendum recte*: nimirum quia ſtatim & incogitate efferre iubebatur. VI. ex verbo: *Et non apparabit*, *aptabit*, *perficiet*, *ad loqui ſic*. Hiſpanice: *No ſe aliſiava*, *no ſe apaſiava*.

V. 7. IN CIVITATE SUA GALAAD. Hebr. *in urbibus Gilhad*, id eſt in una, in aliqua, urbium, vel in una ex urbibus Ghilhad. Putant hanc fuiſſe Mitzphah, ubi Iiphthachus domicilium habebat, ſupra cap. XI. verſ. 11. & 34.

V. 8. ABESAN. Hebr. אבצן *Ibtzan*. Notionem huius nominis augurari non poſſum, niſi forte *cœnoſum*, ſeu *lutulentum*; forſan a colore luteo: vel *byſſinum* exponas, quaſi delicatum, ac tenuem. Aliis eſt, *Pater clypei*, vel *umbonis*, quaſi *clypeatus*. DE BETHLEHEM. Hebræi omnes, & Noſtri fere, hanc Bethlehem Iudaicam intelligunt, & hunc Ibtzan Iudæum fuiſſe. Pauci Zabuloniam volunt, Ioſue XIX. verſ. 15. neſcio quam ob cauſam.

V. 11. ELON. Sonat Hebræis *robuſtum*, *roboreum*, *quernum*, *fortem*, *arietinum*, vel *cervarium*.

V.12. IN* AIALON. Vide quæ de hac urbe notavimus Ioſue X. verſ. 12. & cap. XIX. verſ. 42. Alia eſt hæc ab Aialon Danitica.

V. 13. ABDON. Hebr. עבדון *Ghabdon*, *ſervum* licet interpretari, quaſi *miniſtrum magnum*, vel *denſitatem iudicii*, quod denſus, & aſſiduus eſſet in iudicando.

V. 14. ASCENDENTES SUPER SEPTUAGINTA PULLOS ASINARUM. Hebr. tantum, *ſuper ſeptuaginta pullos*: plerique ſubaudiunt, aſinarum; alii, equorum: unde quidam exponunt, id eſt equos iuvenes, & alacres; Hiſpanice *potros*; quaſi dicat: Habuit triginta nepotes omnes equeſtris ordinis, & equitandi peritiſſimos: quibus ſingulis bini equi iuvenes erant. Nonnulli, aſellos, vel mulos accipiunt, putantque hanc locutionem ſignificare nobilitatem eorum temporum, quibus vehi pullis, ſeu mulis, inſigne erat nobilium ac principum virorum. Vide ſupra cap. V. verſ. 10. & cap. X. verſ. 4.

V.15. IN PHARATHON. Hebr. פרעתון *Pirghaton*. Nomen habere videtur vel a libertate, quod eſſet urbs libera, & immunis; vel a nuditate, quod in loco aperto, ſpatioſo, amploque eſſet; aut a feriatio-

tione, quod in eo publicæ nŭmdinæ, & feriæ celebrarentur. IN MONTE AMALEC. Hebr. *in monte Ghamalekitæ*, ſeu *Ghamalekitarum*. Quidam exponunt, id eſt quem Hamalekitæ incolebant adhuc ex parte, unde a Saule demum eiecti ſunt, I. Samuelis xv. volunt autem hunc montem fuiſſe in orientali Ephraiimitarum tractu. At eo loco Samuelis, verſ. 7. manifeſto dicitur Saulem Amalekitas in regione eorum, ſcilicet in Arabia, percuſſiſſe: de monte eorum in tractu Ephraiimitico, ne verbum quidem. Ab eventu ergo aliquo nobis incomperto. vel quod ibi forte aliquot familiæ Hamalekitanim incolerent, mons Hamalekitarum iſte appellatus videtur.

* Non eſt in textu vulgari, ſed in Hebraico.

MENOCHII.

Verſ. I. ORTA EST SEDITIO. Seditionis cauſa prorſus eadem fuit quæ iiſdem tumultus fuerat, ſupra cap. VIII. contra Gedeonem, nimia ſcilicet gloriæ cupiditas, & rerum bene a Galaaditis geſtarum invidia. TRANSEUNTES CONTRA AQUILONEM: Iordanem in aquilonari parte tranſmittentes. VOCARE NOS NOLUISTI. Mentiuntur: nam, ut patet ex verſu ſequenti, invitati belli participes eſſe noluerunt. INCENDEMUS DOMUM TUAM, & te cum ea: nam in Hebræo additur *tecum*. vel *ſuper te*, quod etiam habent LXX.

V. 3. POSUI ANIMAM MEAM IN MANIBUS MEIS: vitam meam mortis periculo expoſui. Hebræa phraſis, quæ etiam occurrit I. Reg. XIX. 5. & alibi.

V. 4. FUGITIVUS EST GALAAD DE EPHRAIM; quaſi dicat: Vilis reſpectu Ephraim, ut ſolent qui fugiunt. Vel ſenſus eſt: Galaad fugitivus eſt, id eſt apoſtata, & deſertor, qui nos olim reliquit manens ultra Iordanem. ET HABITAT IN MEDIO EPHRAIM ET MANASSE; quaſi dicat: Quid ſuperbitis vos Galaaditæ, qui inter fraternas tribus duas, Ephraim ſcilicet & Manaſſe, habitatis? Nonne ab utraque tribu concludi, & deleri nullo negotio poteſtis?

V. 6. DIC ERGO SCIBBOLETH, non poterant hanc vocem *Scibboleth* Ephraimitæ pronuntiare per *ſ* & *c*, id eſt per ש *ſcin*, ſed pronuntiabant tantum per *ſ*, id eſt per ס *ſamech*, dicentes *Sibboleth*, ex quo agnoſcebantur. Hoc paſſim accidit, ut nationes aliquæ aliquas voces per aliquas litteras efferre aut non poſſint, aut ægre poſſint. QUOD INTERPRETATUR SPICA. Id additum ab Interprete. Alii, *aquarum decurſum*, ſeu *alveum* interpretantur: & quidem utrumque ſignificat.

V. 7. IUDICAVIT ISRAEL, univerſum Iſrael: nam licet initio Galaaditarum tantum princeps eſſet. poſtea tamen etiam reliquæ tribus illi paruiſſe videntur. Ita ſentit D. Auguſtinus quæſt. XLIX. MORTUUS EST IEPHTHE, &c. In beatorum numero recenſet Iephthem S. Paulus ad Hebr. XI. 32.

V. 8. ABESAN DE BETHLEHEM; quæ in tribu Iuda, & ita paſſim ſentiunt omnes. Maldonatus tamen in Matth. cap. II. num. I. putat hic agi de Bethlehem quæ erat in tribu Zabulon, cuius mentio Ioſue XIX. 15.

V. 9. INTRODUCENS IN DOMUM SUAM: ſuæ familiæ aggregans, cum nurus illius eſſent, licet fortaſſe ſub eodem tecto non habitaverint propter multitudinem.

V. 13. PHARATHONITES, ex urbe Pharathon in tribu Ephraim, ut dicitur num. 15. ſequenti.

V. 15. IN MONTE AMALEC: quia eum ex parte adhuc incolebant Amalecitæ in orientali tractu Ephraim, unde tandem a Saule I. Reg. XV. eiecti fuerunt.

TIRINI.

Verſ. I. IN EPHRAIM ORTA EST SEDITIO. In Hebræo inſinuatur, omnes Ephraimitas ad ſeditionem, & bellum convolaſſe. Nempe nimia gloriæ cupiditas, & rerum bene a Galaaditis geſtarum invidia Ephraimitas ad hæc arma concitarunt, ut nuper eoſdem contra Gedeonem cap. VIII. Et mox addunt turpe mendacium, cum fingunt ſe in ſocietatem Ammonitici belli vocatos non fuiſſe: cum vocati a Iephte fuiſſent, ſed ipſi venire detrectaſſent, ipſumque in magno vitæ periculo fœde deſertum reliquiſſent. Unde coactus ſum, inquit Iephte, animam ſeu vitam meam ponere in manibus meis, id eſt maximo diſcrimini *a* expone-

Digitized by Google

ponere. Nihilominus inſultabant Ephraimitæ, & amaro ſarcaſmo exprobrabant Galaaditis: *Fugitivus eſt Galaad de Ephraim*; id eſt, Galaaditæ non poſſunt reſiſtere ſolis Ephraimitis; ſed eos primo aſpectu fugiunt viles, ignavi ſervi, nulliuſque aut animi, aut roboris: quid facient miſelli, undique concluſi duabus nobiliſſimis potentiſſimiſque duorum fratrum tribubus, Ephraim, & Manaſſe? Ita fere Lyranus, Vatablus, & Caietanus. Facile fuit Ephraimitis ſic inſultare Galaaditis necdum bello accinctis, ſed inexſpectato illorum incurſu ex agris ad oppida fugere coactis: ſed poſtquam armatos ſenſerunt, & ſuorum quadraginta duo millia proſtratos viderunt, cito faſtum ſuum arrogantiamque & audaciam, ſed magno ſuo damno, & luctu poſuerunt. Ab hac Ephraimitarum inſigni clade videtur loco ubi illa contigit, nomen inditum, *Silva*, ſeu *ſaltus Ephraim*, II. Reg. XVIII. verſ. 6.

V. 8. POST Iephte IUDICAVIT ISRAEL ABESAN DE BETHLEHEM. Maldonatus *b* putat hic agi de Bethlehem Zabulonica, de qua Ioſue XIX. verſ. 15. Sed alii veroſimilius dicunt, e Bethlehem Iuda oriundum fuiſſe hunc Iudicem. Non tamen inde neceſſario ſequitur, quod tradunt quidam Rabbini, hunc Abeſan eſſe Booz maritum Ruth, abavum Davidis regis. Licet facile admittam coævum illi fuiſſe, ſicut eidem etiam coævus fuit Priamus Troianorum rex ultimus: & ut Abeſan ſexaginta proles, ſic Priamus quinquaginta numerabat: & fere ſub idem tempus quo & Troia ſecundo exciſa a Græcis fuit, uterque exſtinctus videtur.

(*a*) Simile I. Reg. XIX. & Iob XIII. & Pſal. CXVIII.
(*b*) Maldon. in cap. II. Matth. verſ. I.

GORDONI.

Verſ. I. CUpiditas gloriæ ut in Gedeonem cap. VI. ita nunc in Iephte tragœdiam excitat. Convenerunt conſpirando: ſed primum verbis reprehenduntur, mox armis vincuntur ſeditioſi. Ephraimitæ dum ſparſi redeunt in patriam, agniti ad vada Iordanis, nova cæde caſtigantur. Iudicium fuit vox *Scibboleth*, שבלת, *ſpica*. Ephraimitæ proferebant per Samech; & hinc cogniti.

V. 3. POSUI ANIMAM MEAM IN MANIBUS MEIS: expoſui periculo, ut Pythoniſſa I. Reg. XXVIII. verſ. I. & Pſalm. CXVIII. verſ. 109.

V. 4. QUIA DIXERAT FUGITIVUS EST GALAAD. Sic per opprobrium locutus eſt Ephraim de Galaad. *Fugitivus eſt*; id eſt, abiecti ſunt Galaaditæ præ Ephraim: aut apoſtata eſt, ſeparatus a nobis, manens ultra Iordanem. Hinc bellum, & victo Ephraim, Galaad occupat vada Iordanis.

V. 8. POST HUNC IUDICAVIT ABESAN annis 7. Fuit Bethlehemiticus in Iuda. Mendoſe Hetebon, apud Euſeb. Putant aliqui fuiſſe Booz virum Ruth: de quo ibidem dicendum.

V. II. CUI SUCCESSIT AHIALON ZABULONITES annis decem. Ita Romanus codex. LXX. *αἰλών*. Mendoſe Adon, in Chron. Euſeb.

V. 13. POST HUNC IUDICAVIT ABDON, ex Ephraim, annis 8. Mendoſe apud aliquos Labdon.

CAPUT XIII.

Iſraelitæ rurſum in idololatriam lapſi, Philiſthæis traduntur: Samſon naſciturus ab Angelo prædicitur matri, & deinde patri, natuſque a Domino benedicitur.

1. RUrſumque (*a*) filii Iſrael fecerunt malum in conſpectu Domini: qui tradidit eos in manus Philiſthinorum quadraginta annis. 2. Erat autem quidam vir de Saraa, & de ſtirpe Dan, nomine Manue, habens uxorem ſterilem. 3. Cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam: Sterilis es & abſque liberis: (*b*) ſed concipies & paries filium: 4. (*c*) cave ergo ne bibas vinum ac ſiceram, nec immundum quidquam comedas: 5. quia concipies, & paries filium, cuius non tanget caput novacula: erit enim nazaræus Dei ab infantia ſua, & ex matris utero, & ipſe incipiet liberare Iſrael de manu Philiſthinorum. 6. Quæ cum veniſſet ad maritum ſuum, dixit ei: Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis. Quem cum interrogaſſem, quis eſſet, & unde veniſſet, & quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere: 7. ſed hoc reſpondit: Ecce concipies & paries filium: cave ne vinum bibas, nec ſiceram, & ne aliquo veſcaris immundo: erit enim puer nazaræus Dei ab infantia ſua, * ex utero matris ſuæ uſque ad diem mortis ſuæ. 8. Oravit itaque Manue Dominum, & ait: Obſecro Domine, ut vir Dei, quem miſiſti, veniat iterum, & doceat nos quid debeamus facere de puero, qui naſciturus eſt. 9. Exaudivitque Dominus deprecantem Manue, & apparuit rurſum Angelus Dei uxori eius ſedenti in agro. Manue autem maritus eius non erat cum ea. Quæ cum vidiſſet Angelum, 10. feſtinavit, & cucurrit ad virum ſuum: nuntiavitque ei, dicens: Ecce apparuit mihi vir, quem ante videram. 11. Qui ſurrexit, & ſecutus eſt uxorem ſuam: veniensque ad virum, dixit ei: Tu es qui locutus es mulieri? Et ille reſpondit: Ego ſum. 12. Cui Manue: Quando, inquit, ſermo tuus fuerit expletus, quid vis ut faciat puer? aut a quo ſe obſervare debebit? 13. Dixitque Angelus Domini ad Manue: Ab omnibus quæ locutus ſum uxori tuæ, abſtineat ſe: 14. & quidquid ex vinea naſcitur, non comedat: vinum & ſiceram non bibat, nullo veſcatur immundo: & quod ei præcepi, impleat atque cuſtodiat. 15. Dixitque Manue ad Angelum Domini: Obſecro te ut acquieſcas precibus meis, & faciamus tibi hædum de capris. 16. Cui reſpondit Angelus: Si me cogis, non comedam panes tuos: ſi autem vis holocauſtum facere, offer illud Domino. Et neſciebat Manue quod Angelus Domini eſſet. 17. Dixitque ad eum: Quod eſt tibi nomen, ut, ſi ſermo tuus fuerit expletus, honoremus te? 18. Cui ille reſpondit: (*d*) Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile? 19. Tulit itaque Manue hædum de capris, & libamenta, & poſuit ſuper petram, offerens Domino, qui facit mirabilia: ipſe autem & uxor eius intuebantur. 20. Cumque aſcenderet flamma altaris in cælum, Angelus Domini pariter in flamma aſcendit. Quod cum vidiſſent Manue & uxor eius, proni ceciderunt in terram, 21. & ultra eis non ap-

paruit

Digitized by Google

paruit Angelus Domini. Statimque intellexit Manue Angelum Domini eſſe, 22. & dixit ad uxorem ſuam: Morte moriemur, quia vidimus Deum. 23. Cui reſpondit mulier: Si Dominus nos vellet occidere, de manibus noſtris holocauſtum & libamenta non ſuſcepiſſet, nec oſtendiſſet nobis hæc omnia, neque ea quæ ſunt ventura dixiſſet. 24. Peperit itaque filium, & vocavit nomen eius Samſon. Crevitque puer, & benedixit ei Dominus. 25. Cœpitque Spiritus Domini eſſe cum eo in caſtris Dan inter Saraa & Eſthaol.

(a) Sap. x. 6. (b) Gen. xvi. 11. I. Reg. I. 20. Luc. I. 31. (c) Num. vi. 3. 4. (d) Gen. xxxii. 29.

B R U G E N S I S

ROMANA CORRECTIO.

V. 7. *Ex utero matris ſuæ*. Non præponas coniunctionem *&*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 5. NON TANGET; quaſi dicat: Cavendum ei, ne ſinat tangere. Vide infra. NOVACULA. LXX. *ferrum*.

V. 6. VIR DEI, id eſt Propheta. QUEM CUM INTERROGASSEM, &c. Hebr. & Chald. *Nec ego interrogavi unde eſſet, nec ipſe mihi ſuum nomen indicavit*. LXX. *Interrogavi unde eſſet, & ipſe nomen ſuum non indicavit mihi*.

V. 15. FACIAMUS; id eſt, offeramus edendum, vel mactemus. TIBI. Hebr. Chald. & LXX. *coram te*.

V. 16. SI ME COGIS; pro, etiam ſi me cogas. Hebr. & Chald. *ſi me detinebis*; quaſi dicat, etiam ſi hic expectem: id enim fuerat rogatus: nam quod ſupra, UT ACQUIESCAS PRECIBUS MEIS, Hebr. *detinebimus te*. LXX. *ſi me coegeris*. PANES, id eſt cibos.

V. 17. SI SERMO. Hebr. & LXX. *cum ſermo*.

V. 19. QUI FACIT MIRABILIA. Sic LXX. at Hebr. & Chald. *Et fecit mirabile quiddam*, ſcilicet Angelus, nempe quod ſequitur.

V. 20. FLAMMA, ſcilicet ab Angelo excitata, ut quidam volunt; ſed videtur potius excitata ab igne, quem ſacrificans paraverat.

V. 24. VOCAVIT, ſcilicet mater.

V. 25. COEPITQUE, &c. quaſi dicat: Cœpit eſſe fortis Dei dono. CASTRIS DAN. Eſt nomen loci proprium. Vide inf. cap. XVIII.

E S T I I.

Verſ. 1. QUI TRADIDIT EOS IN MANUS PHILISTINORUM QUADRAGINTA ANNIS. Utrum quadraginta anni accipiendi in univerſum, an uſque ad tempus nuntiatæ nativitatis Samſonis, an vero uſque ad id tempus quo Samſon contra Philiſtæos heroica facta exercere cœpit, non liquet ex hiſtoria. Si enim ſecundum membrum accipimus, iam ſervitus ad minimum duraſſe videretur octoginta annis, id eſt quadraginta annis ante ortum Samſonem, & viginti uſque ad iuvenilem eius ætatem, quando cœpit verſari in caſtris Dan, & rurſum viginti annis, quibus iudicaſſe dicitur Iſraelem, immo durante adhuc ſubiectione, quia Samſon non prorſus liberavit populum de iugo Philiſtinorum. Unde & ſignanter dicitur verſ. ſeq. *Et ipſe incipiet liberare Iſrael de manu Philiſthiim*.

V. 5. ERIT ENIM puer NAZARAEUS DEI AB INFANTIA SUA, ET EX MATRIS UTERO, ET IPSE INCIPIET, &c. D. Auguſtinus ſimul coniungens quod dicitur verſ. 7. *Uſque ad diem mortis ſuæ*, Ideo, inquit, dictum eſt ab utero matris uſque ad diem mortis: quia nazaræi, de quibus in lege Moyſi habemus,

Digitized by Google

mus, tantum ad certum tempus tales erant, iuxta votum quod voverant: nempe ut nec ferrum aſcenderet ſuper caput eorum, nec vinum, aut ſiceram biberent. Unde & quando alterum illorum violatum fuit, id eſt quando eo dormiente, capilli eius detonſi fuerunt, receſſit ab eo ſpiritus Dei, ac fortitudo priſtina. Notandum autem, ex eo quod conſecratus legatur Deo ex utero matris ſuæ, minime intelligendum eſſe quod propterea in utero ſanctificatus fuerit ea ſanctificatione quæ in iuſtitia coram Deo, & peccatorum remiſſione conſiſtit; ſed tantum ſignificatur, eum iuſſu divino a parentibus ſtatim ut natus eſt, tamquam nazaræum Deo oblatum, & conſecratum fuiſſe, deinde vero octavo die per circumciſionem peccatorum remiſſionem accepiſſe, ſicut ceteros Iudæos.

V. 15. ET FACIAMUS TIBI HAEDUM DE CAPRIS; id eſt, paremus tibi epulum honoris cauſa. Vide ſimilem locum explicatum ſupra cap. VI. de Gedeone.

*V.*18. CUR QUAERIS NOMEN MEUM, QUOD EST MIRABILE? Quæres cur nullum nomen expreſſerit Angelus, ſicut alii Angeli alibi, ut Michael, Gabriel, Raphael? Reſpondetur: Quia hoc dixit Angelus in perſona Dei, cuius nomen eſt mirabile, quia natura incomprehenſibilis. Etenim id mirabile dicitur, cuius cauſa ignoratur: quod proprie in ſolum Deum competit, cuius nulla eſt cauſa, ſed ipſe eſt cauſa ceterorum omnium. Simile quid legitur Deus, vel in eius perſona Angelus, reſpondiſſe Iacob Geneſ. cap. XXXII. Quod autem hic loquatur Angelus ex perſona Dei, ex eo perſpici poteſt, quod mox ſubiungitur, Manue patrem Samſonis obtuliſſe ſacrificium Domino, qui facit mirabilia: & quod, diſparente Angelo, dixit: *Morte moriemur, quia vidimus Dominum*. Procedebant autem hæc verba ex reverentia maieſtatis divinæ, non ex diffidentia.

MARIANAE.

Verſ. 1. IN CONSPECTU DOMINI, ſcilicet omnia videntis, fecerunt Iſraelitæ malum.

V. 2. DE STIRPE DAN. Hebr. *de familia Dan*; pro, de tribu Dan erat Manue.

V. 3. ET ABSQUE LIBERIS. Hebr. *Et non pepériſti*, ſeu *genuiſti*. Id Angelus dixit uxori Manue: ſed paries filium.

V. 4. NE BIBAS VINUM AC SICERAM. Chald. neſcio quid ſecutus, dixit *vinum novum & vetus*. Semper pro *ſicera*, *vinum vetus* ponit: ſed vere ſignificat omne quod inebriat, præter vinum.

V. 5. IPSE INCIPIET LIBERARE: Non omnino liberavit populum Samſon. Illa ad maritum:

V. 6. VIR DEI VENIT, id eſt Propheta: ſic ipſa putabat eum Angelum hominem eſſe. QUEM CUM INTERROGASSEM. Hebr. *Et non interrogavi eum, ubi, unde ipſe* (pro, ex quo loco eſſet) *& nomen ſuum non indicavit mihi*. Sic Chald. at Hieronymus, & Sept. quos ille ſecutus eſt, verbis mutatis ſententiam tamen expreſſere.

V. 8. QUID DEBEAMUS FACERE: ſcilicet quomodo inſtituemus filium eum. Ecce apparuit

V. 10. QUEM ANTE VIDERAM. Hebr. *Qui venit in die illa* (ſcilicet ſuperiori) *ad me, illum vidi*. Uxor ad virum recurrit: non ſic Eva.

V. 14. ET PRAECEPI, ſcilicet uxori, propter articulum femininum: id cuſtodiat. Obſecro,

V. 15. FACIAMUS, id eſt ſacrificemus. *Facere* etiam apud profanos auctores *ſacrificare* eſt. *Dum faciam vitula*. TIBI. Hebr. *coram te*: ſic Sept. & Chald. ſententia non alia. Quid Angelus?

V. 16. SI ME COGIS. Hebr. *ſi me detines*: etiamſi me detinueris. NON COMEDAM PANES TUOS, Hebr. *panem tuum*: ſed *panis* pro cibo promiſcue ſumitur. Quod nomen tuum?

V. 17. UT, SI SERMO TUUS FUERIT EXPLETUS. Hebr. *Cum venerit verbum tuum, & honorabimus te*.

*V.*18. CUR QUAERIS NOMEN MEUM, QUOD EST MIRABILE? Alii *occultum* vertunt: ſic Chald. ſed quod mirabile, idem eſt arcanum. Dei nomen & mirabile, & arcanum eſt. Attulit Manue hædum.

V. 19. OFFERENS DOMINO. Ibi eſt nomen tetragrammaton, non ergo Angelo obtulit, ſed Deo. QUI FACIT MIRA

Digitized by Google

RABILIA. Hebr. *Et mirificans ad faciendum*. Nimirum miraculum fecit, quod proxime ſequitur. Nempe Angelus cum flamma aſcendit in cælo. Manue timet. Uxor ait: Si nos occidere vellet, non accepiſſet ſacrificium,

V. 23. NEC OSTENDISSET NOBIS HAEC OMNIA, ſcilicet quæ de partu, & puero nuntiavit. Peperit ergo:

V. 25. COEPITQUE SPIRITUS DOMINI ESSE CUM EO, ſcilicet Samſone. Hebr. eſt vox פעמו *pabamo*, quam Interpretes reddunt multis modis. Quidam ſumunt in ſignificatione conterendi, ſicque locum vertunt: *Cœpit Spiritus Domini conterere eum*, turbare, exagitare, ut ſolet Prophetas. Alii: *Cœpit pulſare eum*: ſcilicet ad inſtar tintinnabuli (quod *pabamon* dicitur) *cœpit ſonare in medio eius*, opera mira exerere. Chald. verbum illud in ſignificatione roborandi poſuit, cum dixit: *Cœpit ſpiritus fortitudinis roborare eum*. Denique *paham*, *vicem* ſignificat: ſic locus reddetur: *Cœpit Spiritus Domini vice eius*, id eſt aliquando ex intervallo, non perpetuo; ſupple, eſſe cum eo: quod cum Hieronymus redundare putaret illud *vice eius*, abſolute dixit: *Cœpit Spiritus Domini eſſe cum eo*. IN CASTRIS DAN. Loci nomen poſtea factum a caſtris quæ ibi poſuerunt Danitæ, cum urbem *Lais* (quæ & *Leſem* Ioſue XIX. verſ. 47.) bello petiverunt. De quo bello rurſus in hoc Lib. cap. XVIII. Itaque hoc loco per anticipationem ſic locus vocatur. Ibi Samſon morabatur.

MALVENDAE.

Verſ. 1. QUADRAGINTA ANNIS. Quidam ita exponunt hos quadraginta annos. *Qui*, inquiunt, *incipiunt a decimo quarto anno gubernationis Iairis, de quo ſupra cap. x. verſ. 3. deſinunt in nuptiis Samſonis, ubi primum occaſione capta, Peliſthæos cæcidit, ut ex eorum ſpoliis, ſocios, prout promiſerat, muneraret, infra cap. XIV. verſ. 19. Nam quæ hoc capite narrantur, temporibus præcedentium Iudicum contigerunt*. Moti ad id aſſerendum iſti videntur, quod ſupra cap. x. verſ. 7. dicuntur Iſraelitæ traditi in manus Peliſthæorum, & Hammonitarum. Sed id non videtur niſi poſt mortem Iairis contigiſſe. Alii a 14. anno Iairis, uſque ad Samſonis nuptias, multo plures quam 40. ac ferme 58. annos enumerant. Sed ſunt hæc omnia ambigua, incerta, & in ſacrorum Chronologorum ſcrupulis reponenda. Plerique ſimplicius exiſtimant, hos quadraginta annos ſimpliciter accipiendos, ut in textu dicitur, poſt mortem Abdonis, cum Iſraelitæ a Deo deſciviſſent, traditos tyrannidi Peliſthæorum quadraginta annis. Ioſephus: *Poſt huius Abdonis mortem Palæſtini ſuperaverunt Iſraelitas, & tributa ab eis exegerunt per quadraginta annos*.

V. 2. DE SARAA. Hebr. *Tzareghah*, vel *Tzorghah*. Vide de hac urbe, quæ annotavimus Ioſue XV. verſ. 33. & cap. XIX. verſ. 41. ubi inter Iehudæ, & Danis terminales urbes numeratur. Hic autem nomen civitatis pro agro eius poni notant: nam ruri habitabant parentes Samſonis in caſtris Danis, inter Tzaregham & Eſthaolem, infra verſ. 25. NOMINE MANUE. Hebr. מנוח *Manoach*, Significat *placidum*, *quietum*. Ioſephus: *Monoches quidam vir inter Danitas optimus, patriæ ſuæ ſine controverſia princeps*.

V. 3. ANGELUS DOMINI. Hebr. *nuntius*, *legatus*, IHUH. Hunc aliqui putant fuiſſe æternum Dei Verbum, Filium Dei in forma humana ad tempus, & externe aſſumpta, magni Patris Angelum, ac legatum: quia infra verſ. 16. Iehova appellatur; & verſ. 22. Deus. Sic verſ. 21. Alii, quempiam alium ex Angelis Dei, ſeu ex adminiſtratoriis ſpiritibus.

V. 4. NEC IMMUNDUM QUIDQUAM COMEDAS. Recte annotant: Id eſt, non tantum cuius eſus vulgo ex lege Levitici XI. ſed etiam ſingulariter neziræis, Numeror. VI. verſ. 3. & 4. interdictus eſt.

V. 5. CUIUS NON TANGET CAPUT NOVACULA. Hebr. *Et novacula, culter raſorius, non aſcendet ſuper caput eius*. Futurum יעלה *iaghaleh* quidam ex Hiphil faciunt, ac reddunt: *Et novaculam non aſcendere faciet ſuper caput eius*: vel *ad cuius caput nemo admoveto novaculam*: ſeu nullus tonſor capillos eius radat. Sic I. Samuel. I. verſ. II. ET IPSE INCIPIET LIBERARE ISRAEL DE MANU PHILISTHINORUM. Veriſſime: nam nihil a Iairis temporibus in Peliſthæos geſtum eſt: & ipſe Samſon non prorſus Iſraelitas

a Peliſthæis liberavit, ut apparet ex I. Samuel. VII. 12.

V. 12. QUANDO, INQUIT, SERMO TUUS FUERIT EXPLETUS. Hebr. *Nunc veniet verba tua*. Verbum ſingulare cum ſuppoſito plurali, ut infra verſ. 17. Quidam exponunt: Nunc eveniet unumquodque verborum tuorum: ita eveniet ut prædixiſti. Alii: *Fiat igitur quod dixiſti*. Verba ſunt hominis egregia fide ſubnixi, ac palam declarantis ſe fide certa promiſſionem Dei complexum eſſe. QUID VIS UT FACIAT PUER? AUT A QUO SE OBSERVARE DEBEBIT? Hebr. *Quod erit iudicium pueri, & opus eius?* Quidam: *Quod erit ius pueri, & factura eius?* id eſt, quænam erit ratio educationis pueri; ſive qua ratione educabitur puer iſte; & quid illi faciemus? quomodo eum tractabimus? Alii: *Sed quod erit præſcriptum pueri, & opus eius?* Nonnulli: *Quæ ratio erga puerum illum, & opera* præſtanda *erit ei?* Aliqui: *Quæ erit regula pueri, & factum illius?* Alii: *Quis modus, qualitas, ſtatus, conditio pueri, & opus eius?* quaſi dicat: Qualis, quantuſve futurus hic puer, & quænam opera patraturus? Hunc ſenſum non ſatis apte admittit reſponſio Angeli, niſi forſan tecte, & implicite. Hiſpanicus Interpres: *Que orden ſe a de tener con el niño, y que a de hazer?*

V. 13. ABSTINEAT SE. Futurum Niphal תשמר *tiſchſchamer* poteſt eſſe ſecunda perſona maſculea, *ſervabis, cuſtodies te:* Hiſpanice, *te guardaras, cavebis, abſtinebis*; quaſi dicat: Quæ obſervanda præcepi de cibo, & potu uxori tuæ, tibi quoque præſcribo. Et poteſt eſſe tertia perſona feminea, *obſervabitur, cuſtodita erit, cuſtodiet ſe ipſam*. Et hunc ſenſum fere omnes ſequuntur. Sic ſequenti verſu verba poſſunt eſſe ſecundæ perſonæ maſculeæ, & tertiæ femineæ.

V. 15. OBSECRO TE UT ACQUIESCAS PRECIBUS MEIS. Verbum עצר *ghatzar* expoſuimus Geneſ. XVI. verſ. 2. Hic varie reddunt. I. *Remoremur, quæſo, te*. II. *Detineamus, obſecro, te*; quaſi dicat, ſubſiſtito hic aliquantulum. III. *Sine, quæſo, ut te detineamus*. Proprie: *Prævalebimus, obſecro, te*, vel *nunc, iam, te*; id eſt, valide detinebimus nunc te. Sic verſ. 16. ET FACIAMUS TIBI HAEDUM DE CAPRIS. Alii: *Interim parabimus coram te hædum ex capris*; id eſt, hædum coctum offeremus tibi, de quo comedes. Nonnulli: *Ut paremus ante te hædum caprarum*. Metalepſis; pro, ut parantes apponamus tibi hædum lactentem. Notus Hebraiſmus *hædum caprarum*, pro hædum tenerum, lactentem, nondum a matris lacte depulſum. Sic verſ. 19.

V. 16. SI ME COGIS, NON COMEDAM PANES TUOS; SI AUTEM VIS HOLOCAUSTUM FACERE, OFFER ILLUD DOMINO. Quidam reddunt: *Si detineres me, non comederem de cibo tuo: ſin autem parare vis holocauſtum, Iehovæ offeres illud*; quaſi dicat: Duplex eſt proponendi cibi finis, ut comedatur humanitus, vel ut Deo acceptus abſumatur: prima ratione mihi offerre opus non eſt; altera ſi offeras, ſcito te Iehovæ oblaturum; quaſi indicet Angelus, ſe eſſe Iehovam. Vide ſupra verſ. 3. ET NESCIEBAT MANUE QUOD ANGELUS DOMINI ESSET. Sed tantum virum aliquem Dei, ſeu Prophetam eſſe putabat.

V. 17. QUOD EST TIBI NOMEN? Hebr. *Quis nomen tuum?* Notant conciſam & truncatam eſſe locutionem; pro, *quis es tu, & quod nomen tuum?* vel *quis es de nomine tuo?* HONOREMUS TE; id eſt, honorarium aliquod munus tibi in gratitudinis ſignum offeramus. Ioſephus: *Ut nato filio referre ei gratiam, & munus aliquod donare poſſint*.

V. 18. QUOD EST MIRABILE. Hebr. varie convertunt. I. *& ipſum occultum*, vel *reconditum*, aut *velatum, arcanum*; id eſt, cum non ſit familiare ac notum hominibus, ſive inter homines. Hiſpanicus Interpres: *No tengo licencia para dezirtelo*. פלאי *peli*, proprie *arduum, excelſum, mirabile, excellens, mirificum*. Non alibi id nomen in hac forma reperitur in Scriptura: notantque eſſe Thoar, id eſt adiectivum. Quidam exponunt: *Et ipſe mirificus*; vel *fuitque mirificus*; id eſt, factis maluit Manoacho ſe declarare quam verbis, & promiſſionem ſuperiorem confirmare. *Hanc*, inquiunt, *interpretationem iuſtam eſſe, arguunt ſequentia, ubi propoſitionis huius manifeſta eſt expoſitio*. Et ſane explanationem eſſe aptam & cohærentem, res ipſa docet. Equidem in eadem prorſus locutione Gen. XXXII. verſ. 29. *Ad quid iſtud poſtulabis nomini meo?* nihil additur de nomine admirabili,

ſed

Digitized by Google

ſed de benedictione, quam mox illi Iahacobo Angelus impertivit: unde hic non penitus abſurde vox *peli* non nomini, ſed Angelo tribuetur, qui ſe ſtatim novo miraculo admirabilem ac plane mirificum vere præſtitit, verſ. 19. & 20. Verum ſive nomen mirificum, vel Angelum mirificum accipias, eodem ſenſus redit, & utrumque verum eſt: & hunc poſteriorem ſenſum ſequens verſ. 19. confirmat.

V. 19. Et posuit super petram, offerens Domino, qui facit mirabilia. Hebr. *Et accendere fecit, obtulit, ſuper petram, ipſi* Ihuh: *& mirificans* fuit *ad facere*. Participium Hiphil, מפליא *maphli*, ad Angelum fere omnes referunt, ac plurifariam reddunt. I. *Et mirificavit faciendo:* vel *& miraculum fecit*: eduxit enim Angelus ignem de petra, qui abſumeret hædum. II. *Et excellens fuit faciendo*. III. *Et mirificabat ad faciendum*. IV. *Et mirificavit facere*. V. *Et mirifice egit*. VI. *Et is mirificavit agendo*: vel *tum is mirabiliter egit*. VII. *Et mirus erat ad faciendum*; id eſt, Angelus faciebat miraculum ſupra captum humanum. VIII. *Et mirando ad faciendum*; id eſt, dedit Angelo, qui erat mirandus, ut ipſe faceret holocauſtum: quaſi Angelus officio ſacerdotis functus fuerit. Quidam exponunt: *Et erat Angelus mira faciens*, ſeu *mirificavit ad faciendum*, ſeu *ſacrificandum*; id eſt, fuit Angelus in faciendo, ſeu ſacrificando mirabilis; quaſi dicat: Miro modo perfecit ſacrificium. Hebræa reddi poſſunt: *Et obtulit ſuper petram ipſi* Ihuh, *& mirificanti ad facere*.

V. 20. Cumque ascenderet flamma altaris in caelum, &c. Ioſephus: *Paratis omnibus, iuſſit Angelus deponi in petra & panes, & carnes, abſque vaſculis; quo facto, virga, quam geſtabat, carnes attigit: conſeſtimque flamma emicante cum panibus abſumptæ ſunt*, ut in ſacrificio Gedeonis, ſupra cap. vi. verſ. 20. 21. Angelus Domini pariter in flamma ascendit. Ioſephus: *Et Angelus fumo tamquam vehiculo in cælum aſcendere ab eis viſus eſt*.

V. 22. Morte moriemur; id eſt, omnino, brevi, certiſſime moriemur: actum eſt de nobis. Quia vidimus Deum. Quidam exponunt, id eſt Sermonem æternum, ſempiterni Patris Unigenitum, quem hic Manoach *Elohim* appellat, uxor vero eius verbo ſequenti *Iehovam*. Atque iſtud ait ex antiqua apud Iſraelitas, ſed præpoſtera opinione, ut qui Deum, vel Angelum Dei vidiſſet, ſtatim eſſet moriturus. Vide ſupra cap. vi. verſ. 22. 23.

V. 24. Samson. Hebr. שמשון *Schimſchon*. Plerique interpretantur *ſolem*, ſeu *parvum ſolem*, qui ſaluti Iſraelitarum illuxit, quaſi dicas; *ſoliculum*. Alii componunt a שוש *ſus*, & שמש *ſchammeſch*, quaſi publicæ lætitiæ miniſtrum. Ioſephus *robuſtum* interpretatur: cauſam divinare non poſſum. Et benedixit ei Dominus. Quidam exponunt: Donavit eum heroico animo, & prodigioſis viribus corporis.

V. 25. Coepitque Spiritus Domini esse cum eo. Hebr. *Et cœpit Spiritus* Ihuh *percutere eum*. Multifariam hic verbum פעם *pagham*, elucidant. I. *Et cœpit Spiritus Iehovæ agere, agitare, ducere, impellere, movere, percellere eum*: ut ſcilicet ſtratagematis, & aliis induſtriæ militaris notis, & veluti præludiis ſpeciem haud vulgarem exhibuerit popularibus ſuis, eum olim in virum magnum, & præſtantem heroa, & ſalvatorem evaſurum, qui populum Dei, & eccleſiam liberaturus eſſet ex ſervitute duriſſima Philiſthæorum, qua tum graviſſime premebantur. II. *Et cœpit Spiritus Iehovæ roborare eum*. III. *Et incepit Spiritus Iehovæ contundere, contere-re eum*, id eſt valide ac prorſus imbuere, ut penitus tritus & aſſuefactus eſſet Spiritus Dei. IV. *Et cœpit Spiritus Dei prima vice, primo illu eſſe cum eo*, vel *per vices agitare eum*. V. Plerique Hebræorum a פעמון *paghamon, tintinnabulo*, ſignificationem accerſunt; *Et incepit Spiritus Iehovæ pulſare eum tamquam cymbalum*, aut *tintinnabulum*; *tinnitum facere in eo, tinnire facere eum*; id eſt, clara, ſonora, famoſa edere virtutis ſpecimina, quæ ubique reſonarent. *Spiritum Dei* Hebræi hic ſpiritum prophetiæ accipiunt; ſed amplius, & latius ſumemus impetum, vim, robur, fortitudinem, animum, induſtriam, diſciplinam, ingenium, artem, ad quævis fortia, & præclara facinora militaria patranda. In castris Dan. Deſcribitur locus hic infra cap. xviii. verſ. 12. vicinus urbi Kiriath Ieharim, ubi redditur ratio nominis, quod in eo Danitæ eun-

Digitized by Google

euntes in expeditionem urbis Lais, caſtrametaverint. Situm eius ex hoc, & illo loco facile deprehendes.

MENOCHII.

Verſ. 2. DE SARAA. Urbs hæc Ioſue xv. 33. & xix. 41. Eſdræ etiam Lib. II. xi. 29. recenſetur inter urbes terminales tribuum Iuda, & Dan. Exiſtimant plerique Samſonem non ex ipſamet urbe Saraa, ſed ex Saraano agro ortum, ut colligi videtur ex cap. xix. num. 31. & ex cap. iſto xiii. num. 25. nam utroque loco videtur paterna Samſonis domus, ac ſepulcrum collocari inter Saraam urbem & Eſthaol. MANUE. Virum bonum fuiſſe Manue ex his quæ in hac hiſtoria dicuntur, colligitur, ut ex ſubito ad Deum curſu, & precatione, cum de filii conceptu audiit infra num. 8. ex omnibus etiam quæ poſtea cum Angelo locutus eſt, & egit: & ex iis quæ cum Samſone filio illi acciderunt infra cap. xiv.

V. 4. CAVE ERGO NE BIBAS VINUM, AUT SICERAM, iubet eum fieri nazaræum ad tempus, ac propterea iuxta leges nazaræatus, vino abſtinere, ac ſicera; hoc eſt, omni potu inebriandi vim habente: hoc enim ſicera ſignificat, quam LXX. propterea vocant *μίθυσμα*. NEC IMMUNDUM QUIDQUAM COMEDAS. Hoc alioqui vi legis Hebraicæ tenebatur facere, ſed non eſt ſupervacanea monitio: quam multi enim leges violant, quas ſervare debuiſſent?

V. 5. QUIA CONCIPIES, ET PARIES FILIUM. Voluit Dominus ut magnæ, miræque prolis magna, miraque eſſet conceptio, in utero geſtatio, & nativitas. Ideo mittitur Angelus, nazaræatuſque imperatur cæremonia, quam Abulenſis quæſt. x. putat matri indictam uſque ad pueri ablactationem, ut ſcilicet Samſon futurus nazaræus, nec in utero, nec poſt partum editus in lucem, lacte nutriretur quod ex vino, aut ſicera haberet originem. Tandem tamen concludit, certius eſſe nazaræatum matris ad partum uſque tenuiſſe. CUIUS NON TANGET CAPUT NOVACULA: quæ nazaræorum nota erat Num. cap. vi. 5. INCIPIET LIBERARE ISRAEL DE MANU PHILISTINORUM. Cœpit, ſed non perfecit, quia in hoſtium manibus mortuus eſt inf. cap. xvi. 30. & magis magiſque poſtea liberatio hæc perfecta eſt I. Reg. vii. 13.

V. 6. VIR DEI VENIT AD ME. Apparuerat Angelus ſpecie humana, ac veneranda, quæ gravem, ſanctum, propheticumque hominem referret. Prophetæ autem vocabantur viri Dei. HABENS VULTUM ANGELICUM, formoſiſſimam, & elegantiſſimam faciem. TERRIBILIS NIMIS, reverendus, & venerabilis admodum. VIR DEI VENIAT ITERUM: in Hebr. & LXX. additur, *ad me*.

V. 9. APPARUIT UXORI EIUS. Si primo apparuiſſet Manue, ſcire non potuiſſet an eſſet ille idem qui uxori primo apparuerat. Sed cur prima vice uxori potius viſus eſt quam ipſi Manue? Quia cum hanc potius quam Manue ſterilitas angeret, pro ea tollenda diutius, & ardentius oraverat, ut etiam pro ſalute populi. *Quia mulier iſta viro præſtantior, ideo primo ei viſio obtigit*: inquit Procopius.

V. 15. FACIAMUS TIBI HAEDUM DE CAPRIS: coquamus tibi in cibum hædum parvum ac lactentem, ac propterea adhuc matri adhærentem,

V. 16. NON COMEDAM PANES TUOS: non enim humanis cibis veſcuntur Angeli, Tob. xii. 19. Panum vero nomine, cibi generatim ſignificantur ex conſuetudine linguæ Hebr.

V. 18. CUR QUAERIS NOMEN MEUM QUOD EST MIRABILE? alii vertunt, *quod eſt occultum*. Sane *τὸ mirabile* non eſt nomen Angeli, alioqui dicere debuiſſet mirabilis; ſed eſt adiectivum ſubſtantivi nomen, quod præceſſerat. Fortaſſis Angelus hic Michael fuit, quia rem nuntiavit quæ ad populi Iſraelitici commodum, & ſalutem pertinebat, ipſeque ſynagogæ protector erat, ut nunc eſt Eccleſiæ.

V. 19. LIBAMENTA erant oblationes acceſſoriæ, & ſecundariæ, cum quibus hoſtiæ Domino offerebantur, ut ſimila, &c. POSUIT SUPER PETRAM, quæ extemporarii altaris vicem implevit, quæ etiam propterea *altare* dicitur num. 20. ſeq. OFFERENS DOMINO. Obtulit ad eum modum quo laici ſacris non initiati offerre ſolent, ſcilicet per ſacerdotes; Angelus

gelus

gelus vero proprie, & immediate Deo ſacrificavit.

V. 20. Cumque ascenderet flamma, quam videtur Angelus e petra elicuiſſe, ut fecerat Angelus qui Gedeoni apparuit ſupra cap. vi. 21. Angelus Domini pariter in flamma ascendit. Quo ſacto ſignificare voluit gratiſſimum eſſe ſacrificium illud Deo, ſeque illud in cælum quaſi deferre, & ſeipſum una cum holocanſto iſto dicare, ac quodammodo ſacrificare Deo. Proni ceciderunt in terram, vel Deum adorantes, eiuſque miniſtrum Angelum cultu aliquo afficientes; vel etiam metu perculſi, & conturbati.

V. 22. Morte moriemur, &c. Vide dicta ſupra cap. vi. num. 22.

V. 23. Si Dominus, &c. Coniectura mariti timorem lenit, quod probabile non ſit Deum illis mortem inſerre velle, quibus adeo faverit, ut holocauſtum de manu eorum acceperit ſignis exhibitis quod ſacrificium illud probaret, addita etiam promiſſione prolis ſuſcipiendæ.

V. 24. Vocavit nomen eius Samson, quod nomen Ioſephus *fortem* interpretatur. S. Hier. *ſolem*, ſeu *ſolem eius*. Alii *patruum ſolem*: alii aliter. Benedixit ei Dominus. Benedictio Domini ſemper copiam & abundantiam rei alicuius bonæ ſignificat. Benedictus ergo eſt Samſon & quo ad corporis vires, & quo ad animi dotes, divinamque gratiam.

V. 25. Coepit spiritus Domini esse cum illo. Vide dicta cap. iii. num. 10. Inter Saraa et Esthaol. Vide dicta hoc cap. num. 2.

TIRINI.

Verſ. 4. Cave ne immundum quidquam comedas. Iubet Angelus ut etiam ipſa Samſonis mater nazaræam agat vitam uſque ad filii partum. Unde iubet abſtinere non ſolum a vino, & ſicera, ſed etiam ab omni cibo vinoſo, verbi gratia uvis, vel coctis, aut conditis cum uvis: nam hæc omnia nazaræis erant inhibita, ac proinde reſpectu illorum immunda. Vide plura Num. vi. & Levit. ult.

V. 6. Si vis holocaustum facere, offer illud Domino. An ergo licuit Manue homini profano, ut pote de tribu Dan, holocauſtum offerre Domino, & offerre extra atrium tabernaculi, in loco profano? Reſpondeo cum Abulenſi, Deum hic diſpenſaſſe in utroque, ut ſupra cap. vi. cum Gedeone. Diſpenſationis vero interpres, & nuntius erat Angelus: quem licet Manue etiam tum ignoraret Angelum eſſe, credebat tamen ſanctum ac Dei Prophetam eſſe, cui merito fides habenda eſſet. Putat probabiliter Serarius *a*, hunc Angelum fuiſſe Michaelem, & plurimas ob cauſas quas enumerat, nomen eius (Quis ut Deus?) eſſe admirabile, Chaldaice arcanum: & ſane talia ſunt omnium Angelorum nomina. Addit Caietanus, Angelum non nomine ſolo, ſed magis re ipſa ſe hic valde mirabilem exhibuiſſe, ac proinde verſ. 19. ipſum vocari *Qui facit mirabilia*. Nam primo Angeli miniſterio, inquit Caietanus, & ſcipionis contactu, inquit Ioſephus, erupit e ſaxo ignis vehemens, & abſumpſit hædum, & libamina appoſita. Secundo, qui homo putabatur, ſubito ſurſum in cælum aſcendere viſus eſt. Tertio, cum voraci flamma ex ſaxo ſurſum elata ſimul in cælum illæſus aſcendit. Quarto demum, abiecto quod aſſumpſerat corpore, vel in elementa e quibus illud compegerat reſoluto, intuentium oculis ſe ſubſtraxit. Cur vero hæc omnia? Varias congerit cauſas Serarius; ſed hæc potiſſima. Ut re ipſa indicaret Angelus, ſe ſacrificium illorum piorum coniugum in cælum quaſi ſecum deferre, ut Deo, cuius unius honori oblatum fuerat, repræſentaret, ſimulque allegorice præſignaret Chriſtum, cuius etiam nomen Iſaiæ ix. verſ. 6. eſt admirabilis; & non ſolum offeret ipſe ſacrificium, ſed etiam offeretur ipſemet in ſacrificium tum cruentum in flamma & tormentis crucis, tum incruentum & illæſum in Euchariſtia.

V. 24. Samson, id eſt *ſol lætitiæ*, ut exponit Arias; vel, ut alii, *parvus ſol*. Sicut enim ab *iſch*, id eſt *vir*, derivatur *iſchon*, *parvulus vir*; ita a *ſchemeſch*, *ſole*, deducitur *ſchimſon*, *parvus ſol*. Hoc nomen dicit S. Chryſoſtomus puero inditum a Deo: nempe mater admonitu Angeli, vel interna inſpiratione didicit, gratum Deo fore ſi hoc nomine puer vocaretur: præſignabatur enim iſto nomine, Iſraeli altiſ-

altiſſimis involuto tenebris peccati, mœroris & ſervitutis, ortum iam eſſe ſolem; parvulum quidem, ſed lætum, qui nova luce omnes recreet, tenebras pellat, omnia vivificet. Unde & apte Samſon typus eſt Chriſti, veri & magni Solis iuſtitiæ, Malachiæ IV. verſ. 2. Ita S. Auguſtinus, Beda, Arias & Serarius.

(*a*) Serar. in cap. v. Ioſue, & cap. XIII. Iudicum.

GORDONI.

CHronologia hæc eſt. A ducatu Samſonis ad Samuelem ſunt anni 40. qui dantur Samſon, & Heli, ut pene collegis; vel ſi vis 20. Samſoni, & totidem Heli ſacerdoti. Ita Abulenſis. Et hi anni ſic collecti dabunt illos 40. annos ſervitutis, quibus Iſrael verſ. 1. dicitur ſerviſſe Philiſthæis, quæ eſt ſexta, & diuturna ſervitus ſub his duobus ducibus. Ita ſane Abulenſ. ſecutus Euſeb. in Chronolog. initio Samſonis; Genebrar. in Samſone; Serrarius, Lyranus, & Severus Sulpit. Lib. Hiſtor. Opinatur quidem eruditus Salianus, hos ſervitutis annos in morte Samſonis terminatos, ob mortem principum virorum quos cum Samſone ruina oppreſſit. Sed cum nihil ex contextu Scripturæ pro hac ſententia proferatur, tantum ſuperſunt coniecturæ: & eæ nec efficaces, ut puto, nec prolatæ a citatis auctoribus. Probandum porro reſtabat morte Samſonis liberatos fuiſſe a tributo, & ſervitute Iſraelitas. An non etiam I. Reg. cap. IV. (quando inſtabat mors Heli) populus ſeditione facta nititur adhuc excutere hoc ſervitutis iugum? Non ergo excuſſum eſt in morte Samſonis.

V. 4. Quid ſicera ſit, vide Levit. cap. x. verſ. 9. Communiter deſignat quidquid inebriare poteſt, præter vinum;

V. 5. Qui ſunt nazaræi, dixi Num. cap. VI. Denuntiatur Samſon talis futurus bis, ac proinde iterum verſ. 18. ubi Angelus reſpondet nomen ſuum eſſe mirabile, *θαυμαστὸν* (Hebr. פלאי *peli*) ſeu occultum, & arcanum. INCIPIET LIBERARE, non enim omnino liberavit.

V. 6. VIR DEI. Uxor Manue putat Angelum eſſe hominem. QUEM CUM INTERROGASSEM. Ita quoque Septuaginta.

V. 15. ET FACIAMUS TIBI HAEDUM DE CAPRIS, id eſt ſacrificemus. *Tibi*, hoc eſt coram te, ex Hebr. לפניך *lepanecha*. Septuag. *ποιήσωμεν ἐνώπιόν σου*. Et verſ. 19. eſt nomen tetragrammaton.

V. 18. MIRABILE, arcanum, occultum: & multo magis ſi de Deo, in cuius perſona agit qui hoc dicit.

V. 19. TULIT MANUE HAEDUM. Hoc ſacrificium in Hebr. eſt Mincha, de quo dixi Levit. cap. II. apud LXX. *θυσία*. Fuit holocauſtum ex verſ. 20. Petra ibi pro altari erat verſ. 19. & 20. Putant aliqui Manue fuiſſe ſacerdotem: ita Abulenſ. & Lyran. LXX. *ἀνήνεγκεν ἀναφέρειν* eſt ſacrificare. Alii cum Caietano volunt Angelum ſacrificaſſe: ſed ut ut ſit, ſane neuter fuit ordinarius miniſter, ſed tantum ex Dei diſpenſatione. Vide cap. VI. verſ. 16.

V. 20. FLAMMA, excitata ab igne quem ſacrificans appoſuit.

V. 25. COEPITQUE SPIRITUS DOMINI ESSE CUM EO: cœpit eſſe fortis, Dei dono: quod aliqui intelligunt, ex intervallo, & non perpetuo. Scriptura non hoc exprimit. IN CASTRIS DAN. Nomen peculiare loci eſt a caſtris Dan, ibi poſitis, de quibus cap. XVIII. Ergo per anticipationem eſt dictum.

EX EIUSDEM AUCTARIO

V. 2. SARAA, urbs eſt media inter tribum Dan & tribum Iuda, Samſonis patria.

V. 4. Iubetur non veſci immundo, quod lex etiam præcipiebat.

V. 5. INCIPIET LIBERARE ISRAEL, &c. non enim perfecit.

V. 16. NON COMEDAM PANES TUOS. Quemvis cibum deſignat.

V. 19. Dixi eſſe hic ſacrificium, & ſemel etiam libamina, ſeu mincham, & oblationes acceſſorias. Textus habet utrumque. SUPER PETRAM. Petra pro altari erat, & verſ. 20. vocatur altare.

V. 24. SAMSON. Ioſephus *fortem* interpretatur.

CA-

C A P U T XIV.

Samſon uxorem ducit Philiſthæam: quam cum viſeret, leonem laceravit, in cuius ore poſtmodum repertô melle, ſumpſit ab eo parabolam: qua ſodalibus propoſita, illi interpretationem per Samſonis uxorem intellexerunt.

1. DEſcendit ergo Samſon in Thamnatha : vidénſque ibi mulie-
rem de filiabus Philiſthiim , 2. aſcendit, & nuntiavit patri
ſuo , & matri ſuæ , dicens : Vidi mulierem in Thamnatha
de filiabus Philiſthinorum : quam quæſo ut mihi accipiatis
uxorem . 3. Cui dixerunt pater & mater ſua : Numquid non
eſt mulier in filiabus fratrum tuorum, * & in omni popu-
lo meo , quia vis accipere uxorem de Philiſthiim, qui in-
circumciſi ſunt ? Dixitque Samſon ad patrem ſuum : Hanc mihi accipe : quia
placuit oculis meis . 4. Parentes autem eius neſciebant quod res a Domino fie-
ret , & quæreret occaſionem contra Philiſthiim : eo enim tempore Philiſthiim
dominabantur Iſraeli . 5. Deſcendit itaque Samſon cum patre ſuo & matre in
Thamnatha. Cumque veniſſent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis ſævus,
& rugiens, & occurrit ei. 6. Irruit autem Spiritus Domini in Samſon, & dila-
ceravit leonem , * quaſi hædum in fruſta diſcerpens , nihil omnino habens in
manu : & hoc patri & matri noluit indicare . 7. Deſcenditque & locutus eſt
mulieri, quæ placuerat oculis eius. 8. Et poſt aliquot dies revertens ut accipe-
ret eam , declinavit ut videret cadaver leonis , & ecce examen apum in ore
leonis erat ac favus mellis. 9. Quem cum ſumpſiſſet in manibus, comedebat in
via: veniénſque ad patrem ſuum & matrem , dedit eis partem, qui & ipſi co-
mederunt : nec tamen eis voluit indicare * quod mel de corpore leonis aſſum-
pſerat. 10. Deſcendit itaque pater eius ad mulierem , & fecit filio ſuo Samſon
convivium: ſic enim iuvenes facere conſueverant. 11. Cum ergo cives loci illius
vidiſſent eum, dederunt ei ſodales triginta ut eſſent cum eo. 12. Quibus locu-
tus eſt Samſon: Proponam vobis problema: quod ſi ſolveritis mihi intra ſeptem
dies convivii , dabo vobis triginta ſindones , & totidem tunicas: 13. ſin autem
non potueritis ſolvere, vos dabitis mihi triginta ſindones, & eiuſdem numeri tu-
nicas. Qui reſponderunt ei: Propone problema, ut audiamus. 14. Dixitque eis:
De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo. Nec potuerunt per
tres dies propoſitionem ſolvere . 15. Cumque adeſſet dies ſeptimus , dixerunt ad
uxorem Samſon : Blandire viro tuo , & ſuade ei ut indicet tibi quid ſignificet
problema : quod ſi facere nolueris , incendemus te , & domum patris tui. An
idcirco vocaſtis nos ad nuptias ut ſpoliaretis ? 16. Quæ fundebat apud Samſon
lacrymas, & querebatur dicens: Odiſti me, & non diligis: idcirco problema ,
quod propoſuiſti filiis populi mei , non vis mihi exponere . At ille reſpondit :
Patri meo & matri nolui dicere: & tibi indicare potero? 17. Septem igitur die-
bus convivii flebat ante eum: tandemque die ſeptimo cum ei eſſet moleſta, ex-
poſuit . Quæ ſtatim indicavit civibus ſuis . 18. Et illi dixerunt ei die ſeptimo
ante ſolis occubitum : Quid dulcius melle , & quid fortius leone ? Qui ait ad

Digitized by Google

Hebr. Chald. & LXX. *Et placuit*, ſcilicet mulier illa Samſoni.

V. 8. IN ORE: ſic etiam LXX. at Heb. & Chald. *in cadavere*.

V. 10. FILIO SUO. Hebr. Chald. & LXX. *ibi*. IUVENES, ſcilicet cum ducerent uxores.

V. 12. PROBLEMA, id eſt ænigma, ſeu propoſitionem, ut infra. SINDONES: forte induſia intelliguntur. TUNICAS. Hebr. *veſtes mutatorias*, id eſt pretioſas, ſeu novas, quibus veteres commutantur.

V. 15. ADESSET; id eſt, *prope eſſet*. LXX. Quidam factum id aiunt die quarto.

V. 17. SEPTEM, id eſt reliquis ex ſeptem; vel factum id per omnes ſeptem: ſed Scriptura non ſervat ordinem.

V. 18. ARASSETIS; quaſi dicat: Niſi meæ uxoris opera uſi eſſetis.

V. 20. PRONUBIS, id eſt ſodalibus illis convivii nuptialis.

E S T I I.

Verſ. 4. PARENTES AUTEM EIUS NESCIEBANT QUOD RES A DOMINO FIERET, ET QUAERERET OCCASIONEM CONTRA PHILISTHIIM. Videri poſſet quod Dominus diceretur quærere occaſionem. Sed ita Scriptura non loquitur de Deo; ſed referendum eſt ad Samſonem quod ipſe occaſionem quærebat: nempe non ignorabat, quale de ſe oraculum mater accepiſſet, nec omnino parentes eum id celare debuerunt. Itaque eo oraculo animatus, quod ipſe liberare inciperet populum a iugo Philiſtinorum, paulatim ſe præparabat ad heroica facta, occaſiones quærens ulciſcendi populum ſuum de Philiſtæis: idque adeo ſecrete, ut nulli ſua conſilia communicaret, ſicut ne quidem de lacerato leone parentibus ſuis voluit indicare.

V. 6. IRRUIT AUTEM SPIRITUS DOMINI IN SAMSON, ET DILACERAVIT LEONEM. Spiritus Domini pro eius donis accipitur; hic autem intelligitur ſpiritus fortitudinis, cuius duæ ſunt partes; fortiter pati, & fortiter agere: ſed hic potiſſimum agitur de poſteriori. Acceperat enim Samſon fortitudinem ad fortiter agendum contra hoſtes populi Iſraelitici: cuius rei ſymbolum iam quoddam præmittit in interfectione leonis. Itaque non inerat hæc fortitudo ei ex nativa conſtitutione corporis (nam alioqui non receſſiſſet ab eo, quando fuit detonſus) ſed conceſſa ei erat miraculoſe a Deo, ita ut, ſalva naturali conditione corporis, auferri ab eo poſſet; ſicut & poſtea ad tempus fuit ablata. Utebatur autem ea fortitudine quandocumque id iudicabat, incitante Domino: expedire atque ita, non tam de dono fortitudinis, quam de uſu eius intelligitur, quando dicitur: *Irruit autem Spiritus Domini in Samſon*.

V. 8. & 9. ET ECCE EXAMEN APUM IN ORE LEONIS ERAT, AC FAVUS MELLIS, QUEM CUM SUMPSISSET IN MANIBUS, &c. Quæritur an Samſon ſit tranſgreſſus legem, tangens cadaver leonis: nempe quia dicitur Levit. XI. quod quicumque tetigerit morticinum, immundus erit. Putat Theodoretus quæſt. L. ſuper III. Reg. XVII. Samſonem quidem tranſgreſſum fuiſſe legem, ſed impune ac citra reprehenſionem. Videlicet quod leges illæ cæremoniales non ita obligarent, quin Deus interdum in iis diſpenſaret.

V. 14. DE COMEDENTE EXIVIT CIBUS, ET DE FORTI EGRESSA EST DULCEDO. Myſtice referunt quidam non inepte ad mortem Chriſti; per quam ſcilicet ipſe nobis attulit ſalutem. Mors enim inſtar leonis omnia conſumit, ac veluti devorat. Eadem fortiſſima eſt, quia ſuperat omnia, ita ut de ea Cant. VIII. accipiatur fortitudinis comparatio, ubi dicitur: *Fortis ut mors dilectio*. Et ecce nihilominus de morte Chriſti exivit cibus immortalitatis, & dulcedo vitæ beatæ. Unde & de cruce Salvatoris canit Eccleſia: *Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus ſuſtinet*.

M A R I A N A E.

Verſ. 1. THAMNATHA, civitas in monte Ephraim Philiſthinorum. Eo ivit Samſon.

V. 6. IRRUIT AUTEM SPIRITUS. Alii vertunt, *venit*, *tranſivit*, ſcilicet ſpiritus prophetiæ: ſic Hebræus, quia צלח *zalah* id ſignificat. Chald. *Et manſit ſuper eum ſpiritus fortitudinis*; id eſt, ſolito audacior evaſit Samſon. Tantumdem cap. XV. verſ. 14. NIHIL OMNINO, nulla ar-

ma habens. PATRI ET MATRI INDICARE, a quibus diverterat cum leoni occurrit, & illum occidit.

V. 7. LOCUTUS EST MULIERI, coram eius parentibus. QUAE PLACUERAT. Hebr. *Et recta fuit* (pro placuit.) Ante placuerat, & tunc magis placuit OCULIS EIUS. Hebr. *in oculis*: ſic Gotth. ſic Chald. at Septuaginta *coram Samſon*. Deinde voluit videre leonem quem occidit.

V. 8. IN ORE LEONIS, &c. Hebr. *In cadavere leonis erant*, ſcilicet apes. AC FAVUS MELLIS. Hebr. *& mel*. Sed mel cum cera erat, ideo favus erat.

V. 10. DESCENDIT ITAQUE PATER EIUS AD MULIEREM: Chald. *ad negotium mulieris*: ſcilicet ut nuptias pararet. ET FECIT FILIO SUO SAMSON CONVIVIUM. Hebr. *Et fecit ibi Samſon convivium*: ſic Sept. & Chald. Hieronymus ad patrem retulit feciſſe convivium; & *Samſon* in dativo eſſe putavit, addiditque de ſuo, *filio ſuo*. Alii in nominativo eſſe putarunt. SIC ENIM IUVENES FACERE CONSUEVERANT: ſcilicet cum nuptias celebrabant, faciebant convivium.

V. 11. CUM ERGO CIVES LOCI ILLIUS VIDISSENT ILLUM. Hebr. *Et fuit cum viderent eum*. Quod Hieronymus ad cives retulit, alii ad cognatos puellæ. Sept. *Cum timerent eum*. Verba videndi, & timendi affinia ſunt Hebr.

V. 12. PROPONAM VOBIS PROBLEMA, id eſt ænigma. DABO VOBIS.... SINDONES, id eſt *veſtes quibus noctu teguntur*, Hebræus. TUNICAS. Hebr. *mutatorias veſtes*.

V. 15. CUMQUE ADESSET DIES SEPTIMUS: nimirum quartus dies convivii erat, ex præcedenti verſu; ſed dies ſeptimus vocatur, id eſt ſabbatum. AN IDCIRCO VOCASTIS NOS. Hebr. additur *huc*: ſic Chald. Id hoc loco ſignificat הלא *halo*, ut Hebræus ait. Pagn. vertit *numquid non*? UT SPOLIARETIS? Hebr. *ad poſſidendum nos*, id eſt noſtra, *vocaſtis nos*?

V. 17. FLEBAT ANTE EUM, ſcilicet *uxor*: ſic Sept. Hebr. *ſuper eum*; ſed *ſuper* ſumitur pro *apud*, ut Gotth. habet; & pro *ante*, ut Noſter poſuit.

Verſ. 18. SI NON ARASSETIS IN VITULA MEA, pro *cum vitula mea*. Sic Hebræus *vitulam* pro uxore. Sic explicat Chald. *Ni inveſtigaſſetis in uxore mea*. Diſceſſit Samſon. Uxor accepit alium maritum.

V. 20. UNUM DE AMICIS EIUS EX PRONUBIS. Hebr. *Et fuit uxor Samſon ſocio eius, qui ſocietatem fecerat ei*: ſcilicet uni ex triginta ſodalibus, qui eum comitati erant, quos Hieronymus *pronubos* dixit.

MALVENDAE.

Verſ. 1. THAMNATHA. Vide quæ de hac urbe notavimus in Geneſ. XXXVIII. verſ. 12. Ioſue. XIX. verſ. 43. Fuit tribus Iudæ, vel Danis; ſed videntur eam Peliſthæi hoc tempore occupaſſe, ut ex hac hiſtoria Samſonis apparet.

V. 3. QUI INCIRCUMCISI SUNT. Hebr. *præputiati*: *præputium habentes*; id eſt, qui alieni ſunt a ſanctiſſimo Dei fœdere, ac proinde impuri, a quorum fœdere, coniugioque interdicebat lex. Exodi XXXIV. verſ. 12. uſque ad 16. & alibi. QUIA PLACUIT OCULIS MEIS. Hebr. *Ea enim recta videtur in oculis meis*. Explicant, quaſi dicat: Neque noſtrorum ſanctitatis, neque illorum impuritatis, & præputii rationem habeo in hac cauſa; ſed quædam ſingularis eſt vocatio, internuſque motus & impetus, quem opere demonſtrare malim, quam prædicare verbis. Sic inſpirationem Dei celavit Simſon, dum bruto adoleſcentiæ impetu ferri putabatur a parentibus.

V. 4. PARENTES AUTEM EIUS NESCIEBANT QUOD RES A DOMINO FIERET. Ii quidem ignorabant; ſed non ignorabat ipſe Simſon. ET QUAERERET OCCASIONEM CONTRA PHILISTHIIM. Exponunt aliqui; ſcilicet Iehova, qui volebat a Peliſthæis Simſoni iuſtam immicitiarum occaſionem dari. Etſi hæc ad Simſonem non incommode referri poſſunt, ut certa ſpiritus Dei teſtificatione Peliſthæam hanc mulierem depopoſcerit, & occaſionem rixæ quæſiverit. Nam erant quidem Simſoni multæ cauſæ, cur defenſionem populi ſui ſuſciperet, & inimicitias contra Peliſthæorum gentem exerceret: ſed occaſionem velut anſam præ-

beri

fieri oportuit, quam Spiritus Dei ex ſponſalibus, & ſponſione hac Simſoni oblatam voluit, ut paulatim ex privatis iniuriis publicæ actiones emergerent.

V. 5. Catulus leonis. Hebr. כפיר *cephir leonum*, vel *leænarum:* nam אריות *arioth* eſt plurale femineum. Hic primum vox *cephir* occurrit in ſacris libris. Aiunt eſſe *leonem*, ſcilicet *iuvenem*, *ſeu adoleſcentem*, qui deſiit eſſe catulus, nec tamen annos conſiſtentiæ, ſeu integram ætatem habet, a latibulis ſic dictus, quod intra ſpeluncas ſe adhuc continuerit, nec multum ſit foras progreſſus. Quidam notant, *cephir* eſſe leonem iuvenem, propter ætatem, & imperitiam inſolentiſſimum, & audaciſſimum, ac maxime temerarium, iuventutis fervore rabidum, & implacabilem, qui difficile cicurari poſſit, atque impetu, & firmiſſimis molaribus valens. Aliqui hic reddunt: *Et ecce adultus leonum*, id eſt integra ætate, firmiſſimiſque viribus, & ferocia maxima. Ego *leonem leænarum* intellexerim leonem qui nuper exierit e cura materna. אריה *arieh*, cuius hic plurale אריות *araioth* ponitur, decent eſſe *leonem maiorem & adultiorem*, *iam catulos habentem*, *& pro his prædam rapientem*, dictum a carpendo ſeu diſcerpendo.

V. 6. Irruit autem Spiritus Domini in Samson. Hebr. *Et perrumpet ſuper eum Spiritus IHUH*. Verbo צלח *tzalach* hanc vim ineſſe putant, *pervaſit*, *pertranſivit*, *profectus eſt*, *perrupit*, *inceſſit*, *libere*, *& valide*, *ac ſine impedimento vim ſuam exeruit*, *exertavit*, *profecit*, *proſpere egit*, *ſecundavit*, *ſucceſſum habuit*. Obſervant, hoc verbum in prima coniugatione quando de Spiritu Dei dicitur, ut hic, peculiari phraſi ſignificare eos qui tali ſpiritu a Deo ſunt præditi, alium longe & novum animum, nempe ſolertem, prudentem, pium, ſanctum, fortem, ac heroicum, alioſque motus præclaros indipiſci; ut illæ quidem virtutes ſtatim ſeſe exerant, declarent, perrumpant, & pervincant magnanimiter & ſtrenue, & perficiantur univerſa, quæ alioqui cum ingenii, tum corporis humani vires naturales præſtare non poſſunt, ut de Simſone hic, de Saule in regni ſui initio, de Davide, de prophetis & apoſtolis hiſtoriæ ſacræ teſtantur. Addunt, verbi huius operationem per ſpiritum, non ſolum ad internam ſpiritus immanentiam, & infuſionem referri; ſed potiſſimum ad externam exercitationem, & heroicæ virtutis opera, quæ internam & exuberantem vim ſpiritus demonſtrant, ſpectare, ut illud Geneſ. II. verſ. 7. *Et inſlavit in nares eius halitum viventem*. Vide ibi. Notant inſuper, quod ut verbum פעם *pagham*, *percutere*, ſpiritui tribuitur, qui puerilibus, & nondum maturis ſignis ſeu miraculis ſe prodit: unde hoc verbum ſacer Auctor Simſoni pene puero, & nondum in maioribus functionibus conſtituto adſcripſit ſupra cap. XIII. verſ. 25. ita verbum *tzalach* de ſpiritu dicitur, qui publice, & in negotiis publicis & arduis ſe exerit, & virtutem ſuam ſplendide, & heroice declarat: ac proinde Samſoni iam adulto (ut ſpiritus ſuos etiam progreſſus & ſua incrementa habet) hic attribuitur, quo perrumpit, & pervincit omnia, & heroica ac ſtupenda facinora deſignat: & quidquid in vocatione ſibi a Deo demandata attentat, & aggreditur, potentiſſime perficit, & eo quo volebat, perducit. Addunt, in eiuſmodi phraſi cum verbum *tzalach* de ſpiritu Dei dicitur, tum fere conſtrui cum præpoſitionibus על *ghal*, *ſuper*, & אל *el*, *ad*: idque non temere, ſed certo conſilio: nimirum ut oſtendat Scriptura, illum ſpiritum, & eam energiam ſeu virtutem non ipſorum virtutibus eſſe partam, aut comparatam; ſed cælitus immiſſam, & inditam; & totam Deo acceptam ferendam. Sic infra verſ. 19. Vide I. Samuel. XVI. verſ. 13. Et hoc patri et matri noluit indicare. Nam illi vel ad leonis rugitum fuga ſibi conſuluerant, vel Simſon a parentibus in itinere digreſſus fuerat, ita ut ipſis abſentibus leonem diſcerpſerit: non autem eis indicavit, vel ut iactantiam fugeret, vel ne ab eis increparetur temeritatis nomine. Notant, totam hanc de interfecto leone hiſtoriam eo pertinere, ut Simſon præparetur ad ſuſcipiendas Peliſthæorum inimicitias, viribus ſibi a Deo ſubminiſtratis fretus: & ut argumentum ſuppeditaretur ænigmatis, cuius nomine Peliſthæi Simſonem provocarunt, infra verſ. 16.

V. 7. Descenditque, et locutus est mulieri. Quidam exponunt: *Et locutus eſt de muliere*; id eſt, Samſon ver-

Digitized by Google

verba habuit de muliere apud parentes illius, ut ſibi eam elocarent. Alii, duo priora verba huius verſus, non ad Samſonem, ſed ad patrem eius referunt: *Interea deſcendit*, pater, *& allocutus eſt feminam illam, quæ recta videbatur in oculis Scimſconis.*

V. 8. ET POST ALIQUOT DIES REVERTENS. Hebr. *Et reverſus fuit a diebus*, aliqui Hebræorum exponunt, *poſt annum*: quod tempus olim puellis deſponſis dari ſolitum tradunt ad paranda ornamenta nuptialia. Vide Gener. XXIV. verſ. 55. Sic infra cap. XXVII. verſ. 10.

V. 11. CUM ERGO CIVES LOCI, &c. Recte hunc verſum paraphraſtice reddidit. Hebr. *Fuit autem, cum Peliſtæi viderent eum, ut aſſumerent triginta ſodales, qui eſſent cum eo.* Id eſt, cum animadverterent quid hominis eſſet, ſive qualis, quantuſve is eſſet; cum obſervari putarunt a ſuis oportere: atque ei triginta ſocios æquales adiunxerunt, honoris quidem ſpecie, ſed cautionis ergo, quod a Simſone ſibi metuendum eſſe ſuſpicarentur. Ioſephus: *Thamnitæ, quod vires eius haberent ſuſpectas, honoris ſpecie triginta aſſeclatores ex æqualium numero iuvenes adhibent, iuſſos obſervare ni quid auderet.*

V. 12. QUIBUS LOCUTUS EST SAMSON. Prudenter iniuriam, quæ ſibi fiebat, diſſimulans, & conviviales ſermones iniiciens. PROPONAM VOBIS PROBLEMA. Hebr. diverſimode convertunt. I. *Ænigmatizabo nunc vobis ænigma*, ſive *proponam vobis ænigma*, vel *ænigmatice nunc vobis loquar ænigma*. II. *Acuam, acuminabo, obſecro*, ſeu *nunc vobis acumen*. Aiunt, verbum חוד *chud* eſſe *acuere, acuminare*, id eſt acute dicere, loqui, proponere ænigma, ſeu problema: & nomen חידה *chidah, acumen, acute & argute dictum, ænigma, problema, obſcure dictum*: quod requirit acumen ingenii cum ad eius compoſitionem, tum ad declarationem & elucidationem. Vide Numer. XII. verſ. 8. Sic infra verſ. 13. TRIGINTA SINDONES. Hebr. סדינים *ſedinim*. Non eſt dubium ab Hebraica voce סדין *ſadin*, factam Græcam, & Latinam *ſindon*, eodem ſignificatu. De ſindone, quid eſſet, plures diſſeruere. Errant Lazarus Bayſius, & Henricus Stephanus, aliique, qui volunt ſindones dictas ab urbe Sidon, ubi eæ veſtes conficerentur: cum urbs *Tzidon* Hebræis ſcribatur cum Tzade; at *ſindon*, vel *ſadin*, cum Samech. Veſtis formam habuiſſe plerique exiſtimant. Pollux Lib. VII. cap. XVI. *Sindon quidem eſt Ægyptiaca.* Martialis Lib. IV. epigramate XIX.

Ridebis ventos hoc munere tectus, & imbres:

Non ſic in Tyria ſindone tutus eris.

Nonnulli hinc volunt fuiſſe veſtem calidam, & adverſus frigus comparatam, ſimilem ei quam Hiſpani vocant *chamarram*, aut *biberno*, ſeu *ropa de levantar*. Sed in Martiale plures legunt *cultus eris*. Sindonem ex lino fuiſſe, non eſt dubium. Gloſſæ: *Sindon, tunica, lintea.* Et Herodotus *ſindones byſſinas* appellat. S. Iſidorus XIX. Originum, cap. XXV. *Anobaladium, amictorium lineum feminarum, quo humeri operiuntur: quod Græci & Latini ſindonem vocant.* Tenuem & ſubtilem fuiſſe, Thucydides Lib. II. ſatis indicat, cum de morbo Attico inquit: *Intus vero tanto æſtu fervebat, ut nec tenuiſſimas veſtes, aut ſindones, aut aliud quidquam, niſi nuditatem ſuſtineret.* Ego auctorum locis probe perpenſis, ſindonem non aliud fuiſſe putem quam lectorum veſtem ſtragulam e lino, quam Hiſpanice *ſavanam*, aut *ſabanam* vocamus. Et facile aſſentietur qui Evangeliorum loca de ſindone, Matthæi XXVII. verſ. 59. Marci XIV. verſ. 51. & cap. XV. verſ. 46. Lucæ XXIII. verſ. 53. Ioan. XIX. verſ. 40. attente conſideraverit. Facit & locus Diogenis Laertii Lib. VI. de Cratete Thebano. *Ab Athenienſibus arguebatur quod ſindone amiciretur: quibus ille: Theophraſtum, inquit, oſtendam vobis opertum ſindone. Non credentibus, induxit illos in tonſtrinam, ubi ille tondebatur, oſtenditque lino coopertum.* Martialis Lib. II. epigramate XVI.

Zoilus ægrotat: faciunt hanc ſtragula febrem:

Si fuerit ſanus, coccina quid facient?

Quid torus a Nilo, quid ſindone tinctus olenti?

Oſtendit ſtultas quid niſi morbus opes?

Illud, *Sindone tinctus olenti*, de ſindone unguento tincta interpretor. Vocem *Sabanam* Hiſpanis uſurpatam, quidam Punicam eſſe putant: Græcam eſſe notat S. Iſidorus Lib. XIX. Originum, cap. XXVI. Uti-

tur

tur ea neutro genere, *ſabanum*, *ſabana*, S. Victor Uticenſis Lib. III. Perſecutionis Vvandalicæ: & priſci Medici. Vide Appendicem Henricianam. Gloſſæ, Σάβανον, *ſabanum*, *lencium*. Hiſpanice dicimus *lienço*, vel *lenzuelo*. Valentine *llançol*. Rabbini quoque *ſobeni* dicunt. Atque hic Hiſpanicus Interpres *ſavanas* vertit. Alii *induſia*, ſeu *camiſias* intelligunt.

V. 13. Ut audiamus. Quidam reddunt: *Et intelligemus illud*; id eſt, explicationem afferendo, oſtendemus nos intelligentes eſſe. Sic accipi verbum *audiendi* pro eo quod eſt *intelligere*, notant Geneſ. XLI. verſ. 15. Vide ibi.

V. 14. Per tres dies. Exponunt, quibus ſe ipſos in invenienda ſuo marte ænigmatis explicatione fatigarunt: quam ob rem deinceps apud uxorem inſtiterunt.

V. 15. Cumque adesset dies septimus. Hebr. *Et fuit in die ſeptima*. Aliqui exponunt, *in die ſeptima*, non convivii, ſed hebdomadæ, quæ erat quarta convivii, & propoſiti ænigmatis: inciderat enim ſabbatum die quarto convivii. Sed hoc eſt divinare. Vide infra verſ. 17. Dixerunt ad uxorem Samson, proculdubio cum vehementia, & indignatione maxima. Blandire viro tuo. Vim verbi פתה *patha*, ſatis expendimus Geneſ. IX. verſ. 27. Hic reddunt: *Pellice*, *allice*, *perſuade*, *induc*, *ſeduc*, *lacta*, *illecta*, *virum tuum*; id eſt, blandis, allubeſcentibus, & phaleratis verbis perſuade viro tuo. Ut indicet tibi. Hebr. *Ut enuntiet nobis*; hoc eſt, ut explicet tibi, ut ex te intelligamus explicationem: ſic verſ. 18. vel *ut indicet tibi, & poſtea renunties nobis*: aut *indicet propter nos, ut poſtea reſciamus a te*. An idcirco vocastis nos ad nuptias, ut spoliaretis? Hebr. *An ad hereditandum*, vel *poſſidendum nos, vocaſtis nos, an non?* vel *an ut poſſideretis nos?* id eſt ſubſtantiam noſtram, nimirum abductis a nobis triginta ſindonibus, & mutatoriis veſtibus? Quidam: *An ad hereditatem noſtram conſequendam invitaſtis nos, nec ne?* Alii: *An vero nos huc vocaſtis, ut ad inopiam nos redigeretis?* Nec prorſus abſurde reddes: *An ad exhereditandum, ſpoliandum nos, vocaſtis nos, num non?*

V. 7. Septem igitur diebus convivii: nimirum illis de quibus ſupra verſ. 12. & 15. ſed hic ſynecdochice ſunt accipiendi pro maiori parte, id eſt totos quatuor dies convivii. Porro præteritum illud perfectum, *Et flevit apud eum ſeptem diebus, quibus fuit eis convivium*, quidam pro pluſquam perfecto capiunt: *Sic fleverat apud eum ſeptem illis diebus, quibus*, &c. Ceteræ expoſitiones frigent. Cum ei esset molesta. Hebr. vario interpretantur: 1. *quia anguſtiis affecit eum*; 2. *quia coegit eum*; 3. *quia impulit, compulit, eum*; 4. *quia coarctavit, preſſit eum, preſſuram fecit ei*; 5. *quia extorſit ei*; 6. *quia expreſſit ei*. Vide notationem verbi צוק *tzok* Deuteron. XXVIII. verſ. 53.

V. 18. Si non arassetis in vitula mea, &c. Exponunt: Niſi uxoris meæ opera uſi fuiſſetis, non potuiſſetis invenire ſolutionem ænigmatis mei. Alii: *Niſi rem cum uxore mea habuiſſetis*, &c. Verbum *arandi* pro re venerea capi etiam apud Latinos, illud Plauti oſtendit: *Fundum alienum arat*. Senſus omnino improbandus; cum non coitu, ſed minis cum ea egerint. Nonnulli: Id eſt, niſi, ut ruſtici iuvencæ opera arando, quæ ſub terra latebant, retegunt, vos ſponſæ meæ opera quæ in animo meo latebant, ſcrutati fuiſſetis, non inveniſſetis, &c. Allegoria, quæ perſtringit ſponſæ perfidiam & illorum fraudem.

V. 19. Quorum ablatas vestes dedit iis qui problema solverant. Hebr. *Et accepit* חליצות *chalitzoth eorum, & dedit mutationes explicatoribus ænigmatis*. Vocem *chalitzoth* exponunt *extractiones*, *exuvias*. Hiſpanicus Interpres *deſpoios*. Alii a חלצים *chalatzaiim*, *lumbis*, deducunt, exponuntque *lumbalia*, ſeu *lumbaria*: nimirum vel armaturas lumborum, quæ muniunt lumbos, vel cincturas lumborum, hoc eſt veſtes, ſeu zonas, aut balteos, quibus lumbi accinguntur. Quidam *paludamenta* vertunt, quo modo accipi volunt II. Samuel. II. verſ. 21. Nonnulli *mutatoria* reddunt, nempe veſtes mutatorias, ſic dictas quod eas quis induat aliis exutis, & detractis. Sed quod hic nulla ſindonum ſuperius verſ. 12. pactarum mentio, quidam ſynecdochice cum mutatoriis comprehenſas intelligunt: *Et dedit mutandas veſtes, cum ſindonibus*. Alii detractas de pacto, & non datas ſindones a Samſone putant; quod illi non proprio marte, ſed

frau-

fraude, & opera uxoris ænigmatis enodationem extorſiſſent. Nonnulli divinant, illos difficultate exponendi ænigmatis æſtuantes, de minori præmio tantum, nempe de ſolis veſtibus poſtea cum Samſone conveniſſe. Ego exiſtimo ſindones non datas, quia ab interfectis haberi non potuerint, quod eæ ſint ſtragulæ potius lectorum domeſticorum veſtes: & plus iuſto mutatoriis ſolis, fraudulentis ænigmatis explanatoribus ſatisfactum. IRATUSQUE NIMIS adverſus uxorem ſuam, & adverſus illos ſodales ſuos doli fabricatores; & quia res non ipſi ex voto ſucceſſerat in propoſitione ænigmatis, ASCENDIT IN DOMUM PATRIS SUI, non deducta ſecum ſponſa, ut e verſu ſequente patet.

V. 20. UXOR AUTEM EIUS. Hic verſus Hebraice ita concipitur: *Et fuit uxor Samſonis ſodali eius, quem familiariter aſſociaverat ſibi*. Alii: *Qui ſocius fuerat ei*; id eſt, nupſit uxor Samſonis illi, quem ſibi adiunxerat familiarem, ſocium ac comitem; hoc eſt, viro qui antea erat cariſſimus Samſoni. Et quia verbum רעה *raghah paſcere* quoque ſignificat, aliqui Hebræorum reddunt: *Qui paverat eum*; id eſt, qui convivium paraverat, & curaverat, qui præſes convivii fuerat. Quidam reddunt: *Quapropter fuit uxor Samſonis*. id eſt nupſit: ſic Numer. XXXVI. verſ. 3. *ſodali eius*, ex illis triginta numeratis ſupra verſ. II. *quem ſibi in ſodalem adſciverat*, id eſt in pronubum, ſive ut LXX. vertunt, *nymphagogon*, cum uxorem ducturus eſſet. Hunc ſenſum Noſter expreſſit, cum ait: *Unum de amicis eius, & pronubis*. Dicti ſunt iſti veteribus *ſimpulones*, vel *ſimplones*, a *ſimpulo*, ſeu *cyatho*. Fulgentius de Priſco Sermone: *Simplones dicuntur convivæ: nam & amicus ſponſi, qui cum eo per convivia ambulat, Simplator dicitur. Succius Piſcatoria*:

Summates viri facti ſunt ſimpulones ganei.

Eſt autem ganeum taberna. Gloſſæ Iſidori: *Simpulator, conviva; amicus ſponſi, aſſiduus cum eo in convivio*. Hinc facile diſces quis iſte ſodalis, amicus, pronubus, nymphagogus Samſonis fuerit; & quis intelligatur *amicus ſponſi*, Ioan. III. verſ. 29. Hunc nos Hiſpani appellamus *padrino del novio, o de la boda*.

MENOCHII.

Verſ. 1. IN THAMNATHA, quæ oppidum fuit in tribuum Iuda, Dan, & Ephraim confinio, verſus mare mediterraneum, in via inter Ptolemaidem & Gazam, cuius mentio Geneſ. XXXVIII. Ioſue XV. II. Paralip. XXVIII. I. Mach. IX.

V. 2. QUAM QUAESO MIHI ACCIPIATIS UXOREM. Communior ſententia Samſonem a peccato liberat, vel quia nolebat uxorem illam ducere, niſi fieret proſelyta Iudaicis ſacris ſuſceptis; vel quia divina inſpiratione agente illius nuptias affectabat, quæ ratio ſolidior eſt, & ſignificatur in textu num. 4. ſequenti.

V. 3. NUMQUID NON EST MULIER? &c. Poſtulatum Samſonis parentes eius reiiciunt, quia Deuter. cap. VII. & Exod. XXXIV. lex erat, qua vetabantur omnia Iſraelitarum connubia cum Chananæis.

V. 4. QUAERERET OCCASIONEM. LXX. habent *ἐκδίκησιν, vindictam*.

V. 5. CUM PATRE SUO ET MATRE, &c. qui neſciebant quidem initio Dei conſilium, & voluntatem, poſtea tamen vel interiore afflatu, vel externo aliquo indicio facti illius certiores, filii poſtulatis annuerunt. APPARUIT CATULUS LEONIS, &c. Samſoni tantum occurrit leo: quamvis enim iter ſimul cum parentibus eſſet ingreſſus, tamen vel ſolus præceſſit, vel ſubſtitit, tuncque leonem obvium habuit, quod textus indicat cum ait, *Occurrit ei*, non *eis*, & quæ ſecuta ſunt oſtendunt.

V. 6. SPIRITUS DOMINI, audaciam, & fortitudinem augens. ET HOC PATRI ET MATRI NOLUIT INDICARE. Viri enim fortes minime ſunt iactabundi, nec quæ patrant facinora, prædicare ſolent.

V. 7. LOCUTUS EST MULIERI. LXX. in plurali *ἐλάλησαν, locuti ſunt*, Samſon ſcilicet, & parentes eius.

V. 8. EXAMEN APUM IN ORE LEONIS ERAT. Apes illæ fortaſſe ex eodem putri leonis cadavere natæ ſunt, quemadmodum ex bove naſci certum eſt: & quamquam apes munditiæ ſtudioſæ ſunt, & tetrum odorem refugiunt; tamen cum ex eo ebulliiſſent, minus mirum, ſi in eius ore mellificarunt, præſertim ſi aridum

dum iam erat cranium, & carnibus nudatum.

V. 10. Descendit... pater eius ad mulierem, &c. Cur ſolus ad ſponſam deſcendiſſe dicatur pater, putat Arias cauſam fuiſſe quod ante convivium paratum, viri, ſponſarum domos frequentare non ſolerent. Abulenſis putat, patrem tamquam præcipuum nominari, ſed cum eo etiam Samſonis matrem deſcendiſſe. Sic enim iuvenes facere conſueverant. Patet convivium inſtruxerat; hic tamen quaſi illius auctor exprimitur Samſon, quia illius cauſa, & nomine a patre paratum eſt.

V. 11. Dederunt ei sodales, triginta, ut essent cum eo. Hi ſocii in Scripturis vocantur aliquando *amici*, vel etiam *filii ſponſi*: Matth. IX. 15. Marci II. 19. Ioan. III. 29. Interpres noſter hoc capite num. 20. vocat *pronubos*, quos Ioſephus dixit νυμφοστόλους, & ἑταίρους. Hi ergo ſocii ſponſis iungebantur, ut nuptiarum lætitiam excitarent, illiſque adeſſent honoris cauſa.

V. 12. Problema, ænigma, gryphum. Intra septem dies convivii. Septem enim diebus, hoc eſt hebdomada una, nuptiæ celebrabantur. Hæc eſt hebdomas illa dierum qua Liæ nuptiæ celebratæ ſunt Geneſ. XXIX. 27. Triginta sindones, ſingulis nimirum unam. Totidem tunicas. In Hebræo eſt *mutationes veſtium*, ſive per hypallagen, *veſtes mutationum*, ſive *mutatorias*. De veſtibus mutatoriis dixi in OEconomicis Lib. II. cap. XVII. num. 2. eas eſſe quas apud ſe habere ſolent nobiles viri, & elegantioris cultus ſtudioſi, quas ſubinde mutant cum aliis communioribus, ne ſordes contrahant.

V. 13. Propone problema, &c. quaſi dicant: Accipimus conditionem, propone ænigma.

V. 15. Cumque adesset dies septimus. Tres dies nodi ſolutionem quæſierat: quomodo ergo dicitur cum adeſſet dies ſeptimus? Reſpondeo, diem ſeptimum hic appellari diem ſabbati. Ita Lyranus, Abulenſis, Vatablus, & alii. Vel *τὸ adeſſent* ſignificat appropinquaret. Ita idem Abulenſis, & Arias. Serarius ait, Hebræa ſic verti poſſe: *Et fuit in diebus ſeptem*, ſeu *intra dies illos ſeptem*. Fortaſſe tribus diebus ſolutione quæſita, & non inventa, deſperarunt; ſed cum adeſſet dies ſeptimus, ſubiit conſilium de arcano per Samſonis uxorem cognoſcendo.

V. 17. Septem.... diebus convivii flebat ante eum, omnibus qui poſt tertium illum nuptialis convivii diem reſidui erant, quarto ſcilicet, quinto, ſexto, & ſeptimo. Sic etiam explicat Lyranus, cum ait: *Septem diebus, id eſt maiore ſeptem dierum parte*.

V. 18. Si non arassetis in vitula mea. Locutio adagialis. Illi dicuntur aliena vitula ærare, qui rebus alienis ad ſuum commodum utuntur. Vide Serarium hic, & Martin. del Rio adagial. CLXII.

V. 19. Descendit Ascalonem. *Aſcalon* eſt urbs Philiſthæorum, cuius mentio non infrequens in ſacris litteris. Percussit ibi triginta viros. Videtur in urbe potius ipſa palam & aperte occidiſſe, quam in agro, aut in via more latronum inſidiantium: nec diverſis vicibus ſingulos, aut pauculos, ſed ſimul omnes, nam roboris adeo magni ſpecimen non fuiſſet ſingulos interimere. Allatas vestes dedit eis. Sindones, & tunicæ propoſitum fuerat victoribus præmium; ſed iam tantum tunicas dediſſe videtur Samſon: quod etiam clarius habetur ex textu Hebraico. *Et accepit*, inquit, *Samſon ſpolia, ſeu exuvias, & dedit mutationes iis qui explicarant ænigma*. Reſpondeo, per tunicas intelligi etiam ſindones per ſynecdochem: vel certe Samſonem detraxiſſe iis alterum, quia non ſuo marte & ingenio ænigma evolverant.

V. 20. Unum de pronubis. Vide dicta hoc cap. num. 11.

T I R I N I.

Verſ. 3. Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis. Hebraice, & Græce: *Quia hæc recta eſt in oculis meis*. Recta, inquam, ad finem mihi a Deo propoſitum aſſequendum: placetque mihi non quoad corporis ſpeciem dumtaxat, ſed quo ad quæſitam etiam populi mei libertatem, ac rixæ, & inde vindictæ occaſionem. Sciebat enim Samſon ſeu monitu Angeli, ſeu interno Dei inſtinctu, divinam eſſe

voluntatem, ut hanc ex Philiſthæis uxorem poſceret, ut indicatur verſ. 4. & explicant S. Ambroſius *a*, Caietanus, Arias, & ex hæreticis Vermilius, Chytræus, & Tremellius. Diſpenſabat ergo hic Deus in lege de alienigena non ducenda *b*, neque peccabat Samſon alienigenam expoſcendo. Parentes tamen non tenebantur primo ſtatim initio fidem habere filio, hoc Deo placitum eſſe aſſerenti: ſed cum tandem ſua conſtantia, aliiſque argumentis plenam parentibus fidem eius rei feciſſet, nec iuſtam ultra haberent anſam de filii vanitate, aut falſiloquentia metuendi, deſiderio illius. & divino nutui obſecuti ſunt. Ita Abulenſis. Addit Guilielmus Alabaſter *c*, legem illam quæ Iudæorum cum alienigenis nuptias vetabat, myſtice per leonem deſignatam, & a Samſone dilaceratam fuiſse verſ. 6. Dilaceratam, inquam, quoad verba, & mel, id eſt ſpiritalem ſenſum, & fructum inde collegiſse.

V. 18. QUID DULCIUS MELLE, QUID FORTIUS LEONE? Addit ex Ioſepho S. Ambroſius, ſubieciſse Samſonem: *Quid muliere perfidioſius?* SI NON ARASSETIS IN VITULA MEA; id eſt, ſi non inveſtigaſsetis aſtutia, & dolo explicationem ænigmatis mei ex uxore mea, quæ iuvenili laſcivia, imprudentia, & inconſtantia ſua ſecretum ut proderetur eſfecit; numquam id aſsecuti fuiſsetis.

Nota, ſolere etiam naturaliter apes enaſci ex boum peremptorum cadaveribus, teſte Democrito, & Magone, & aliis apud Columellam *d*, item Plutarcho, Virgilio, Ovidio, & Euſebio *e*: quidni potuerint & ex leonis cadavere ſubnaſci, maxime ſi dicamus, vim divinam concurriſse ad materiam myſterio ſubminiſtrandam? Allegorice enim S. Auguſtinus *f* per mortuum leonem intelligit Chriſtum mortuum, e quo & examen apum, ſeu Chriſtianorum, & nobiliſſimum redemptionis humanæ, & dulciſſimum Euchariſtiæ mel prognatum eſt.

V. 19. IRATUS NIMIS SAMSON, nimirum & uxori ſuæ, a qua neſarie proditus; & ſodalibus, a quibus vafre circumventus fuerat; & civitati toti, a qua prætextu honoris fuerant ei dati tales nuptiarum ſocii, & tam egregii ſimplones: ſic enim tales vocat Fulgentius *g*, forte a συμπολεῖν, *circuire*, quod cum ſponſo menſas, & convivia toto nuptiarum tempore ſimul obirent. Hos Scriptura nunc *amicos b*, nunc *filios ſponſi i*, nunc *filios nuptiarum k* vocat: & Arias dicit, *toto nuptiarum tempore ab omni publico onere, atque etiam ab indicto ieiunio immunes fuiſſe*: & Chriſtum huc alluſiſse, cum Matth. IX. dicit: *Numquid poſſunt filii ſponſi lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus?* Et ſunt iſti iidem quos verſ. ſeq. Noſter vocat *pronubos*.

Allegorice verus Samſon Chriſtus propter perfidiam iratus ſynagogæ, merito illam deſeruit.

(*a*) S. Ambr. initio Lib. II. de Spiritu ſancto, & epiſt. lxx.
(*b*) Num. xxxvi.
(*c*) Alabaſter cap. xvii. Apparatus.
(*d*) Columella Lib. IX. cap. xiv.
(*e*) Plutarch. in Cleomene. Virg. IV. Georgicor. Ovid. Lib. XV. Metamorph. Euſeb. in Chronico de Eumelio.
(*f*) S. Auguſt. ſerm. cxvii. de Temp.
(*g*) Fulg. Lib. de Priſcis verbis.
(*h*) Ioan. III. verſ. 29.
(*i*) Matth. IX. verſ. 15.
(*k*) Marc. II. verſ. 19.

GORDONI.

Verſ. I. THAMNATA, vicus prægrandis verſus mare mediterraneum inter Ptolemaidem & Gazam, Ioſue xv. verſ. 2. At vetantur cum Chananæis coniugia, Exod. xxxiv. & Deut. vii. Philiſthæi erant Chananæi; ſed putandum eſt hoc actum Deo inſpirante, ut clare habetur ex verſ. 4.

V. 5. APPARUIT CATULUS LEONIS. Variis vocibus Hebræi leonem ſignificant: in præſentia eſt *chephir araioth* כפיר אריות, *leo leonum*: deſignat catulum. Eſt enim nomen ארי *ari*, leo maior; אריים, leones, plur. maſc.

V. 8. POST ALIQUOT DIES REVERTENS. Non poſt annum, ſed poſt paucos dies invenit examen apum, & favum mellis. Sane novem dies ſufficere putantur ad apum generationem e cadavere. Ovid. XV. Metamorph. De putri viſcere paſſim, florilegæ naſcuntur apes; & præſertim e boum corporibus: unde βουγόνες nominantur.

V. 11. SODALES: ſpecie quidem honoris, ſed revera (quia timebant eum) dati cuſtodes.

V. 15. & 18. CUMQUE ADESSET

DIES

Digitized by Google

DIES SEPTIMUS. Septuag. *Cum prope eſſet*. Mariana putat eſſe convivii diem quartum, quo hoc factum eſt. Brevi ſucceſſit dies ſeptimus convivii, ex verſ. 18. ubi vitulam pro uxore ponit. Abeunte Samſone, uxor accepit alium maritum (verſ. 20.) unum ex triginta ſodalibus, quos Noſter pronubos hic vocat.

℣. 18. & 20. UXOR AUTEM EIUS. Samſon proditus ab uxore in problemate, & timens ſibi a ſociis datis, & oppidanis, poſt cædem Aſcalonitarum, redit iratus in patriam. Triginta illi ſocii, hic vocantur amici, & pronubi: quorum uni nupſit uxor iſta Samſonis; at verſ. 18. *vitula*, quia iuvenis. Vide I. Reg. 11. verſ. 3.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

℣. 17. SEPTEM.... DIEBUS, hoc eſt omnibus qui poſt tertium, vel quartum nuptiarum ſupererant. Vide Lyranum.

℣. 18. SI NON ARASSETIS IN VITULA, &c. Proverbialis locutio.

℣. 19. *Aſcalon*, urbs Philiſtinorum.

CAPUT XV.

Per vulpium multitudinem Samſon Philiſthæorum ſegetes incendit; & fractis funibus quibus ligatus erat, mille Philiſthæos aſini maxilla proſtravit, e cuius dente molari aquæ ſitienti fluxerunt.

1. POſt aliquantulum autem temporis, cum dies triticeæ meſſis
inſtarent, venit Samſon, inviſere volens uxorem ſuam, &
attulit ei hædum de capris. Cumque cubiculum eius ſolito
vellet intrare, prohibuit eum pater illius, dicens: 2. Puta-
vi quod odiſſes eam, & ideo tradidi illam amico tuo: ſed
habet ſororem, quæ iunior & pulchrior illa eſt, ſit tibi
pro ea uxor. 3. Cui Samſon reſpondit: Ab hac die non
erit culpa in me contra Philiſthæos: faciam enim vobis mala. 4. Perrexitque
& cepit trecentas vulpes, caudaſque earum iunxit ad caudas, & faces ligavit in
medio: 5. quas igne ſuccendens, dimiſit, ut huc illucque diſcurrerent. Quæ ſta-
tim perrexerunt in ſegetes Philiſthinorum. Quibus ſuccenſis, & comportatæ iam
fruges, & adhuc ſtantes in ſtipula, concrematæ ſunt, in tantum, ut vineas quo-
que & oliveta flamma conſumeret. 6. Dixeruntque Philiſthiim: Quis fecit hanc
rem? Quibus dictum eſt: Samſon gener Thamnathæi: quia tulit uxorem eius,
& alteri tradidit, hæc operatus eſt. Aſcenderuntque Philiſthiim, & combuſſe-
runt tam mulierem quam patrem eius. 7. Quibus ait Samſon: Licet hæc feceri-
tis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, & tunc quieſcam. 8. Percuſſit-
que eos ingenti plaga, ita ut ſtupentes ſuram femori imponerent. Et deſcendens
habitavit in ſpelunca petræ Etam. 9. Igitur aſcendentes Philiſthiim in terram
Iuda, caſtrametati ſunt in loco, qui poſtea vocatus eſt Lechi, id eſt maxil-
la, * ubi eorum effuſus eſt exercitus. 10. Dixeruntque ad eos de tribu Iuda:
Cur aſcendiſtis adverſum nos? Qui reſponderunt: Ut ligemus Samſon, venimus,
& reddamus ei quæ in nos operatus eſt. 11. Deſcenderunt ergo tria millia vi-
rorum de Iuda, ad ſpecum ſilicis Etam, dixeruntque ad Samſon: Neſcis quod
Philiſthiim imperent nobis? quare hoc facere voluiſti? Quibus ille ait: Sicut fe-
cerunt mihi, ſic feci eis. 12. Ligare, inquiunt, te venimus, & tradere in ma-

Digitized by Google

nus Philiſthiinorum. Quibus Samſon, Iurate, ait, & ſpondete mihi quod non occidatis me. 13. Dixerunt: Non te occidemus, ſed vinctum trademus. Ligaveruntque eum duobus novis funibus, & tulerunt eum de petra Etam. 14. Qui cum veniſſet ad locum Maxillæ, & Philiſthiim vociferantes occurriſſent ei, irruit Spiritus Domini in eum: * & ſicut ſolent ad odorem ignis lina conſumi, ita vincula quibus ligatus erat, diſſipata ſunt & ſoluta: 15. Inventamque maxillam, id eſt mandibulam aſini, quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros, 16. & ait: In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum, delevi eos, & percuſſi mille viros. Cumque hæc verba canens compleſſet, proiecit mandibulam de manu, & vocavit nomen loci illius Ramathlechi, quod interpretatur elevatio maxillæ. 18. Sitienſque valde, clamavit ad Dominum, & ait: Tu dediſti in manu ſervi tui ſalutem hanc maximam atque victoriam: en ſiti morior, incidamque in manus incircumciſorum. 19. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ. Quibus hauſtis, refocillavit ſpiritum, & vires recepit. Idcirco appellatum eſt nomen loci illius, Fons invocantis de maxilla, uſque in præſentem diem. 20. Iudicavitque Iſrael in diebus Philiſthiim viginti annis.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 9. *Ubi eorum effuſus eſt exercitus*. Alii pro compoſito *effuſus* ſcribunt ſimplex *fuſus*.

V. 14. *Et ſicut ſolent ad odorem ignis lina conſumi*. Legendum potius eſt *odorem*, quod eſt odorante igne, quam *ardorem*, quod eſt ardente, ſeu comburente igne. Porro *ligna* ſcriptum ab aliis pro *lina*, nullius eſt auctoritatis: non enim ita facile ligna ab igne conſumuntur, ut ſtuppea lina.

N o t a t i o.

V. 14. Pleraque exemplaria legunt: *Et ſicut ſolent ad odorem ignis ligna conſumi, ita vincula, quibus ligatus erat, diſſipata ſunt & ſoluta*. Duo autem Hentenii, & ex noſtris octo, cum textibus qui Gloſſæ ordinariæ, & Toſtato adiecti ſunt: *Et ſicut ſolent ad ardorem ignis ligna conſumi, ita &c.* Regium: *Et ſicut ſolent ad ardorem ignis lina conſumi, ita &c.* Manuſcriptum K notatum habet in margine *lina*. Alterum S notatum ita in textu ſcribit, ut *linæ* legere poſſis, *ligna* non poſſis. Veriſimile omnino eſt, non *ligna*, ſed *lina* ſcribendum eſſe: nam & Hebræi codices, & Græci, atque Chaldæi ita habent, quibus nec ea eſt vocum *lina* & *ligna* ſimilitudo, ex qua error irrepſiſſe videtur. Ioſue ſecundo capite verſ. 6. legitur וַתִּטְמְנֵם בְּפִשְׁתֵּי הָעֵץ, *& abſcondit eos in linis ligni*: id quod Interpres noſter expoſuit: *Operuitque eos ſtipula lini*. Accedit quod ad odorem ignis ligna conſumi non ſoleant, neque ad ardorem niſi ſenſim, id quod huius loci ſimilitudini non convenit. Itaque probandum videtur, quod Complutenſia, & Clariana Biblia legunt *lina*: ſed an *ardorem* legendum ſit, quomodo eadem Biblia cum aliis quibuſdam habent, an *odorem*, non ſatis liquet. Hebraice legitur: *Et fuerunt funes qui ſuper brachiis eius, tamquam lina quæ arſerunt in igne, & diſſoluta ſunt vincula eius de manibus eius*. Noſter Interpres ſenſum eleganter reddidit. Quod autem dixit: *Sicut ſolent lina conſumi*, ei reſpondere videtur quod Hebraice eſt כַּפִּשְׁתִּים אֲשֶׁר בָּעֲרוּ *ſicut lina quæ arſerunt*: quod addidit, *ad ardorem*, aut *odorem ignis*, illi בָּאֵשׁ, *in igne*. Itaque quod Hebraice dicitur *in igne*, expoſuit *ad ardorem*, aut *odorem ignis*: quapropter ex Hebræo vera lectio colligi non poſſe videtur. Verum pro eo quod in Hebræo eſt כַּפִּשְׁתִּים אֲשֶׁר בָּעֲרוּ בָאֵשׁ, Græcis codicibus legitur ὡσεὶ στυππίον, aut στυππεῖον ὅταν ὀσφρανθῇ πυρός, *ſicut ſtuppa quando olfecerit ignem*. An igitur בָּעַר *odorari* ſignificet, ut hinc Latinis codicibus *odoris* ſit mentio? an potius Græci codices ex verſu ſequentis capitis nono, aut aliunde corrupti ſint? poſitionem namque בער huius ſignificationis eſſe non comperi. Sane alter, ut minimum, Vaticanorum codicum, ad quos iuſſu Illuſtriſſimi D. Granvellani S. R. E. Cardinalis Græ-

Græca Bibliorum editio Argentoratenſis collata eſt, legit: *ὡσεὶ ςυπίυ ὃ ἐξεκαύθη ἐν πυρί*, *ſicut linum quod incenſum eſt in igne*. Sed quid ad Chaldæum Interpretem qui convertit: כביתנא דארח ביה נורא, *ſicut linum quod olfecit in ſe ignem*? ארח enim aphel eſt a ריח, quod odorari ſignificat, deductum. Nam & proximo capite Hebræo הריח poſitum eſt. Verum aliis inflammare denotat: reddunt enim: *Sicut linum quod inflammavit in eo ignis*; atque etiam proximo capite ſimiliter. Non poteſt igitur ſtatui, Latinum Interpretem propter poſitionem בער, *odorem* reddidiſſe; attamen pleraque exemplaria noſtra, & quidem præſtantiſſima quæque *odorem* legunt; & certe odoris vocabulum huius loci ſimilitudini apte congruit. Declaratur enim quam facile Samſon funes novos confregerit; nimirum ſicut ignis linum continuo devorat, ſi ei vel olfaciendum offeratur: non opus habet ardoris ſui flamma complectatur, atque integris utatur viribus.

Proximo capite (verſ. 9.) eadem diverſitas eſt; at eo loci proculdubio *odorem* dixit Interpres. Nam præterquam quod pleraque Latina exemplaria, & quidem univerſa noſtra ſic legunt, etiam Hebræa, & Græca ſic habent. An ex eo loco hic mutatus ſit, neſcio. Abulenſis Epiſcopus utroque loco *odorem* legit.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 4. FACES, ſcilicet titiones.
Verſ. 5. COMPORTATAE, ſcilicet ex agris in acervos.

V. 8. ITA UT STUPENTES SURAM FEMORI IMPONERENT. LXX. *in tibia circa femur*. Chald. *equites ſuper pedites*; quaſi dicat, pedites, & equites. Heb. *coxam ſuper femur*, ſeu *crura & femora*.

V. 16. PULLI ASINARUM. Hebr. Chald. & LXX. *aſini*,

V. 17. ELEVATIO. Alii, *proiectio*.

V. 19. MOLAREM DENTEM, id eſt illam maxillæ concavitatem, ubi dens molaris incluſus. INVOCANTIS, ſcilicet Deum. DE MAXILLA. Hebr. & Chald. *Qui eſt in Lechi*; quaſi dicat: Adhuc eſt eo loco.

E S T I I.

Verſ. 3. AB HAC DIE NON ERIT CULPA IN ME CONTRA PHILISTAEOS: FACIAM ENIM VOBIS MALA. Poſſet videri, Samſonem ultum eſſe privatas ſuas iniurias, ſicut & infra verſ. 7. dicit: *Licet hæc feceritis; tamen adhuc ex vobis petam ultionem, & tunc quieſcam*: tamen revera publicam magis ſpectabat vindictam; ſicut ſciebat de ſe oraculo divino dictum eſſe: *Ipſe incipiet liberare Iſrael de manu Philiſtinorum*, ſupra cap. XIII. Unde & dicitur cap. præced. irruiſſe ſuper eum ſpiritus Domini. Nolebat autem Samſon apertum bellum Philiſtæis indicere, quia non ſentiebat ſe ad hoc a Deo moveri, immo ſciebat Deum tantum de illo prædixiſſe: *Ipſe incipiet liberare*. Itaque, velut per cuniculos, ſub prætextu privatæ iniuriæ, publicam iniuriam tantiſper vendicabat, ut metu ipſius, Philiſtæi non nimium in Iſraelitas auderent ſævire. Quod verſ. 7. dicit, *Et tunc quieſcam*, intelligendum eſt, niſi ſcilicet iterum mihi detis occaſionem.

V. 8. PERCUSSITQUE EOS INGENTI PLAGA, ITA UT STUPENTES SURAM FEMORI IMPONERENT. Iuxta noſtram verſionem ſenſus videtur iſte: Percuſſit Samſon Philiſtæos tam ingenti plaga, ut ipſi præ ſtupore & admiratione ſuram imponerent femori; ſuram, inquam, unius tibiæ ſuper femur alterius: ſicut ſolent ſedere, qui vehementer de re aliqua admirantur. Hanc interpretationem ſequitur etiam Auguſtinus in quæſt. Sed ſciendum, nec in Hebr. nec apud Septuag. eſſe illas duas voces, *ſtupentes*, & *imponerent*, quas Interpres noſter adiecit, ut certum ſenſum redderet. Hebr. eſt: *Percuſſit eos tibia ſuper femur*, vel *tibia cum femore*. Quæ locutio admodum obſcura eſt. Chaldæa Paraphraſis habet hoc modo: *Percuſſit ex eis tam pedites quam equites*: nempe alludens, quia in bello pedites nituntur tibiis, equites vero inſident femori. Alii hunc ſenſum reddunt: Percuſſit eos tam in cruribus ſeu tibiis, quam in femoribus, id eſt vehementer, & acriter. Alii non ad Philiſtæos referunt illud *tibia*, ſed ad Samſonem, ut ſenſus ſit,

quod

Digitized by Google

quod non alio inſtrumento uſus ſit ad eos percutiendos, quam calcibus ſuis, & tibiis eos proterendo. Et ſecundum illos, ſenſus eſt verborum illorum ex Hebræo: *Percuſſit eos tibia ſuper femur*; id eſt, percuſſit eos, non gladio, aut fuſte, aut telo quocumque, ſed calcibus ſuis, & tibiis impegit in eorum femora, & ſic proſtravit.

MARIANAE.

Verſ. 1. ATTULIT EI HAEDUM DE CAPRIS. Bene vertit Hieronymus quod Hebr. dicitur, *Inviſit uxorem ſuam in hœdo caprarum*. SOLITO; ſupple, more: cubiculum cum vellet intrare, prohibuit ſocer. Samſon ait:

V. 3. AB HAC DIE NON ERIT CULPA IN ME. Hebr. *Innocens ſum hac vice a Philiſthæis*, *quia* (pro etiamſi) *faciam cum eis* (id eſt contra eos) *mala*.

V. 4. FACES LIGAVIT IN MEDIO. Hebr. *Et poſuit facem unam inter duas caudas in medio*. Porro pro לפיר *lapid* quidam vertunt *titionem*; ſed melius *facem* dixeris, ex materia tenui, & ſtipulis confectam, ſeu ramuſculis, avide concipientibus flammam.

V. 5. COMPORTATAE IAM FRUGES; id eſt, quæ in area iam erant acervatæ: id *ghadis* ſignificat: fruges in area combuſtæ, ſcilicet ſunt. VINEAS QUOQUE ET OLIVETA. Hebr. *& uſque ad vineam & oleam*. Sed ut Hieronymi ſenſns conſtet, illud *uſque ad* repeti debet, *uſque ad vineam*, *& uſque ad oleam*, ſingulare pro plurali. Alii *vineam*, oleam, ſeu oleæ dictum putant, quod vites una cum oleis plantarentur. Philiſthæi dolentes comburunt uxorem, & ſocerum Samſonis. Ille:

V. 7. LICET HAEC FECERITIS, TAMEN ADHUC EX VOBIS EXPETAM ULTIONEM. Hebr. *Si feciſſetis ſicut hoc*: ſcilicet ſi occidiſſetis mulierem eam, & eius patrem ante: locutio defectiva, ac ſupplendum, parcerem vobis, ſi cum primum mihi ablata eſt uxor, puniſſetis nefas. Additur כי אם *chi im*, *quia ſi* (pro ſed) *ulciſcar in vobis*, *& poſtea ceſſabo*.

V. 8. PERCUSSITQUE EOS INGENTI PLAGA, ITA UT STUPENTES SURAM FEMORI IMPONERENT. Hebr. *Percuſſit eos coxa ſuper femur plaga magna*. Locus difficilis: & videtur proverbium, quo ſignificabatur eos omni ex parte verberaſſe. Nos dicimus, a pedibus ad caput verberaſſe. Chald. *Et percuſſit eos equites ſuper pedites*: ſic per *coxam* equites, per *femur* pedites intelligit: quod multi Rabbini ſequuntur. Sept. *Et percuſſit eos in tibia iuxta femur*; id eſt, ſubnervavit eos, ut ſcilicet bello inutiles eſſent: quæ expoſitio non diſplicet, cum ſæpe *ſuper* ſumatur pro *iuxta*, aut *circa*. HABITAVIT IN SPELUNCA. Fortaſſis legendum *ſpecula*: nam vox Hebr. pro qua plerique *cacumen* reddunt, *ramum*, aut *dentem* ſignificat, ſcilicet cuſpidem e petra prominentem. Sed certe Hieronymus ex Sept. *ſpeluncam* poſuit.

V. 9. IN LOCO QUI POSTEA VOCATUS EST LECHI, ID EST MAXILLA, UBI EORUM EFFUSUS EST EXERCITUS. Hebr. *Et diffuſi ſunt in Lechi*. Alia omnia addita ſunt ab Interprete perſpicuitatis cauſa: bene. Porro hoc loco *diffundi* non victos eſſe ſignificat, ſed tentoria late extendiſſe, & *Lechi* per anticipationem vocatur ab eo quod poſtea accidit. Venerunt viri Iuda ut Samſonem ligarent. Ille: *Iurate*,

V. 13. QUOD NON OCCIDATIS ME. Hebr. *tangatis me*, ſcilicet gladio in mortem. Cum Philiſthæi veniſſent

V. 14. AD LOCUM MAXILLAE. Hebr. *uſque ad Lechi*. Sed Hieronymus qui verſ. IX. poſuerat vocem *Lechi* cum interpretatione, hic ſolam interpretationem poſuit. SICUT SOLENT AD ODOREM IGNIS, id eſt præſentiam, LINA CONSUMI. Hebr. eſt, *Sicut lina quæ utuntur igne*.

V. 15. MANDIBULAM ASINI invenit. Hebr. additur *recentem & humidam*, ſcilicet fluentem tabo: & per *maxillam* caput totum intelligo. Ea mille viros occidit.

V. 16. IN MAXILLA ASINI, IN MANDIBULA PULLI ASINARUM DELEVI EOS. Hebr. *In maxilla aſini acervum acervos in maxilla aſini percuſſi*: ſic Chald. *acervos acervos*. Paranomaſia eſt, ſumpta a vocis *hamor* duplici ſignificatione: nam *aſinum*, & *acervum* ſignificat. Ait ergo, aſini maxilla acervos hoſtium proſtraſſe. Hieronymus paranomaſiam reliquit, quoniam Latine exprimi vis eius non poterat; idem fecere Sept.

V. 17. ELEVATIO MAXILLÆ. Loci eius no-

nomen : ſic Sept. Alii, *proiectio maxillæ*, ſecuti Chald. Vox *ramathlechi* Hebraica utrumque ſignificare poteſt.

MOLAREM DENTEM. *Foveam molaris dentis*, ſeu *gingivam aperuit Dominus*. FONS INVOCANTIS DE MAXILLA, USQUE IN PRAESENTEM DIEM; id eſt, ſic is fons ſemper eſt vocatus, *Fons invocantis de maxilla*. Hebr. *Fons invocantis qui eſt in Lechi*, *uſque ad diem hanc*. Ita videtur ſignificare fontem perennem ex eo ſemper extitiſſe eo loco vocato *Lechi*.

MALVENDAE.

Verſ. I. POST ALIQUANTULUM AUTEM TEMPORIS. Hebr. *Et fuit de diebus*. Quidam: *Fuit autem poſt aliquot dies*. Non multum temporis interceſſiſſe videtur. CUM DIES TRITICEAE MESSIS INSTARENT. Hebr. *diebus meſſis triticorum*; id eſt, tempore meſſis, &c. Sic infra verſ. 20. חטים *chittim* generaliter, omnia frumenta complectitur præter hordea, a quibus paſſim in Scriptura diſtinguitur.

V. 2. PUTAVI QUOD ODISSET EAM. Hebr. *Dicendo dixi, quia odiendo odiviſti eam*. Quidam: *Plane cogitavi, te prorſus odiſſe eam*. Sic *dicere* pro *cogitare*, Exodi II. verſ. 14. & hic infra verſ. 3. Alii: *Omnino mihi perſuaſeram, te illam certo odiſſe*. Geminationes iſtæ uſu linguæ vim, certitudinem, & incrementum ſententiæ continent. PULCHRIOR ILLA. Hebr. *bona præ illa*, vel *melior illa*; ſupple, forma, ut Geneſ. VI. verſ. 2. id eſt, elegantior eſt ea, formoſior, ſpecioſior.

V. 3. CUI SAMSON RESPONDIT, &c. Nos hunc verſum verbatim ex Hebræo interpretati ſumus (*Et dixit eis Simſon: Vacuatus fui ictu de Peliſthim, quia faciens ego cum eis malum*.) Alii varie ſic. I. *Dixitque eis Simſon*: *Innocens ero vice hac Peliſthæis, cum fecero ego illis malum*. Hebr. *Innocens fui*: præteritum pro futuro; id eſt, culpa carebo poſthac, etiam ſi perdam Philiſthæos: teſtor innocentiam meam, quod quidquid facturus ſum poſthac Philiſthæis, id iure feciſſe videbor, nempe ab his provocatus, & læſus: facturus ſum enim illis malum; id eſt, citra culpam rependere poſſum illis malum: vel *cum faciam illis malum*. Aut: *Innocens ero poſthac apud Philiſthæos, ſi fecero illis malum*; id eſt, ſi iniuriam acceptam retulero: fui enim prior laceſſitus ab illis. II. *Simſon dixit ad eos: Innocentior ſum ſemel Paleſthinis, ut eis malum inferam*. III. *Quamobrem dixit de eis Samſon: Inſons fuero hac vice a Peliſthæis, cum ego affecero eos malo*. Exponunt, *Inſons fuero*, data mihi hoc facto iuſta vindictæ occaſione: ut ipſe explicat infra verſ. II.

V. 4. TRECENTAS VULPES. Nam abundabat tractus ille Palæſtinorum, & tota terra ſancta vulpibus, ut intelligitur e Pſalm. LXII. II. Cant. II. 15. Thren. v. 18. Sed & *terra Sughal* dicta eſt I. Samuel. XIII. verſ. 17. a multitudine vulpium: & Ioſue XV. verſ. 28. *Chatzar Sughal*.

V. 5. QUAS IGNE SUCCENDENS, &c. Hinc ad Romanos manaſſe morem ut in feſto Equiriorum vulpes comburerentur, quod vulpes feno, ac ſtipulis involuta a ruſtico, & ſuccenſa, meſſem agri Carſeolani in Latio incendio abſumpſerit, aliqui putant. Vide Hoſpinianum Lib. II. de Origine Feſtorum, cap. XIV. fol. 94.

V. 7. LICET HAEC FECERITIS, TAMEN ADHUC EX VOBIS EXPETAM ULTIONEM. Hebr. *Si facietis ſecundum hoc, quia ſi vindicavi me in vobis*. Alii varie reddunt, & exponunt. I. *Si feciſſetis ſicut hoc: ſed vindicabo me de vobis*. Notant eſſe verba hominis irati, & apoſiopeſi interrumpentis ſermonem: ob id multa ſubintelligenda, hoc modo. Si feciſſetis tale quid initio, cum primum ſcilicet adempta mihi fuit uxor mea, fuiſſem placatus: ſed certe non mihi ſatisfecero, niſi pœnas adhuc de vobis ſumpſero. II. *Quandoquidem hoc feciſtis, vindictam de vobis ſumam*: quaſi indicet ſe uxorem combuſtam ulturum. III. *Siccine facturi eſtis? at cum ultionem ſumpſero de vobis, poſtmodum deſiſtam*; quaſi dicat: Ex hoc initio intelligo quid de me facturi eſſetis, ſi in veſtras manus venirem: atqui non idcirco prius deſiſtam ab inceptis, quam de vobis ultus fuero. Aliæ explanationes ſunt coactæ. Noſter optime ſenſum expreſſit.

V. 8. PERCUSSITQUE EOS INGENTI PLAGA, ITA UT STUPENTES SURAM FEMORI IMPONERENT. Difficilis hic locus diverſimode exponitur. I.

Ita-

Digitized by Google

Itaque percuſſit eos in coxa, una, vel *pariter, ſimul, cum femore plaga magna*; id eſt, tam in cruribus, quam in femoribus; nedum crura, ſed etiam femora confregit eis; quaſi dicat, vehementer atque acriter percuſſit. Videtur figurata locutio: ut Galli dicunt: *Il les battit a dos & a ventre*; id eſt, percuſſit eos deorſum, & ventrem. Hiſpanice: *Dava en ellos quando en pierna, quando en anca*. II. *Et percuſſit eos coxam ſuper femur*, &c. id eſt pedites cum equitibus: pedites coxæ, ſuræ, aut cruri nituntur; equites femoribus equo inſident, aut ea ſuper equum divaricant. Frigida, & inepta interpretatio. III. *Et percuſſit eos coxam ſuper femur*; id eſt, in fuga cadentes coxa ſuper femur inflexa: qui enim fugientes cadunt ſuper faciem ſuam, vertunt coxam, ſeu ſuram ſuper femur ſuum; quaſi dicat: Percuſſit eos fugientes, & cadentes tanto impetu ut pedes & crura femoribus illiſerint. IV. *Et percuſſit eos ut crura femoribus iungerentur*; ac ſi dicat, Subnervavit eos. V. *Et percuſſit eos ab armo ad femur uſque cæde magna*. VI. Notant שוק *ſchok* quod hic *coxam* vertimus, eſſe pedem totum inde a coxendice, unde excurrit, uſque ad talos: *tibiam, ſuram, coxam, crus*, interpretantur. Vide Exodi XXIX. verſ. 22. Ergo reddunt aliqui: *Et percuſſit eos tibia, crure*, vel *pede, ſuper femur*, id eſt calcibus in femora eorum impactis. Clarius exponunt: *Percuſſitque eos crure vibrato in femora eorum*; id eſt, non aliis armis eos petens quam pede, velut ignavos milites: pede contudit eos. IN SPELUNCA. סעיף *ſeghiph*, notant generaliter eſſe *quamlibet cuiuſlibet rei progreſſionem, protenſionem, prominentiam, præeminentiam, excellentiam, excelſum*. Alii, *dentem*, id eſt ſcopulum acutum, præruptum, & eminentem, exponunt. Nonnulli *ſummitatem, faſtigium, cacumen*. Aliqui *promontorium*; in modum rami protenſum. ETAM. Hebr. עיטם *Ghetam*. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Etam, ubi habitavit Samſon in ſpelunca Etam, iuxta torrentem*. S. Ambroſius Lib. III. epiſtol. XXIII. *Ipſe autem conceſſit in Etam, ad torrentem in deſerto: petra illic erat munitio prærupta arduaque tribus Iuda*. Ioſephus: *Ex petra Etam bene firma, in tribu Iudæ ſita*. Eam ad tribum Simeonis, intra Iudaicæ tamen ſortis limites, pertinuiſſe, apparet ex I. Paralipom. IV. verſ. 32. & II. Paralipom. XI. verſ. 6. Hanc Hebræi putant vel eſſe *fontem Naphthoach*, Ioſue XV. verſ. 9. vel non longe ab illo fonte abfuiſſe. Vide quæ ibi notavimus. Dicta videtur, vel quod in ea optimæ, & ſplendidæ veſtes, pallia, operimenta, amictus conficerentur; vel quod volucribus & avibus abundaret; aut quod ibi ovium & gregum mulctralia eſſent; vel quod rupes illa ſeu petra, ſtili, aut calami, ſeu pennæ formam referret; ſeu quod cives ſtilo, & calamo, aut conſilio valerent. Tanta eſt amplitudo, & fecunditas linguæ.

V. 9. IN TERRAM IUDA. Hebr. *Et caſtrametati ſunt in Iehudah*. Quidam exponunt, contra Iehudam; comprehenſo Simeone, ex ea ratione, quæ dicta eſt ſupra cap. I. verſ. 3. & 17. ſic in ſequentibus. UBI EORUM EFFUSUS EST EXERCITUS. Videtur Noſter reſpexiſſe ſtragem Pheliſthæorum, infra verſ. 15. quo etiam Hebræa duci poſſunt; ſed ex verbo habent: *Et tetenderunt*, vel *extenderunt ſe in Lechi*; id eſt, fixerunt tentoria; vel fuderunt ſe, ſparſi ſunt more caſtrametantium, ſeu militum excurrentium, in loco qui a re geſta hic ſtatim deſcripta appellatus eſt deinceps *Lechi*, id eſt *locus maxillæ*, infra verſ. 17.

V. 11. DESCENDERUNT ERGO TRIA MILLIA VIRORUM DE IUDA. Notant, hos deſcendiſſe, ut Simſone Philiſthæis tradito, eo facto ſe apud eos purgarent, ſe nullo pacto conſiliis Samſonis communicaſſe.

V. 12. IURATE, AIT, ET SPONDETE MIHI QUOD NON OCCIDATIS ME. Hebræa varie reddunt. I. *Iurate mihi, ne forte incurretis in me vos*. II. *Iurate mihi quod non adverſamini mihi vos*. III. Alii: *Iurate mihi quod vos non ſitis irruituri in me*. IV. *Iurate mihi, ne forte irruatis in me vos*; quaſi dicat: Ego ſinam me vinciri, modo iuretis mihi quod, poſtquam ligatus fuero, vos non irruetis in me. V. *Iurate mihi* vos me non interfecturos: nam timeo *ne incurratis vos in me*. Ecliptica oratio, de qua vide Geneſ. III. verſ. 22.

V. 14 ET PHILISTHIIM VOCIFERANTES OCCURRISSENT EI. Hebr. diverſimode exponunt. *Et Peliſhim* 1. *vociferati ſunt*; 2. *iubilaverunt*; 3. *ovarunt*, id

id eſt quaſi iam parta victoria, & capto hoſte; 4. *taratantarizaverunt*. vel *claſſicum cecinerunt*, præ gaudio ad occurſum eius, & deditionem eius. Synecdoche. Nam id alioqui fraude Iehudæ viſum fuiſſet factum. LINA CONSUMI', pro fila linea. Notant ſubſtantivum pro adiectivo poni, & materiam pro re effecta ex ea, metonymice.

V. 15. MANDIBULAM ASINI, QUAE IACEBAT. טריה *teriiah* hic tantum, & Iſaiæ I. verſ. 6. reperitur, ubi Noſter expoſuit *tumens*. Hic vertunt *maxillam aſini humidam*, *humentem*, *viridem*, *recentem*, *virulentam*, *putridam*, *purulentam*, *ſanie defluentem*, *putreſcentem*, *ſucculentam*, *nondum ſiccam*.

V. 16. IN MAXILLA ASINI, IN MANDIBULA PULLI ASINARUM, &c. Ter hoc verſu ponitur vox חמור *chamor*, & ſemel duale femineum חמורתים *chamorataiim*: ſecundum *chamor*, non pro *aſino*, ſed pro *acervo*, *tumulo*, *cumulo*, capiunt; ut etiam *chamoratheaim*, *duos*, vel *geminos acervos* interpretantur: unde Chaldæi, Hebræi, & recentiores fere omnes ita hunc verſum exponunt: *Et dixit Simſon*: *In*, vel *cum mandibula aſini*, *acervum*, vel *tumulum*, & *duos acervos*, vel *duos tumulos*, id eſt unum, atque alterum tumulum. Et pulchra uſus eſt paranomaſia aſini ad tumulum: nam eodem nomine vocant aſinum, & tumulum ſeu acervum, nimirum ab acervis, & ſarcinis geſtandis: ideo Matthæus cap. XXI. verſ. 5. appellavit *ſubiugale*, ſcilicet animal. Vel certe dicitur *chamor*, *aſinus*, quod turbidum, & lutulentum habeat cerebrum. Alii reddunt: *Cum maxilla aſini acervum acervorum*, id eſt ingentem acervum, magnam catervam Peliſthæorum. Vel potius *acervum*, immo *&* *duos acervos*; ut ſit correctio: nam cum maxilla hoſtes utrimque prementes cæderet, facti ſunt ex eis duo acervi, hinc & inde. Videtur Simſon per medium agmen perrupiſſe, & utrimque hoſtes cædendo duos acervos cæſorum feciſſe, atque quingentos ab una parte, alios quingentos ab alia interfeciſſe. Atqui ſemper mihi vocis *chamor*, acervi ſignificatio ſuſpectiſſima fuit, cum ea alibi fere non inveniatur: nam locus I. Samuel. XVI. verſ. 20. potius ab aſino, quam acervo ſtat: & Scriptura *acervum* חומר *chomer*, non *chamor*, appellare ſoleat. Unde non poſſum non Noſtri interpretationem aliis præferre: *In maxilla aſini*, *aſini duarum aſinarum*, vel *aſinarum*: *in maxilla aſini percuſſi mille viros*. Aſinum duarum aſinarum poetice appellare videtur, aſinum ingentem & robuſtiſſimum, quaſi quod ei nutriendo opus fuerint duæ aſinæ, ut ſane in ea regione aſini erant prægrandes ac prævalidi.

V. 17. RAMATHLECHI, QUOD INTERPRETATUR ELEVATIO MAXILLAE. De ſuo adiecit Noſter interpretationem duarum Hebraicarum vocum, *Ramat lechi*, quæ ſolæ hic ponuntur. Plerique רמת *ramath*, a verbo רמה *ramah* deducunt, atque interpretantur *proiectionem*, *abiectionem*, *eiaculationem maxillæ*, quod ibi maxillam de manu proiecerit, ut paulo ante dicitur. Alii cum Noſtro a רום *rum* derivant, exponuntque *elevationem*, *exaltationem maxillæ*, quod ibi elevaverit, & ſuſtulerit e terra maxillam, ſupra verſ. 15. Quidam reddunt *excelſum*, ſeu *collem maxillæ*; quod eo loco, ubi maxilla præclarum illud facinus patraverat, collis aliquis aut tumulus editus eſſet.

V. 19. MOLAREM DENTEM. מכתש *mactesch* a contundendo dici conſtat. Ter tantum in Scriptura reperitur. Noſter Proverb. XXVII. 22. Sophoniæ I. verſ. 11. *pilam* reddidit, nempe vas concavum, in quo antiqui ſiccata frumenta pinſebant, hoc eſt contundebant, Plinio Lib. XVIII. cap. XI. Alii *mortarium*, *mortariolum*, ſeu *cavum*, *cavitatem*: nonnulli *molam* exponunt. Hic vero plerique *molarem dentem* interpretantur, quo ſcilicet cibus contunditur. Alii *foveam*, *cavitatem*, ſive *alveolum dentis*, in quo dens immittitur, qui formam mortarioli refert, intelligunt. Quidam vocem *machtheſch*, non ad maxillam aſini referunt, ſed ad rupem ſeu petram, quæ formam mortarii habuerit, in eo loco poſitam, qui dictus eſt Lechi, id eſt maxilla: unde convertunt: *Quapropter fidit Deus cavum quoddam*, ſeu *mortarium*, ſic dictum a ſimilitudine eius propter cavitatem, *quod* eſt *in* loco *illo Lechi*, *ita ut prodirent ex eo aquæ* &c. hoc eſt, in eo loco qui Lechi dicebatur, Deus in rupe cava in modum mortarii conformata, hiatum & aperturam fecit, unde aquæ prodire inciperent. Hunc ſenſum Chaldæus

Digitized by Google

expreſſit. Ioſephus: *Copioſus fons ſubito e quadam petra prorupit*. Quocirca quod Hebr. dicitur, *Et diſcidit Deus molam, quæ in Lechi, id eſt maxilla*, ita explicant: Quæ mola erat in loco, qui dicitur Lechi, ſeu maxilla. Aliqui reddunt: *Et ſcidit Deus piſtillum, quod in Lechi*; id eſt, ſcidit rupem, ſeu petram in modum piſtilli effigiatam, quæ erat in Lechi.

V. 20. IUDICAVITQUE ISRAEL, &c. Quidam reddunt: *Vindicavit autem Iſrael temporibus Peliſthæorum*, &c. quaſi dicat: Ultiones quidem aliquas fecit, ſed tamen non abſtulit eorum dominatum. Nonnulli Simſonem e numero Iudicum eximunt, quod is nihil functione publica adminiſtraſſe ſcribatur, non ius populo dixiſſe, non militem conduxiſſe, exercitum comparaſſe, bella geſſiſſe pro populo: omnes enim eius actiones privatæ videntur, qui robore corporis egregia tantum adverſus Peliſthæos ultionum facinora ediderit. Sed tamen Scriptura de eo eodem prorſus modo loquitur, ut de aliis Iudicibus, qui magiſtratum in populo geſſere: *Et iudicavit Iſraelem*, &c.

MENOCHII.

Verſ. 1. CUMQUE CUBICULUM EIUS SOLITO VELLET INTRARE. Iam Samſonis deſerbuerat ira, priſtinuſque efferveſcebat amor.

V. 2. TRADIDI ILLAM AMICO TUO. Pronubo illi, de quo extremo cap. ſuperiore. Nulla erat ſoceri Samſonis excuſatio: quia licet eo tempore repudium permitteretur, non tamen fas erat uxoribus libellum repudii viris dare, ſed e contra. Quamvis autem Samſon iratus uxorem reliquerat, adhuc tamen quærendum ab eo fuerat, eamne repudiare vellet, faceretque poteſtatem ad alias nuptias tranſeundi. SED HABET SOROREM, &c. Videbat ſocer Samſonis ſe generum ſuum iniuria affeciſſe, ac propterea ſolicite illum placatum ſibi reddere ſtudet alterius filiæ nuptiis oblatis.

V. 3. AB HAC DIE NON ERIT CULPA IN ME, &c. Non accipit conditionem Samſon, cum ſuam uxorem, ei quæ offerebatur, poſthabere neque vellet, neque poſſet: Levit. XVIII. 18. Vide ibi notata.

V. 4. CEPIT TRECENTAS VULPES, Abundat vulpibus Iudæa, & Palæſtina; ut colligitur ex illo Cantic. II. 15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*: & Thren. V. 18. *Mons Sion diſperiit, vulpes ambulaverunt in eo*. Nec ſolus cepit Samſon, ſed in iis capiendis aliorum fortaſſe opera uſus eſt, & Dominus etiam in eius retia vulpium multitudinem impulit, ut quod mente agitabat, poſſet efficere. CAUDASQUE EARUM IUNXIT AD CAUDAS. Binas, & binas ſimul emittebat, itaque fuerunt paria centum quinquaginta. ET FACES LIGAVIT IN MEDIO. Ad caudas, ſeu in medio funium, qui e caudis propendebant, ac trahebantur longius, faces alligabantur. Faces ſive tædæ aut titiones ex lignis fortaſſe reſiniferis fuerunt, quæ in vulpium curſu ardere, ignemque tueri poſſent.

V. 5. QUAS IGNE SUCCENDENS, poſtquam ſcilicet alligaverat. DIMISIT, non omnes ſimul, nec ex eodem loco.

V. 6. DIXERUNTQUE PHILISTHIIM, &c. Quia dicitur generatim Philiſthiim hæc interrogaſſe, & pro nomine proprio ſoceri Samſonis, Thamnathæus dicitur; videtur incendium late fuſum, & non tantum Thamnatham, ſed alias etiam circumiectas regiones populatum eſſe.

V. 8. ITA UT STUPENTES SURAM FEMORI IMPONERENT. Solent enim homines meditabundi, & laſſi ſuram unius cruris alteri femori ſedentes imponere, qui habitus eſt præ mærore ſtupentium. Plures huius loci ex Hebræo verſiones, & explicationes vide apud Serarium hic quæſt. X. & apud Martin. del Rio adag. CLXIV. IN SPELUNCA PETRAE ETAM. *Etam* vel nomen eſt loci, vel viri, cuius mentio eſt I. Paral. IV. 32. a quo petra illa ſic dicta ſit. Eam aliqui collocant in tribu Simeon ad torrentem Sorec; alii, ut Ioſephus, in tribu Iuda. Sed hæ ſententiæ fortaſſe non diſcordant: nam ex cap. XIX. Ioſue conſtat, tribum Simeonis in Iudææ tribus partem admiſſam fuiſſe. Vide ibi dicta.

V. 13. LIGAVERUNT DUOBUS NOVIS FUNIBUS. Vox Hebraica עבת *bavoth* non qualeſcumque funes ſignificat, ſed bene complicatos, quos Italice dicimus, *fune rinforzata*. LXX. appellant καλώδια *rudentes*, qui ſunt nautici funes valde craſſi.

Digitized by Google

V. 14. IRRUIT SPIRITUS DOMINI IN EUM, vires illius augens, & eum excitans, ut ſunibus diſruptis in Philiſthæos inſiliret. AD ODOREM IGNIS, quæ loquendi formula ſtatim lina illa flammam concipere ſignificat, & igne ſolvi. Sic non abſimili loquendi ſchemate dicimus cibum aliquem facilis eſſe coctionis, ut ſatis ſit ſi ſemel ignem aſpiciat.

V. 15. MANDIBULAM ASINI. Satis proceri ſunt aſini in Palæſtina, itaque non incommode mandibula hæc in teli uſum converti potuit; mirum tamen tam multos illa percuti, & occidi potuiſſe.

V. 16. IN MAXILLA ASINI, &c. Canticum hoc fuit ſive illius particula, aut exordium: hæc enim cantando dixiſſe Samſonem patet ex num. 17. ſequenti.

V. 17. ELEVATIO MAXILLAE. Sic dictus locus, vel quod e terra in Philiſthæos maxillam elevaſſet eos percuſſurus; vel quod illis iam ſtratis, eam elevarit Deo pro accepto beneficio gratias acturus.

V. 18. EN SITI MORIOR, &c. Ex vehementi motu, calore, ſudore naſci potuit ſitis. Ioſephus, & illum ſecutus S. Ambroſ. epiſt. LXX. cauſam ſitis faciunt divinam ultionem, quod edita illa ſtrage ſuperbiiſſet Samſon, & plus quam par erat, ſibi arrogaſſet. NOMEN LOCI ILLIUS. Totus locus dictus eſt *Elevatio maxillæ* num. 17. peculiaris in quo eruperant aquæ ex dente illo molari, *Fons invocantis de maxilla*, eſt appellatus. USQUE IN PRAESENTEM DIEM, quo ſcilicet hæc Libri auctor ſcribebat.

TIRINI.

Verſ. 4. CEPIT TRECENTAS VULPES. Et facile fuit, in regione vulpium feraciſſima, tempore anni commodiſſimo, a iuvene robuſtiſſimo, & venandi peritiſſimo, iunctis ſociorum operis, uno alterove die trecentas capere vulpes. Si potuit Iulius Cæſar Romæ in ſpectaculum dare leones quadringentos, Pompeius ſexcentos; Probus Imp. mille ſtruthiones, mille damas, mille cervos, mille apros, mille ibices, mille oves feras, tot urſos, tot leones, leænas, leopardos Libycos, Syriacos, & tot alia monſtra: ſi ad unius monſtri Heliogabali monſtroſas delicias ex una urbe Roma breviſſimo tempore colligi potuerunt decem millia pondo aranearum, & muſcarum, decem millia murium, mille muſtelæ, mille ſorices, teſte Lampridio, Plinio, & Vopiſco *a*: difficile fuerit Samſoni cogere trecentas vulpes? ET FACES LIGAVIT IN MEDIO. Hebraice: *Reſpicere fecit*, id eſt obvertit, *caudam ad caudam*, *& inter duas caudas facem unam poſuit*, ſeu funibus alligavit. Binas ergo & binas iunxit vulpes ſuas Samſon, & ignitis titionibus piceis, cedrinis, vel cupreſſinis armatas, ex opportunis hinc inde locis immiſit in ſegetes iam maturas Philiſthinorum: & hoc ſtratagemate pene totam illius anni meſſem abſumpſit una cum vinetis, & olivetis. Una vulpecula Carſeolana, ſi Ovidio *b* credimus, errore puerili paleaceo igne ſegetibus illato, integros agros iam ad meſſem albos exuſſit: quid tot vulpium paria tot titionibus armata feciſſe putamus? Videntur verò Philiſthæi in execrationem tanti facinoris non ſolum in ſponſam Samſonis adulteram, eiuſque parentes igne ſæviiſſe, ut hoc cap. narratur; ſed etiam in vulpes ipſas exinceps quotannis animadvertiſse, & ardentes faces tergis illarum adligaſse, cum riſu & ſannis totius populi, donec, poſt multam in circo curſitationem facibus iiſdem præuſtæ conciderent. Et hunc eumdem morem Romæ quoque in aprili ſervari ſolitum, Serarius *c* non ab illa Carſeolana, ut vult Ovidius, ſed ab his Samſonis vulpibus ortum traxiſse putat, atque ex oriente (ut pleraque alia) in occidentem, e Palæſtina Romam translatum fuiſse.

Tropologice SS. Ambroſio, & Auguſtino *d* vulpes ſunt fraudes hæreticorum, qui blanda facie promittunt ſalutem, ſed caudis ſuis ignem æternum ſecum trahunt.

V. 8. PERCUSSIT EOS INGENTI PLAGA: nempe inſidiabatur Philiſthæis quocumque poterat loco, irruebatque in obvios quantumcumque multos, & proſternebat, & iugulabat omnes promiſcue: ITA UT STUPENTES SURAM FEMORI IMPONERENT: quod intenſæ, & anxiæ cogitationis ſignum eſt. Cumque cernerent Philiſthæi quantumcumque multos uni Samſoni prævalere non poſse, collecto maximo exercitu, tribum Iuda aggrediuntur, quod ea divertiſset Samſon, ni-

mirum ad petram ſeu rupem vicinam urbi Etam, quæ erat in tribu Iuda, quam poſtea Roboam *e* novis ædificiis, ac propugnaculis auxit.

V. 16. In maxilla asini percussi mille viros. Hæc eſt tertia clades illata Philiſthæis a Samſone. Notat Lyranus, Caietanus, Abulenſis, & Arias (& patet ex verſu ſequenti) Samſonem canticum hic concinnaſſe pulcherrimum, cuius initium fuerit hic verſus, & aliis ſubſequentibus intercalatus.

V. 19. Egressae sunt aquae, ex dente molari mandibulæ. Nempe, fluebant e terra aquæ, ſed per loculamentum ſeu mortariolum dentis molaris. Et quia orante, & Deum invocante Samſone obtentæ fuerant hæ aquæ, vocatus eſt locus ille *Henhabore*, id eſt fons invocantis. Et ita vocatur usque in praesentem diem, quo Liber hic Iudicum conſcribebatur. Quin veroſimile eſt, extare etiam hoc noſtro ſæculo eumdem fontem. Nam certum eſt, quingentis ab hinc annis adhuc extitiſſe, ut teſtis eſt Michael Glycas, qui vixit tempore Ioannis Comneni, Alexii Imp. filii: & diſertis verbis affirmat, *hunc fontem in hodiernam uſque diem in Eleutheropolis ſuburbano conſpici, & fontem maxillæ nuncupari*. Quis vero ex eo tempore fontem illum vel areſecit æſtus? vel quod lutum obſtruxit? vel quæ manus evertit?

Tropologice, etiam viliſſimo inſtrumento poſſe & ſolere Deum, ſi ſerio invocetur, maxima quæque patrare, neque umquam in neceſſariis deeſſe, docet S. Auguſtin. *f* ex SS. Scripturis *g*, & hiſtoriis *h* paſſim obviis.

(*a*) Lamprid. in Heliogab. Plinius Lib. VIII. cap. XVI. Vopiſc. in Probo.
(*b*) Ovid. Lib. IV. Faſtor.
(*c*) Serar. hic quæſt. VII.
(*d*) S. Ambr. & S. Auguſt. ſupra.
(*e*) II. Paralip. XI. verſ. 9.
(*f*) S. Aug. Lib. IV. Doct. Chriſtianæ cap. XV.
(*g*) Gen. XXII. verſ. 19. Exod. XV. verſ. 25. Num. XX. verſ. 11. Sap. XI. verſ. 4. Pſalm. LXXVII. & CIV. &c.
(*h*) Euſeb. Lib. V. cap. V. Tertull. Apolog. cap. V. Oroſio Lib. VII. cap. V. Xiphilino in Antonino, & Baronio Tom. I. &c.

GORDONI.

Verſ. 4. Trecentas vulpes in unum locum cogi poſſe, facile intelligunt venationis periti, ſi regio dat vulpium copiam, ſi locus faveat, ſi adſit ars, & copia vel canum, vel ſociorum. Denique dux populi Samſon, Deo adiuvante, ſua promovebat. An ſimul colligatæ omnes vulpes, an binæ ſolum emiſſæ in ſegetes, & quo ordine, diſputant Interpretes.

Verſ. 4. & 6. Alligavit inter duas caudas, faces, ex ſtipulis, & ramis confectas. Irati Philiſthæi igne exurunt ſocerum, & uxorem Samſonis.

Verſ. 8. In spelunca petrae Etam. סְעִיף *ſebhiph* proprie ramum ſignificat: noſter Interpres vertit *ſpeluncam*. LXX. vero τρυμαλιὰν, *foramen*; & recte: quid enim aliud eſt ramus petræ quam protenſa, ac veluti ramoſa rupes ſpeluncam efficiens? ſic apud poetam, arbor brachia pandere dicitur annoſa. Alii *cacumen* vertunt. Etam hominis nomen eſt, עֵיטָם (quod male aliqui derivant ad fortitudinem) deſignatur vero urbs in tribu Iuda, quam auxit Roboam II. Paralipom. 11. verſ. 6.

Verſ. 11. Nescis quod Philisthiim imperant nobis? En Samſonis tempore durat ſervitus, ut notavi cap. XIII. ſub initium.

Verſ. 14. Ad locum maxillae. Supra verſ. 9. vocat *Lechi*, cum hac interpretatione, quam nunc ſolam ponit.

Verſ. 20. Iudicavit Samſon annis viginti, & iterum hoc repetitur cap. XVI. verſ. 31. & quia hoc duobus locis dicitur, putant aliqui Samſonem bis viginti annis, ſeu per annos quadraginta iudicaſſe; tamen viginti ſolum annos illi dandos contendunt Euſebius, Suidas, Sulpitius, & alii non pauci: at cur ergo repetitio? Sane in Lib. Ioſue, & alibi repetitiones ſimiles ſæpe occurrunt. Eſt etiam hæc repetitio iterum rei confirmatio; quibus ſi addas viginti annos qui dantur Heli, exibunt quadraginta illi anni magnæ ſervitutis ſub Philiſthiim, ut dixi ad cap. XIII. & hos particulares annorum numeros ſic recte conſtitui, conſtabit plene, quando infra agendo de templo, colligendus eſt totus, & receptus ab exodo ad templum, annorum numerus. Quid porro aliud geſſerit Samſon totis vigintis annis, non eſt litteris mandatum: Scriptura illuſtriora commemorat.

Ex

CAPUT XV.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 3. Non accepit conditionem quam obtulit ſocer: uxorem ſuam noluit dimittere.

CAPUT XVI.

Samſon, obſervantibus eum cuſtodibus, portas Gazæ urbis in montem detulit: a Dalila autem, cui ſæpius illuſerat, cognita cauſa fortitudinis, detonſus, excæcatur ab hoſtibus: quos tandem una ſecum interemit.

1. ABiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſuſque eſt ad eam. 2. Quod cum audiſſent Philiſthiim, & percrebruiſſet apud eos intraſſe urbem Samſon, circumdederunt eum, poſitis in porta civitatis cuſtodibus: & ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes, ut facto mane exeuntem occiderent. 3. Dormivit autem Samſon uſque ad medium noctis: & inde conſurgens, apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſera, impoſitaſque humeris ſuis portavit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron. 4. Poſt hæc amavit mulierem, quæ habitabat in Valle Sorec, & vocabatur Dalila. 5. Veneruntque ad eam principes Philiſthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, & diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quo modo eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere: quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille & centum argenteos. 6. Locuta eſt ergo Dalila ad Samſon: Dic mihi, obſecro, in quo ſit tua maxima fortitudo, & quid ſit quo ligatus erumpere nequeas. 7. Cui reſpondit Samſon: Si ſeptem nerviceis funibus, necdum ſiccis & adhuc humentibus, ligatus fuero, infirmus ero ut ceteri homines. 8. Attuleruntque ad eam ſatrapæ Philiſthinorum ſeptem funes, ut dixerat: quibus vinxit eum, 9. latentibus apud ſe inſidiis, & in cubiculo finem rei expectantibus, clamavitque ad eum: Philiſthiim ſuper te Samſon. * Qui rupit vincula, quo modo ſi rumpat quis filum de ſtuppæ tortum putamine, cum odorem ignis acceperit: & non eſt cognitum in quo eſſet fortitudo eius. 10. Dixitque ad eum Dalila: Ecce illuſiſti mihi, & falſum locutus es: ſaltem nunc indica mihi quo ligari debeas. 11. Cui ille reſpondit: Si ligatus fuero novis funibus, qui numquam fuerunt in opere, infirmus ero, & aliorum hominum ſimilis. 12. Quibus rurſum Dalila vinxit eum, & clamavit: Philiſthiim ſuper te Samſon, in cubiculo inſidiis præparatis. Qui ita rupit vincula quaſi fila telarum. 13. Dixitque Dalila rurſum ad eum: Uſquequo decipis me, & falſum loqueris? oſtende quo vinciri debeas. * Cui reſpondit Samſon: Si ſeptem crines capitis mei cum licio plexueris, & clavum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero. 14. Quod cum feciſſet Dalila, dixit ad eum: Philiſthiim ſuper te Samſon. Qui conſurgens de ſomno extraxit clavum cum crinibus & licio. 15. Dixitque ad eum Dalila: Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non ſit mecum? Per tres vices mentitus es mihi, & noluiſti dicere in quo ſit maxima fortitudo tua. 16. Cumque moleſta eſſet ei, & per multos dies iugiter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius,

Digitized by Google

eius, & ad mortem uſque laſſata eſt. 17. Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad
eam: Ferrum numquam aſcendit ſuper caput meum, quia nazaræus, id eſt con-
ſecratus Deo, ſum de utero matris meæ: ſi raſum fuerit caput meum, recedet
a me fortitudo mea, & deficiam, eroque ſicut ceteri homines. 18. Videnſque
illa quod confeſſus ei eſſet omnem animum ſuum, miſit ad principes Philiſthi-
norum ac mandavit: Aſcendite adhuc ſemel, quia nunc mihi aperuit cor ſuum.
Qui aſcenderunt, aſſumpta pecunia quam promiſerant. 19. At illa dormire eum
fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput. Vocavitque tonſorem, &
raſit ſeptem crines eius, & cœpit abigere eum, & a ſe repellere: ſtatim enim
ab eo fortitudo diſceſſit: 20. dixitque: Philiſthiim ſuper te Samſon. Qui de ſo-
mno conſurgens, dixit in animo ſuo: Egrediar ſicut ante feci, & me excutiam,
neſciens quod receſſiſſet ab eo Dominus. 21. Quem cum apprehendiſſent Phili-
ſthiim, ſtatim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, &
clauſum in carcere molere fecerunt. 22. Iamque capilli eius renaſci cœperant,
23. & principes Philiſthinorum convenerunt in unum ut immolarent hoſtias
magnificas Dagon deo ſuo, & epularentur, dicentes: Tradidit deus noſter ini-
micum noſtrum Samſon in manus noſtras. 24. Quod etiam populus videns, lau-
dabat deum ſuum, eademque dicebat: Tradidit deus noſter adverſarium noſtrum
in manus noſtras, qui delevit terram noſtram, & occidit plurimos. 25. Lætan-
teſque per convivia, ſumptis iam epulis, præceperunt ut vocaretur Samſon, &
ante eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos, feceruntque eum
ſtare inter duas columnas. 26. Qui dixit puero regenti greſſus ſuos: Dimitte
me, ut tangam columnas, quibus omnis imminet domus, & recliner ſuper eas,
& paululum requieſcam. 27. Domus autem erat plena virorum ac mulierum,
& erant ibi omnes principes Philiſthinorum, ac de tecto & ſolario circiter tria
millia utriuſque ſexus † ſpectantes ludentem Samſon. 28. At ille invocato Do-
mino ait: Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pri-
ſtinam Deus meus, ut ulciſcar me de hoſtibus meis, & pro amiſſione duorum
luminum unam ultionem recipiam. 29. Et apprehendens ambas columnas, qui-
bus innitebatur domus, alteramque earum dextera, & alteram læva tenens,
30. ait: Moriatur anima mea cum Philiſthiim. Concuſſiſque fortiter columnis,
cecidit domus ſuper omnes principes, & ceteram multitudinem quæ ibi erat:
multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat. 31. Deſcenden-
tes autem fratres eius & univerſa cognatio tulerunt corpus eius, & ſepelierunt
inter Saraa & Eſthaol in ſepulcro patris ſui Manue: iudicavitque Iſrael viginti
annis.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 9. *Qui rupit vincula, quo modo ſi rumpat quis filum de ſtuppa tortum putamine, cum odorem ignis acceperit*. Pro genitivo ſtuppæ, alii ſcribunt ablativum ſtuppa, & pro *putamine*, quod eſt cortice, legunt *ſputamine*, acceptum pro ſputo; quaſi dicatur: Filum ſputo adhibito de ſtuppa tortum. Atqui veriſimilius eſt, Interpretem dicere voluiſſe, filum de vili ſtuppa (eſt enim ſtuppa quaſi putamen, cortex, & reticulum lini) nam Hebraice non aliud legitur quam *filum ſtuppa*. Iam vero *odorem* quod ſequitur, nullo modo hic cum *ardorem* mutandum eſt, id eſt quarta vocalis cum prima.

V. 13: *Cui reſpondit Samſon: Si ſeptem*. Quidam addunt *inquit: Si, inquit, ſeptem*: ſed ſuperflue.

LECTIONUM VARIETAS:

V. 27. *Spectantes ludentem Samſon*. Manuſcripta noſtra, pro participio *ſpectantes*, legunt præteritum imperfectum *ſpectabant*.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 3. ET INDE. Hebr. Chald. & LXX. *& media nocte*.

V. 5. ARGENTEOS, ſcilicet ſiclos.

V. 7. NERVICEIS FUNIBUS, ſcilicet factis ex nervis boum. Alii, *viminibus humidis*, vel *virgis viridibus*. Chald. *funibus recentibus*. LXX. *humidis funibus*, ſeu *nervis*.

V. 13. SEPTEM, id eſt illos multos, qui ſimul conglobati: vel quaſi dicat, multitudinem capillorum meorum, vel ſeptem partes in quas diviſi capilli more funium contorti, vel magnam partem capillorum: *ſeptem* enim multa ſignificant. LICIO, id eſt ligno quo tela a texente involvitur; vel fila telæ intelligit. PLEXUERIS, id eſt implicaveris, ſeu ligaveris.

V. 17. FERRUM. Hebr. & Chald. *Cœpit affligere eum, & diſceſſit ab eo fortitudo*. LXX. *Cœpitque humiliari, & diſceſſit*, &c.

V. 26. DIMITTE, pro duc.

V. 27. ET SOLARIO. Explicatio præcedentis, addita ab Interprete.

E S T I I.

Verſ. 19. ET RASIT SEPTEM CRINES EIUS. Per ſeptem crines intelliguntur ſeptem cincinni crinium, quos floccellos vocant: quod inde patet, quia dixerat Samſon, quaſi de toto ſuo capillitio: *Si raſum fuerit caput meum*. Unde intelligi datur totum capillitium ſeu comam eius, quæ diviſa fuit in ſeptem floccellos, raſam fuiſſe. Et ſimile eſt illud Cantic. IV. *Vulneraſti cor meum in uno crine colli tui*. STATIM ENIM FORTITUDO AB ILLO RECESSIT. Quæritur tum de hoc quod Samſon ſecretum ſuæ conſecrationis Dalilæ indicaverit, tum de eo quod ad mulierem meretricem ingreſſus ſit, tum denique quod ſemetipſum cum Philiſtæis occiderit, anne peccarit Samſon? Reſpondetur, quod ad priora, inter quæ eſt quod etiam toties mentitus eſt, omnino non videtur excuſari poſſe, ſed quod in iis graviter deliquerit. Ea enim fecit, non ſpiritu Dei inſtigatus, ſed deceptus humana cupiditate, & illecebris mulieribus. At vero poſtremum, quod ſemetipſum occiderit una cum Philiſtæis, ſic interpretatur D. Auguſt. Lib. I. de Civitat. Dei cap. XXI. & XXVI. ut dicat eum ſeipſum una cum Philiſtæis ruina domus oppreſſiſſe, ſpiritu latenter hoc iubente, qui per eum miracula faciebat. Nec fas eſſe nobis aliter credere: nam ad id faciendum divinitus ei reddita fuit amiſſa fortitudo. Sic enim ait: *Domine Deus memento mei, & redde mihi fortitudinem priſtinam, ut ulciſcar me de hoſtibus meis*. Hanc reſponſionem plerique etiam alii ſequuntur, & recte. Nec obſtat quod dicit, *ut ulciſcar me de hoſtibus meis*, quaſi privatam iniuriam ulciſcendi cupidus. Nam iniuria Samſonis, iniuria publica erat, ut qui Iudex eſſet populi. Irriſio quoque eius, irriſio Dei Iſrael erat, in cuius contumeliam Philiſtæi pro capto Samſone diis ſuis ſolemnes in templo gratias agebant. His accedit teſtimonium Apoſtoli ad Heb. XI. ubi Samſonem adnumerat iis qui per fidem operati iuſtitiam mercedis conſummationem expectent: quod de eo omnino dici non poſſet, ſi contra Dei voluntatem ſemetipſum occidiſſet. Denique, cum videamus illum inter iuſtos computari ab Apoſtolo, dicimus ipſius priora illa peccata ſuperius commemorata, per pœnitentiam, & oculorum orbitatem, & carceris afflictionem, ipſamque mortem, quam pro Dei gloria ſuſtinuit, fuiſſe expiata. Vide Comment. noſtrum ad dictum cap. Heb XI.

V. 31. DESCENDENTES AUTEM FRATRES EIUS, &c. Si fratres intelliguntur germani, aut uterini, diſcimus ex hoc loco matrem Samſonis ita ex ſterili factam fuiſſe fecundam, ut poſt eum etiam alios genuerit liberos, ſicut & de Anna Samuelis matre legitur I. Reg. II.

Sed

Sed nihil vetat intelligi fratres patrueles, aut conſobrinos, quomodo in Evangelio aliquoties vocantur fratres Chriſti, & Abraham ad Lot nepotem ſuum dicit Gen. XIII. *Fratres enim ſumus*.

MARIANAE.

Verſ. 1. MERETRICEM vidit Samſon in Gaza. Chald. *cauponariam*. Sept. πόρνην, *meretricem*. INGRESSUSQUE AD EAM. Modus loquendi frequens in Sacris, quo turpitudo honeſtis verbis tegitur.

V. 2. QUOD CUM AUDISSENT PHILISTHIIM. Hebr. *Gazitis ad dicendum*; pro, dictum eſt Gazitis: *Venit Samſon*. Illi portas urbis cuſtodierunt.

V. 3. ET INDE; pro, & deinde, ſcilicet poſt medium noctis. Hebr. *Et ſurrexit in medio noctis*. Hieronymus repetitionem familiarem Hebraicæ linguæ vitat frequenter. ET SERA. Hebr. *vecte*, ſeu *peſſulo*: ſic Chald. Sept. σὺν τῷ μοχλῷ, *cum vecte portavit fores*. Poſt amavit mulierem, quæ habitabat

IN VALLE SOREC. Alii cum Sept. *in torrente Sorec*. Hebr. eſt dictio *nahal*, quæ utrumque ſignificat, ſed proprie locum declivem, in quem aqua dilabitur. Philiſthæi illi promittunt

V. 5. MILLE ET CENTUM ARGENTEOS: ſic Hebr. ſed bene Sept. ſupplent *ſiclos*: quod Chald. feciſse videtur, cum dixit daturos *mille & centum ſelabim argenti*, ut patet Gen. XXIII. verſ. 15. ubi pro *quadringentis ſiclis* ponit Chald. *quadringentos* סלעין *ſilbin*. Si modo ſciveris in quo ſit eius fortitudo. Rogat illa, quid ſit,

V. 6. QUO LIGATUS ERUMPERE NEQUEAS. Hebr. *quo ligeris ad affligendum te*; pro, quo poterimus te ligare, ita ut poſſimus te affligere, ſcilicet te ſuperare.

V. 7. NERVICEIS FUNIBUS. Hebr. *viminibus*, ſeu *virgis virentibus*; quales ſunt ex quibus funes, reſteſque plectunt. Septuag. *ſeptem funibus humidis*. Chald. *Septem funibus recentibus ſi ligatus fuero*.

V. 9. PHILISTHIIM SUPER TE, ſcilicet irruunt. FILUM DE STUPPAE TORTUM PUTAMINE. Illud *tortum putamine* Hebr. non eſt, nec in Sept. nec in Chald. Pro *putamine*, legit Gotth. *flamine*. CUM ODOREM IGNIS. Hebr. *Cum odorat ignem*, cum ad ignem accedit. Ex hoc loco collige, quomodo ſit legendum cap. XV. 14. ut ibi diximus. Ergo ſic vincula rupit.

V. 13. SEPTEM CRINES. Hebr. *cincinnos*. Cincinnus plures crines continet. CUM LICIO: lignum textrinæ, in quo involvitur tela. PLEXUERIS. Hebr. *texueris*: ſicque Gotth. habet. ET CLAVUM HIS CIRCUMLIGATUM TERRAE FIXERIS. Hebr. *Et fixeris in clavo*; quaſi dicat: Si ſeptem cincinnos ita plexueris, ut licio affigantur clavo. Illud, *Terræ affixeris*, Hebr. non eſt. Sic infirmus ero.

V. 17. APERIENS VERITATEM REI. Hebr. *Indicavit ei omne cor ſuum*. FERRUM NUMQUAM ASCENDIT. Hebr. *novacula*: ſic Sept. & Chald. ID EST CONSECRATUS, additur ab Interprete.

V. 18. ASCENDITE. Nimirum Samſon in loco ſuperiori, ut in turri aliqua munita morabatur.

V. 19. RASIT SEPTEM CRINES. Hebr. *cincinnos*. COEPIT ABIGERE EUM. Hebr. *Cœpit affligere eum*: ſic Chald. vel *humiliare*, ut Sept. Quem Philiſthæi duxerunt Gazam

V. 21. VINCTUM CATENIS. Alii *compedibus* vertunt. Vox *nehuſtaim* id proprie ſignificat in numero duali, quod utrumque pedem vinciat. Hieronymus pro ea voce aliquando *compedes* ponit, Ierem. XXXIX. verſ. 7. Thren. III. verſ. 7. hic *catenas*. Chald. *æneis catenis*. Sept. *compedibus ferreis*. Venerunt Philiſthæi ut immolarent

V. 23. DAGON DEO SUO. Hebr. dicunt fuiſſe idolum forma piſcis, nam *Dag piſcem* ſignificat; & fortaſſis ponebatur in ſignificatione Neptuni, aut potius Dercetæ, de quo I. Reg. V. verſ. 11.

V. 25. ANTE EOS LUDERET; id eſt, Hebr. *& lætificet eos*, ſeu *ludat coram eis*, ut Hieronymus.

V. 27. DE TECTO ET SOLARIO. Vox *ſolario* addita eſt ad maiorem expreſſionem loci, unde populus Samſonem ludentem videbat.

V. 31. INTER SARAA ET ESTHAOL. Loca hæc erant in tribu Dan, cap. XVIII. verſ.

Digitized by Google

verſ. 11. Ibi ſepultus eſt Samſon, qui de ea tribu erat. Philaſter ait, Gentes ex Samſonis figura uſurpaſſe, ut viros fortes Hercules vocarent: ſicut e turris Babylonicæ occaſione finxiſſe affirmat gigantes montibus montes impoſuiſſe, ut Iovem e cælo deturbarent.

MALVENDAE.

Verſ. 1. MULIEREM MERETRICEM. זונה *zonah* inepte hic *cauponariam*, *tabernariam*, *aut meritoriam* vertunt, cum vere fuerit *meretrix*, *ſcortum*, *novaria*, &c. INGRESSUSQUE EST AD EAM. Hebr. *Et venit ad eam*: vulgarus Hebraiſmus, pro congreſſus eſt cum ea, rem habuit cum illa. Sic Geneſ. VI. 4. cap. XVI. 2. & 4. Pſalm. L. verſ. 1. Ergo Samſon infirmitate humana abreptus, oblitus Dei, & vocationis ſuæ, cum ſcorro congreditur. Fruſtra ſunt qui reddunt: *Et divertit ad eam*, quaſi in tabernam meritoriam, aut diverſorium.

V. 2. QUOD CUM AUDISSENT PHILISTHIIM, ET PERCREBUISSET APUD EOS, &c. Hb. *Ghazitis dicere*, vel *dicendo*. Quidam ſubaudiunt: Ghazitis dictum fuit, vel renuntiatum fuit, dicendo. Notant, conciſam orationem eſſe, ut indicaret celeritatem renuntiationis; quaſi dicat: Extemplo renuntiatum fuit Ghazitis. Alii: *Ghazitis dictum fuit*. Nonnulli: *Ghazæis cum diceretur*. CIRCUMDEDERUNT EUM, POSITIS IN PORTA CIVITATIS CUSTODIBUS. Hebr. *Et circuierunt, & inſidiati ſunt ei tota nocte in porta urbis*. Exponunt: *Circuierunt*, id eſt circum urbem munierunt loca, per quæ evadere poterat: *& inſidiati ſunt ei*, &c. id eſt, inſidias poſuerunt ei, & tota illa nocte diligenter occluſerunt portam urbis, ne exiret per illam. Alii: *Et circuierunt*; id eſt, per circitores curaverunt tota illa nocte, ut cives parati eſſent in matutinum tempus ad occidendum Simſonem. Ego interpretor, diſpoſitis per omnia loca inſidiis, huc illuc tota nocte circumcurſabant, præſertim ad portas, ne qua ante lucem elaberetur Simſon. ET IBI TOTA NOCTE CUM SILENTIO PRAESTOLANTES. Futurum ex Hithpahel יתחרשו *iitcharescbum*, proprie, *Et tacere ſeſe fecerunt*, vel *ſilentium ſibi ipſis impoſuerunt*. Quidam: *Et ceſſare ſe fecerunt*. Aliqui: *Et ſurdos, & mutos ſe fecerunt*, vel *ſimularunt*. Aliqui: *Et ſilentes fabricati ſunt*, vel *machinati ſunt*; id eſt, inſidias ſtruxerunt. Nonnulli: *Et cogitabundi permanſerunt*. Alii: *Conticebantque tota illa nocte*; id eſt, ne verbo quidem cum Simſone commovebant quidquam. Ego vim verbi eam eſſe puto, ut tota nocte maximo cum ſtudio, & intentione animi conſilia agitaverint, machinati ſint, fabricati ſint, quo modo, aut qua ratione poſſent Simſonem capere, & interficere: idque ſummo cum ſilentio, ne Simſon perſentiſceret. UT FACTO MANE, EXEUNTEM OCCIDERENT. Hebr. *Dicendo: Uſque ad lucem matutinam; & interficiemus eum*. Notant, eclipticam eſſe orationem, ut commotorum, & perturbatorum. Quidam ita eam implent: *Dicendo: Uſque ad lucem matutinam expectemus; & occidemus eum*. Alii: *Dicendo: Conticeſcamus uſque ad lucem matutinam: tum interficiemus eum*. Ego maiorem emphaſim locutioni ineſſe puto, quaſi dicant: Quam primum matutinum lumen illuxerit, interficiemus eum.

V. 3. ET SERA, IMPOSITASQUE HUMERIS. Hebr. *Et movit ea cum vecte, & poſuit ſuper ſcapulas ſuas*. Verbum נסע *naſagh*, cuius hic futurum cum affixo ponitur ויסעם *vaiiſſaghem*, plerique Hebræorum, ac noſtrorum intranſitive capiunt: *Et profectus eſt ea*, id eſt cum eis, unacum vecte, &c. Quidam clarius: *Profectuſque eſt cum eis, coniunctis vecte, imponens humeris ſuis*. Alii tranſitive: *Et movit, amovit, tranſtulit, ea cum vecte*, &c. id eſt, molitus eſt fores, & poſtes vecte tranſverſario, quem Hiſpanice dicimus *tranca, o barra dela puerta*. Sic tranſitive accipi verbum *naſagh*, infra verſ. 14. & Iſaiæ XXXIII. verſ. 20. obſervant. QUI RESPICIT HEBRON. Hebr. *qui ſuper facies Chebron*. Alii: *Qui erat contra faciem Hebron*. Quidam: *Qui eſt e regione Hebron*. Nonnulli: *Qui eſt in conſpectu Chebronis*, id eſt prope Hebronem, quæ in monte ſita erat, Ioſue XXI. verſ. 11. Diſtat autem a Ghazah Hebron ultra ſeptem leucas Hiſpanicas verſus orientem, ut immane profecto videatur Samſonis robur, tantum itineris ſpatium portas urbis ingentes, & ponderoſas potuiſſe humeris

baiulare. Et facile ſuſpicari poſſumus eum tamquam trophæum aliquod fores illas Ghazæ in monte Hebronis conſtituiſſe.

V. 4. IN VALLE, ſeu TORRENTE SOREC. נחל *nachal*, utrumque, & *vallem*, & *torrentem* ſignificat, quod torrentes in vallibus, & valles iuxta torrentes eſſe ſoleant. Euſebius, & S. Hieronymus in locis Hebraicis: *Sorek nomen torrentis, de quo loco fuit Dalila illa Samſonis: ſed & uſque hodie ad ſeptemtrionalem plagam Eleutheropoleos vicus oſtenditur nomine Caphar Sorek, iuxta villam Saraa, unde fuit Samſon*. Nomen (שורק) indeptus eſt a præſtantiſſimo, & generoſiſſimo vitium genere, quod in ea valle, ſeu torrente proveniebat. Vide Geneſ. XLIX. verſ. 11. ET VOCABATUR DALILA. Hebr. דלילה *Delilah* ſignificat *exhauſtam*, *attenuatam*, *macram*, *tenuem*, *delicatam*, a forma forſan, & habitu corporis. Hanc quidam veram uxorem putant; alii proſtibulam & meretricem volunt, quod eſt veriſimilius. A ſuperſtitione Peliſthaica ad ſacra Iſraelitarum a Simſone traductam, Hebræi tradunt. Sed unde id ſciverunt?

V. 5. ET VINCTUM AFFLIGERE. Hebr. *Et ligabimus eum ad affligendum*, ſeu *deprimendum*, *opprimendum eum*. Quidam exponunt, ad magnam eius vim cohibendam, ut communem cum aliis hominibus ſortem experiatur: ſic in ſequentibus, quod ipſe Simſon explicat verſ. 7. quaſi dicant: Ad perdomandam eius ferociam, ne nobis amplius exitio ſit: præter cicurationem eius, & noſtram ſecuritatem, nihil prætereaaut cupimus, aut quærimus. Verum rectius eſt, ad ſumendas pœnas dignas de tam truculento hoſte, & eum calamitatibus, & ærumnis obruendum: ut poſtea fecerunt. Sic verſ. 6. DABIMUS TIBI SINGULI MILLE ET CENTUM ARGENTEOS. Hebr. *mille & centum argentum*, id eſt argenti pondera, ſeu ſiclos. Si ſiclos argenteos accipiamus, cum eſſent quinque ſatrapæ, Ioſue XIII. verſ. 3. promiſerunt univerſe pro omnibus 5500. ſiclos, id eſt argenteas Caſtellanas drachmas 27500. Si vero pondera communia, quæ Hiſpanice vocamus *peſos*, intelligamus, cum unumquodque pondus penſat octo argenteas Caſtellanas drachmas, ſumma erit 44000. argentearum Caſtellanarum drachmarum, quæ vocant *Regalia*. Eadem ſumma eſt infra cap. XVII. verſ. 2

V. 7. NERVICEIS FUNIBUS. יתרים *ietarim*, reddunt *chordis*, *nervis*, *funibus*, *reſtibus*, Hebræorum plerique *virgis*, vel *viminibus*, propter adiunctum quod ſequitur, לחים *lachim*, *viridibus*, *virentibus*. Sic verſ. 8.

V. 9. ET NON EST COGNITUM IN QUO ESSET FORTITUDO EIUS. Hebr. *Et non eſt cognita virtus eius*; id eſt, non eſt cognitum a Peliſthæis; deprehendere illi non potuerunt in quo vires eius conſiſterent. Noema.

V. 13. SEPTEM CRINES CAPITIS MEI. Hebr. *ſeptem cincinnos*, &c. id eſt ſeptem partes, ſeu tricas capillorum, ſimul conglobatorum: nimirum capillamentum omne in ſeptem cincinnos quaſi licia diſtributum. Sic infra verſ. 19. Habebat enim crines oblongos, & criſpos, ac intricatos, ſive contortos. CUM LICIO. מסכת *maceſſet* bis tantum in Scriptura legitur, hic, & verſ. 14. Hebræi aiunt ſignificare *licium*, vel *telam* ipſam, ſeu pannum, qui texitur, & operitur, quaſi dicas *opertorium*. Alii *lodicem*, ſeu *cortinam* vertunt. Fortaſſe tunc Delilah telam aliquam, aut operimentum texebat; quaſi dicat: Si ſimul cum tela, aut panno cincinnos meos texueris, aut ei intexueris. Plerique *licium*, ſeu *liciatorium*, inſtrumentum textorum, per quod fila fluunt, ac funduntur, quod *pectem* appellatur, eſſe volunt, ac ſi dicat: Si cum pectine liciatorio cincinnos meos texueris. Nonnulli eſſe *iugum* ipſum *textorum*, nempe lignum teres ac rotundum, cui texta iam tela circumvolvitur, exiſtimant: ſic dictum quod id tela circumvoluta tegatur; quaſi dixiſſet: Si cincinnos meos ad iugum textorum circumvolveris. Quidam a נסך *naſach*, *fundere*; alii a סכך *ſacach*, *operire*, deducunt.

V. 14. QUOD CUM FECISSET DALILA. Hebr. *Et infixit clavo*, ſeu *cum clavo*. Hiſpanicus Interpres: *Y* [illegible] *a hinco la eſtaca*. Aliqui: *Illa itaque impegit paxillo*; ſubaudi, poſtquam egiſſet quæ ex verbis Simſonis agenda eſſe didicerat. Noema; quaſi dicat: His factis, impegit paxillum in ſcapum, ne iugum cum panno ſeu tela, cui capilli attexti erant, volvi, aut moveri poſſet, ſed fixum & immobile maneret. Obfirmavit iugum lo-

10-

torium vecte, ſive clavo, ne ſcilicet commoveretur: facile enim rotatur. Hiſpanicus Interpres: *Deſpues de texidas las guedeias de Samſon con la tela, emboluio la tela al enxullo, y affirmolo con la eſtaca.* EXTRAXIT CLAVUM CUM CRINIBUS ET LICIO. Hebr. *Et movit paxillum*, ſeu *clavum* ארג *ereg*, *& pecten*, ſeu *iugum textorium*. Quidam intranſitive reddunt: *Et profectus eſt cum paxillo ipſo texturæ, & cum iugo ipſo*. Alii tranſitive: *Et amovit*, *abſtulit*, *clavum*, &c. Vide ſupra verſ. 13. Vocem *ereg* varie elucidant. Quidam *texturam*, *telam*, interpretantur *clavum texturæ*, ſeu *telæ*. Aliqui ipſum *telare*, ubi tela texitur, intelligunt. Hiſpanicus Interpres: *Arranco la eſtaca del telar con la tela*. Alii putant eſſe *inſtrumentum textorum ex ligno fabrefactum in modum naviculæ, quo ſubtegmen ſtamini intexitur*. Sic accipi notant Iob VII. verſ. 6. Latini *radium* dicunt. Virgilius IX. AEneidos:

Excuſſi manibus radii, revolutaque penſa.

Quidam volunt antiquis Latinis appellatum *panuelum*, apud Varronem Lib. IV. de Lingua Latina, cap. XXIII. & *panulam*, apud Nonium cap. II. ſ. 623. & *panulias*, vel *panuclas*, apud S. Iſidorum Lib. XIX. Originum, cap. XXIX. Hiſpanici vocant *lançadera*. Itali *duella*, & *ſpuola*. Nonnulli exiſtimant eſſe *inſtrumentum ligneum*, *quod inſeritur in foraminibus liciatorii, ſeu iugi textorii; ad circumvolvendum pannum, vel telam*. Italice *caviglia*. Hiſpanice *clavija*. Aliqui *ipſum iugum textorium*, Hiſpanice *enxullo*, eſſe arbitrantur. Sane huic loco *radius* parum convenire videtur: nam ineptum plane inſtrumentum ad figendum, vel obfirmandum: rectius hic *texturam*, vel *telare* ipſum acceperimus: *Et amovit paxillum texturæ*, vel *telaris*, *& pecten*, *ſeu iugum textorium*; quod ſic exponunt: Simul atque expergefactus fuit, levi capitis motu, & palum quo illa iugum fixerat, & obfirmaverat, evulſit; & iugum ipſum, cui crines alligati fuerant, e carceribus, & ſcapis ſuis detraxit, mirabili pariter ac iocoſo ſpectaculo. Nec deſunt qui reddant: *Et abſtulit*, *extraxit*, *clavum iugi liciatorii*, *& telam ipſam*; quæ ſcilicet circum iugum eum cincinnis contexta, involuta erat; quaſi dicat: Traxit ſecum omnia.

V. 16. IUGITER ADHAERERET. Verbum אלץ *illetz*, alibi in Scriptura non legitur, & hic ponitur in formula Pihel. Comparant cum verbo לוץ *lutz*, *illudere*; aiuntque ſignificare *falſe dicere in aliquem*, *illicere verbis*, *ſugillare*, *& ſcommatis perurere*, *artificio verborum illudere*, &c. Varie reddunt in eumdem ferme ſenſum. I. *Et moleſtavit eum*, *moleſtia affecit*, *moleſte urſit eum*. Ita Reuchlinus, Alfonſus Zamorenſis, Caietanus, Sanctes, Marinus, Avenarius, Buxtorfius, Schindlerus. II. *Et oppreſſit eum*. Ita Kimchius, Reuchlinus, & Pomarius. III. *Et coercuit*, *angariavit eum*. Ita Reuchlinus. IV. *Et anguſtavit eum*, ſeu *anguſtiavit eum*. Ita Alfonſus Zamorenſis. V. *Et obtudit eum*. Ita Vatablus. VI. *Et negotium faceſſivit ei*. Ita Leo Iudas. VII. *Et inſtavit ei*, vel *quotidianis conviciis efflagitavit ei*. Ita Mercerus. VIII. *Et eſurire fecit eum*, quaſi nollet ei cibos præbere. Ita Elias Levita. IX. *Et anxit*, *conſtrinxit*, *coegit*, *impulit*, *compulit*, *afflixit*, *cruciavit eum*. In qua ſignificatione id verbum Syris uſurpatur. Ita Schindlerus. X. *Et illexit eum*. Ita Forſterus. XI. *Et artificioſe urſit eum*. Ita Tremellius, & Iunius. XII. Hiſpanicus Interpres, *Y moliendolo*. Ego exiſtimo neminem rectius Noſtro aſſecutum vim verbi: proculdubio contulit cum tranſpoſito אצל *atzal*, & ſignificatum deduxit ex præpoſitione אצל *etzel*, *apud*, *iuxta*, *circa*, *penes*, *prope*, quaſi dicat: *Et erat ſemper apud eum*, *iuxta eum*, *prope eum*. Hiſpanice: *Siempre eſtava con el*, *no le dexava un punto*, inſtando, urgendo, &c. quod Noſter dixit: *Et iugiter adhærebat ei*. Poſſis reddere: *Et reſervavit*, *aſſervavit eum*; id eſt, obſervabat eum, ſi forte poſſet deprehendere in quo ſitum eſſet robur ipſius. DEFECIT ANIMA EIUS, ET AD MORTEM USQUE LASSATA EST. Hebræa varie transferunt. I. *Et anguſtiis affecta eſt anima eius ad moriendum*, vel *ita ut moreretur*; id eſt, elanguit, emarcuit, cœpit elangueſcere, ſcilicet eſſe animo remiſſiore ſolito, ita ut optaret mortem. Vel tunc cœpit tædere eum vitæ ſuæ, & optare mortem. II. *Et laſſata eſt anima eius uſque ad mortem*. Tanta vis eſt inſani amoris muliebris! III. *Ut anima eius tantum non enecaretur*. IV. *Denique imminueretur animus eius*, *ac ſi moriturus eſſet*; id eſt,

maxime frangeretur animus eius. Vide ſimilem locutionem ſupra cap. x. verſ. 16. & Numeror. xxi. verſ. 4. & 5.

V. 19. ET RASIT SEPTEM CRINES EIUS. Hebr. *Et radere fecit ſeptem cincinnos capitis eius*. Exponunt, id eſt totum capillamentum eius, ut indicat verſus 17. vel quia forte manſerat totum capillamentum eius in ſeptem cincinnos quaſi licia diſtributum, e verſ. 13. vel eſt nurus finitus pro infinito, & univerſo. Notant, hac ſacram hiſtoriam æmulatas gentes, fabulam feciſſe de purpurea Niſi Megarenſium regis coma, quam Niſus ita habuerat conſecratam, ut tamdiu regno potiretur, quamdiu illam habuiſſet intactam: qua a filia Scylla abſciſſa, regnum amiſit. Eam fabulam late deſcribunt Apollodorus Lib. III. Bibliothecæ, Ovidius initio VIII. Metamorphoſeon, Pauſanias in Atticis Lib. I. Numer. xvii. Servius in Eclog. vi. & in I. Georgicorum. Magnus ſemper dæmon impie Dei æmulator. ET COEPIT ABIGERE EUM. Hebr. *Et incepit affligere eum*, vel *humiliare eum*; id eſt, contemptim habere, & ſpernere, & forſan iniuriis laceſſere. Alii ad ſequentem verſum referunt: *Et cœpit affligere eum: nam dixit: Peliſthim ſuper te, Simſon*, &c.

V. 20. SICUT ANTE FECI. Hebr. *ſicut vice in vice*, id eſt hac vice ſicut alia vice. Hyſteroſis. Vide ſimilem locutionem Numeror. xxiv. verſ. 1. Alii, *ſicut aliis vicibus*, vel *ſicut alias*. Nonnulli, *ſicut ſemel, & iterum*. Sic infra cap. xx. verſ. 30. & 31. QUOD RECESSISSET AB EO DOMINUS; id eſt, quod ei ademiſſet vim illam, quam prius contulerat.

V. 21. VINCTUM CATENIS. Hebr. *Et ligaverunt eum in* נחשתים *nechuſchtaim*: eſt id nomen formæ dualis numeri: aiunt ſignificare æs, ſeu chalybem, Hiſpanice *azero*: nempe inſtrumentum æreum, ſeu chalibeum, quod duas habet anſas, quibus duæ manus, vel duo pedes vinciuntur. Hic quidam reddunt, *in compedibus ferreis*; alii, *in catenis æreis*; nonnulli, *in vinculis chalybeis*, ut duo ſemper intelligantur: vel *in numellis duabus chalybeis*. Sic II. Regum xxv. verſ. 27. IN CARCERE MOLERE FECERUNT. Hebr. *Et fuit molens in domo vinctorum*. Hebræi exponunt, quod Peliſthæi ſuas illi filias aut uxores permolendas & ſubagitandas dederint, ut ex ipſo prolem robuſtiſſimam haberent; quaſi dicat: Simſone uſi ſunt tanquam admiſſario equo ad procreandos fortiſſimos viros. S. Hieronymus in xlvii. Iſaiæ: *Illud quod in Iudicum libro de Samſon ſcribitur, Ad molam eum a Philiſthæis eſſe damnatum, hoc ſignificare volunt Hebræi, quod pro ſobole robuſtiſſimorum virorum, hoc in Allophylas mulieres facere ſit compulſus*. Sane *molendi* verbum in obſcœna & venerea ſignificatione accepit Noſter, Iob xxxi. verſ. 10. & Threnor. v. verſ. 13. in qua etiam eo utuntur Latini. Horat. Lib. I. Sermon. ſatyra ii.

...... non alienas
Permolere uxores ....

Petronius Arbiter, pag. 69. *ſuper inguina mea diu, multumque fruſtra moluit*. Auſonius epigrammate lxx. de Criſpa impudica:

Deglubit, fellat, molitur per utraque cavernam.

Et epigrammate cxvi.

Diceris hanc mediam lambere, nec molere.

Et apud Theocritum idyllio iv. Μύλλω, *molo, & coeo*. Sed abſit rem abſurdiſſimam de Samſone ſuſpicari, quaſi vero non fuerit inter alias genus graviſſimum ſervitutis molas truſatiles agere. Vide Exodi xi. verſ. 5. Matth. xxiv. verſ. 41. Iuvenalis ſatyra viii.

..... dignique molam verſare Nepotis.

V. 22. RENASCI COEPERANT. Addunt Hebræa, *ſecundum quod raſus fuit*. Quidam, *poſtquam raſus fuit*. Alii, *ut erat cum abraderetur*; id eſt, renaſcebatur capillus in priſtinam ſuam magnitudinem.

V. 23. DAGON DEO SUO. Nomen huius deaſtri, quidam a דגן *dagan*, id eſt *frumento* generaliter, & *frugibus*, quæ in ariſtis naſcuntur, deducunt, & deum frumenti, ſeu frumentarium exponunt, nempe ut ſit Iupiter, vel Ianus, aut Ceres. Philo Byblius apud Euſebium Lib. I. Præparationis Evang. cap. vii. de Dago filio Saturni hæc tradit: *Dago autem frumenta invenit, atque aratrum: ac ideo Iupiter aratrius numcupatus eſt*. Macrobius I. Saturnaliorum, cap. vii. *Ianus a Saturno edoctus peritiam ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegit*.

Digitized by Google

egit. Et paulo inferius de Saturno: *Simulacrum eius indicio eſt, cui falcem inſigne meſſis adiecit*. Hebræi tamen, & noſtrorum plerique potius a דג *dagh*, ſeu דגה *dagah*, *piſce*, derivant, quod ab umbilico & infra piſcis figuram; ſupra vero hominis formam habuerit: quod ſe colligere putant ex I. Samuel. v. verſ. 4. Syrenam fuiſſe volunt: alii Tritonem, ſeu Neptunum, aut Poſſidonem, maritimarum gentium deum, quales erant Philiſthææ. Cultum hunc Dagon Gazæ, hic dicitur; & in Azoto, I. Samuel. v. verſ. 4. Eſſe autem Dagon ipſam *Atargatim*, Græcis dictam *Derceto*, plerique viri eruditiſſimi exiſtimant. Diodorus Siculus Lib. II. Numer. LXV. *Eſt in Syria urbs Aſcalon, a qua non procul ingens & profundus lacus, piſcium copia abundans: & in vicinia illuſtris deæ templum, quæ Derceto Syris vocatur, facie mulierem, & toto alias corpore piſcem referens*. Strabo Lib. XVI. extremo: *Atargatam Atharam dixerunt, quam Cteſias Decreto vocavit*. Lucianus in Dea Syria: *Decretus autem imaginem in Phœnicia vidi ſpectaculum plane peregrinum, altera quidem parte mulierem, altera vero, quantum a femoribus ad imos pedes protenditur, in piſcis caudam deſinentem*. Plinius Lib. V. cap. XXIII. *Prodigioſa Atargatis, Græcis autem Derceto dicta*. Prodigioſam vocant, quod forma ſemihominis, & ſemipiſcis eſſet. Hanc Diodorus Siculus, Ovidius, Lucianus, Athenagoras, & alii, Semiramidis matrem faciunt: alii Venerem putant. Manilius IV. Aſtronomicon:

> *Scilicet in piſcem ſeſe Cytheræa novavit,*
> *Cum Babyloniacas ſubmerſa profugit in undas.*

Macrobius Lib. I. Saturnal. cap. XXIII. Atargatim terram eſſe interpretatur. Aliqui notant dictam Atargatim detorta voce a Syriaco אדרגגה *adardaga*; immo potius ab Hebræo *addardagah*, id eſt *magnificus, illuſtris piſcis*. Alii Derceto, vel Hadarca, a דרך *darach* Hebraico deducunt, id eſt *calcare*: & *opem*, ſeu *terram* cum Macrobio intelligunt, quod pedibus omnium calcetur. Sed de Atargati, ſeu Derceto uberiora diximus in Rebus Antichr. Lib. VI. cap. XXX. in VII. opinione. De Atargatio oppido, dicemus in II. Machab. XII. verſ. 26. At de Dagon Forſterus ita ſcribit: *Dagon tamen Deum puto piſcium, & frumenti, hoc eſt ventris cauſa, vel propter prolis fecunditatem effictum, & cultum. Legitur autem Azotum, & ſimulacri Dagonis AEdem a Ionatha Machabæo vaſtatam*. I. *Machabæor. x. verſ.* 84. Vide I. Samuel. v. 4. ET EPULARENTUR. Hebr. & *lætitiæ*; id eſt, & ad celebranda hilaria, de quibus Macrobius Lib. I. Saturnal. cap. XXI. Vopiſcus in Aureliano: *Hilaribus, quibus omnia feſta & fieri debere ſcimus, & dici*.

V. 25. LAETANTESQUE PER CONVIVIA SUMPTIS IAM EPULIS. Heb. *Et fuit, ſecundum bonum eſſe*, vel *bonificari, cor eorum*. Quidam: *Cum bene eſſet cordi illorum*. Alii: *Cum exhilaratum eſſet cor eorum*. Aliqui: *Cum hilaris eſſet animus illorum*. Sic infra cap. XVIII. verſ. 20.

V. 26. DIMITTE ME UT TANGAM COLUMNAS. Quidam reddunt: *Sine me, tantum fac palpem illas columnas*, &c. quaſi dicat: Ne me manu amplius ducito, ſatis mihi futurum id eſt, ſi ad columnas ſtetero. ET RECLINER SUPER EAS, ET PAULULUM REQUIESCAM. Heb. & *innitar illis*: quaſi eſſet ex labore piſtrini, & adventus ſui acceleratione feſſus.

V. 28. UT ULCISCAR ME DE HOSTIBUS MEIS, &c. Hebr. *Et ulciſcar ultionem unius de duobus oculis meis, de Philiſthæis*; quaſi dicat, ſaltem unius oculi de duobus, quos mihi effoderunt Peliſthæi. Quidam reddunt: *Ut ſumam de Peliſthæis ultionem ſemel propter ambos oculos meos*. Explicant quaſi dicat: Quando nunc in hanc Peliſthæorum frequentiam veni, quos deinceps oculis captus quærere non poſſum; ac proinde virium, quas de integro tu in me inſtauras, explicandarum commoditas tanta oblata eſt: fac ut iniuriam hanc mihi effoſione oculorum illatam, & damnum irreparabile, quo me affecerunt ad ultiones tuas impediendas, ſemel nunc demum præſtent. Vide Sanctis Theſaurum, pag. 1683.

V. 29. ET APPREHENDENS AMBAS COLUMNAS. Verbum לפת *laphat* varie reddunt: 1. *Et inclinavit Simſon duas columnas medii; quibus domus ſtabilita erat ſuper eis*: 2. *Et complexus fuit duas columnas*: 3. *Et apprehendit cum concuſſione, perculit duas columnas*, &c. 4. *Et corripuit*, &c. ALTERAMQUE EARUM DEX-

TE-

TERA, ET ALTERAM LAEVA TENENS. Hebr. *Et ſuſtentus, ſuſtentatus fuit ſuper eas: una in dextera eius, & una in ſiniſtra eius*. Verbum סמל *ſamach* hic varie convertunt: 1. *Et innixus eſt ſuper illis*: 2. *Et fultus, ſtabilitus, impoſitus fuit ſuper illis*: 3. *Et impactus eſt illis*; quaſi illis cohæſerit cum vi. Quidam exponunt: *Et ſuſtinebatur ſuper illis, una dextera ſua, & altera cum ſiniſtra ſua*; hoc eſt, columna altera ſiniſtra apprehenſa, incubuit toto corpore, vim fecit, veluti ſuſpendit ſe toto corpore, quaſi columnas trahens, & impellens.

V. 30. COCUSSISQUE FORTITER COLUMNIS. Hebr. *Et extendit, declinavit, in robore*; id eſt, loco movit, excuſſit, concuſſit columnas toto ſuo niſu, & robore. Alii: *Et inclinavit ſe vi*, nimirum manibus ſecum depellens columnas ſpiritu Dei, qui hoc opus revelaverat, ipſum ut exequeretur iudicium Dei. Euſebius Cæſarienſis præfat. in Chronic. Canonum librum poſteriorem: *Samſon autem eſt, quem in corporis robore Herculi ſimilem ferunt poſteri Iudæorum: & mihi videntur non multum inter ſe diſtare tempora: ſiquidem ambo circa Troiæ captivitatem fuerunt*. S. Philaſtrius de Hæreſibus: *A quo poſtea Pagani fortes viros ex illius figura uſurpantes, Hercules nuncuparunt*. S. Auguſtinus XVIII. de Civitat. Dei cap. XIX. *Hebræorum iudex Samſon cum mirabiliter fortis eſſet, putatus eſt Hercules*.

MENOCHII.

Verſ. 2. GAZAM. Urbs eſt ad mare mediterraneum, ampla, munita, portuoſa, & celebris. Venit Gazam vel negotii alicuius gratia, vel ut panegyrim aliquam ſpectaret, ut coniectat Serarius. Ioſephus veniſſe ait ex Philiſthæorum contemptu, viribus ſuis confidentem. Abulenſis ex iuvenili petulantia, & amore formoſarum mulierum Philiſthæarum. INGRESSUS EST AD EAM. S. Auguſt. ſerm. CVII. de temp. negat cum meretrice illa concubuiſſe, ſed phraſis Scripturæ paſſim occurrens, concubitum ſignificat, ut Geneſis XVI. 2. *Ingredere ad ancillam meam, ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios*: & II. Reg. III. 7. & alibi. Ergo a culpa Samſon excuſari non poteſt.

V. 3. AD VERTICEM MONTIS QUI RESPICIT HEBRON. Montem hunc Gaza diſtare ſeptem milliaribus Germanicis, affirmat Serarius quæſt. III.

V. 4. IN VALLE SOREC, quæ dicitur etiam *vallis botri*, ſunt enim ibi vites multæ, ac generoſæ. Itaque Iſaiæ v. 2. dicitur: *Plantavit eam* (vineam ſcilicet) *Sorec*, ut eſt in Hebræo, quod vulgatus vertit *electam*. DALILA, gente Philiſthæa, uxor Samſonis, ut aliqui graves auctores ſentiunt, ſed iuxta alios, conditione meretrix, quæ opinio etiam graves patronos, & aſſertores habet. דלל *dalal* Hebræis *attenuari, areſcere, pauperem eſſe*, ſignificat. Hinc nomen Dalilæ meretrici huic appoſite convenit, quæ debilitavit, ac infirmavit Samſonis robur, cor, & opera.

V. 5. PRINCIPES PHILISTHINORUM. Philiſthæorum gens, ac ditio, in quinque ſatrapias ſeu principatus tributa erat, quibus ſingulis a præcipua urbe ſua nomen. Gaza, Geth, Accaron, Azotus, Aſcalon. Hi ergo quinque principes ad Dalilam venerunt. SINGULI MILLE ET CENTUM ARGENTEOS. Exiſtimat Arias mille ſingularum provinciarum nomine oblatos argenteos ſiclos, a principibus vero adiectos ſuo ipſorum nomine centum alios, auctarii, & honorarii cauſa.

V. 7. NERVICEIS FUNIBUS: qui ex nervis bubulis, vaccinis, &c. in funes contortis, & plexis fiunt.

V. 9. DE STUPPAE PUTAMINE. *Putamen*, ut ait Nonius, *eſt omne quod non a nucibus modo, ſed ab aliis etiam excutitur, ac proiicitur*. Significatur ergo filum viliſſimum, minimeque compactum, ac firmum. CUM ODOREM IGNIS ACCEPERIT. Vide dicta ſupra cap. XV. num. 14. LIGARI DEBEAS: ligari poſſis.

V. 12. QUASI FILA TELARUM: quaſi filum tenue quo tela contexitur. Septuaginta habent σπαρτίον, quaſi dicant *filulum*.

V. 13. SEPTEM CRINES CAPITIS MEI. Paulatim ad caput venit Samſon, *lapſuro propior*, ait S. Ambroſ. epiſt. LXX. Crines ſeptem hic vocantur ſeptem omnium totius capitis crinium diſcrimina, ſeu flocci, tricæ, & cincinni. Italice dicimus *le treccie*. CUM LICIO, licitatorio ligno, ſeu textorio iugo.

V. 10.

Digitized by Google

V. 16. Defecit anima eius, &c. In Hebræo eſt: *Imminuta*, vel *inciſa eſt anima eius ad moriendum*.

V. 17. Aperiens veritatem rei. In Hebræo, & Græco eſt, *omne cor ſuum*. Si rasum fuerit caput meum. Erat enim in Samſonis capillo robur, tamquam in ſigno gratiæ huius gratis datæ, ſeu in Symbolo mutui cuiuſdam fœderis inter ipſum & Deum, ut ſcilicet Samſon nazaræus eſſet, & prolixa coma nazaræatum profiteretur; Deus vero ei adeſſet, & vires daret ingentes, quæ tamdiu permanerent, quamdiu coma illa permanſiſſet intonſa.

V. 19. Dormire eum fecit super, &c. propinata fortaſſis ſoporifera aliqua potione, quæ rationis ſenſum auferret: quod etiam aliis experimentis a Dalila captis, factum fuiſſe probabile eſt. Septem crines eius: ſeptem illos crinium cincinnos, de quibus dictum eſt num. xiii. totum ſcilicet caput, abraſis capillis omnibus.

V. 20. Nesciens quod recessisset ab eo Dominus, quo ad gratiæ gratis datæ effectum, robur ſcilicet, ac fortitudinem.

V. 21. Molere fecerunt: molam verſare truſatilem, ac manuariam.

V. 2v. Iamque capilli eius renasci coeperant. In Hebræo eſt: *Et cœpit capillus capitis eius germinare ſicut cum tondebatur*, vel *ſicut cum tonſus eſt*. Per aliquot ergo menſes, tres nimirum, aut quatuor, fuit in carcere, neque enim citius ita renaſci potuerunt capilli, ut diffuſioris, & prolixioris nazaræorum comæ ſpeciem præ ſe ferrent. Porro interim dum carcere clauderetur Samſon, oculis orbatus, pœnitentia culpas ſuas eluit, ut paſſim tradunt Interpretes.

V. 23. Dagon Deo suo. Putant aliqui dictum eſſe deum hunc a דגן *dagan*, quod frumentum ſignificat, quare illum Euſebius Lib. I. Evangel. præparationis appellat *Δία ἀρότριον*, *Iovem arotrium*, ſive *aratorium*. Alii deducunt a דג *dag*, quæ vox piſcem ſignificat, quod piſcis forma effingeretur. Tradidit Deus noster, &c. Ex quo patet ſacrificium, & epulum Euchariſticum fuiſſe pro Samſone capto.

V. 25. Ante eos luderet. Arias putat ſaltaſſe eum ridicule, & turpiter. Lyranus ait, eum, cæcorum more, illuc impegiſse in parietes, & columnas, interdumque cecidiſse, ſicque riſum excitaſse. Serarius putat, Philiſthæos Samſonem ludum ſuum feciſse, eum variis modis vexando, & percuriendo, quod indicant Septuaginta, qui licet dicant, ut in Vulgata noſtra, *Ludebat ante eos*, addunt tamen, *καὶ ἐῤῥάπιζον αὐτὸν*, *colaphis cædebant*, *alapas ei dabant*.

V. 26. Columnas quibus omnis imminet domus, ipſum ſcilicet Dagonis templum. Solebant enim idololatræ illi in ipſis templis epulas inſtruere. Sic in ſano dei Berith inter epulas & pocula maledicebant Abimelec Sichimitæ, ſupra cap. ix. 27.

V. 27. De tecto ac solario circiter tria millia. Amplum admodum oportet fuiſse templum hoc, e cuius tecto tria ſpectatorum millia ludum Samſonis ſpectare potuerunt: quanto plures caperet reliqua recti planities, ex qua in inferiorem aream proſpectus non erat? Quot in inferioribus contignationibus, quot in ſubiecta area erant Philiſthæi? Porro tecta in Palæſtina plana erant, ut in illis commode conſiſtere, & ambulare liceret. Vide dicta Lib. Ioſue cap. ii. num. 4.

V. 30. Moriatur anima mea cum Philisthiim. Non peccavit Samſon ſe communi illi ruinæ exponendo, ſibique modo illo mortem conſciſcendo, peculiari enim Dei afflatu, ut ita faceret, excitatus eſt. Nec Samſon directe, primario, ac per ſe ſuam ipſius mortem ſpectavit, ſed hoſtium ſuorum, & populi Iſraelitici: itaque mortem ſuam indirecte tantum voluit, qua ratione eum excuſant Caietanus, Abulenſis quæſt. liv. Serar. quæſt. xxxi. & alii.

V. 31. Fratres eius, eius cognati, & propinqui.

TIRINI.

Verſ. 4. Amavit mulierem in valle Sorec, quod ſignificat *vitem*, ſed *lectiſſimam*, ac *generoſiſſimam*: unde Ieremiæ ii. verſ. 31. *Plantavi te Sorec*, Noſter vertit *vineam electam*. Et hæc vallis eadem eſt quæ Numeror. xiii. vocatur *vallis botri*: & eſt vici-

vicina torrenti Sorec, qui duas tribus Dan, & Simeonis interſecat, in quo torrente Eunuchum Candacis baptizatum narrat Adricomius *a*. Iuxta hunc torrentem, & in hac valle Sorec habitabat meretrix Dalila. Neque enim auſim cum S. Chryſoſt. Caſſiano, S. Ephrem, Severo Sulpicio, & Pererio *b* affirmare, eam fuiſse Samſoni uxorem. Quomodo enim auſi fuiſſent Philiſthæi principes tam fidenter, & primo aggreſſu, & ſola ſpe lucelli ſolicitare uxorem ad prodendum maritum, & talem, tantumque maritum? quomodo toties, & tamdiu latuiſſent tot armati in domo propria Samſonis, nec ipſo, nec ullo familiarium, aut famulorum conſcio? quare ad illam excurreret Samſon, & non potius illam ad ſe domum ſuam traduceret tantus princeps? Hæ, & aliæ rationes convincere videntur, non uxorem fuiſse, ſed meretricem, & quidem e pauperioribus. Ita Ioſephus, Ambroſius, Hieronymus, Abbas Ioachim, Abulenſis, Serarius *c*, & alii, qui ob eaſdem pene rationes dicunt, eam natione non Iudæam, ſed Philiſthæam fuiſse.

V. 17. SI RASUM FUERIT CAPUT MEUM, &c. Hinc patet, fortitudinem Samſonis fuiſse qualitatem ſupernaturaliter membris illius inditam, ſed a crine tamquam a ſigno dependentem: nam hoc expreſſo pacto eam illi Deus donarat, ſi nazaræus perſeveraret, & comam aleret. Idque reſciverat ipſe vel ex parentibus, vel ex Angelo, vel ex interno Dei afflatu. Et certe ad comprimendam animi ſuperbiam ſecurius latebat tam eximium robur ſub crinibus, hoc eſt ſub re viliſſima, debiliſſima, ſtupidiſſima. Ita S. Chryſoſtomus, Ambroſius, S. Ephrem, Ioachim Abbas, Auctor mirabilium ſanctæ Scripturæ, qui falſo putatur eſſe ſanctus Auguſtinus, Serarius, & alii.

Petes: Si Samſoni abſque ſua culpa, per vim, vel per morbum, invito ac nolenti fuiſſent adempti crines, an Deus robor illud ſupernaturale membris eius nihilominus ſubtraxiſſet? Reſpondeo negative: cum enim crines in nazaræis nonniſi exterior Dei cultus eſſent, & interioris cultus, devotionis, & conſecrationis nudum indicium ac ſignum; quamdiu interiora illa perſtabant integra, non auferebantur dona ea quæ propter interiora illa potiſſimum dabantur. Cum igitur non propter ſignum, ſed propter rem ſignatam; non propter capillos, ſed propter interiorem animi religionem ac cultum, datæ Samſoni vires fuerint; manſiſſent illi ſalvæ, ſi abſque illius aſſenſu, & peccato (quod hic intercurrit) ablati fuiſſent capilli, & ipſe animo conſtans in cultu nazaræatus perſtitiſſet: quod quia miſer meretriciis inductus blanditiis non præſtitit, merito viribus illis ſpoliatus eſt. Ita Caietanus, Abulenſis, & fere alii iam citati auctores. Pater Martinus de Roa, & Serarius *d* putant, hanc Samſonis comam a Dalila perſectam, Gentilibus occaſionem dediſse comminiſcendi fabulam de purpurea Niſi Megarorum regis, ſub hoc idem tempus imperitantis cæſarie ſeu coma, adeo (ut fingebant) divina, ut quamdiu eam retineret, vinci non poſſe, neque regnum eius ab alio occupari. Sed Scylla eius filia, turpi Minois urbem Megara tum obſidentis amore capta, dormienti patri comam abſcidit, & ſic patrem, & patriam hoſti prodidit. An ovum ovo ſimilius? Vide Pauſaniam, Servium, Ovidium, & Apollodorum *e*, qui & aliam ſimilem tragœdiam narrat de Comethone, Pterelai filia, quæ & ipſa Amphitryonis amore infatuata, aureum de patris capite capillum proſecuit, & ſe a perfidia parentem, & ſolum natale perdidit. Neque tamen Amphitryon Comethonem, neque Minos Scyllam ad nuptias ſuas, quas parricidali ſuo ſcelere ambæ venabantur, admiſerunt; ſed pedibus vinctam hanc in mare præcipitem, illam pluribus aliis tormentis excruciatam commeritæ neci dederunt. Quid noſtræ acciderit Dalilæ poſt fœdam proditionem incertum. Depenſæ quidem illi pecuniæ a quinque Satrapis, verſ. 18. Sed quis dubitet, quin diris agitata conſcientiæ furiis, ſuorum pœnas dederit flagitiorum, & vel propriis manibus, exemplo proditoris Iudæ, cuius typum geſſit; vel alienis, ut facile ſe dare potuit occaſio: neque ſolent amari proditores.

V. 19. SEPTEM CRINES, id eſt ſeptem cincinnos quibus conſtabat, & in quos diſtincta erat univerſa Samſonis cæſaries, RASIT Dalila, ſed manu tonſoris. Narrat Herodotus *f*, manu unius raſas multorum una dormientium maxillas: quan-

quanto facilius radi potuit unius in ſeptem quaſi catenulas collectus capillus? Et forte in cibis papaverea, & ſoporifera quædam ei miſcuit perfidum ſcortum, vel alia carotica, & ſomnifica adhibuit; ut ſæpe ab eiuſmodi mulierculis factitatum, ex Apuleio, Virgilio, Cæſario, & aliis demonſtrat Martinus Delrio *g*.

V. 30. MORIATUR ANIMA MEA CUM PHILISTHIIM. Oratio hæc partim votiva eſt, partim conceſſiva. Nam vovet ut moriantur Philiſthæi, qui e porticibus, & tecto, ſeu ſolario templi proſpectabant. Concedit autem, ut ipſe eadem cum ipſis ruina templi obruatur; quaſi dicat: Opto, & rogo Philiſthæos obrui ruina templi: & hoc ut fiat, non recuſo quin & ego cum iis ſimul obruar. *Quemadmodum princeps exercitus proſtraturus hoſtes, mortem propriam concomitantem non reſpuit*, ut inquit Caietanus. Unde patet, non peccaſſe hic Samſonem; ſed egregium heroicæ fortitudinis actum exercuiſſe: & hoc nomine merito laudari a ſancto Paulo ad Hebræos XI. Neque etiam proprie aut directe ſeſe occidit, ſed ſolum indirecte, & permiſſive; eadem clade, quam iuſte inferebat hoſtibus, & ipſe evadere non poterat, ſeſe involvi permittendo. Ita Caietanus, Lyranus, a Victoria, Soto, Leſſius *h*, Serarius, & alii Doctores. Addit ſanctus Auguſtinus *i*, ipſum ſpeciali Dei inſtinctu id feciſſe: ut colligitur ex priſtino ſupernaturali robore hunc in finem illi iam pœnitenti cælitus reſtituto. Quin & martyrem facit ſanctus, & vetus auctor Bachiarius *k*. Quod vero colliſu duarum tantummodo medianarum columnarum proſterni potuerit tam vaſtum templum, nulli mirum videbitur, qui meminerit theatri Curionis uni ſolummodo nixi columnæ. & alterius amphitheatri nonniſi duabus ſuffulti: de quo Plinius, *Quid enim*, ait, *miretur quiſquam in hoc primum? Inventorem, an inventum? Artificem, an auctorem? Auſum aliquem hoc excogitare & iubere, an ſuſcipere & parere? Super omnia erit populi furor, ſedere auſi tam infida inſtabilique ſede. Ecce populus univerſus binis cardinibus ſuſtinetur, periturus momento laxatis machinis*. Hæc Plinius *l*. Et viderat ſæpius olim Samſon formam illius templi, noratque columnarum & craſſitiem, & intervallum. Et iuſtus erat prætextus quo a famulo peteret, illis potius craſſioribus columnis, quam aliis tenuioribus inniti: nam homini feſſo, quo craſſius, in quod recumbat, fulcrum occurrit, eo gratius, & ad quietem aptius eſt.

Allegorice Samſonem in ortu, in pueritia, nuptiis ſuis, leone, apibus, aſini maxilla, & fonte ex ea prognato, Gazæis portis, coma detonſa, exoculatione, piſtrino, templi Dagon everſione, & omnibus vitæ ſuæ geſtis, & maxime ultronea, ſtupendaque morte Chriſtum præfiguraſſe, notius eſt quam ut debeam commemorare. Sed fuſe commemorat Serarius *m* ex ſancto Auguſtino, Ruperto, Beda, & aliis ſanctis Patribus. Idem *n* ex eodem ſancto Auguſtino, Euſebio, Philaſtrio & aliis, docet, Herculem, de quo tam multa, tam ſtupenda Gentiles, non alium fuiſſe, quam noſtrum Sanſonem. Sane tempus quo fuiſſe Herculem Plutarchus, Apollodorus, Diodorus Siculus *o*, & pene omnes Græci affirmant: item rerum geſtarum ſimilitudo, ut alia omittam, illi ſententiæ valde favent. Vide etiam Pererium in Geneſis XLIX. ubi etiam exponit qua ratione Samſon ex vaticinio Patriarchæ Iacob, fuerit Philiſthæis *coluber in via, ceraſtes in ſemita*, &c. ut ibidem explicui.

(*a*) Adricom. in Dan. num. 37.
(*b*) Chryſoſtom. Homil. XVII. ex variis in Matth. Caſſian. collat. XVII. cap. XX. Ephrem. ſerm. adv. improbas mulieres, Tom. I. Sev. Sulp. in Hiſt. ſacra. Pererius in Geneſ. XXXI. diſput. 2.
(*c*) Ambroſ. epiſt. lxx. Hieron. epiſt. cxvr. ad Evagrium. Ioachim P. III. in Apocal. Abul. quæſt. VII. & X. Serar. quæſt. V.
(*d*) De Roa Lib. V. Singularium, cap. VII. Serar. hic quæſt. XVI.
(*e*) Pauſan. in Atticis. Servius in I. Georgicorum, Ovid. Lib. VIII. Metamorphoſ. Apollod. Lib II. & III. Bibliothecæ.
(*f*) Herod. Lib. II.
(*g*) Delrio Lib. III. Diſq. Magic. P. I. quæſt. II.
(*h*) Vict. relectione de Bello. Leſſius de Iuſtitia.
(*i*) Auguſt. Lib I. de Civit. cap. XXVI.
(*k*) Bachiarius epiſt. ad Ianuarium, de recipiendis lapſis.
(*l*) Plin. Lib. XXXVI. cap. XV.
(*m*) Serar. hic quæſt. XL. & ſeq.
(*n*) Serar. hic quæſt. XXXVI. S. Auguſt. Lib. XVIII. de Civit. cap. XIX. Euſeb. in Chron. Philaſt. de Hæreſ. cap. VIII.
(*o*) Plutarch. in principio Theſei. Apollod. Lib. II. Diodor. Lib. IV. cap. III.

GORDONI.

Verſ. 1. GAZAM. Urbs celebris ad mare mediterraneum, עַזָּה, hodie

hodie *Gazara*, in inferiore Syria. Chriſtianum hodie habet Epiſcopum ſub turcico Imperio. Vide Adrichom. in Simeone. Mulierem hanc cauponariam aliqui putant: omnino meretrix fuit, ut habet textus. Simile eſt Ioſue II.

Verſ. 4. DALILA (quam probabilius eſt fuiſſe Palæſtinam) vocatur a pleriſque uxor Samſonis: nuſquam ſane in textu vocatur meretrix: & diuturna cohabitatio ſuadet fuiſſe uxorem. Hanc ſollicitant, & corrumpunt ſatrapæ urbium principes, quæ ſunt Gaza, Geth, Accaron, Aſcalon, Azotus.

Verſ. 7. NERVICEIS FUNIBUS, ex boum nervis. Alii ex virgis viridibus, aut viminibus humidis. Septuag. ex funibus humidis.

Verſ. 9. TORTUM PUTAMINE. Hæ duæ voces non ſunt apud Septuaginta, aut in Hebr. Aliqui libri habebant filum de ſtuppa tortum putamine. Ceterum putamen ex Nonio eſt, quod excutitur ex nucibus, aut rebus aliis, & proiicitur. Denique hic ſignificatur filum viliſſimum, & quod levi igne exuritur.

Verſ. 13. SI SEPTEM CRINES, id eſt multos, aut cincinnum. *Licium* eſt lignum quo involvitur tela a texente. *Plectere* hic eſt ligare, & implicare. *τὸ* TERRAE FIXERIS non eſt in Hebræo.

Verſ. 17. Non erat in capillo Samſonis fortitudo, velut in ſubiecto, aut cauſa, ſed tamquam in ſigno huius gratiæ gratis datæ huic nazaræo, electo ut ſic ſerviret Deo; ita tamen voluit Deus has vires ad crinem alligare, ut probabile ſit non defuturas vires, ſi alio modo, & ſine Samſonis conſenſu, adempti crines fuiſſent, ex Abulenſi quæſt. XXIV.

Verſ. 27. DOMUS AUTEM ERAT PLENA, &c. Ampliſſimum videtur fuiſſe palatium, aut etiam templum Dagon: vel ampliſſimum ædificium ludis, & conviviis aptum; & habens conclavia, porticus, contignationes, atria, &c. Deſcribit Arias domum hanc quadratam, & columnis abundantem; area media, in quam ex omni domo patebat aſpectus.

Verſ. 30. MORIATUR ANIMA MEA, &c. Conſentiunt Doctores non hic peccaſſe Samſonem: tum quia divino afflatu res peracta eſt; tum quia non primo intendebat mortem ſuam, ſed ultionem hoſtilem, ut faciunt qui bello ſe committunt, aut qui morti cognitæ ſe obiiciunt, pro liberando principe, & patria: immo aliqui martyrem dixerunt. Sane Paulus, Hebr. XI. inter ſanctos eum numeravit. Tandem finis capitis reponit iudicaſſe annis 20. ſcilicet (ut multi intelligunt) in ſervitute Philiſthæa, ut ſupra: ſed eſtne Iudicum ultimus? Sane eorum Iudicum ultimus eſt, qui numerantur in Iudicum hoc Libro: alioqui Lib. I. Reg. memorantur Iudices Heli, & Samuel. Hinc Act. cap. XIII. verſ. 20. dati dicuntur Iudices uſque ad Samuelem.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 4. IN VALLE SOREC. Vocatur etiam vallis botri, quod ibi eſſent vites plurimæ. DALILA, Philiſtæa eſt.

V. 5. DABIMUS TIBI SINGULI MILLE ET CENTUM ARGENTEOS. Spondent pro ſingulis provinciis mille & centum argenteos: erantque quinque provinciæ, a nominibus urbium quas recenſui verſ. 4.

V. 19. AT ILLA DORMIRE EUM FECIT, data forte potione ſoporifera.

V. 31. FRATRES, propinqui & cognati.

CA-

C A P U T XVII.

Mater Michæ conflavit ipſi de ſervato argento idolum; cui ille primo filium ſuum, deinde Leviten Bethlehemitem præfecit ſacerdotem.

1. FUit eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas, 2. qui dixit matri ſuæ: Mille & centum argenteos quos ſeparaveras tibi, & ſuper quibus me audiente iuraveras, ecce ego habeo, & apud me ſunt. Cui illa reſpondit: Benedictus filius meus Domino. 3. Reddidit ergo eos matri ſuæ, quæ dixerat ei: Conſecravi & vovi hoc argentum Domino, ut de manu mea ſuſcipiat filius meus, & faciat ſculptile atque conflatile: & nunc trado illud tibi. 4. Reddidit igitur eos matri ſuæ: quæ tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, ut faceret ex eis ſculptile atque conflatile, quod fuit in domo Michæ. 5. Qui ædiculam quoque in ea Deo ſeparavit, & fecit ephod, & theraphim, id eſt veſtem ſacerdotalem, & idola: implevitque unius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei ſacerdos. 6. In diebus illis non erat rex in Iſrael, ſed unuſquiſque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat. 7. Fuit quoque alter adoleſcens de Bethlehem Iuda, ex cognatione eius: eratque ipſe Levites, & habitabat ibi. 8. Egreſſuſque de civitate Bethlehem, peregrinari voluit ubicumque ſibi commodum reperiſſet. Cumque veniſſet in montem Ephraim, iter faciens, & declinaſſet parumper in domum Michæ, 9. interrogatus eſt ab eo unde veniſſet. Qui reſpondit: Levita ſum de Bethlehem Iuda, & vado ut habitem ubi potuero, * & utile mihi eſſe perſpexero. 10. Dixitque Michas: Mane apud me, & eſto mihi parens ac ſacerdos: daboque tibi per annos ſingulos decem argenteos, ac veſtem duplicem, & quæ ad victum ſunt neceſſaria. 11. Acquievit, & manſit apud hominem, fuitque illi quaſi unus de filiis: 12. implevitque Michas manum eius, & habuit puerum ſacerdotem apud ſe. 13. Nunc ſcio, dicens, quod benefaciet mihi Deus habenti Levitici generis ſacerdotem.

B R U G E N S I S

ROMANA CORRECTIO.

V. 9. *Et utile mihi eſſe perſpexero*. Properſpexero, quod eſt videro, non legas *proſpexero*, id eſt prævidero.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. EO TEMPORE, ſcilicet mortuo Samſone, vel tempore Othonielis; quamquam hæc duo verba ab Interprete ſunt addita.

V. 2. ARGENTEOS, ſcilicet ſiclos. QUOS SEPARAVERAS TIBI. Hebr. & Chald. *acceptos tibi*. LXX. *ſublatos tibi*, ſcilicet furto. IURAVERAS, ſcilicet te

te dedicaſſe Domino, ut infra. Alii: *Maledixeras*, ſcilicet imprecata malum furi. HABEO; quaſi dicat. Ego accepi. DOMINO; pro, a Domino, ſcilicet ſis.

V. 3. DOMINO. Nota, Dei nomen proprium idolo tribui. Vide etiam Exod. XXXII. I. Reg. XXIX. III. Reg. XXII. Gen. XXXI. ſcilicet putabant illi, idola eſſe veros deos. SCULPTILE, ſcilicet ſimulacrum. CONFLATILE, id eſt fuſile.

V. 4. REDDIDIT, ſcilicet iterum.

V. 5. THERAPHIM imagines erant ſpecie humana. Hic vero quidam putant accipi pro inſtrumentis illius ſuperſtitionis. Noſter *idola* eſt interpretatus. IMPLEVITQUE.... MANUM, id eſt conſecravit, ſcilicet dando in manum quod offerret,

V. 6. REX, id eſt gubernator, ſcilicet iudex.

V. 7. EIUS, ſcilicet Iuda; quaſi dicat: Qui habitabat cum tribu, ſeu familia Iuda: vel quæ Bethleem ad Iudæ familiam ſeu tribum pertinebat.

V. 10. ARGENTEOS, ſcilicet ſiclos. DUPLICEM, ſcilicet æſtivam, & hibernam.

V. 12. IMPLEVITQUE. Vide ſupra. PUERUM, id eſt adoleſcentem.

ESTII.

Verſ. I. FUIT EO TEMPORE VIR QUIDAM DE MONTE EPHRAIM NOMINE MICHAS. Quidam dicunt, hiſtoriam hanc accidiſſe mortuo Samſone, dum interregnum eſſet. Sed non apparet. Si enim uſque ad ætatem Samſonis tribus Dan ſortem ſuam plenam non accepiſſet, ut narratur capite proximo, certe ſub Samſone homine ſuæ tribus, eoque iudice populi, ac viro fortiſſimo, curaſſet ſibi ſuppleri quod deerat; neque tum demum cum ipſe mortuus eſſet. Deinde conſtat, hæc acta eſſe tempore Ionathan filii Gerſam, filii Moyſi: is enim fuit Levites ille, quem ſibi Michas fecit ſacerdotem, ut liquet ex proximo capite. Idem ille Ionathan ſemel & iterum vocatur puer, id eſt adoleſcens. Quare melius ſentiunt qui dicunt, hanc hiſtoriam accidiſſe ante, vel poſt tempora Othonielis, de quo cap. III. huius Libri. Non conſtat autem ſatis, utrum hæc prior ſit ea hiſtoria quæ narratur cap. XIX. & XX. an poſterior: de quo vide ad cap. XX.

V. 2. BENEDICTUS FILIUS MEUS DOMINO: & mox verſ. 3. CONSECRAVI ET VOVI HOC ARGENTUM DOMINO. Utrobique loco in Hebræo eſt nomen Dei tetragrammaton ſeu *Iehovah*. Putat quidem Ribera ſuper Malach. ſecundum illud etiam aliquando tributum idolo. Sed Origenes homil. XIV. in Numeros dicit, ubicumque ponitur nomen Iehovah, nullam eſſe dubitationem, quin de Deo vero agatur. Erat itaque hæc mulier cultrix veri Dei, ſed tamen ſimul colebat idola, id eſt ſculptile, & conflatile: quo modo & populus Iſrael, poſtquam a regno David fuit ſeparatus, ita manſit in cultu veri Dei, quem Iehovah appellabant, ut ſimul coleret vitulos aureos a Ieroboam erectos.

V. 5. IMPLEVITQUE UNIUS FILIORUM SUORUM MANUM, ET FACTUS EST EI SACERDOS: & ſimiliter in fine capitis: IMPLEVITQUE MICHAS MANUM EIUS, ET HABUIT PUERUM SACERDOTEM APUD SE. Quid ſit *implere manum* vide explicatum Exodi XXIX. Quod autem *puerum* dicit, quem antea dixerat adoleſcentem (quamvis in utroque loco Hebraice eſt *puer*) per puerum intelligit adoleſcentem, quomodo & David puer dictus eſt, quando pugnavit contra Goliath, & Salomon quando inivit regnum. Sacerdotem autem vocat Michas, non quod vere fuerit ſacerdos (erat enim nepos Moyſi, ut patet capite ſequenti verſ. 30. & proinde Levita tantum, non etiam ſacerdos) ſed quia Michas eo uſus eſt ut ſacerdote. Quod quidem eo fecit libentius, quod intelligeret eum Levitam eſſe, hoc eſt ſaltem de tribu, etſi non de ſtirpe ſacerdotali, cum prius ſacerdote uſus fuiſſet ne quidem Levita: quod declarant hæc eius ſequentia verba: *Nunc ſcio quod benefaciet mihi Deus habenti Levitici generis ſacerdotem*.

MARIANAE.

Verſ. I. FUIT EO TEMPORE. *Eo tempore* non eſt in Hebr. ſed tantum: *Et fuit vir in monte Ephraim nomine Michas*. Quod, cum Scriptura temporum ordinem non ſemper ſervet, quidam

pu-

Digitized by Google

putarunt contigiſſe non poſt Samſonem, ut noſter Interpres innuit; ſed Othonielis ætate. Ioſeph. Lib. V. cap. XI. poſt Ioſue mortem, quæ de Micha hic, & quæ de Beniamitis ſequuntur, continue ponit. Dixit is matri:

V. 2. MILLE ET CENTUM ARGENTEOS. Bene ſuppletur *ſiclos*, ut poſuit Chald. QUOS SEPARAVERAS TIBI, id eſt in uſus tuos. Sept. *ſublatos tibi*: ſic Hebr. *qui accepti ſunt tibi*, id eſt a te. ET SUPER QUIBUS ME AUDIENTE IURAVERAS. Verbum אלה *alah*, & *iurare*, & *maledicere* ſignificat. Hebr. Sept. Chald. & Hieronymus priorem ſignificationem ſequuntur; quaſi dicat: Iuraſti in auribus meis, me audiente, ſublatos eſſe. Pagninus, & alii recentiores poſteriorem ſignificationem amplexi ſunt; quaſi dicat: Me audiente dira imprecata es, ſcilicet furi: quod cum ingenio muliebri ſatis convenit, ad lamenta, & imprecationes converti. BENEDICTUS FILIUS MEUS DOMINO. In vocativo potius, *fili mi Domino*, id eſt a Domino, ſcilicet ſis benedictus: ſed perinde eſt. Reddidi ergo eos ſiclos matri,

V. 3. QUAE DIXERAT. Hebr. *Et dixit*. DOMINO. Dei verum nomen quadrilitterum tribuitur idolo tum hoc loco, tum multis aliis, quod eius cultores verum eſſe Deum putarent. ET FACIAT SCULPTILE ATQUE CONFLATILE; id eſt, idolum faciat filius.

V. 4. TULIT DUCENTOS ARGENTEOS. Chald. addit *ſiclos*, quod ſemper facit quoties argento numerus additur Hebraice, ut decem, aut viginti argenti, Elias Methurgheman in radice סלע *ſelah*, ſecus in auro, ut patet cap. VIII. huius Libri verſ. 26. DEDIT EOS ARGENTARIO. Fuſori potius, aut aurifici: nam *argentarius* proprie *menſarium* ſignificat. Michas fecit

V. 5. EPHOD. Veſtis erat quam levitæ, & ſacerdotes induebant, qualis linea noſtrorum veſtis. ET THERAPHIM. Idola figura humana. Hoc ſecutus Hieronymus addidit de ſuo, *Id eſt veſtem ſacerdotalem, & idola*. De his Oſeæ III. verſ. 4. IMPLEVITQUE UNIUS FILIORUM SUORUM MANUM, *unius* ſcilicet primogeniti: & *unus* Hebraice idem eſt quod *primus*. Inter alia primogenituræ iura ſacerdotium erat. *Implere manum* eſt conſecrare, quoniam manibus ii portabant quæ Deo offerrent.

V. 7. FUIT... ALTER ADOLESCENS. Hebr. non eſt *alter*, ſed hoc: *Et fuit puer*: EX COGNATIONE EIUS. Hebr. *ex familia Iuda*: quod referri debet non ad puerum, ſed ad Bethlehem, quæ erat de familia, id eſt de tribu Iuda. Ita non ſolum *Bethlehem Iuda* vocabatur, ſed vere de ea tribu erat. ET HABITABAT: peregrinabatur potius. IBI: ſcilicet in Bethlehem non erat civis, ſed peregrinus, & advena. Michas ait illi:

V. 10. ESTO MIHI PARENS, id eſt magiſter, qui parentis inſtar eſt. PER ANNOS SINGULOS. Hebr. *ad dies*: ſic etiam Septuag. id eſt annuatim: Hebraiſmus. DECEM ARGENTEOS. Chald. *ſiclos*. VESTEM DUPLICEM: ſic Sept. & Chald. id eſt hibernam, & æſtivam. Hebr. *ordinem veſtium*. id eſt indumenta quibus egueris: ſic Hebræus. ET QUAE AD VICTUM SUNT NECESSARIA: Hebr. *& victum tuum*: alimenta.

V. 12. PUERUM. Eadem dictio *nahar* eſt, pro qua verſ. 7. Hieronymus vertit *adoleſcentem*. Parum refert. Habuit illum Michas ſacerdotem.

MALVENDAE.

Verſ. 1. FUIT EO TEMPORE, &c. Immanuel Tremellius, & Franciſcus Iunius hæc annotant: *Quæcumque ab hoc capite uſque ad finem Libri narrantur, ad ea pertinent quæ ſcribuntur ſupra cap. II. verſ. II. & ſequentibus, ut non multo poſt mortem Ioſuæ geſta fuiſſe appareat. Primum, quod ad hiſtoriam huius, & ſequentis capitis attinet, eo quod veriſimile non eſt, tribum Danis, quæ numeroſa erat, diu potuiſſe propria poſſeſſione carere, ut caruiſſe dicitur infra cap. XVIII. verſ. 1. & confirmatur Ioſue XIX. verſ. 47. Deinde eo quod is qui in ſacerdotem tribus Daniticæ adaptavit, iuvenis, & pronepos Moſis ex Menaſeh erat, ut apparet ex cap. XVIII. verſ. 30. Tertio, quia hanc hiſtoriam ante ſequentem de Biniaminitis geſtam eſſe oſtendit auctor infra cap. XX. verſ. 1. Similiter quod ad ſequentem hiſtoriam capitis XIX. & ſequentium, ſub idem tempus eam contigiſſe, probatur primum ex Phinchaſo, qui tunc* tempo-

temporis ſacerdotio fungebatur, ut apparet ex cap. xx. verſ. 28. deinde ex eo quod Ieruſalaimorum (quæ Iebus dicebatur) ea pars quæ ad Biniaminem ſpectabat, adhuc a Iebuſæis tenebatur, ut docetur infra cap. xix. verſ. 12. Vide ſupra cap. I. verſ. 8. & 21. Poſtremo, ex verbis Deboræ ſupra cap. v. verſ. 14. Eſt ergo huius, & ſequentium capitum ſtatus, Iſraelitarum rempublicam tam in religione, quam in moribus fuiſſe corruptiſſimam: quia ex parvis initiis brevi tempore totæ tribus in idololatriam, & aperta ſcelera ruerunt: quod ſatis fuit unico tantum in utroque genere exemplo confirmaſſe. Finis autem eſt, ut iudiciorum Dei, quæ ſupra cap. III. huc uſque commemorata ſunt, iuſtitia elucescat. Hæc illi: quæ ſane magna non carent probabilitate, & de tempore harum rerum geſtarum, perſpicue aſtipulatorem habent Ioſephum Lib. V. Antiquit. cap. VI. Alii in alia tempora referunt. Plerique eo ordine, quo in hoc Libro poſita deſcribuntur, hæc omnia contigiſſe, nimirum a morte Samſonis ad magiſtratum Heli exiſtimant, quod difficultate non caret. Eſto igitur tota hæc diſſertatio inter Chronologorum ſacrorum ſcrupulos.

V. 2. MILLE ET CENTUM ARGENTEOS. Si ſicli erant, pendebant quater mille & quadringenta regalia Caſtellana; ſi pondera Hiſpanica, 8800. regalia; ſi libræ, ſeu minæ, 28400. regalia. Siclorum ratio rectius huic loco convenire videtur. Vide ſupra cap. XVI. verſ. 5. QUOS SEPARAVERAS TIBI. Hebr. *Quod* argentum *acceptum, captum, ſumptum fuit tibi.* Quidam ab ea in certos uſus ſepoſitum accipiunt: quem ſenſum Noſter ſecutus eſt. Alii furto ablatum & ſurreptum intelligunt. ET SUPER QUIBUS ME AUDIENTE IURAVERAS. Hebr. *Et tu adiuraviſti, & etiam dixiſti in auribus meis*. Quidam: *Et tu maledixiſti, execrata es, & etiam dixiſti in auribus meis*; id eſt, propter quos dira imprecata es, diris devoviſti, me audiente. Verbum אלה *alah* eſt *adiurare addita imprecatione mali*. Adiuraverat enim mulier, & invocaverat Deum additis diris, & execrationibus in raptores, plurimas ipſorum capitibus peſtes, ærumnas, mortes, gehennas imprecando, ut ſolent mulierculæ in eiuſmodi rebus; quaſi dicat: Ego, qui argentum illud abſtuleram, execratione tua audita perculſus agnoſco culpam. Alii: *Et tu iuramento illud Deo voviſti, & promiſiſti*, ſeu *conſecraſti, me audiente*. BENEDICTUS FILIUS MEUS DOMINO. Quidam exponunt quaſi dicat: Iam mea hac execratione liber eſto. Alii: Dignus filius meus qui a Domino fortunetur, qui argentum a me Deo devotum conſervavit, ut poſſim votum meum implere.

V. 3. DOMINO. Hebr. IHUH. Impie abutitur nomine ſacroſancto, tribuendo illud idolo; ut etiam filius eius infra verſ. 13. ET NUNC TRADO ILLUD TIBI. Explicant quaſi dicat: Quid opus eſt ut illud ad me referas, cum, ſi haberem, tibi redditura eſſem?

V. 4. REDDIDIT IGITUR EOS MATRI SUÆ; id eſt, quamvis inſtante matre, detinere apud ſe recuſavit.

V. 5. ET FECIT, nimirum ex reliqua pecunia quam ſibi mater reliquerat: nam alii ducenti ſicli argentei iam expenſi erant in ſculptile, & conflatile. EPHOD, id eſt amiculum, ſuperhumerale, thoracem. Vide Exodi XXVIII. verſ. 4. Hic univerſe ſacerdotales veſtes ſignificat, ſynecdochice. IMPLEVITQUE UNIUS FILIORUM SUORUM MANUM; id eſt, conſecravit miniſterium unius filiorum ſuorum: vel unum ex filiis ſuis certo ritu, & cæremonia initiavit, conſecravit. Vide Exodi XXVIII. verſ. 41. Idque interim, vel ad tempus, donec ſibi de aliquo Levita provideretur. Sic infra verſ. 12.

V. 6. NON ERAT REX IN ISRAEL. Aliqui exponunt, id eſt gubernator, & ordinarius index. Sic accipitur Geneſ. XXXVI. verſ. 31. & Deuteron. XXXIII. verſ. 5. Nam alioqui penes iudices, de quibus hoc libro hactenus, ordinaria non fuit adminiſtratio, & regendi auctoritas. Vide ſupra in cap. II. verſ. 16. Quidam: *Non erat magiſtratus legitimus in Iſrael*; id eſt, erat velut interregnum, nullus erat iudex in Iſrael. Alii explicant quaſi dicat: Hæc geſta ſunt non regum, ſed iudicum temporibus, quorum non tanta erat poteſtas coercendi populum a tam immanibus ſceleribus, ut regum erat. Sic infra cap. XVIII. I. & cap. XXI. verſ. 24.

V. 7. ADOLESCENS. Hebr. *puer.* Aliqui, *miniſter*, ut Exodi XXXIII. II. Notant hunc eſſe Ionathan, infra cap. XVIII. verſ.

verſ. 30. De Bethlehem Iuda, ad diſcrimen alterius Beth-lehem Zabuloniæ, Ioſue xix. verſ. 15. Nam in iſta Beth-lehem Iudaica natus, & educatus erat. Unde quidam reddunt: *Beth-lechemo Iebudæ ortus*, vel *oriundus*. Ex cognatione eius. Hebr. *de familia Iebudah*. Iſtud quidam non ad puerum, aut adoleſcentem referunt, non enim Iudæus, ſed Levites erat; ſed ad Beth-lehem, & ad maiorem expreſſionem poſitum eſſe; quaſi dicat: Quæ Beth-lehem in tribu Iuda poſita erat, & ad familias & cognationes Iudæ pertinebat. Plerique alii ad puerum referunt, qui maternum genus a Iuda duceret, quamvis paterno eſſet Levita. Nonnulli exponunt, *de familia Iebudæ*, nativitate quidem, ſeu loco nativitatis, non genere & gente, nam Levita erat genere, ut mox dicitur. Eratque ipse Levites, gente, & genere; natus tamen in urbe Beth-lehem ſortis Iudaicæ, ut paulo ante dicebamus. Et habitabat ibi. Non fuit ſane Beth-lehem aſſignata Levitis ad habitandum; ſed, ut quidam exiſtimant, cum tum iam eſſent omnia perturbata, ſerviebat ibi ſervitutem. Etſi autem alibi quoque fuiſſe peregrinatum, & ad quærendum victum oberraſſe oſtenditur infra cap. xviii. verſ. 3. ut de altero quoque intelligendum eſt infra cap. xix. verſ. 1. Ergo exiſtimant aliqui hunc Levitam habitaſſe in Beth-lehem, non ut indigenam, ſed ut peregrinum, ut & Hebræa indicare videntur; ſed ibi ortum, antecedentia, ut diximus, oſtendunt: nec mirum ita tunc fuiſſe factum, cum diſciplina publica, & vera religio collapſa eſſet.

V. 10. Per annos singulos decem argenteos. Hebr. *decadem argenti in dies*. Plerique cum Noſtro, *in ſingulos annos*, *annuatim*. Vide ſupra cap. xiv. 8. Si argentei hic intelligantur ſicli, ſumma eſt 40. regalium Caſtellanorum, quæ vile pretium ſacerdoti videtur: ſi pondera vulgaria Hiſpanica, id eſt *peſos*, ſunt 80. regalia Caſtellana; nec pretium dignum pro ſacerdote videtur: ſi libras aut minas accipimus, ſunt 240. regalia, nec abſurda ſacerdoti annua penſio, præter victum, & veſtitum. Nec aliene alii intelligunt decem ſiclos dietim, ſeu in ſingulos dies pactos Levitæ pro ſacerdotio. Ac vestem duplicem. Hebr. *& ordinem*, ſeu *ordinationem veſtium*, id eſt par, duas, binas veſtes, ordine temporum diſpoſitas, æſtivam ſcilicet, & hibernam. Aliqui reddunt, *& ſyntheſim veſtium*; exponuntque, tam ad uſum proprium, quam ad miniſterium. Quid autem ſit *ſyntheſis*, late te docebunt Lazarus Bayſius, & Carolus Stephanus in re veſtiaria, & in primis Hadrianus Iunius in Nomenclatore. Quidam eam eſſe putant quam Hiſpani vocant *libream*, Galli *livream*, alii compoſituram, & aggeſtionem veſtium ordinibus creſcentem, atque ſuffultam; Hiſpanice *guarda ropa*. Nonnulli, *& demenſum*, *ordinarium*, *veſtium*; id eſt, id quod ordinarie de veſtibus dari ſolet pro dignitate perſonæ. Nec deſunt qui, *& æſtimationem*, *pretium*, *veſtium*: quo tibi commode veſtes comparare poſſis.

V. 13. Habenti Levitici generis sacerdotem; ac ſi dicat: Non amplius ex alieno genere, ad functionem ſacerdotalem aliquem aſſumenti. Hominis imperiti ſermo, & in pietate parum inſtituti: cum totus iſte cultus idololatricus eſſet, & ſacerdos eſſe non poſſet, niſi ex Aaronis genere.

MENOCHII.

Verſ. 1. De monte Ephraim. Mons dicitur pro montoſa regione, ſeu pro parte illa tribus, quæ montibus pluribus conſtabat. Adrichomius in Ephraim num. 39. montana hæc novem millia paſſuum circiter tenuiſſe affirmat.

V. 2. Qui dixit matri suae. Nullus hic mulieris huius maritus proditur, itaque vidua fuiſſe videtur, & etiam anus, quippequæ ex filio nepotes habuit, quorum unus ſacerdos domeſticus conſtitui potuit. Mille et centum argenteos, ſiclos ſcilicet, qui fere quingentos efficiunt coronatos, ut notat Salianus. Quos separaveras tibi: ſepoſueras, vel in uſum incertum, ſi quis caſus incideret, vel certum, & definitum, idolorum ſcilicet fabricam. Me audiente iuraveras, illos numini addicens addita iuriſiurandi religione. Ecce ego habeo: apud me depoſiti ſunt. Tu quid ex illis fieri velis, ſtatue. Benedictus

CTUS FILIUS MEUS DOMINO. Propterea filio benedicit, quod pecuniam repræſentet fideliter. Quod vero dicitur in Vulgata, *Domino*, in Hebræo eſt *Iehovah*: quæ vox licet ſit veri Dei nomen, ea tamen ſuperſtitioſa mulier abutebatur ad falſos deos honorandos, quibus erat addicta.

V. 3. FACIAT SCULPTILE ATQUE CONFLATILE. Duplex idolum, alterum ſculptum ex marmore, ex argento alterum arte fuſoria. ET NUNC TRADO ILLUD TIBI. Volunt aliqui eſſe verba filii reſtituentis matri nummos, quia ſequitur: *Reddidit igitur eos matri ſuæ*. Alii malunt eſſe verba matris, ut ſenſus ſit: Trado tibi, dono tibi. Retine: ſi eos haberem, iam tibi redderem, vel eos tamen tibi reddam: & ſic Septuaginta qui habent *ἀποδώσω*, *reſtituam*.

V. 4. QUAE TULIT DUCENTOS ARGENTEOS. Reliqua pecuniæ ſumma in ædicula conſtruenda, ephod, reliquoque idolo ſacro inſtrumento videtur inſumpta.

V. 5. EPHOD. Vide dicta ſupra cap. VIII. num. 27. THERAPHIM, idola. Septuaginta vocem Hebraicam modo vertunt *εἴδωλα*, *idola*, modo *γλυπτά*, *ſculptilia*. IMPLEVITQUE UNUS FILIORUM SUORUM MANUM. *Implere manum*, eſt ſacerdotio initiare. Implentur autem vel oleo quo conſecrantur, vel victima, aut re oblata, quam cum manu apprehendebant, Deoque offerebant, ſacerdotes fiebant. FACTUS EST EI SACERDOS. Ut ſuperſtitioſus erat ille cultus, & idololatricus; ſic ſacerdos male, & non legitime promotus.

V. 6. IN DIEBUS ILLIS NON ERAT REX IN ISRAEL, &c. Hæc accidiſſe putat Serarius quæſt. XIV. in hoc caput, poſt Samſonis mortem, antequam Heli ad reipublicæ gubernationem eſſet admotus. Salianus vero hæc refert in tempus, quod Ioſue mortem conſecutum eſt, quæ opinio eſt etiam Lyrani, Abulenſis, Maſii, & Riberæ, quos citat Serarius loco indicato. UNUSQUISQUE QUOD SIBI RECTUM VIDEBATUR HOC FACIEBAT. Quod propterea dicitur, ut intelligatur mirum non fuiſſe, ſi anarchiæ tempore inventi ſint qui talia impune auderent.

V. 7. ALTER ADOLESCENS. Dicitur *alter*, propter adoleſcentem Michæ filium ſacerdotem, cuius paulo ante facta eſt mentio, numero ſcilicet 5. Is vero de quo hic agitur, non hoc tantum loco, ſed etiam capite ſequenti num. 3. & 15. adoleſcens dicitur, & a LXX. hoc quidem loco *νεανίας*, ſequenti vero *νεανίσκος*, quæ voces iuvenem ſignificant. Videtur fuiſſe cælebs, quia cum de ſtipendio ipſius agitur num. 10. eius tantum ſuſtentationis, ac veſtitus mentio fit, non autem uxoris, aut filiorum. Poſtea vero apud Danitas uxorem duxit, filioſque procreavit cap. XVIII. num. 30. DE BETHLEHEM IUDA EX COGNATIONE EIUS. In Hebræo eſt: *De Bethlehem Iuda de cognatione*, ſeu *familia Iuda*: de ea nimirum Bethlehem quæ eſt in cognatione, familia, ſeu tribu Iuda. Alia enim Bethlehem eſt in tribu Zabulon, Ioſue XIX. 15. ERATQUE IPSE LEVITES, immo Moſis ipſius nepos, quippe filius Gerſan filii Moſis, ut patet ex cap. XVIII. ſequenti num. 30. nomenque illi erat Ionathan.

V. 8. EGRESSUSQUE.... PEREGRINARI VOLUIT. Pauper erat, quia cum Levitis nulli eſſent agri, & populi pietas, ac religio in Deum refrixiſſet, pauci etiam erant redditus quibus ſuſtentarentur Levitæ, qui alioqui vigente pietate non ſufficientes tantum erant, ſed abundantes. Ingenio etiam levi, & inconſtanti, & quod deterius eſt, a ſuorum pietate, ac religione degenerante Levites hic fuit.

V. 10. ESTO MIHI PARENS, AC SACERDOS. Levita iſto ſenior erat Michas, eum tamen parentem vocat honoris cauſa: ſic religioſi ſacerdotes Patres appellantur. DECEM ARGENTEOS, ſiclos nimirum. Non ſemel dixi, ſiclum unum argenteum quatuor argenteis regalibus Hiſpanicis æquivalere. VESTEM DUPLICEM: quarum altera hiemali tempori, altera æſtivo conveniens ſit; vel quarum altera domi utaris, altera cum domo eſt prodeundum, præſertim diebus feſtivis, ac proinde elegantior, & pretioſior;

V. 13. NUNC SCIO QUOD BENEFACIET MIHI DEUS, &c. contrarium potius timendum, peccata ſua, ſi ſaperet,

repu-

reputanti: nam erat idololatra, ſacerdotem filium nullo iure, immo contra leges conſtituerat; Levitam invitaverat ut ſibi eſſet ſacerdos, quod fas non erat, cum non eſſet de filiis Aaron, ſed Moſis; tandem Levitam hunc ad idola colenda, dato pretio, traduxerat: quæ omnia graviſſima erant crimina, & quæ divinam vindictam provocarent.

TIRINI.

Verſ. 1. EO TEMPORE, ſcilicet quo aliquid horum contigit quæ toto libro Iudicum recenſentur. Nam ſecundum Ioſephum *a*, Lyranum, Abulenſem, Maſium, & Riberam, hæc Michæ hiſtoria contigit paulo poſt mortem Ioſue, ante primum iudicem Othonielem, & colligitur ex capite ſequenti verſ. 30. Et hoc veriſimilius eſt, quam quod Arias, & Gramaye, & Serarius *b* cum pleriſque novatoribus volunt accidiſſe poſt mortem Samſonis, eodem ordine quo hic recenſetur. Eſt vero hæc hiſtoria. Vidua quædam dives, ſed ſuperſtitioſa, & idololatrica, certo domus loco ſepoſuerat, vel (ut Serarius putat verti poſſe) filio in depoſitum tradiderat mille & centum ſiclos argenteos, ſeu florenos Belgicos, qui faciunt ſcuta Italica vulgatæ monetæ 440. Hanc pecuniam filius eius Michas vel clam ſurripuerat, vel depoſitam apud ſe nolebat matri repoſcenti reddere. Mater in furem acrius invecta, iurat, id eſt diris devovet furem, mille capiti ipſius peſtes, ærumnas, mortes, ac gehennas imprecando. Michas his territus, matri nummos redhibet; ſed mox ipſa iubente, curat inde confici SCULPTILE ATQUE CONFLATILE, hoc eſt ſtatuas duas argenteas; unam ſculptam & dolatam, alteram opere fuſili conflatam. Curat item *ephod*, id eſt veſtem ſacerdotalem, ſub qua comprehenduntur omnes aliæ veſtes ſacræ & ſupellectilia ad ſacrificium neceſſaria. Atque ita fecit ſibi *theraphim*, id eſt idola, e quibus divinatio, & futurorum prænotio petebatur. Colligitur ex verſ. 5. capite ſequenti, & Ezech. XXI. verſ. 21. Zach. X. verſ. 2. & Rabbini paſſim explicant, *theraphim* eſſe *imagines futura prænuntiantes*. Ita Serarius *c*.

Porro ad ſacrificia his idolis offerenda, Michas duorum dicitur hic *impleviſſe manus*, id eſt duos creaſſe ſacerdotes. Nam, ut ex Levitico *d* colligitur, ut quis ſacerdotio initiaretur, opus erat duplici manus impletione: una oleo ſacro, quo manus inungebantur; altera ſacrificio, ſeu victima, quam manu tenebat, & Deo offerebat qui ſacerdos initiabatur.

Porro primo loco in ſacerdotem delegit Michas *unum*, ſeu primum *filiorum ſuorum*, id eſt primogenitum ſuum; cui iure naturæ deberi videbatur hæc prærogativa. Secundo ad idem munus pretio conduxit Levitam quemdam nomine Ionatham *e*, habitatione Bethlemitam, ex cognatione Iuda, ut eſt hic in Hebræo: nam maternum genus trahebat ex tribu Iuda, conformiter iis quæ dixi cap. ult. Lib. Numer. Eratque hic Ionathan (quod magis mirere) nepos Moyſis, filius Gerſam, *f* vel, ut iam Hebræa & Chaldæa legunt, Gerſom, primogeniti filii Moyſis, ut patet Exodi II. verſ. 22. nobiliſſimi ac ſanctiſſimi ducis impius & degener nepos: ut ſolent ſummorum quandoque virorum filii, aut nepotes evadere perditiſſimi. Exempla vidimus in Cain, Iſmaele, in filiis Heli, Samuelis, & aliis: Vide Lampridium *g*. Porro cum ſacrificus hic idololatra nepos Moſis dicatur fuiſſe tum *adoleſcens* cum hæc acciderent; colligi inde videtur, hæc non diu poſt mortem Ioſue contigiſſe, ut Ioſephus & alii ſupra citati contendunt.

(*a*) Ioſeph. Lib. V. cap. II. Lyran. & Abul. hic quæſt. I. & XVI. Maſius in XIX. Ioſue, verſ. 47. Ribera in Oſeæ X.
(*b*) Serar. hic quæſt. XIV.
(*c*) Serar. quæſt. V.
(*d*) Levit. VIII. verſ. 24. & 27. & cap. IX. verſ. 3. 9. 11.
(*e*) Cap. XVIII. Iudic. verſ. 30.
(*f*) Exod. cap. XVIII. verſ. 2.
(*g*) Lamprid. de Commodo in principio cap. XVII. verſ. 7.

GORDONI.

Verſ. 1. 2. & 3. EO TEMPORE, &c. Hæ voces non ſunt in Hebræo, nec apud Septuaginta. Per eas tamen noſter Interpres inſinuat contigiſſe hanc hiſtoriam paulo poſt Samſonem. ARGENTEOS, ſupple ſiclos, QUOS SEPARAVERAS TIBI, id eſt furto a te ſublatos, ut iuraveras, hos reſtituo.

Ex hac ſumma ducenti argentei dantur argentario, ſeu fuſori, ut inde fieret idolum. Interim in Hebræo nomen tetragammaton tribuitur idolo ab his interlocutoribus.

V. 5. Quid ſculptile ſit, & conflatile, vide ſupra Exod. xx. verſ. 4. & Deuter. cap. v. porro de Ephod habes cap. VIII. Iudicum. *Theraphim*, apud LXX. θέραφιν, Hebr. תרפים, quod a ſculptili, aut conflatili vix diſtat: deſignant enim vanorum deorum effigies. IMPLEVIT MANUM; hoc eſt, initiavit ſacerdotio: ſic III. Reg. cap. XIII. verſ. 33. nam ſacerdotes manibus portabant quæ Deo offerebantur. Vox *elohim* in deteriorem partem hic accipitur.

V. 7. FUIT QUOQUE ALTER. Alter hic, quem ſacerdotem creat Michas, eſt adoleſcens Levita: & verſ. 12. vocatur puer. Hebr. eſt *Nahar*. En interim verſ. 13. ſtultam Michæ confidentiam, qui more novatorum noſtri ſæculi, ex falſa religione, pravoque Scripturarum ſenſu, felicitatem polliceatur, ſi diis placet.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. Mulier hæc vidua videtur, & multum provectæ ætatis. SEPARAVERAS, ſepoſueras.

V. 4. DUCENTOS ARGENTEOS. Reliqua ſumma videri poteſt inſumpta ut fieret ephod, ædicula, &c.

V. 6. IN DIEBUS ILLIS NON ERAT REX IN ISRAEL. Tempus incertum eſt, an ſtatim poſt mortem Ioſue, an vero inter mortem Samſonis & principatum Heli: nam utroque tempore contingit anarchia.

V. 7. ALTER ADOLESCENS. Hoc exprimit, ut diſtinguatur a filio Michæ ſacerdote. Iſte de quo hic, eſt Levites. Vide cap. XVIII. verſ. 30. an nepos Moſis.

CAPUT XVIII.

Miſſis primum exploratoribus, ſecuti poſtea ſunt ſexcenti viri de tribu Dan, quærentes ſibi poſſeſſionem; & ablato Michæ idolo cum ſacerdote, urbem Lais vi capientes inhabitaverunt.

1\. IN diebus illis non erat rex in Iſrael, & tribus Dan quærebat poſſeſſionem ſibi, ut habitaret in ea: uſque ad illum enim diem inter ceteras tribus ſortem non acceperat. 2. Miſerunt ergo filii Dan, ſtirpis & familiæ ſuæ quinque viros fortiſſimos de Saraa & Eſthaol, ut explorarent terram, & diligenter inſpicerent: dixeruntque eis: Ite, & conſiderate terram. Qui cum pergentes veniſſent in montem Ephraim, & intraſſent domum Michæ, requieverunt ibi: 3. & agnoſcentes vocem adoleſcentis Levitæ, utenteſque illius diverſorio, dixerunt ad eum: Quis te huc adduxit? quid hic agis? quam ob cauſam huc venire voluiſti? 4. Qui reſpondit eis: Hæc & hæc præſtitit mihi Michas, & me mercede conduxit, ut ſim ei ſacerdos. 5. Rogaverunt autem eum, ut conſuleret Dominum, ut ſcire poſſent an proſpero itinere pergerent, & res haberet effectum. 6. Qui reſpondit eis: * Ite in pace: Dominus reſpicit viam veſtram, & iter quo pergitis. 7. Euntes igitur quinque viri venerunt Lais: videruntque populum habitantem in ea abſque ullo timore, iuxta conſuetudinem Sidoniorum, ſecurum & quietum, nullo ei penitus reſiſtente, magnarumque opum, & procul a Sidone atque a cunctis hominibus ſeparatum. 8. Reverſique ad fratres ſuos in Saraa & Eſthaol, & quid egiſ-

egiſſent ſciſcitantibus reſponderunt: 9. Surgite, aſcendamus ad eos: vidimus enim terram valde opulentam & uberem: nolite negligere, nolite ceſſare. Eamus, & poſſideamus eam, nullus erit labor. 10. Intrabimus ad ſecuros, in regionem latiſſimam, tradetque nobis Dominus locum, in quo nullius rei eſt penuria, eorum quæ gignuntur in terra. 11. Profecti igitur ſunt de cognatione Dan, ideſt de Saraa & Eſthaol, ſexcenti viri accincti armis bellicis, 12. aſcendenteſque manſerunt in Cariathiarim Iudæ: qui locus, ex eo tempore, Caſtrorum Dan nomen accepit, & eſt poſt tergum Cariathiarim. 13. Inde tranſierunt in montem Ephraim. Cumque veniſſent ad domum Michæ, 14. dixerunt quinque viri, qui prius miſſi fuerant ad conſiderandam terram Lais, ceteris fratribus ſuis: Noſtis quod in domibus iſtis ſit ephod, & theraphim, & ſculptile, atque conflatile: videte quid vobis placeat. 15. Et cum paululum declinaſſent, ingreſſi ſunt domum adoleſcentis Levitæ, qui erat in domo Michæ: ſalutaveruntque eum verbis pacificis. 16. Sexcenti autem viri ita ut erant armati, ſtabant ante oſtium. 17. At illi qui ingreſſi fuerant domum invenis, ſculptile, & ephod, & theraphim, atque conflatile tollere nitebantur, & ſacerdos ſtabat ante oſtium, ſexcentis viris fortiſſimis haud procul expectantibus. 18. Tulerunt igitur qui intraverant, ſculptile, ephod, & idola, atque conflatile. Quibus dixit ſacerdos: Quid facitis? 19. Cui reſponderunt: Tace, & pone digitum ſuper os tuum: venique nobiſcum, ut habeamus te patrem, ac ſacerdotem. Quid tibi melius eſt, ut ſis ſacerdos in domo unius viri, an in una tribu & familia in Iſrael? 20. Quod cum audiſſet, acquievit ſermonibus eorum, & tulit ephod, & idola, ac ſculptile, & profectus eſt cum eis. 21. Qui cum pergerent, & ante ſe ire feciſſent parvulos ac iumenta, & omne quod erat pretioſum, 22. & iam a domo Michæ eſſent procul, viri qui habitabant in ædibus Michæ conclamantes ſecuti ſunt, 23. & poſt tergum clamare cœperunt. Qui cum reſpexiſſent, dixerunt ad Micham: Quid tibi vis? cur clamas? 24. Qui reſpondit: Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & ſacerdotem, & omnia quæ habeo, & dicitis: Quid tibi eſt? 25. Dixeruntque ei filii Dan: Cave ne ultra loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipſe cum omni domo tua pereas. 26. Et ſic cœpto itinere perrexerunt. Videns autem Michas, quod fortiores ſe eſſent, reverſus eſt in domum ſuam. 27. Sexcenti autem viri tulerunt ſacerdotem, & quæ ſupra diximus: veneruntque in Lais ad populum quieſcentem atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladii: urbemque incendio tradiderunt, 28. nullo penitus ferente præſidium, eo quod procul habitarent a Sidone, & cum nullo hominum haberent quidquam ſocietatis ac negotii. Erat autem civitas ſita in regione Rohob: quam rurſum extruentes habitaverunt in ea, 29. vocato nomine civitatis Dan, iuxta vocabulum patris ſui quem genuerat Iſrael, quæ prius Lais dicebatur. 30. Poſueruntque ſibi ſculptile, & Ionathan filium Gerſam filii Moyſi, ac filios eius ſacerdotes in tribu Dan, uſque ad diem captivitatis ſuæ. 31. Manſitque apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo. In diebus illis non erat rex in Iſrael.

Digitized by Google

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Verſ. 6. *Ite in pace*. Non ſcribas *eum* pro *in*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. SORTEM, ſcilicet totam. Vide Ioſ. XIX.

V. 2. REQUIEVERUNT: ſic etiam LXX. at Hebr. & Chald. *pernoctaverunt*.

V. 3. QUAM OB CAUSAM, &c. Heb. Chald. & LXX. *Quid tibi eſt hic?* ſcilicet negotii.

V. 6. RESPICIT, id eſt favet, ſeu dirigit. Chald. *ſtabilivit*.

V. 7. LAIS. Hæc poſtea dicta *Paneas* a fonte Paneade, & *Cæſarea Philippi*. Eſt ad radices Libani, ubi Ior, & Dan fontes iuncti Iordanem faciunt.

V. 14. NOSTIS. Hebr. & Chald. *Numquid noſtis?*

V. 18. IDOLA. Hebr. & LXX. *theraphim*. Chald. *ſimilitudines*: ſcilicet imagines erant, ſeu figuræ: ſic & infra.

V. 19. DIGITUM. Hebr. Chald. & LXX. *manum*.

V. 20. ACQUIEVIT SERMONIBUS EORUM. Hebr. Chald. & LXX. *Lætatus eſt corde*.

V. 22. CONCLAMANTES. Hebr. & Chald. *congregati*.

V. 24. OMNIA QUAE HABEO. Heb. *Quid mihi ultra?* id eſt reliquum.

V. 30. MOYSI. Hebr. *Manaſſe*; ſed Hebræi legunt *Moyſi*, eius enim nepos erat. Chald. & LXX. *Manaſſe*. CAPTIVITATIS, ſcilicet captæ arcæ tempore Heli.

V. 31. IN DIEBUS ILLIS, &c. Hic incipit cap. XIX. ſecundum Hebræos.

ESTII.

Verſ. 1. USQUE AD ILLUM ENIM DIEM INTER CETERAS TRIBUS SORTEM NON ACCEPERAT. Scilicet ſorte non fuerat ei aſſignata tanta portio, quanta pro magnitudine tribus ei opus erat: unde pars eius tribus compulſa fuit quærere ſibi ſedes alias, extra ſortem initio acceptam. Vide de his plenius ad cap. XIX. Ioſue.

V. 30. ET IONATHAN FILIUM GERSAM FILII MOYSI. Pro *Moyſi*, Hebraice eſt *Manaſſe*. Sed commutatione litteræ putatur mendum eſſe, & commutatum a quibuſdam Hebræis, ne Moyſes haberetur huius idololatriæ occaſione, in ſuo nepote veluti minus honorabilis. Et quidem Septuaginta etiam pro *Moyſe* habent *Manaſſe*; ſed omnino legendum eſt *filii Moyſi*, quia Michas capite præcedenti diſertis verbis dicit in fine: *Nunc ſcio quod benefaciet mihi Deus habenti Levitici generis ſacerdotem*. Unde non ſunt hæc referenda ad aliquem ex tribu Manaſſe. Denique hæc non magis derogant honori Moyſis, quam derogatum eſt Aaroni ex duobus eius filiis qui a Deo percuſſi ſunt, Levit. X.

POSUERUNTQUE SIBI SCULPTILE IN TRIBU DAN....USQUE AD DIEM CAPTIVITATIS SUAE. Multi intelligunt captivitatem decem tribuum ſub rege Aſſyriorum. Verum non eſt veriſimile tribum Dan tanto tempore perſeveraſſe in idololatria: tum quia I. Reg. VII. dicitur, *quod omnis Iſrael requieſceret poſt Dominum, & ſerviret Deo ſoli*; & tempore Samuelis, Saulis, Davidis, & Salomonis nuſquam legitur aliqua tribus coluiſſe idola, donec III. Reg. XII. leguntur per Ieroboam erecti vituli aurei in Dan, & Berſabee. Itaque alii per diem captivitatis intelligunt captivitatem arcæ per Philiſtæos, I. Reg. IV. quando veriſimile eſt multos ſimul Iſraelitas ductos captivos, & maxime ex tribu Dan, cuius agri viciniſſimi erant Philiſtæis, ut patet ex hiſtoria Samſonis, & aliunde: cui ſententiæ etiam favet quod ſequitur: *Manſitque apud eos idolum Michæ omni tempore quo fuit domus Dei in Silo*.

MA-

MARIANAE.

Verſ. 1. SORTEM NON ACCEPERAT tribus Dan: intellige totam: nam Ioſ. xix. Danitis anguſti fines ſunt dati. *Sortem non acceperat*, ſcilicet ſufficientem. Porro hic locus favet iis qui Micham ante mortem Samſonis, ac vero ſuperiori tempore fuiſſe putant. Danitæ exploratores

V. 2. REQUIEVERUNT IBI, ſcilicet IN MONTE EPRAIM: ſic Septuag. Hebr. tamen, & Chald. *pernoctarunt ibi*: & vere לון *lun* ſignificat *pernoctare non ultra noctem unam*; aliquando tamen pernoctare plures ſignificat, cap. xix. verſ. 4. Rogarunt puerum Michæ,

V. 5. UT CONSULERET DOMINUM, ſcilicet verum Deum Micham colere putarunt. Reſpondit:

V. 6. DOMINUS RESPICIT VIAM VESTRAM. Hebr. *Coram Domino via veſtra*. Vobis favet, eritque propitius. Chald. *Stabilivit Dominus viam veſtram*.

V. 7. NULLO EI PENITUS RESISTENTE. Hebr. *& non pudefaciens* (pro ignominia afficiens) *verbum in terra*, pro in re ulla, aut negotio. Nullus erat qui ei genti moleſtus eſſet, ſcilicet populo Lais. MAGNARUMQUE OPUM. Heb. *poſſidens* (pro non poſſidens, nam prior negatio repetitur) *prohibitionem*; id eſt, nullus erat qui prohiberet, ſcilicet rex, ut Hebræi explicant: immo vocem עצר *hezer*, pro qua vertunt *retentionem*, ipſi ſumunt pro *regno*, ut & II. Paralip. xiv. verſ. 11. Itaque Lais non habebat regem. PROCUL A SIDONE: ideo opem ferre non poterat, & forte illi ſubdita erat. A CUNCTIS HOMINIBUS SEPARATUM, ſcilicet populum. Hebr. *& verbum non ipſis cum homine*. Per *verbum* quidam *commercium* intelligunt, alii *ſocietatem*; ut intelligatur ex eo opportunos iniuriæ fuiſſe. Quod magis explicatur verſ. 28. Exploratores ſuis referunt, eſſe

V. 10. IN REGIONEM LATISSIMAM. Hebr. *latam manibus*, id eſt locis: eo minus firma, expugnatu facilior erat Lais.

V. 14. DIXERUNT QUINQUE VIRI. Hebr. *reſponderunt*: ſic Septuag. & Chald. Sed *reſpondere*, eſt *incipere loqui*. NOSTIS. Lege cum interrogatione: Hebr. & Chald. *numquid noſtis?* hic eſſe ephod, ſcilicet in domo Michæ. Tulerunt ergo

V. 18. IDOLA. Hebr. & Sept. *theraphim*. Chald. *ſimilitudines*, tulerunt ſcilicet Danitæ. Puero reclamanti dixerunt:

V. 19. PONE DIGITUM. Hebr. *manum*: ſic Sept. & Chald. PATREM, id eſt doctorem, Principem te habebimus.

V. 21. ET OMNE QUOD ERAT PRETIOSUM. Vox Hebraica כבודה *chebudah* ſignificat *ſubſtantiam*, & *greges*, & *armenta*: ſic Hebræus. Ergo non ſolum idola acceperunt, ſed diripuerunt omnia quæ in Michæ domo erant. Domeſtici Michæ

V. 22. CONCLAMANTES SECUTI SUNT. Hebr. *convocati*, ſeu *congregati*, *& aſſecuti ſunt filios Dan*.

V. 24. OMNIA QUAE HABEO abſtuliſtis, ait Michas. Hebr. *Et quid mihi adhuc*, vel *ultra*? ſic Chald. & Sept. quaſi dicat: Sublatis diis, & ſacerdote, quid mihi ſupereſt? Videtur cetera præ illis contemnere. Tace, ne

V. 25. ET IPSE CUM OMNI DOMO TUA PEREAS. Hebr. *Ne forte colligas animam tuam, & animam domus tuæ*. *Colligi ad populum ſuum*, eſt *obire*, *perire*. Venerunt Danitæ Lais.

V. 28. ERAT AUTEM CIVITAS SITA IN REGIONE. Hebr. *in valle*: ſic facile opprimi potuit. ROHOB. Hebr. *in valle Bethrehob*, id eſt *domus latæ*: & fortaſſe ſic vocat Lais ipſam, quæ erat lata, ut dicitur verſ. 10. Captam urbem vocarunt

V. 29. NOMINE CIVITATIS DAN. Hæc civitas *Leſem* dicta eſt Ioſue xix. verſ. 47. hic vocatur *Lais*, & *Dan*. Eadem dicta eſt *Paneas* a fonte Paneade, tum *Cæſarea Philippi*. Eſt ad radices Libani, ubi Ior, & Dan fontes, qui iuncti Iordani & nomen, & aquas dant, ut plerique putant. Poſueruntque ibi ſacerdotem

V. 30. IONATHAM. Hic eſt nomen Levitæ qui in domo Michæ fuerat. FILIUM GERSAM FILII MOYSI. Ex hoc colligunt, Michæ factum contigiſſe tempore Ioſue, aut certe poſt illum proxime, quando Ionathan fuit nepos Moyſi. Verum dicat aliquis, filium priori loco ſumi in ſignificatione poſterorum: nam poſteriori loco pro filio certe ſumitur. *Gerſam* enim

fuit

Digitized by Google

ſuit Moyſis filius, Exod. II. verſ. 22. Sed ubi nos legimus *Moyſis*, Hebr. eſt *Manaſſe*: ſic Sept. & Chald. Quod referunt non ad Manaſſe filium Ioſeph, ſed ad Manaſſem regem, cuius filius dicitur *Ionatham* imitatione: ſuit enim Manaſſes inſignis idololatra. Vera tamen lectio loci eſt, quam Hieronymus eſt ſecutus. Hebræi tamen ad vitandam Moyſis ignominiam, pro *Moyſi* ſubſtituerunt *Manaſſem* additione litteræ Nun, quam ut addititiam indicarent, eminere aliis litteris voluerunt, quod in multis Bibliis retinetur. Illud miror, tantæ rei mentionem neque in Maſſoreth ſupereſſe, neque in margine ſignum aliquod extare. Abulenſis in textu ait *Moyſe*, in margine *Manaſse* Hebræos poſuiſſe in omnibus Bibliis: quod nos non invenimus. Porro Sept. in Regiis legunt *Ionathan filius Gerſon filii Manaſſe*; in Romanis, *filius Gerſon filius Manaſſe*, bis *filius* in nominativo. USQUE AD DIEM CAPTIVITATIS. Vel quouſque captæ ſunt decem tribus, vel quouſque capta eſt arca tempore Heli: variant enim ſententia. Eouſque poſteri Ionatham fuerunt in Lais ſacerdotes,

V. 31. IN DIEBUS ILLIS NON ERAT REX. Ex his verbis Hebræi incipiunt cap. XIX. & per *regem*, Iudices etiam intelliguntur: ſæpeque ea repetuntur, ut malorum origo indicetur, populum rectore carere.

MALVENDAE.

Verſ. I. NON ERAT REX IN ISRAEL. Vide ſupra cap. XVII. verſ. 6. Sic infra cap. XXI. verſ. 24. SORTEM NON ACCEPERAT. Intellige plenam, & quæ ſatis eſſet. Unde quidam Hebræa vertunt: *Quia ſatis ipſi non acciderat*, &c. Confer hunc locum cum Iehoſuæ XIX. 47. & ſupra cap. I. 34. Nam hæc de idonea, & commoda habitatione, quæ ſatis futura eſſet numeroſæ tribui, accipi neceſſe eſt: alioqui vel ipſa nomina Tzareghah, & Eſthaolis demonſtrant ſortem ſuam Dani fuiſſe attributam. Hiſpanicus Interpres: *No le avia caydo ſu ſuerte*: vel *no avia conquiſtado ſu ſuerte*; id eſt, nondum urbes ſuæ ſortis in poteſtatem redegerat: nondum Chananæos ex urbibus, quæ ei in poſſeſſionem obvenerant, eiecerat.

V. 2. QUINQUE VIROS. Hebræ' addunt ,: *de extremitatibus ſuis*, vel *de finibus ſuis*. Quidam exponunt Hiſpanice *de ſus cabos*, *de ſus eſtremados*, id eſt præcipuos, primores populi. Sic capiunt I. Regum XII. verſ. 31. Alii, *de partibus ſuis*. Hiſpanico, *de ſus quarteles*. Alii, מקצות *miktzoth*, unum nomen faciunt; *partes, portiones, ſuas*. REQUIEVERUNT IBI. Hebr. *Et pernoctaverunt ibi*, id eſt in eo loco ubi Michah domum habebat. Nam ſequente verſu dicitur, eos poſtea fuiſſe circa domum Michæ. Alii, in ipſamet domo Michæ pernoctaſſe eos volunt, quod Noſter perſpicue ſecutus eſt.

V. 3. ET AGNOSCENTES VOCEM ADOLESCENTIS LEVITAE, &c. Hebraice: *Et ipſi cum domo Michæ, & ipſi agnoverunt vocem adoleſcentis*. Quidam: *Cum autem eſſent iuxta domum Michæ, & ipſi agnoverunt*, &c. Alii: *Ipſis exiſtentibus apud domum Michæ*, &c. Nonnulli: *Cumque veniſſent ad domum Michah*, &c. Nec deſunt qui: *Et ipſi erant apud domum Michæ*, &c. Ego emphaſim eſſe puto in Hebraica locutione; quaſi dicat: Cum primum ipſi domum Michæ intraverunt, ſtatim ipſi agnoverunt vocem Levitæ.

V. 6. DOMINUS RESPICIT VIAM VESTRAM. Hebr. ex verbo: *Directio* IHUH *via veſtra*; id eſt, Dominus diriget viam veſtram: vel *rectitudo* IHUH *via veſtra*; id eſt, recta eſt via veſtra apud Dominum. Alii: *E regione Iehovæ*, vel *coram Iehova, via veſtra*; id eſt, Iehova aſpicit, & favet peregrinationi veſtræ; vel, Deus ſibi ob oculos propoſuit iter; & inſtitutum veſtrum, ut illud ſecundet. Sic impie abutitur nomine IHUH. Aliqui reddunt: *Obviat* IHUH *viæ veſtræ*. Hiſpanice *encuentra*, anceps verbum, quod in bonum, & in malum accipi poteſt, ut erant ambigua deorum oracula.

V. 7. VIDERUNTQUE POPULUM HABITANTEM IN EA ABSQUE ULLO TIMORE IUXTA CONSUETUDINEM SIDONIORUM, SECURUM ET QUIETUM. Hebr. *Et viderunt populum, qui in intraneo eius, ſedentem ad confidentiam ſecundum iudicium Tzidoniorum, quieſcentem, & confidentem*. Quidam: *Ubi animadverterunt populum, qui erat in ea (ut erat ſita in tuto ſecundum rationem Tzidoniorum) quietum, & ſecurum eſſe*. Illud, *Ut erat*

ſita.

ſita in tuto, exponunt ex ſitu eius urbis, qui infra deſcribitur verſ. 28. Illud vero, *Secundum rationem Tzidoniorum*, id eſt eiſdem inſtitutis ſecure & legibus utentem. NULLO EI PENITUS RESISTENTE. Diverſimode Hebræa convertunt. I. *Et quod non eſſet qui pudore ſuffunderet eos in aliquo in terra*; id eſt, nullos habebat hoſtes, aut nulla erat diſcordia. II. *Et non faciens pudere verbo*; id eſt, nullus erat vexans eos verbis comminatoriis. III. *Et non confundentem eos in aliquo in terra*; id eſt, nullus erat qui rempublicam confunderet, aut perturbaret ulla in re. IV. *Et non calumnians*, *calumnia afficiens*, *verbum in terra*. V. *Et nemo exprobrans verbum in terra*. VI. *Nec eſſe quemquam, qui de re ulla pudore afficeret in ea terra*; id eſt, tam ignavum magiſtratum eſſe, ut ne minima quidem nota maleficum civem audeat tangere, aut etiam reprehendere (ſic enim accipitur verbum Ruth II. verſ. 15.) ac proinde omnia licere, & nihil apud eos turpe præ licentia eſſe. MAGNARUMQUE OPUM. יורש עצר *ioreſch ghethzer* varie exponunt. I. *Poſſidens prævaleſcentiam*, vel *hereditans prædominationem*, id eſt provinciam, quaſi concluſam certis limitibus, & legum vinculis. II. ſubaudita negatione præcedente: *Nec poſſidens, hereditans regnum*, *dominium*, vel *nec qui hereditate acciperet regnum*; id eſt, neque etiam erat qui occuparet regnum, aut qui regni eſſet heres. III. *Nec erat apud quem eſſet rerum ſumma*. IV. *Nec heres coactor*; id eſt, nullus vexans eos iure hereditatis tamquam heres dominii ſuper eos, nullus denique vexans eos bello. V. *Poſſidens retentionem*; id eſt, nec qui ius, & auctoritatem poſſideret retinendi, ſeu continendi populum in officio. VI. *Heredem interdicti*, ſeu *prohibitionis*, vel *heredem imperii*; id eſt, rempublicam non rege, ſed alternante magiſtratu regi, cuius minor eſt auctoritas. Nec prorſus aliene e vicino nomine עצרת *ghatzereth*, de quo egimus Levit. XXIII. verſ. 36. reddes: *Nec poſſidens cœtum validum*, aut *conventum prævalidum*; id eſt, cuius ſenatus nec conſilio, nec viribus valebat, carebat bono ſenatu. Hiſpanicus: *No avia nadie en aquella region, que los perturbaſſe en coſa ninguna para poſſeer aquel reyno*. ET PROCUL A SIDONE. Hebr. *præterea eos remotos eſſe a Tzidoniis*, qui auxilio illis eſſe potuiſſent, ſi adfuiſſent propius. Sic infra verſ. 28. ATQUE A CUNCTIS HOMINIBUS SEPARATUM. Hebr. *Et verbum non eis cum homine*. Quidam: *Nec commercium haberent cum quoquam*. Alii: *Nec erat eis negotium cum quoquam hominum*. Nonnulli: *Et rem non eſſe eis cum quoquam*, id eſt ſingulare fœdus: ita enim ſibi confidebant, ut aliorum fœdera reiicerent. Sic infra verſ. 28.

V. 8. QUID EGISSENT. Hebr. *Quid vos?* ſubandi, dicitis, vel egiſtis, vel boni affertis?

V. 9. NOLITE NEGLIGERE. Hebr. *Et vos ſilentes*, *tacentes*, *quieſcentes*, *ceſſantes?* id eſt, hic ſtatis deſides, ſegnes, & tardi; quin itis quamprimum ad expugnandam eam?

V. 10. INTRABIMUS AD SECUROS, IN REGIONEM LATISSIMAM. Hebr. *Secundum venire vos, venietis ad populum confidentem, ſecurum, & terram latam manuum*. Quidam reddunt: *Cum advenietis, adveneritis ad populum ſecurum*, id eſt dominium obtinebitis, & proprietatem in populum ſecurum, *& in terram, quæ eſt ampla ſpatiis*. De hac locutione, *Terra lata manibus*, vide Geneſ. XXXIV. verſ. 21. id eſt ampliſſima & latiſſima.

V. 12. CASTRORUM DAN NOMEN ACCEPIT. Vide de hoc loco ſupra cap. XIII. verſ. 25. ET EST POST TERGUM CARIATHIARIM. Hebr. *Ecce* eſt *poſt Kiriath-Iegharim*. Quidam exponunt, id eſt a parte occidentali, ab occidente eius. Sic Ioſue VIII. verſ. 2.

V. 14. VIDETE QUID VOBIS PLACEAT. Quidam reddunt: *Deliberate ergo quid facietis*: nimirum ſi ſtatuitis iſta ſacra vobiſcum auferre. Alii: *Cognoſcite quid facturi ſitis*; id eſt, ut nos fecimus, ſupra verſ. 5. deos iſtos de expeditione veſtra conſulite: exquirite a diis iſtis eventum itineris veſtri.

V. 15. SALUTAVERUNTQUE EUM VERBIS PACIFICIS. Hebr. *Et poſtulaverunt, petierunt, interrogaverunt ei ad pacem*, vel *de pace*, id eſt de integritate, incolumitate, ſalute, proſperitate, &c. Quidam: *Et ſalutaverunt eum pacifice*; id eſt, precati ſunt illi ſalutem. Alii: *Et optaverunt ei in pacem*. Aliqui: *Et interrogaverunt eum, num recte haberent omnia*. Sic

Ge-

Geneſ. XLIII. verſ. 27. id eſt, amice ſalutatum, foras ad ſexcentos colloquendo adduxerunt, ut intelligitur ex verſu 17. Metalepſis.

*V.*17. AT ILLI QUI INGRESSI FUERANT DOMUM. Hebr. *Et*, vel *interea*, *aſcenderunt quinque viri illi*, &c. nimirum dum ſacerdotem illum ſexcenti viri apud ſe colloquio detinent in oſtio domus.

*V.*18. QUIBUS DIXIT SACERDOS, nimirum qui animadvertebat illa efferri foras.

*V.*21. ET OMNE QUOD ERAT PRETIOSUM. Hebr. *& gravitatem*, exponunt divitias, ut vaſa auri, argenti. Alii *ſupellectilem*. Plerique, *Gravamen*, *pondus*, *onus*, *impedimenta*, *ſarcinas*. Hiſpanicus Interpres, *Y el bagaie*.

*V.*22. SECUTI SUNT. De ratione verbi דבק *dabak*, quod hic ponitur in Hiphil, diſſeruimus Geneſ. II. verſ. 24. Hic reddunt: *Et inſecuti ſunt*, *inſectati ſunt*, *aſſecuti*, *attigerunt*, *apprehenderunt*, *filios Dan*. Nos: *Et agglutinaverunt ſe filiis Dan*; id eſt, *appropinquaverunt eis*, *coniunxerunt ſe*, *adhæſerunt illis*: vel *& agglutinare fecerunt filios Dan*; id eſt, conglobare ſe eos fecerunt, qui ſparſim, & neglectim incedebant: cum enim vidiſſent ſe inſequentes, in ordines ſe compoſuerunt, & agmen denſarunt, expectantes impetum hoſtium.

V. 23. CUR CLAMAS? Hebr. *Quia exclamatus*, *conclamatus es*? Quidam: *Quod convocatis comitatus es?* Alii: *Quod ſic quiritaris*.

*V.*25. ANIMO CONCITATI. Hebr. *amari animæ*, ſeu *amarulenti animo*; hoc eſt, iracundi, billioſi, prompti ad iram. ET IPSE CUM OMNI DOMO TUA PEREAS. Hebr. *Et colligas*, *congreges*, *animam tuam*, *& animam domus tuæ*; id eſt, auferas, tollas, amittas, perdas vitam tuam. Vel *recolligat animam tuam*, &c. quaſi dicat: Ne ſis auctor ut Deus revocet, ac recipiat ad ſe animam tuam. & domeſticorum tuorum. Nonius Marcellus cap. IV. §. 101. *colligere*, *auferre*. Vide Geneſ. XXX. verſ. 23.

*V.*27. URBEMQUE INCENDIO TRADIDERUNT. Quidam reddunt: *Poſtquam incenderunt civitatem ipſam igne*; id eſt, ignem diverſis partibus civitatis ſubiecerunt, ut (quia pauciores erant) commodius hoſtes in extinguendo incendio occupatos opprimerent. Sed id plus nimio ſubtilius eſt, & ſatius eſt verborum ordinem retinere. Nam ferro, flammiſque ſimul graſſabantur, e ritu belli.

V. 28. EO QUOD PROCUL HABITARENT A SIDONE. Unde auxilium eis præſto eſſe non potuit. Vide ſupra verſ. 7. IN REGIONE ROHOB. Hebr. *& ipſa in valle, quæ ipſi Beth-Rechob*. Quidam: *Sitaque erat in valle, quæ protenditur ad Beth-Rechob*. Alii: *Eſt enim in illa convalle, quæ adiacet regioni Rechobi*, id eſt parti Syriæ Trachonitidis, de qua II. Samuel. X. verſ. 6. & 8. De *Rechob* diximus Numeror. XIII. verſ. 22.

V. 29. VOCATO NOMINE CIVITATIS, DAN, &c. Hebr. *Et vocaverunt nomen urbis*, *Dan*, &c. Ioſue XIX. verſ. 47. *Et vocaverunt Leſem Dan*, *ſecundum nomen Dan patris eorum*. לשם *Leſchem*, proprium nomen gemmæ, de qua egimus Exodi XXVIII. verſ. 19. Ubi notavimus, vel urbi nomen inditum a gemma, vel gemmæ ab urbe, quod in ea regione vel naſceretur, vel expoliretur, nonnullos exiſtimaſſe. Fortaſſe nomen urbs adepta a lyncibus, qui in ea regione invenirentur. Nam Noſter *Leſchem*, *lyncurium* lapidem eſſe putavit, quem tradunt ex lyncis urina glaciari; ut ſane dicta eſt Lais a leonibus, ſicuti ſtatim dicemus. *Dan* etiam hæc urbs appellatur Geneſ. XIV. verſ. 14. de qua ibi non pauca perſcripſimus. QUAE PRIUS LAIS DICEBATUR. Sonat Hebræi ליש *laiſch*, *leonem annoſum*, *veterem*, *inmanem*: aliis *leonem prævalidiſſimum*, & *prædæ*, ſeu *animalium omnium ſubactorem*. Forſan eo nomine appellata fuit quaſi *leonina*, quod eſſet fortis, & prævalida; vel quod ea regio leonibus abundaret. Nec mirum eum tractum ad Libanum lyncibus, & leonibus fuiſſe frequentem. De hac urbe longam diatribam inſtruximus Lib. III. de Antichriſto, cap. VIII.

*V.*30. POSUERUNTQUE SIBI SCULPTILE, &c. Hebr. *Tum ſtatuerunt ſibi filii Danis illud ſculptile*; id eſt, videntes omnia ſucceſſiſſe prout ſacerdos prædixerat. Tanta fuit erroris efficacitas, ut totam ferme tribum in idololatria, & ſacerdotem cum poſteritate tota in ſacerdotio confirmaret. IONATHAN. Vide de eo ſupra, cap. XVII. verſ. 1. & 7. FILIUM GERSAM.

Digitized by Google

SAM. Fuit Gerſam filius Moſis, Exodi II. verſ. 22. *Filium* autem hic aliqui proprie & immediate accipiunt ut vere Ionathan fuerit nepos Moſis: alii latius pro ex nepotibus, & poſteris Gherſam. FILII MOYSI. Hebræa nunc habent filii מ־שה *Meⁿ-aſchſche*, ſcribuntque cum Nun ſuſpenſo, ut indicent intelligendum quidem Moſeh ſine Nun; ſed interſeri, ac ſuſpendi Nun, ut honoris cauſa occultetur nomen Moſis, cuius generi, idololatrico hoc facto tanta infamia & ignominia irrogata fuit. USQUE AD DIEM CAPTIVITATIS SUAE. Hebr. *uſque ad diem tranſmigrare terram*. Variæ feruntur huius loci interpretationes, illa ſimpliciter eſt rectior: *Uſque ad tempus quo migravit e terra*, ſcilicet domus Dei, e verſu ſequente. Nimirum cum domus Dei Siloh abducta eſt, & purus, legitimuſque Dei cultus inſtauratus Samuelis opera, ſacerdoteſque, & levitæ ad ſuas ſtationes, ordines, officiaque revocati: quod ex verſu ſequente intelligendum eſt. Vide I. Samuel IV. & Pſal. CXXVII. & LX.

V. 31. IDOLUM MICHAE. Hebr. *ſculptile Michæ, quod fecit*. Traiectio, *ſculptile, quod fecerat Michah*. Sic II. Regum XXIV. 5.

MENOCHII.

Verſ. 1. NON ERAT REX IN ISRAEL. Vide dicta capit. ſuperiore num. 6. SORTEM NON ACCEPERAT; hoc eſt, non ſatis amplam, tantæque multitudini capiendæ parem. Vel certe non exiſtimabant Danitæ eam ſatis amplam, & idoneam eſſe.

V. 2. DE SARAA ET ESTHAOL, vide dicta cap. XII. num. 7.

V. 3. AGNOSCENTES VOCEM ADOLESCENTIS, peregrinitatem quamdam in pronuntiatione adoleſcentis agnoſcentes: fit enim paſſim ut intra eamdem provinciam, quæ eadem lingua utitur, diverſa tamen ſit vicinarum etiam civitatum pronuntiatio.

V. 6. ITE IN PACE: DOMINUS RESPICIT VIAM VESTRAM, &c. Vel idolum locutum eſt, aut alia ratione, dæmonis arte reſpondit; vel Levita, quod illis gratum ſciebat, ut illis gratificaretur, locutus eſt.

V. 7. VENERUNT LAIS. Urbs eſt ſeptemtrionem verſus in extrema promiſſæ terræ parte ad Libani montem, quæ etiam appellata eſt *Leſem* Ioſue XIX. 47. & *Dan* poſtquam a Danitis occupata fuit, hic num. 29. & Ioſue loco citato. IUXTA CONSUETUDINEM SIDONIORUM: vel quia hi Sidoniorum moribus, ac inſtitutis utebantur; vel quia illis erant alta pace, ac ſecuritate ſimiles. NULLO EI PENITUS RESISTENTE. Hebraice eſt: *Et non erat pudefaciens verbo in terra*; id eſt, non erat qui ulla de re pudorem, ruboremve ullum iniiceret, ſolo etiam verbo, adeo erat nemo qui ei obſiſteret. Sunt tamen qui ad magiſtratus ignaviam, morumque licentiam id referant; quaſi diceretur: Nullus erat magiſtratus, qui peccantes caſtigare, aut obiurgando pudefacere, ſicque pravis moribus reſiſtere auderet, aut vellet.

V. 14. FRATRIBUS SUIS, reliquis Danitis commilitonibus, & contribulibus ſuis.

V. 19. QUID TIBI MELIUS EST, &c. Argumentis ab lucro, & dignitate maiore petitis perſuadent.

V. 24. OMNIA QUAE HABEO. Heb. *Et quid mihi adhuc*, vel *ultra*. Videtur cetera præ idolis ſuis contemnere. PROCUL A SIDONE; cui fortaſſe Lais ſubdita erat.

V. 28. IN REGIONE ROHOB, quæ erat pars Syriæ Trachonitidis, ut patet ex Lib. II. Reg. cap. X. num. 6. & 8.

V. 29. IUXTA VOCABULUM PATRIS SUI: erant enim Danitæ omnes, & filii Dan.

V. 30. USQUE AD DIEM CAPTIVITATIS SUAE. Hoc aliqui explicant de captivitate Iſraelitarum ſub Salmanaſar, cuius mentio IV. Regum XVII. Ita Lyranus. Alii de captivitate arcæ cum capta eſt a Philiſthæis, magna edita Iſraelitarum ſtrage, I. Regum IV. Alii putant ſermonem eſſe de peculiari quadam captivitate urbis Dan, quæ alibi ſcripta non ſit. Serarius quæſt. VII. ſecundæ explicationi ſubſcribit, quam etiam plures alii ſecuti ſunt.

V. 31. OMNI TEMPORE QUO FUIT DOMUS DEI IN SILO: quouſque ſcilicet capta eſt a Philiſthæis, ut dicebamus num. præcedenti.

TIRINI.

Verſ. 1. **TRIBUS DAN.... USQUE AD ILLUM ... DIEM... SORTEM NON ACCEPERAT**, nempe ſatis amplam, & tantæ multitudinis capacem: nam Amorrhæi bonam partem ſortis Daniticæ etiam tum occupabant, ut dicitur Iudicum 1. verſ. 34. Alioqui certum eſt ex Ioſue XIX. verſ. 40. non minus Danitas, quam reliquas tribus ſuam in Palæſtina ſortem accepiſſe, ſed, ut dixi, magna ex parte adhuc habitatam ab Amorrhæis.

V. 7. **IUXTA CONSUETUDINEM SIDONIORUM**; id eſt, Sidoniis ſimiles quoad opes, delicias, altam pacem. & ſecuritatem, forſan etiam moribus, & inſtitutis Sidoniorum utebantur Laitæ. Alioqui procul a Sidone aberat Lais, utpote ſita ad radices Libani cis orientalem Iordanis fontem, ut alibi dixi: Sidon vero ad occidentis latus maritimum. Et quia rerum omnium ferax erat terra, nec vicinorum indiga, ideo dicitur hic *populus Lais a cunctis hominibus ſeparatus* fuiſſe, ſeu nihil cum aliis populis negotii, aut commercii habuiſſe, cum omnibus carere poſſet, quod extremæ felicitatis indicium eſt. Porro quæ hic vocatur *Lais*, Ioſue XIX. verſ 47. dicitur *Leſem*: cum vero a Danitis occuparetur, ab ipſis dicta fuit *Dan a*. Poſterioribus temporibus, a fonte Paneade, vocata fuit *Paneas*: a Philippo Herodis Aſcalonitæ filio, qui illam amplificavit, & exornavit, in Tiberii Cæſaris honorem appellata eſt *Cæſarea Philippi*: paulo poſt a rege Agrippa, cum & ipſe illius proferret pomœria, in Neronis honorem dicta fuit *Neronia*, & *Nerodias*, teſte Ioſepho, & S. Hieronymo *b*: hodie Turcis vocari ſolet *Belina*, vel *Belinas*, inquit Adrichomius *c*. Eſtque eadem urbs, in qua ab Hæmorrhoiſſa tactu fimbriæ Chriſti curata, Matthæi IX. in eius beneficii memoriam excitata fuit Chriſti ſtatua, tot poſtmodum nobilitata miraculis, quæ narrant Euſebius *d*, Nicephorus, & alii.

V. 30. **POSUERUNTQUE SIBI** Danitæ **SCULPTILE** Michæ **IN ... DAN, USQUE AD DIEM CAPTIVITATIS SUAE**; id eſt, ut verſu ſequenti dicitur, uſque ad tempus quo arca Dei Silunte educta fuit, & magna cum Iſraelitarum ſtrage, a Philiſtæis capta, & abducta. Nam tunc temporis ut caſi, ita & capti plurimi ex omnibus tribubus, ut patet ex primi Regum IV. verſ. 10. & Pſalmo LXXVII. verſu 61. ubi de hac Iſraelitarum clade loquens, *Tradidit*, inquit, *in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici*. Ita Lyranus, Abulenſis, Vatablus, Arias, Ribera, Genebrardus *e*, Moncæius, Emanuel Sa, Serarius, & etiam plerique Novatores cum Rabbinis.

Nota, in locum idolorum Michæ, quæ Samuelis tempore veroſimiliter everſa, & confracta ſunt, poſt mortem Salomonis ſurrogaſſe impium Ieroboam vitulum ſuum auteum in eadem urbe Dan metropoli eiuſdem tribus: quæ tantorum monſtrorum ſedes & thronus fuit.

(*a*) Hic verſ. 19. & Ioſue XIX. verſ. 47.
(*b*) Ioſeph. Lib. XVIII. Ant. cap. III. & Lib. II. Belli cap. VIII. Hier. in Iſaiæ XXIV. & Ierem. IV. Ezechiel. XXVII. & XXVIII. Dan. XI. & Amos VIII.
(*c*) Adrich. in Nephthal. num. 37.
(*d*) Euſeb. Lib. VII. Hiſt. cap. XIV. Pſalm. lXXVII. Niceph. Lib. VII. cap. XV.
(*e*) Ribera in Oſeæ XVI. Genebr. in Chroninc. Moncæius Lib. I. de Vitulo cap. XVI.

GORDONI.

Verſ. 1. EXploratores Dan, ſaltem ampliores quærunt ſedes: nam in κληρουχίᾳ, non acceperunt ſedem ſatis latam. Vide Ioſue cap. XIX. vide Adrich. in Nephthalim, num. 37.

V. 5. **ROGAVERUNT AUTEM EUM**, &c. Putabant a Micha coli verum Deum. Bene illis precatur Michas.

V. 7. **LAIS** vrbs eſt non procul a Libano, quæ occupata a Danitis, *Dan* eſt vocata. Eſt in extrema parte terræ promiſſæ. Demum verſ. 11. miſſa colonia, nomen loco dat, *Caſtra Dan*. Spoliant Michan, verſ. 21. Lais occupant, verſ. 27.

V. 30. **IONATHAN**, nomen eſt ſacerdotis quem Danitæ e domo Michæ evocarunt: qui ſi fuit nepos Moſis, vt ex hoc loco aliqui ſubindicant, oportet hanc hiſtoriam Danitarum accidiſſe ſub tempora Ioſue. Sed magna ſolet eſſe nominum varietas.

V. 31. Explicat hoc quamdiu manſerit

Digitized by Google

rit idololatria apud hos Danitas, ſimul cum verſ. 30. nam tempus hoc, & mora duobus ſignis deſignatur, nempe uſque ad captivitatem, & uſque ad mutatam domum Dei e Silo. Sed de his quis certo definiet in magna opinionum varietate? Ego captivitatem illam puto tempus captæ arcæ a Philiſthiim; quo etiam tempore deſiit domus Dei eſſe in Silo. De qua temporis mora dixi Ioſue cap. XVIII. ſane qui hic nomine captivitatis intelligunt illam decem tribuum ſub Salmanazare, abſunt ingenti intervallo ab hoc calculo, & forte a vero.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 3. Agnoscentes vocem. Ex lingua facile dignoſcitur peregrinus.

V. 30. Ad diem captivitatis. De hoc Levita ſupra cap. XVII. 7. textus ſuadet fuiſſe nepotem Moſis. At quæ ſit hæc captivitas, incertum ſatis eſt: an illa quando ſub Heli capta eſt arca, quæ erat eo uſque in Silo; an illa poſterior, quando abductæ ſunt decem tribus.

C A P U T XIX.

Cum Levita ſuam uxorem a parentum domo reduceret, ipſa a Gabaonitis, qui tribus erant Beniamin, prodigioſa libidine extincta, & a marito in duodecim partes corpore ſecto, ad ſingulas tribus ſingulæ portiones miſſæ ſunt.

FUit quidam vir Levites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit uxorem de Bethlehem Iuda: 2. quæ reliquit eum, & reverſa eſt domum patris ſui in Bethlehem, manſitque apud eum quatuor menſibus. 3. Secutuſque eſt vir ſuus, volens reconciliari ei, atque blandiri, & ſecum reducere, habens in comitatu puerum & duos aſinos: quæ ſuſcepit eum, & introduxit in domum patris ſui. Quod cum audiſſet ſocer eius, cumque vidiſſet, occurrit ei lætus, 4. & amplexatus eſt hominem. Manſitque gener in domo ſoceri tribus diebus, comedens cum eo & bibens familiariter. 5. Die autem quarto de nocte conſurgens, proficiſci voluit: quem tenuit ſocer, & ait ad eum: * Guſta prius pauxillum panis, & conforta ſtomachum, & ſic proficiſceris. 6. Sederuntque ſimul, ac comederunt & biberunt. Dixitque pater puellæ ad generum ſuum: Quæſo te ut hodie hic maneas, pariterque lætemur. 7. At ille conſurgens, cœpit velle proficiſci. Et nihilominus obnixe eum ſocer tenuit, & apud ſe fecit manere. 8. Mane autem facto, parabat Levites iter. Cui ſocer rurſum: * Oro te, inquit, ut paululum cibi capias, & aſſumptis viribus, donec increſcat dies, poſtea proficiſcaris. Comederunt ergo ſimul. 9. Surrexitque adoleſcens, ut pergeret cum uxore ſua & puero. Cui rurſum locutus eſt ſocer: Conſidera quod dies ad occaſum declivior ſit, & propinquat ad veſperum: mane apud me etiam hodie, & duc lætum diem, & cras proficiſceris ut vadas in domum tuam. 10. Noluit gener acquieſcere ſermonibus eius: ſed ſtatim perrexit, & venit contra Iebus, quæ altero nomine vocatur Ieruſalem, ducens ſecum duos aſinos onuſtos, & concubinam. 11. * Iamque erant iuxta Iebus, & dies mutabatur in noctem: dixitque puer ad dominum ſuum: Veni, obſecro, declinemus ad urbem Iebuſæorum, &

maneamus in ea. 12. Cui reſpondit dominus: Non ingrediar oppidum gentis alie-
næ, quæ non eſt de filiis Iſrael, ſed tranſibo uſque Gabaa: 13. & cum illuc
pervenero, manebimus in ea, aut certe in urbe Rama. 14. Tranſierunt ergo
Iebus, & cœptum carpebant iter, occubuitque eis ſol iuxta Gabaa, quæ eſt in
tribu Beniamin: 15. diverteruntque ad eam, ut manerent ibi. Quo cum intraſ-
ſent, ſedebant in platea civitatis, & nullus eos recipere voluit hoſpitio. 16. Et
ecce, apparuit homo ſenex, revertens de agro & de opere ſuo veſperi, qui &
ipſe de monte erat Ephraim, & peregrinus habitabat in Gabaa: homines autem
regionis illius erant filii Iemini. 17. Elevatiſque oculis, vidit ſenex ſedentem ho-
minem cum ſarcinulis ſuis in platea civitatis: & dixit ad eum: Unde venis? &
quo vadis? 18. Qui reſpondit ei: Profecti ſumus de Bethlehem Iuda, & pergi-
mus ad locum noſtrum, qui eſt in latere montis Ephraim, unde ieramus in
Bethlehem: & nunc vadimus ad domum Dei, nulluſque ſub tectum ſuum nos
vult recipere, 19. habentes paleas & fœnum in aſinorum pabulum, & panem ac
vinum in meos & ancillæ tuæ uſus, & pueri qui mecum eſt: nulla re indige-
mus niſi hoſpitio. 20. Cui reſpondit ſenex: Pax tecum ſit, ego præbebo omnia
quæ neceſſaria ſunt: tantum, quæſo, ne in platea maneas. 21. Introduxitque
eum in domum ſuam, & pabulum aſinis præbuit: ac poſtquam laverunt pedes
ſuos, recepit eos in convivium. 22. Illis epulantibus, & poſt laborem itineris,
cibo & potu reficientibus corpora, venerunt viri civitatis illius, filii Belial,
(id eſt abſque iugo) & circumdantes domum ſenis, fores pulſare cœperunt,
clamantes ad dominum domus, atque dicentes: (a) Educ virum, qui ingreſſus
eſt domum tuam, ut abutamur eo. 23. Egreſſuſque eſt ad eos ſenex, & ait:
Nolite fratres, nolite facere malum hoc: quia ingreſſus eſt homo hoſpitium
meum, & ceſſate ab hac ſtultitia: 24. habeo filiam virginem, & hic homo ha-
bet concubinam, educam eas ad vos, ut humilietis eas, & veſtram libidinem
compleatis: tantum, obſecro, ne ſcelus hoc contra naturam operemini in vi-
rum. 25. Nolebant acquieſcere ſermonibus illius: quod cernens homo, eduxit
ad eos concubinam ſuam, & eis tradidit illudendam: qua cum tota nocte abuſi
eſſent, dimiſerunt eam mane. 26. At mulier, recedentibus tenebris, venit ad
oſtium domus, ubi manebat dominus ſuus, & ibi corruit. 27. Mane facto, ſur-
rexit homo, & aperuit oſtium, ut cœptam expleret viam: & ecce concubina
eius iacebat ante oſtium ſparſis in limine manibus. 28. Cui ille, putans eam
quieſcere, loquebatur: Surge, & ambulemus. Qua nihil reſpondente, intelligens
quod erat mortua, tulit eam, & impoſuit aſino, reverſuſque eſt in domum ſuam.
29. Quam cum eſſet ingreſſus, arripuit gladium, & cadaver uxoris cum oſſibus
ſuis in duodecim partes ac fruſta concidens, miſit in omnes terminos Iſrael.
30. Quod cum vidiſſent ſinguli, conclamabant: Numquam res talis facta eſt in
Iſrael, ex eo die quo aſcenderunt patres noſtri de Ægypto, uſque in præſens
tempus: ferte ſententiam, & in commune decernite quid facto opus ſit.

(a) Geneſ. xix. 5.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 5. *Guſta prius pauxillum panis*. Non ſubſtituas *puſillum* pro *pauxillum*.

V. 8. *Oro te, inquit*. Quidam ſcribunt *obſecro*, pro *oro te*.

V. 11. *Iamque erant iuxta Iebus*. Non ſubſtituas verbum compoſitum *aderant* pro ſimplici *erant*.

C O M-

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. FUIT QUIDAM VIR LEVITES. Id quidam putant accidiſſe poſt mortem Ioſue, antequam iudicaret Othoniel. Alii, tempore Aiod.

V. 2. RELIQUIT EUM. Hebr. *Fornicata eſt apud eum*. Chald. *Contempſit eum*. LXX. *Irata eſt illi*.

V. 5. DE NOCTE. Hebr. *mane*. Chald. *in aurora*. LXX. *diluculo*.

V. 8. UT PAULULUM, &c. Hebr. *Conforta cor tuum, moratique ſunt, donec dies declinaret, & comederunt ambo*. Chald. & LXX. magis ut Noſter.

V. 10. CONTRA, id eſt e regione. ONUSTOS. Chald. & LXX. *ſtratos*.

V. 16. FILII IEMINI, id eſt de tribu Beniamin.

V. 17. SEDENTEM. Hebr. *facientem iter*, id eſt *viatorem*, ut vertunt Chald. & LXX.

V. 18. DOMUM DEI: ſcilicet erat in Silo in monte Ephraim. Sep uag. *domum meam*. Chald. *domum ſanctuarii Domini*.

V. 20. PAX TECUM SIT. Hebr. *Pax tibi*; quaſi dicat: Eſto bono animo.

V. 22. ABSQUE IUGO. Chald. *impii*. LXX. *iniqui*. ABUTAMUR EO. Hebr. Chald. LXX. *Cognoſcamus eum*.

V. 23. STULTITIA: ſic etiam LXX. Alii, *turpitudine*: Chald. *ignominia*.

V. 24. SCELUS HOC CONTRA NATURAM. Hebr. & Chald. *rem hanc ignominioſam*: LXX. *rem hanc ſtultam*.

V. 29. DUODECIM: ſcilicet duas partes miſit duabus dimidiis Manaſſe tribubus.

ESTII.

Verſ. 19. FUIT QUIDAM... LEVITES... QUI ACCEPIT UXOREM DE BETHLEHEM IUDA. Obſerva, quod quæ hic vocatur uxor, poſtea hoc eodem cap. verſ. 24. vocatur concubina, ex quo manifeſtum eſt hæc duo, uxorem, & concubinam, non ita eſſe diverſa ut inter ſe pugnent; ſed concubinam ſæpe in Scripturis vocari eam uxorem quæ abſque conſuetis, & ſolemnibus cæremoniis in matrimonium aſſumitur. Vide Noſtra in IV. Sent. diſtinct. XXXIII.

V. 2. QUAE RELIQUIT EUM. Heb. *Et fornicata eſt ſuper eum*, vel apud eum. Ubi nota amorem huius Levitæ erga coniugem, qui eam etiam poſt admiſſum crimen fornicationis ſecutus fuerit, domumque ſuam reducere voluerit, non ſine blanditiis. Quod quidem ſi fecit amore ſalutis eius, præclare fecit: ſi autem tantum impulſus amore carnali, parum præſtitit.

Si quæras quare non fuit lapidata ut adultera ſecundum legem; reſpondeo: Forte occultum erat crimen, aut eo tempore leges non bene ſervabantur, quando, ut ſupra dictum eſt, quiſque faciebat quod ſibi rectum videbatur.

V. 10. ET VENIT CONTRA IEBUS, QUAE ALTERO NOMINE VOCATUR IERUSALEM: & paulo poſt verſ. 12. NON INGREDIAR OPPIDUM GENTIS ALIENAE. Quæritur, quomodo hoc conſiſtat cum eo quod iam ſupra cap. 1. huius libri dicuntur filii Iuda cepiſſe Ieruſalem, & percuſſiſſe in ore gladii? Sed dicendum videtur, ea quæ cap. 1. de capta a Iuda Ieruſalem leguntur, per anticipationem eſſe narrata, & ea quæ hic narrantur, eſſe antiquiora, non tamen ante diſtributionem ſortium, eo quod hic omnes tribus quaſi externo hoſte vacuæ, in bellum contra Beniamin exierint. Sed definite quo tempore hæc geſta ſint, obſcurum manet: illud tamen conſtat, Phineen filium Eleazari ſacerdotis tunc adhuc ſuperſtitem fuiſſe: ſic enim legitur capite 20. verſ. 27. *Eo tempore erat ibi arca Domini, & Phinees filius Eleazari ſacerdotis*.

V. 24. HABEO FILIAM VIRGINEM, ET HIC HOMO HABET CONCUBINAM, EDUCAM EAS AD VOS. Docet Apoſtolus non eſſe facienda mala ut eveniant bona, & multo minus facienda ſunt minora mala ut evitentur maiora mala. Unde non debemus eſſe ſoliciti, ut factum huius viri, alioqui boni, ac iuſti, excuſemus a peccato, ſicut nec factum ipſius Lot excuſandum eſt, quando filias ſuas proſtituere voluit, ut hoſpites ſervaret. Interim in utroque laudandum eſt ſtudium, & voluntas defendendi hoſpites ab iniuriis, tametſi id non fecerint eo modo

do quo debebant. Nec poſſunt excuſari, quaſi permiſerint minus peccatum ad impediendum maius, quia etiam cooperati ſunt producendo ſtuprandas, & veriſimiliter alioqui etiam non peccaturas, quod conſtat nullo modo licuiſſe facere.

MARIANAE.

Verſ. 1. FUIT QUIDAM VIR. Hoc etiam ſuperiori tempore putant contigiſſe: Othonielis alii, tempore Aiod alii: ſane cap. xx. verſ. 28. Phinees filius Eleazari nepos Aaron, tunc cum Levitæ huic facta eſt iniuria, erat ſummus ſacerdos. IN LATERE. Hebr. *in lateribus*, pro in uno laterum: forma loquendi uſitata Hebr. UXOREM. Hebr. *uxorem concubinam*: ſic Chald. παλλακίδα, *meretricem*, ſeu *pellicem*. Uxor vere erat, ſed ſecundaria: ſic pater vocatur ſocer, & vir gener, & ipſa uxor.

V. 2. QUAE RELIQUIT EUM. Heb. *Fornicata eſt ſuper* (id eſt apud) *eum*. Chald. *Contempſit eum*. Sept. *Irata eſt illi*. Et ſane verbum זנה *zanah*, non ſemper *fornicari* ſignificat. Manſit gener in domo ſoceri

V. 4. BIBENS FAMILIARITER. Hebr. *Et comederunt*, & *biberunt*, & *pernoctarunt ibi*. Quo ex loco colligitur, verbum לין *lun* non ſemper *manſionem unius noctis* ſignificare: nam ait *manſiſſe tribus diebus*.

V. 5. DE NOCTE CONSURGENS. Hebr. *Manicaverunt diluculo*: ſic Septuag. & Chald. Socer ait: Mane donec

V. 8. INCRESCAT DIES. Hebr. *inclinet dies* ſcilicet. Rurſus ſocer:

V. 9. CONSIDERA QUOD DIES AD OCCASUM DECLIVIOR SIT. Heb. *En nunc dies remiſit ad veſperam*; pro, dies remiſit a calore & vi ſua, & incipit advesperaſcere: ſcilicet tenebræ propinquæ ſunt. ET PROPINQUAT AD VESPERUM. Hebr. *Ecce caſtrametari* (pro caſtrametatio, manſio) *diei*. Milites fine diei caſtra faciunt fixis tentoriis. Sic finem diei *caſtrametationem* eius vocat: tum quia homines manſionem quærere facit; tum quia ſol videtur ad tentorium ſe referre, unde diſceſſit. Ob has cauſas *finis diei* eius *caſtrametatio*, *manſioque* hic dicitur. Noluit gener, ſed venit

V. 10. CONTRA IEBUS, id eſt e regione Iebus. Venit ad locum qui erat e regione Iebus: per latus enim eius tranſivit. DUCENS SECUM DUOS ASINOS ONUSTOS: ſic Pagn. vertit vocem חבושים *habuſim*. Alii *ſtratos* dicunt: ſic Sept. & Chald. Dixit puer:

V. 11. MANEAMUS IN EA, ſcilicet urbe Iebuſæorum: ſic Sept. Hebr. & Chald. *pernoctabimus*, ſeu *pernoctemus in ea*: ſic verſ. 13. 14. & 15. Cives erant

V. 16. FILII IEMINI; id eſt, de tribu Beniamin erant eius oppidi incolæ. Senex quidam vidit Levitam

V. 17. SEDENTEM HOMINEM. Hebr. *Vidit* (ſenex) *viatorem* (ſic Septuag. & Chald.) *in platea civitatis*; ſupple, ſedentem, aut manentem. CUM SARCINULIS SUIS. Hoc additur ab Interprete bene. Rogat: Unde venis? Ille: De Bethlehem, & pergimus ad locum, qui eſt

V. 18. IN LATERE MONTIS. Hebr. *in lateribus*, pro in uno laterum, ut hic ſupra verſ. 1. UNDE...ET NUNC VADIMUS. Additum ab Interprete: nam Hebr. & *vadam* (pro ivi) *uſque Bethlehem Iuda*, & *ad domum Dei ego vado*. Septuag. *domum meam*: Chald. *domum ſanctuarii Domini*. Verum domus Dei erat in Silo in monte Ephraim. Forte ea pergere volebat; aut id ſimulat, ut ſenem magis commoveat. Nulla re egemus

V. 19. NISI HOSPITIO. Id etiam eſt additum. Venerunt incolæ ad hoſpitium

V. 22. FILII BELIAL, ID EST ABSQUE IUGO. Hieronymus de ſuo hanc interpretationem poſuit. Quid ſignificet autem *filius Belial*, poſitum eſt Deuter. XIII. verſ. 13. EDUC VIRUM.... UT ABUTAMUR EO. Hebr. *ut cognoſcamus eum*; ſed *cognoſcere* eſt *abuti*, ut Geneſ. XIX. verſ. 5. Hebræus, *ut occidamus* explicat, propter id quod ipſemet dicit, cap. XX. verſ. 4. *volentes me occidere*.

V. 23. CESSATE AB HAC STULTITIA: ſic Sept. Chald. *ignominia*. Pagn. *nefas*.

V. 24. NE SCELUS HOC CONTRA NATURAM OPEREMINI IN VIRUM. Hebr. *Ne faciatis verbum ſceleris huius* (pro ſcelus hoc) Chald. *rem hanc ignominioſam*. Sept. *ſtultam*. Cadaver uxoris diviſit is

V. 29.

Digitized by Google

V. 29. In duodecim partes. Computatis duobus Ioſephi filiis, & Levitica tribu, tredecim tribus erant; ſic dempta tribu Beniamin, ubi factum eſt ſcelus, manebant tribus duodecim. Quid filii Iſrael?

MALVENDAE.

Verſ. I. Non erat rex in Iſrael. Vide ſupra cap. xviii. verſ. 1. & cap. xvii. verſ. 6. & infra cap. xxi. verſ. 24. Accepit uxorem. Hebr. *Et accepit ſibi viram*, vel *mulierem*, ſive *uxorem*, *concubinam*, ſeu *pellicem*. Plerique iuſtam ac legitimam uxorem quo ad torum intelligunt, tametſi non primariam, & matremſamilias, ſed ſecundariam. Vide quæ de voce פילגש *pilegeſeb* obſervavimus in Geneſ. xxii. verſ. 24. Alii vere pellicem & ſcortum primo fuiſſe volunt, deinde legitimam uxorem, accedente conſenſu patris illius, infra verſ. 4.

V. 2. Quae reliquit eum. Hebr. *Et fornicata fuit ſuper eum*. Varie exponunt, *contra eum*, *adverſus eum*. Alii, *apud eum*; id eſt, cum apud ipſum maneret, vel cum eſſet in contubernio eius. Quidam explanant: Illa cum fornicata eſſet, & id viro innotuiſſet, & ab eo increpata fuiſſet, abiit, &c. Nonnulli: *Et ſcortata eſt cum eo:* non enim iuſta uxor erat, donec parentum conſenſu confirmatum eſt matrimonium, Exodi xxii. verſ. 16. & 17. quo confirmato, pater illius mulieris dicitur Levitæ ſocer, infra verſ. 4. Sic paſſim hanc locutionem accipi notant Ezechiel. xvi. & xxiii. Quidam obſervant, quod quando verbum זנה *zanab* conſtruitur cum præpoſitione על *ghal*, *ſuper*, & cum perſona coniungitur, ut hoc loco, ita eſſe reddendum: *Et laſcivivit adverſus ipſum*, *diſceſſit ab eo*. Hanc phraſim Paulum mutuatum volunt, ac Græco verbo καταστρηνιάω reddidiſſe putant, quod *laſcivire* ſignificat avulſis modeſtiæ frenis: I. Tim. v. verſ. 11. *Porro iuniores viduas reiice: cum enim laſcivire cœperint adverſus Chriſtum*, *nubere volunt*, *habentes condemnationem*, *quod primam fidem reiecerint*, &c. ſimulque in fidem reſpicit, qua ſe in deſponſatione marito alligavit. Eamdem phraſim exprimi aiunt verbo בעט *baghat*, Deuteron. xxxii. verſ. 15. ut in eum locum annotavimus. Sunt qui doceant, verbo *zanab* non ſemper impudicam meretricationem ſignificari; ſed eſſe hic mariti iugum excutere, & liberam agere, nec viro colligatam in contubernio. Chaldæus reddidit: *Quæ ſprevit*, *contempſit*, *illum*. Ioſephus: *Hanc cum vehementer ob formam amaret*, *parum reſpondere in amore ægre ferebat: hinc orto diſſidio*, *mulier continuas expoſtulationes non ferens*, *relicto marito ad parentes revertitur*. Sed mihi videtur Ioſephus divinare. Quatuor mensibus. Hebr. *dies*, vel *diebus*, *quatuor menſes*, ſive *menſibus*. Quidam, *dies aliquot*, *nempe quatuor menſes*. Alii, *annum unum*, & *quatuor menſes*. *Dies* pro anno, ut ſupra cap. xvii. verſ. 10. Aliqui, *tempus*, vel *tempore*, *quatuor menſium*. Nonnulli, *dierum quatuor menſibus*. Hypallage, pro quatuor menſibus dierum; id eſt, quot dies requiruntur ad conſtituendum menſem, nimirum quatuor menſibus, qui conſtent integro dierum numero; hoc eſt, plenis quatuor menſibus, vel diebus totis quatuor menſium. Sic Numeror. xi. verſ. 20. & 21. & Geneſ. xxix. verſ. 14.

V. 3. Volens reconciliari ei, atque blandire. Hebr. *ad loqui ſuper cor eius*. Hanc locutionem elucidavimus Geneſ. xxxiv. verſ. 3. Hic reddunt: 1. *Ut reconciliaretur ei*; 2. *Ut amice loqueretur ad eam*; 3. *Ad loquendum quæ illi eſſent cordi*.

V. 4. Comedens cum eo, et bibens familiariter. Hebr. *Et comederunt*, & *biberunt*; id eſt, convivabantur hilariter. Periphraſis frequens hoc capite, & paſſim in Scriptura.

V. 5. Gusta prius pusillum panis, et conforta stomachum. Hebr. *Fulci*, *corrobora*, *ſuſtenta*, *conforta*, *cor tuum*, vel *animum tuum*, aut *ſtomachum tuum*, *fragmento fruſto*, *buccea*, *buccella*, *portiuncula panis*, vel *cibi*. Vide verſ. 8.

V. 6. Quaeso te. Hebr. *Vole*, *obſecro*. Alii, *Acquieſce*, *quæſo*. Quidam, *Velis nunc*. Aliqui, *Aſſenti*, *quæſo*. Vim verbi יאל *iaal* expendimus Geneſ. xviii. verſ. 27.

V. 7. Obnixe eum socer tenuit. Hebr. *Et rupit in eo ſocer eius*. Rationem verbi פצר *patzar*, expoſuimus Geneſ. xix. verſ.

Digitized by Google

verſ. 3. Hic varie reddunt: *Impulit eum, coegit eum, inſtitit apud eum, prævaluit in eo, conſtrinxit eum, vim fecit in eum*. ET APUD SE FECIT MANERE. Hebr. *Et reverſus eſt, & pernoctavit ibi*. Videtur ſocer eum iam a cœpto itinere retraxiſſe. Alii uſitato Hebraiſmo exponunt: *Et rurſus, iterum, denuo, pernoctavit ibi*.

V. 8. ET ASSUMPTIS VIRIBUS. והתמהמהו *vehithmahmehu* quidam imperativum faciunt: *Et tardate, moramini*. Alii præteritum ſingulare cum affixo: *Et tardavit eum*. Plerique præteritum plurale: *Et tardaverunt*. Vide notionem verbi explicatam Geneſ. XIX. verſ. 16. Aliqui hic reddunt: *Cunctati ſunt donec declinaret dies: nam comedebant ambo*; quaſi dicat: Comedendo moram traxerunt. Proprie: *Et interturbare ſeſe fecerunt.*

V. 9. CONSIDERA QUOD DIES AD OCCASUM DECLIVIOR SIT. Hebr. *Ecce iam remiſit ſe dies ad adveſperaſcendum*. Vel *remiſſior facta eſt dies*; id eſt, debilitata eſt, calor ſolis remiſſus eſt, ita ut dies vergat iam ad veſperam; quaſi dicat: Iam dies ad occaſum proclivior eſt. MANE APUD ME ETIAM HODIE. Hebr. ex verbo: *Pernoctare, quæſo, ecce caſtrametari diem*. Hanc poſteriorem clauſulam varie interpretantur. I. *Ecce conſidere diei*; id eſt, ecce deſidentiam diei; hoc eſt, quod dies deſedit. II. *Ecce caſtrametari diem*, vel *diei*; id eſt, ecce dies, ſeu ſol recipit ſe in ſua caſtra, & in tentorium ſuum. Solent milites ſub finem diei caſtrametari: finem ergo diei vocat caſtrametationem. Sic Pſalm. XVIII. verſ. 6. cum ſol oritur, dicitur procedere de thalamo ſuo; ita cum occumbit, redit in thalamum ſuum. Unde quidam hic reddunt: *En dies occumbit*. III. *En manſio eſt diei*, id eſt tempus quo dies convertet ſe ad hoſpitium; quaſi dicat: Non procul abeſt occaſus ſolis: vel appropinquat dies ad veſperam, quo ſolent homines divertere ad hoſpitium. Occaſum ſolis vocat manſionem: nam ſol videtur divertere ad hoſpitium, cum occidit. IV. *Ecce manere*, ſeu *divertere, diverſari, & ſubſiſtere, diei*, id eſt tempus diei quo divertendum eſt aliquo: ut ibi ſubſiſtas & maneas. VI. Hiſpanicus Interpres: *Ne aqui la manſion del dia: o, quel el dia ſe acaba*. IV. *Ecce hoſpitium hodiernum*; id eſt, alio tibi non eſt eundum, ſed hic hodie hoſpitandum.

V. 11. ET DIES MUTABATUR IN NOCTEM. Hebr. *Et dies deſcenderat valde*. Præteritum רד *rad*, pro ירד *iarad*, deficiente prima ſubſtantiali littera Iod. Mercerus: *Non male ex analogia Grammatica referas ad* רדד *radad: Et dies extenderat*, ſeu *diduxerat*, & *extenuaverat ſe: quaſi in tenuiſſimam laminam videlicet, atque adeo ad ſummum*.

V. 12. NON INGREDIAR OPPIDUM GENTIS ALIENAE, QUAE NON EST DE FILIIS ISRAEL. Ex Hebræo reddunt: *Ne divertamus ad ullam urbem alienigenæ, quæ non ſunt de filiis Iſrael ipſæ*. Alii: *Non declinemus ad urbem alienigenam, quæ non de filiis Iſrael huc*. Quidam: *Non divertemus in urbem alienam eorum, qui non ſunt ex filiis Iſrael*. Nonnulli: *Non divertemus in ullam civitatem alienigenæ, ex eis quæ non ſunt filiorum Iſraelis*.

V. 13. MANEBIMUS IN EA, AUT CERTE IN URBE RAMA. Hebr. *Et pernoctabimus in Ghibghah, aut in Ramah*. De his duabus urbibus plenius diximus in Ioſue XVIII. verſ. 24. & 25.

V. 16. FILII IEMINI. Notant ſumi in malam partem, pro pravis hominibus, ut I. Samuel. XXII. verſ. 7. & II. Samuel. XVI. verſ. 11. Sed nihil neceſſe.

V. 18. AD DOMUM DEI, hoc eſt Siluntem, ubi tabernaculum erat, ex Ioſue XVIII. verſ. 1. Sic infra cap. XX. verſ. 18.

V. 19. HABENTES PALEAS, &c. Hunc verſum nos verbatim ex Hebræo reddidimus (*Et etiam ſtramen, etiam pabulum exiſtentia aſinis noſtris: & etiam panis, & vinum exiſtentia mihi, & ancillæ tuæ, & excuſſo cum ſervis tuis: non defectus omnis verbi.*) Alii dilucidius ſic: *Habemus nos & paleas & pabulum pro aſinis noſtris: deinde panis & vinum eſt mihi, & ancillæ tuæ, & puero, qui eſt cum ſervo tuo: nihilque deeſt*. Quidam: *Quamvis cum ſtramen, tum pabulum ſit penes ſervos tuos pro aſinis noſtris, tum etiam panis & vinum ſit pro me, & pro ancilla tua, & huic puero, qui eſt cum ſervis tuis; nullus rei ſit penuria*.

V. 20. PAX TECUM SIT; quaſi dicat: Nihil eſto ſolicitus, bono animo eſto. Vel Hiſpanice: *Seays bien venido*. EGO PRAEBEBO OMNIA QUAE NECES-

SA-

Digitized by Google

SARIA SUNT. Hebr. *Tantum omnis defectus tuus ſuper me*: vel, *verumtamen omnis penuria tua ſuper me*. Quidam: *Quidquid defecit te, incumbat tantum mihi*. Alii: *Ego ſarciam quidquid tibi deeſt*; quaſi dicat: De nulla re tu cures, relinque mihi hanc curam. Hiſpanice: *Yo me encargo delo que os faltare*.

V.21. ET PABULUM ASINIS PRAEBUIT. Hebr. *Et confudit aſinis*; vel *commiſcuit, permiſcuit aſinis*; id eſt, præbuit mixturam, migma aſinis.

V. 22. FILII BELIAL. Vide de hac locutione Deuteronom. XIII. verſ. 13. Varie hic vertunt: *Viri impii, homines improbi, nebulones, homines nihili, filii abſque profectu, viri nequam*. Hiſpanice, *Hiios del diablo*. Nec caret emphaſi Hebraica oratio: *Homines filiorum Beliiahal*; quaſi dicat: Qui improbitatem avitam, & a parentibus propagatam habentes, pravorum hominum pravæ ſoboles, parentum impietatis heredes, & propagatores. FORES PULSARE COEPERUNT. Participium מתדפקים *mithdappekim*, ex Hithpahel magnam vim habet: proprie: *Magna vi impellentes, & vim, ſeu impetum facientes in oſtium*, vel *contra oſtium*. Aliqui: *Facientes ſe impellere contra ianuam*; id eſt, impetu quodam ferebantur ad oſtium. Quidam notant, hic frequentiam actus ſignificari, ut fere fit in hac coniugatione, ac participium eſſe frequentativum; hoc eſt, valide, & crebro pulſantes. Fortaſſis indicat, eos conatos moliri fores. UT ABUTAMUR EO. Hebr. *Et cognoſcemus eum*. Vide ſimilem impuritatem Geneſ. XIX. verſ. 5.

V. 24. HABEO FILIAM, &c. Vide Geneſ. XIX. verſ. 8.

V.25. CONCUBINAM SUAM. פילגשו *pilagſcho* anceps eſt, ad *pellicem eius*, vel *ſuam*; ut verbum *eduxit*, vel *apprehendit*, & ad hoſpitem ſenem, & ad Levitam referri poſſit. Hoc poſterius fere omnes ſequuntur. Nempe Levita veluti ſalutem hoſpitis ſui, & familiæ eius, hoc facto redempturus. Concubinam vero invitam & reluctantem protractam, ſatis indicat vis verbi חזק *chazak*, quod *validam apprehenſionem* ſignificat, quaſi obſiſtenti iniectam manum. QUA CUM TOTA NOCTE ABUSI ESSENT. Hebr. *Et ludicre egerunt in ea tota nocte*. De ſignificatione verbi עלל *ghalal* egimus in Exodi X. verſ. 2. Hic varie reddunt. I. *Et illuſerunt ei*; id eſt, fecerunt in ea opus abominabile, & ludicrum in coitu. Non dubium, quin in ea præpoſteram etiam libidinem exercuerint. Quo etiam loquendi genere Tacitus Annal. XIII. *Tradunt plerique eorum temporum ſcriptores, crebris ante exitium diebus illuſiſſe pueritiæ Britannici Neronem*. II. *Cum factitaſſent in ea*: vel *cum indeſinenter abuſi eſſent ea*. Et coniugatio Hithpahel hic frequentiam actus, & immanem libidinem deſignat.

V. 27. SPARSIS IN LIMINE MANIBUS. Quidam, *& manus eius ſuper inferum limen*. Alii, *cum manibus ſuis in limine*: quaſi indormiviſſet manibus capiti ſubiectis in limine. Rectius: Cum caderet, protenderat manus ſuper limen: hic enim cadentium habitus.

V. 29. ET CADAVER UXORIS CUM OSSIBUS SUIS, &c. Aliqui notant, hoc Levitæ factum ſingulare eſſe, ac illegitimum: nam & contra legem Dei eſt vetantis, ne quis hoc modo cadaveribus impuretur; ac ne ſuſpenſi quidem hominis cadaver inſepultum manere vel ad diem unicum permittentis, Deuteronom. XXI. verſ. 23. & contra publica communiaque humanitatis & honeſtatis iura, quæ ſævire in mortua corpora prohibent; & contra officium maritale, quæcumque tandem obtendatur ratio. Alii, zelo iuſtitiæ, & a Deo impulſum id Levitam feciſſe aiunt, ut eo facto reliquas tribus ad vindicandum tam atrox flagitium magis accenderet. MISIT IN OMNES TERMINOS ISRAEL. Ioſephus: *Cadaver membratim diviſum in partes duodecim ad ſingulas tribus miſit, mandans perferentibus, ut indicarent per tribus, qui mulieri cauſa mortis fuerint, & de eorum violentia*.

V. 30. FERTE SENTENTIAM. Hebr. *Ponite vobis ſuper illud*. Quidam: *Ponite cor veſtrum ſuper eam*; id eſt, diligentiſſime perpendite rem hanc: vel *ponite cor vobis ſuper malo iſto*; id eſt, adhibete animum, vel facite vobis animos ad vindicandum flagitium iſtud. Alii: *Apponite, adhibete, vos ad iſtud*; id eſt, vos totos huic negotio applicate.

* Verba hæc tantum habentur in textu Hebr.

Digitized by Google

MENOCHII.

Verſ. 1. MONTIS EPHRAIM. Vide dicta cap. XVII. num. 1.

V. 2. QUAE RELIQUIT EUM. Abulenſis quæſt. v. putat ſignificari eam matrimonii fidem fallendo, maritum reliquiſſe. Lyranus aut eiectam a marito flagitii compertam, aut ipſam cum adultero, marito interim totius rei ignaro, profugiſſe. Arias non cenſet mœchatam, ſed diſceſſiſſe ut ſuo viveret arbitratu. Ioſephus ait, eam ob pulchritudinem eximiam adamatam a marito adeo ut in eam ſemper eſſet intentus, viciſſim vero illam parum virum ſuum dilexiſſe; inde ortas utrinque ſuſpiciones, & offenſiones, quæ diſceſſui cauſam dederunt. Serarius putat, illam alteri nubere voluiſſe marito offenſam; adulterium commiſiſſe, non facile concedendum exiſtimat.

V. 3. SECUTUSQUE EST EAM VIR SUUS, VOLENS RECONCILIARI EI. In Hebræo eſt: *Ivit poſt eam ut loqueretur ad cor illius:* quæ dicendi formula blande *alloqui* ſignificat, aut *blandiri*, ut noſter vertit Interpres. Si mulieris adulterium interceſſiſſet, eaque alteri viro nupſiſſet, iuxta Deut. legem cap. XXIV. 3. & 4. non fuiſſet fas Levitæ, iterum illam revocare, ſive unius eſſet poſterior maritus, ſive mortuus. SUSCEPIT EUM, &c. Bene ac ſapienter fecit Levitæ uxor, quæ offenſionum oblita, marito ſuo reconciliata eſt. Aliæ arrogantes, & iracundæ, quo ſe quæri magis, & ad reconciliationem invitari vident; eo difficiliores, & aſperiores ſunt.

V. 5. DE NOCTE CONSURGENS, primo ſcilicet diluculo, quod *manicare* Scriptura dicit aliquando, Lucæ v. 21. 38.

V. 7. OBNIXE EUM SOCER TENUIT. Hebr. & Græce eſt *coegit eum*, *ἐβιάσατο αὐτὸν*. Pulchrum humanitatis, amicæque hoſpitalitatis exemplum, quale diſcipulorum euntium in Emaus, qui *coegerunt eum*, ut dicitur Lucæ XXIV. 29. Chriſtum ſcilicet.

V. 8. DONEC DECRESCAT DIES. Hebr. *inclinet dies*: ſe ſcilicet æſtus frangat, & ad iter paulo ſit aura commodior.

V. 12. USQUE GABAA. *Gabaa* eſt urbs in tribu Beniamin; ut dicitur numer. 14. ſequenti. Sunt tamen qui duplicem in Beniamin Gabaam conſtituant, unam montanam, campeſtrem aliam: nam ſequenti cap. XX. num. 31. in Hebræo dicitur *Gabaa in agro*, ut ſcilicet diſtinguatur a montana, quæ illi propinqua eſt, & ad quam divertiſſe Levitam ſentit Serarius quæſt. VI.

V. 16. ERANT FILII IEMINI: filii Beniamin, qui enim dictus fuit *Beniamin* Geneſ. XXXV. 18. idem quandoque vocatur *Iemini*, ut ſupra cap. III. 15. & I. Reg. IX. & alibi ſæpe.

V. 18. DOMUM DEI. Silo enim, ubi tabernaculum, & arca, in tribu Ephraim erat, quo pergebant. LXX. habent, *Domum meam*. Chald. *Domum ſanctuarii Dei*.

V. 21. POSTQUAM LAVERUNT PEDES SUOS, &c. Sunt mores hoſpitalitatis, quales in Abraham, & Lot quondam fuerunt Gen. XVIII. & XIX.

V. 22. FILII BELIAL, id eſt, ut interpretatur Noſter, *abſque iugo*, LXX. vocant υἱὲς παρανόμων, *filii tranſgreſſorum legum*, hoc eſt tranſgreſſores, & legis iugum excutientes. Alibi vocantur iidem *filii diaboli*, aut *diabolici*, III. Reg. XXI. 13. Pſalm. XVII. 5. XL. 9. *Apoſtatæ*, Prov. VI. 11.

V. 23. CESSATE AB HAC STULTITIA, ab hoc ſcelere, ab hoc flagitio. Quemadmodum in ſacris litteris ſtultum frequenter peccatorem ſignificat, ita ſtultitia, ipſum peccatum.

V. 24. HABEO FILIAM VIRGINEM, &c. Non peccaſſe ſenem, & Levitam, dum uxorem, & filiam, illorum obtulere cupiditati, communis eſt opinio; in modo tamen, & cauſa iſtius rei explicanda diſcordiæ aliquid eſt. Expeditiſſima videtur ratio eos a culpa eximendi, ſi dicamus excuſari ignorantia, quæ in ſene illo viro agricola, ut apparet ex num. 16. huius capitis, eſt valde probabilis, ut etiam fortaſſe in iuvene iſto Levita. Alioqui enim nullo iure poterat filiam, & hoſpitam, de quibus Gabaitæ non cogitabant, illorum libidini exponere, etiamſi id eo faceret conſilio, ut maius peccatum vitaretur. Adde fieri potuiſſe, ut utrique notum eſſet ſimile Loti factum, ex quo erroris occaſionem acceperint. Vide Leſſium de iuſtitia, & iure Lib. II. cap. XIII. dub. 3.

dub. III. num. 19. & Sanchez de matrimonio Lib. XII. diſp. XI. a num. 14. & deinceps, & potiſſimum num. 24. & 28. Ut humilietis eas. Humiliare aliquam phraſi Hebraica, eſt rem cum illa habere. Exemplum habes Deut. XXI. 24. & alibi.

V. 26. Recedentibus tenebris. In Hebræo eſt, *ad reſpicere mane*; id eſt, cum appeteret matutinum tempus. Ubi manebat dominus suus. Mos vetus, ut ſcilicet uxores, maritos dominos appellent, quem non obſcure laudat S. Petrus, I. Epiſt. cap. III. num. 5. *Sara*, inquit, *obediebat Abrahæ, dominum eum vocans*. Et ibi corruit. Duplicem mortis cauſam affert Ioſephus: unam ſummum eorum quæ paſſa eſſet, dolorem; alteram ſummum pudorem, atque verecundiam, ob quam in viri ſui conſpectum venire non auderet. In ſacro textu ea cauſa maxime innuitur, quod labore, & vexatione nocturna fatigata, deficientibus iam viribus collapſa ſit, & extincta.

V. 29. In duodecim partes, &c. ut ſcilicet unicuique tribui pars mitteretur, ſpectaculumque illud acrius animos ad vindictam incitaret. Arias putat fruſta illa ſublimi aliquo loco ſtatuta, ut ab omnibus conſpici poſſent, ad eum modum quo corpora eorum qui ſententiam ſunt paſſi, ad terrorem loco edito ſuſpenduntur, aut illorum partes. Aliqui putant ad tribum Beniamin corporis illius ſectionem miſſam non fuiſſe, quod ſcilicet ea tribus nocens eſſet. Sed nihil vetat quo minus mitti potuerit, quia viri tantum Gabaa ſcelus admiſerant, non tribus univerſa.

T I R I N I.

Verſ. 2. Quae reliquit eum, ſcilicet maritum, cuius zelotypiam ferre nolebat diutius, inquit Ioſephus. S. Ambroſius *a* putat, familiari re aliqua, ut in matrimoniis frequenter accidit, offenſam *concubinam* (ſic enim vocari ſolent ſecundariæ uxores, ut dixi Geneſ. XXV.) noluiſſe diutius illius coniugium; ac proinde paternas ædes repetiiſſe, ut alterum a parente maritum depoſceret. Ita etiam Lyranus, Serarius, & alii. Nota ex capite ſequenti verſ. 28. quo dicitur, *Phinees filius Eleazari filii Aaron præpoſitus fuiſſe domus Dei*, ſeu Pontifex, tum cum hæc contingerent, certo colligi, hæc contigiſſe paulo poſt mortem Ioſue, ante Meſopotamicam ſervitutem. Ita Hebræi, & Ioſephus, Genebrardus, Abulenſis, Lyranus, Vincentius, & Serarius *b*.

V. 16. Erant filii Iemini, id eſt Beniamitæ. Nam Beniamin ſæpe vocatur *Iemini* in Scripturis *c*.

V. 25. Eduxit ad eos concubinam suam. Et quidem licite ut olim *Lot filias* obtulit *ſuas*, Geneſ. XIX. nempe ut maius fœdiusque peccatum evitarent. Non tamen id eis licuiſſet, ſi uxor, vel filiæ non conſenſiſſent ut ſic traderentur. Vide Caietanum, Abulenſem, & Serarium.

V. 29. Cadaver uxoris in duodecim partes concidens. Neque in hoc peccavit Levita, cum non ad dehoneſtandum corpus, ſed ad honorem defunctæ reſarciendum, id fecerit, nempe ut hac via provocaret 12. tribus ad tanti ſceleris vindictam. Ita Abulenſis, & alii.

(*a*) S. Ambr. Lib. Offic. cap. III. de fortitudine.
(*b*) In Seder. Olam. Vinc. in Spec. Hiſt.
(*c*) Iud. III. verſ. 15. & I. Reg. IX. &c.

G O R D O N I.

Verſ. 1. Tempus huius rei geſtæ videtur colligi ex capite XX. verſ. 28. Tunc enim Phinees filius Eleazari filii Aaron erat ſummus ſacerdos.

Verſ. 2. Reliquit eum. Hebr. *Fornicata eſt*, quamvis זנה *zanah*, non ſemper ſignificet fornicari. Septuag. *Irata eſt illi*, ὠργίσθη. Chad. *Contempſit eum*.

Verſ. 10. Concubina vocatur hæc mulier, & verſ. 24. immo apud LXX. eſt γυνὴ παλλακὴ. Hebr. *fornicata eſt*, ותזנה *vatizne*, radix זנה: verius eſt tamen fuiſſe ex vero matrimonio uxorem: nam verſ. 3. pater puellæ vocatur ſocer. Denique repetitur tantum abſque novi matrimonii mentione ulla: & ita ſentit Ambroſ. Lib. III. opuſc. de fortitud. Nec obſtat vocari concubinam: tales uxores dictas concubinas habuit Abraham, ſed minores dignitate, & officio. De duplici hoc uxorum genere Interpretes ad Gen. cap. XVI. Quod vero eſt in Hebræo, deſignat uxorem hanc adulteram fuiſſe, aut voluiſſe nubere alteri, & ſic animo concepiſſe

Digitized by Google

adulterium, ideoque reliquiſſe maritum. Er quid ſi in Hebræo legendum ſit, non quidem זנה, *ſcortatus eſt*, ſed זנח, *dereliquit*, *deſeruit*, *repulit*, mutatu He in Cheth.

Verſ. 16. Manet Levita in Gabaa. Gabaitæ filii Iemini, & filii Belial. Sane Gemini ſunt Beniamitæ: nam Beniamin (de Geneſ. xxxv. verſ. 18.) ſæpe vocatur Iemini, ut I. Reg. ix. *Belial*, Interpres vertit *ſine iugo*. Ut alii volunt, Beli-iahal non aſcendet: qui enim peſſimi ſunt non progrediuntur aſcendendo ad virtutis gradum. Hebr. בליעל.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 1. In latere montis Ephraim. Mons hic pro montoſis locis habitatis accipitur.

V. 24. Laborant aliqui, ut excuſetur ſenex a peccato offerens filias. Vide ſimilia de Lot. Pro execratione faciunt ignorantia, dilectio hoſpitum, & oblatio illius rei in qua putabat eſſe minus malum.

V. 26. Cauſam mortis non dat textus: dolor, pudor, labor, vexatio, & ſimilia afferri poſſunt.

CAPUT XX.

Ob hoc ſcelus pugnantes reliquæ tribus adverſus Beniamin, ſemel atque iterum bello inferiores, tertioque committentes iuſſu Domini prælium, tribum illam, præter ſexcentos qui in ſolitudinem fugerant, penitus deleverunt.

1. EGreſſi itaque ſunt omnes filii Iſrael, & pariter congregati,
quaſi vir unus, (*a*) de Dan uſque Berſabee, & terra Ga-
laad, ad Dominum in Maſpha: 2. omneſque anguli popu-
lorum, & cunctæ tribus Iſrael in eccleſiam populi Dei con-
venerunt, quadringenta millia peditum pugnatorum. (3. Nec
latuit filios Beniamin, quod aſcendiſſent filii Iſrael in Ma-
ſpha.) Interrogatuſque Levita, maritus mulieris interfectæ,
quomodo tantum ſcelus perpetratum eſſet, 4. reſpondit: Veni in Gabaa Benia-
min cum uxore mea; illucque diverti: 5. & ecce homines civitatis illius cir-
cumdederunt nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere, & uxo-
rem meam incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua eſt. 6. Quam
arreptam, in fruſta concidi, miſique partes in omnes terminos poſſeſſionis ve-
ſtræ: quia numquam tantum nefas, & tam grande piaculum factum eſt in Iſrael.
7. Adeſtis omnes filii Iſrael, decernite quid facere debeatis. 8. Stanſque omnis
populus, quaſi unius hominis ſermone reſpondit: Non recedemus in tabernacu-
la noſtra, nec ſuam quiſquam intrabit domum: 9. ſed hoc contra Gabaa in
commune faciamus. 10. Decem viri eligantur e centum ex omnibus tribubus
Iſrael, & centum de mille, & mille de decem millibus, ut comportent exerci-
tui cibaria, & poſſimus pugnare contra Gabaa Beniamin, & reddere ei pro ſce-
lere, quod meretur. 11. Convenitque univerſus Iſrael ad civitatem, quaſi homo
unus, eadem mente, unoque conſilio: 12. & miſerunt nuntios ad omnem tri-
bum Beniamin, qui dicerent: Cur tantum nefas in vobis repertum eſt? 13. Tra-
dite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, ut moriantur, & au-
feratur malum de Iſrael. Qui noluerunt fratrum ſuorum filiorum Iſrael audire

man-

Digitized by Google

mandatum: 14. ſed ex cunctis urbibus, quæ ſortis ſuæ erant, convenerunt in Gabaa, ut illis ferrent auxilium, & contra univerſum populum Iſrael dimicarent. 15. Inventique ſunt viginti quinque millia de Beniamin educentium gladium, præter habitatores Gabaa, 16. qui ſeptingenti erant viri fortiſſimi, ita ſiniſtra ut dextera præliantes: & ſic ſundis lapides ad certum iacientes, ut capillum quoque poſſent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur. 17. Virorum quoque Iſrael, abſque filiis Beniamin, inventa ſunt quadringenta millia educentium gladios, & paratorum ad pugnam. 18. Qui ſurgentes venerunt in domum Dei, hoc eſt in Silo: conſulueruntque Deum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu noſtro princeps certaminis contra filios Beniamin? Quibus reſpondit Dominus: Iudas ſit dux veſter. 19. Statimque filii Iſrael ſurgentes mane, caſtrametati ſunt iuxta Gabaa: 20. & inde procedentes ad pugnam contra Beniamin, urbem oppugnare cœperunt. 21. Egreſſique filii Beniamin de Gabaa, occiderunt de filiis Iſrael die illo viginti duo millia virorum. 22. Rurſum filii Iſrael & fortitudine & numero confidentes, in eodem loco, in quo prius certaverant, aciem direxerunt: 23. ita tamen ut prius aſcenderent & flerent coram Domino uſque ad noctem: conſulerentque eum, & dicerent: Debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Beniamin fratres meos, an non? Quibus ille reſpondit: Aſcendite ad eos, & inite certamen. 24. Cumque filii Iſrael altera die contra filios Beniamin ad prælium proceſſiſſent, 25. eruperunt filii Beniamin de portis Gabaa: & occurrentes eis, tanta in illos cæde bacchati ſunt, ut decem & octo millia virorum educentium gladium proſternerent. 26. Quamobrem omnes filii Iſrael venerunt in domum Dei, & ſedentes flebant coram Domino: ieiunaveruntque die illo uſque ad veſperam, & obtulerunt ei holocauſta, atque pacificas victimas, 27. & ſuper ſtatu ſuo interrogaverunt. Eo tempore ibi erat arca fœderis Dei, 28. & Phinees filius Eleazari filii Aaron præpoſitus domus. Conſuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt: Exire ultra debemus ad pugnam contra filios Beniamin fratres noſtros, an quieſcere? Quibus ait Dominus: Aſcendite, cras enim tradam eos in manus veſtras. 29. Poſueruntque filii Iſrael inſidias per circuitum urbis Gabaa: 30. & tertia vice, ſicut ſemel & bis, contra Beniamin exercitum produxerunt. 31. Sed & filii Beniamin audacter eruperunt de civitate, & fugientes adverſarios longius perſecuti ſunt, ita ut vulnerarent ex eis ſicut primo die & ſecundo, & cæderent per duas ſemitas vertentes terga, quarum una ferebatur in Bethel, & altera in Gabaa, atque proſternerent triginta circiter viros: 32. putaverunt enim ſolito eos more cædere. Qui fugam arte ſimulantes, inierunt conſilium ut abſtraherent eos de civitate, & quaſi fugientes ad ſupradictas ſemitas perducerent. 33. Omnes itaque filii Iſrael ſurgentes de ſedibus ſuis, tetenderunt aciem in loco, qui vocatur Baalthamar. Inſidiæ quoque, quæ circa urbem erant, paulatim ſe aperire cœperunt, 34. & ab occidentali urbis parte procedere. Sed & alia decem millia virorum de univerſo Iſrael, habitatores urbis ad certamina provocabant. Ingravatumque eſt bellum contra filios Beniamin: & non intellexerunt quod ex omni parte illis inſtaret interitus. 35. Percuſſitque eos Dominus in conſpectu filiorum Iſrael, & interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia & centum viros, omnes bellatores & educentes gladium. 36. Filii autem Beniamin, cum ſe inferiores eſſe vidiſſent, cœperunt fugere. Quod cernentes filii Iſrael, dederunt eis ad fugiendum locum, ut ad præparatas inſidias devenirent, quas iuxta urbem poſuerant. 37. Qui cum re-

pen-

pente de latibulis ſurrexiſſent, & Beniamin terga cædentibus daret, ingreſſi ſunt
civitatem, & percuſſerunt eam in ore gladii. 38. Signum autem dederant filii
Iſrael his quos in inſidiis collocaverant, ut poſtquam urbem cepiſſent, ignem
accenderent: ut aſcendente in altum ſumo, captam urbem demonſtrarent.
39. Quod cum cernerent filii Iſrael in ipſo certamine poſiti, (putaverunt enim
filii Beniamin eos ſugere, & inſtantius perſequebantur, cæſis de exercitu eorum
triginta viris) 40. * & viderent quaſi columnam ſumi de civitate conſcendere;
Beniamin quoque aſpiciens retro, cum captam cerneret civitatem, & flammas
in ſublime ferri: 41. qui prius ſimulaverant ſugam, verſa facie fortius reſiſtebant.
Quod cum vidiſſent filii Beniamin, in ſugam verſi ſunt, 42. & ad viam
deſerti ire cœperunt, illuc quoque eos adverſariis perſequentibus. Sed & hi qui
urbem ſuccenderant, occurrerunt eis. 43. Atque ita factum eſt, ut ex utraque
parte ab hoſtibus cæderentur, nec erat ulla requies morientium. Ceciderunt,
atque proſtrati ſunt ad orientalem plagam urbis Gabaa. 44. Fuerunt autem qui
in eodem loco interfecti ſunt, decem & octo millia virorum, omnes robuſtiſſimi
pugnatores. 45. Quod cum vidiſſent qui remanſerant de Beniamin, ſugerunt
in ſolitudinem: & pergebant ad petram, cuius vocabulum eſt Remmon. In illa
quoque ſuga palantes, & in diverſa tendentes, occiderunt quinque millia virorum.
Et cum ultra tenderent, perſecuti ſunt eos, & interfecerunt etiam alia
duo millia. 46. Et ſic factum eſt, ut omnes qui ceciderant de Beniamin in diverſis
locis, eſſent vigintiquinque millia, pugnatores ad bella promptiſſimi.
47. Remanſerunt itaque de omni numero Beniamin, qui evadere, & ſugere in
ſolitudinem potuerunt, ſexcenti viri: ſederuntque in petra Remmon menſibus
quatuor. 48. Regreſſi autem filii Iſrael, omnes reliquias civitatis, a viris uſque
ad iumenta, gladio percuſſerunt, cunctaſque urbes & viculos Beniamin vorax
flamma conſumpſit.

(a) Oſee ix. 9.

BRUGENSIS

Romana Correctio.

V. 40. *Et viderent quaſi columnam ſumi.* Optativi præſens *viderent* legendum eſt, non indicativi præteritum *viderunt*.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. Quasi vir unus, id eſt omnes ad unum.

V. 2. Anguli, id eſt capita, ſeu primates. Quadringenta: ita Hebr. Chald. & LXX. & Complut.

V. 5. Occidere, ſcilicet libidine præpoſtera.

V. 6. Veſtrae. Hebr. Chald. & LXX. *Iſrael*. Quia numquam, &c. Hebr. *Quia fecerunt ſcelus & fœditatem in Iſrael*.

V. 8. Unius hominis; quaſi dicat, unanimi conſenſu.

V. 9. In commune. Hebr. Chald. & LXX. *per ſortem*.

V. 15. Viginti quinque: ſic etiam LXX. at Hebr. & Chald. *viginti ſex*.

V. 16. Ita siniſtra, &c. ſic etiam LXX. at Hebr. & Chald. *Qui ſola ſiniſtra utebantur*.

V. 18. Domum Dei. Hebr. Chald. & LXX. *Bethel*: & hic, & infra cap. ſeq. nulla de Silo facta mentione.

V. 25.

Digitized by Google

V. 25. PROSTERNERENT. Nota, quod iſti ob ſua peccata puniebantur, præſertim idololatriam, quam in tribu Dan permittebant.

V. 27. IBI, ſcilicet in Silo.

V. 33. BAALTHAMAR. Chald. *in planitiebus Iericho*.

V. 43. AB OCCIDENTALI: ſic etiam LXX. at Chald. *ex planitie*: alii, *ex gramineto*, ſcilicet herboſo loco.

V. 39. PUTAVERUNT, &c. Redit ad id quod ſupra dixerat.

ESTII.

Verſ. 16. VIRI FORTISSIMI, ITA SINISTRA UT DEXTERA PRAELIANTES. Hebr. eſt: *Vir electus, clauſus manum dextram*: quod varie exponitur: & inter alios quidam exponunt ſic: Adeo hos fortes fuiſſe, ut etiamſi clauſa, vel ligata eis fuiſſet manus dextera, nihilominus feliciter contra hoſtes pugnare potuiſſent. Sed apertius tam hoc loco, quam ſupra cap. III. Septuaginta tranſtulerunt ἀμφοτεροδέξιοι, id eſt *ambidextrum*: nempe, ut Hieronymus tranſtulit, *Ita ſiniſtra ut dextera prælantes*. Et favet huic ſenſui, & interpretationi etiam quod eſt ibi cap. III. de Aod.

V. 21. EGRESSIQUE FILII BENIAMIN DE GABAA, OCCIDERUNT DE FILIIS ISRAEL DIE ILLA VIGINTI DUO MILLIA. Quæritur, quare filii Iſrael cum iuſtum bellum ſuſcepiſſent, idque etiam conſulto & approbante Domino, tamen ſemel atque iterum in prælio fuerint inferiores, magnamque cladem acceperint? Huius duæ afferuntur rationes. Una, quia tolerabant manifeſtam & notoriam idololatriam in tribu filiorum Dan, apud quos, ut eſt cap. XVIII. publice colebatur idolum Michæ, quod peccatum Deus prius punire voluit gladio filiorum Beniamin, quam de iis victoriam reportarent. Hanc rationem aſſignant Hebræi. Alia ab eccleſiaſticis Interpretibus aſſignatur, & inſinnatur in textu ubi dicitur: *Rurſum filii Iſrael fortitudine & numero confidentes, in eodem loco in quo prius certaverunt, aciem direxerunt*. Nempe quod magis fidebant numero, & fortitudini ſuæ, quam auxilio Dei, neque illud precibus, fletibus, & ieiuniis requiſierunt. Et arbitror poſteriorem rationem eſſe veriorem. Nam non conſtat, an hiſtoria de Micha ſit prior iſta.

V. 28. ET PHINEES FILIUS ELEAZARI FILII AARON PRAEPOSITUS DOMUS. Quandoquidem hoc tempore adhuc vivebat Phinees, contigit ergo veriſimiliter hæc hiſtoria ante illud tempus de quo dicitur cap. II. huius libri: *Omniſque illa generatio congregata eſt ad patres ſuos, & ſurrexerunt alii qui non noverant Dominum, & opera quæ fecerat cum Iſrael*. Hinc itaque colligitur antiquitas huius hiſtoriæ, ut ex eo quoque patet, quod illo tempore Ieruſalem nondum erat occupata a filiis Iuda, ſed adhuc tenebant eam Iebuſæi, ut dicitur capite ſuperiori. Non Ieruſalem, inquam, id eſt nec ipſa quidem civitas (ne quis dicat Ieruſalem hic pro arce Ieruſalem poni, quam demum expugnavit David) ſed nec ipſa quidem civitas inquam, tunc adhuc ab Iſraelitis erat capta, ad quam utique divertere voluiſſet Levites ille, cuius ſuperiori capite eſt mentio, non ad arcem.

V. 29. POSUERUNTQUE FILII ISRAEL INSIDIAS PER CIRCUITUM URBIS GABAA. Ante dixerat Dominus: ASCENDITE CRAS, ET TRADAM EOS IN MANUS VESTRAS. Quia Dei promiſſione non obſtante, inſidias collocant filii Iſrael ad circumveniendum filios Beniamin; ea res docet, non debere ceſſare induſtriam humanam, etiam ubi certam tenemus promiſſionem divinam. Nam Dei promiſſio hominum induſtriam non excludit, ſed potius confirmat, & ad felicem exitum perducit. Ita ergo & Eccleſia, quamvis promiſſionem habeat fidei non defuturæ, recte tamen ſimul fidelium continua inſtitutione, & conciliis Epiſcoporum aliquando celebrandis, hoc agit, ut fides integra & illibata conſervetur.

MARIANAE.

Verſ. 1. QUASI VIR UNUS; id eſt, uno conſenſu, ad unum omnes congregati ſunt. DE DAN USQUE BERSABEE. Termini terræ promiſſionis Dan a ſeptemtrione, Berſabee ad auſtrum: ſed erant tribus ultra Iordanem, quas *per terram Galaad* intelligit. Porro

Lais

Digitized by Google

Lais vocatur *Dan*; ex quo efficitur, ſuperiori tempore contigiſſe quod de Micha dictum eſt cap. XVII. & XVIII. niſi dicas per anticipationem ſic vocari.

V. 2. ANGULI POPULORUM, id eſt principes maiores: ſic dicti, quod anguli ex maioribus lapidibus conſtent, & fabricam ſuſtineant. Ii etiam convenerunt.

V. 3. NEC LATUIT FILIOS BENIAMIN. Suggillat eorum ſuperbiam, qui ſcientes alias tribus eſſe irritatas, nihil curant. INTERROGATUSQUE LEVITA. Hebr. *Et dixerunt* (ſcilicet principes) *filii Iſrael: Dicite quomodo fuit malum hoc?* ſic Sept. & Chald. Itaque cum filiis Iſrael ſermo eſt, ſed verſu proximo Levita reſpondet pro omnibus.

V. 5. HOMINES CIVITATIS ILLIUS. Sept. *viri*, pro *homine*. Chald. *habitatores*: ſed vox Hebr. *baale* poteſt ſignificare *dominos proceres*. Sed præſtat *viros* promiſcue intelligere & *homines*, quoniam cap. ſuperiori verſ. 22. *homines* dicitur conveniſſe: niſi forte Levita ſcelus exaggerare voluit, quaſi factum a primoribus. VOLENTES ME OCCIDERE, fortaſſe gladio, aut libidine turpiſſima.

V. 6. IN OMNES TERMINOS POSSESSIONIS VESTRAE miſi partes uxoris occiſæ. Hebr. *In omnem agrum*, ſeu *regionem hereditatis Iſrael*, *miſi ea fruſta*: ſic Sept. & Chald. niſi quod pro *agro*, *terminum* ponunt, nec incommode, ut Hieronymus poſuit. QUIA NUMQUAM TANTUM NEFAS. Hebr. *Quia fecerunt ſcelus & nefas in Iſrael*. Reſpondit populus

V. 8. QUASI UNIUS HOMINIS SERMONE. Hebr. *quaſi unus homo dicens*; id eſt, quaſi unius hominis ex ore omnes loquerentur: ſic Sept. & Chald.

V. 9. IN COMMUNE FACIAMUS. Hebr. *in ſorte*, id eſt per ſortem: ſic Sept. & Chald. Quæ ſortes eæ eſſent, verſ. 10. dicitur.

V. 11. CONVENITQUE UNIVERSUS POPULUS AD CIVITATEM. Heb. *ad civitatem illam*, ſcilicet Gabaa, id eſt contra illam. EADEM MENTE, UNOQUE CONSILIO. Hebr. *ſociati*, ſeu *confœderati*. Sententia eadem eſt.

V. 15. VIGINTI QUINQUE MILLIA DE BENIAMIN: ſic Sept. At Heb. & Chald. *viginti ſex millia*.

V. 16. ITA SINISTRA UT DEXTERA PRAELIANTES. Sept. *ambidextri*. Hebr. *impediti*, ſeu *obturati manu dextera ſua*: ſic Chald. quibus verbis ſignificatur, dextera eos uti non poſſe, ſed læva tantum. Idem de Aiod dicitur cap. III. verſ. 15. ſed ibi Hieronymus vertit, *qui utraque manu pro dextera utebatur*: certe utroque loco *ambidextros* facit. Nos autem ad ſtrenuitatem ſpectare voluiſſe putamus, quod læva uterentur, adverſario non habente uſum pugnæ ſimilis, eoque maiori periculo.

V. 18. IN DOMUM DEI, HOC EST: IN SILO. Hebr. *Aſcenderunt in Bethel* ſic Sept. & Chald. omnes ut nomen proprium reliquere. Solus Hieronymus vertit pro *Bethel*, *domum Dei* (nam id ſignificat) & addidit de ſuo, *hoc eſt in Silo*: & recte, quia ſequitur: CONSULUERUNTQUE DOMINUM.... QUIS ERIT PRINCEPS CERTAMINIS? Heb. *in principio certaminis*. Ita *princeps* ſumitur pro primus.

V. 26. IN DOMUM DEI. Rurſus *in Bethel*, omnes. Et forte eo tempore tabernaculum non erat in Silo, ſed in Bethel, ad tempus ſcilicet. Atque id indicant illa verba verſ. 28. *Eo tempore ibi erat arca fœderis*. Sed video pleroſque his omnibus locis per *Bethel* intelligere *Silo*, ubi erat tabernaculum, quod vocetur *Bethel*, id eſt *domus Dei*.

V. 30. TERTIA VICE, SICUT SEMEL ET BIS CONTRA BENIAMIN EXERCITUM PRODUXERUNT. Heb. *In die tertia inſtruxerunt* (ſcilicet aciem) *contra Gabaa*, *ſicut vice in vice*; hoc eſt, ſicut ſemel, & iterum; vel ſicut alias, & hac quoque vice. Sept. *ſicut ſemel & ſemel*, Chald. *ſicut tempus in tempore*. Ita verſ. 31. ubi nos *ſicut primo die & ſecundo*, in Hebr. *ſicut vice in vice*, id eſt ſemel, & iterum. Caſtrametati ſunt in

V. 33. BAALTHAMAR, Chald. *in planitiebus Iericho*. Iericho *urbs palmarum* vocatur non ſemel in Ioſue. Porro *Baalthamar* ſignificat *Dominum palmæ*, pro palmarum.

V. 34. AB OCCIDENTALI URBIS (ſcilicet Gabaa) PARTE PROCEDERE, ſcilicet cœperunt. Sic Sept. & Chald. *ex planitie Gaba*. Vox Hebr. מערה *mabareh* teſte Kimhi ſignificat *locum herboſum*: & veriſimile eſt inſidias inter dumos & her-

herbas fuiſſe poſitas. Pro voce *urbis* in Hebr. eſt *Gabah*: ſic Sept. & Chald. Fugiunt Iſraelitæ, ut Beniamitas ad inſidias traherent poſitas.

V. 36. IUXTA URBEM. Hebr. *iuxta Gabaa*. Secuti ſunt Beniamitæ

V. 39. CAESIS DE EXERCITU EORUM (ſcilicet Iſraelis) TRIGINTA VIRIS. Repetit quod verſ. 31. dictum erat.

V. 40. FLAMMAS IN SUBLIME FERRI. Hebr. *Et ecce aſcendit conſumptio* (id eſt flamma, vel fumus) *in cælum*, *urbis*, ſcilicet Gabaa, quam hoſtes incenderunt.

*V.*41.QUI PRIUS SIMULAVERANT FUGAM. Hebr. *Et vir Iſrael converſus eſt* (ſcilicet a fuga quam ſimularant,) *& territi ſunt Beniamitæ*.

*V.*42.SED ET HI QUI URBEM SUCCENDERANT. Hebr. *Et qui ex civitatibus*, *ceciderunt eum* (ſcilicet Beniamin) *in medio eius*; quaſi dicat: Qua fugiebant prodibant ex oppidis, & circumventos medioſque cædebant: ſic Sept.

V. 43. NEC ERAT ULLA REQUIES MORIENTIUM. Hebr. *Perſecuti ſunt eum*, ſcilicet Beniamin, *requies* (ſupple, non erat; vel a requie, ab urbe, loco, ubi quieſcebant) *conculcarunt eum uſque e regione Gabaa ab ortu ſolis*. Porro *ortus ſolis* poteſt & tempus indicare, nempe ab aurora cædem continuatam; aut plagam cæli locum, ubi facta cædes eſt, ad ortum urbis eius. Hoc Sept. & Chald. ſequuntur.

V. 48. A VIRIS USQUE AD IUMENTA omnia victores percuſſerunt. Suſpicor Hieronymum non legiſſe Hebraice מתום *methom*, ut modo eſt, ſed מתים *methim*, *mortales*: de qua voce plura Gen. xxxiv. verſ. 30. Suſpicor etiam Chald. legiſſe אותם *notham*, id eſt *eos*: ſic enim vertit locum: *Conſumpſerunt eos uſque ad iumenta*. Quid Sept. legerint, non divino. Aiunt enim ἑξῆς ἕως κτήνους, *conſecutive uſque ad iumenta*. Vox, ut modo eſt, ſignificat *perfectionem*: ſic vertunt: *Percuſſerunt de urbe perfectionem* (id eſt viros, qui ſunt urbis pars melior) *uſque ad iumentum*, pro iumenta.

MALVENDAE.

Verſ. 1. DE DAN, oppido, quod prius Lais, ſive Leſem vocabatur, poſtea Dan. Vide ſupra cap. xviii. verſ. 29. Fuit hic terminus ſeptemtrionalis terræ promiſſæ. USQUE BERSABEE. Urbs erat in tribu Iudæ, ſive Simeonis, verſus Philiſthæos & auſtrum: de qua diximus plura in Gen. xxi. verſ. 33. & Ioſue xv. verſ. 28. & cap. xix. verſ. 2. Fuit terminus auſtralis Iſraelitarum. ET TERRA GALAAD. Hebr. varie accipiunt, *& de terra Ghilhad*, vel *& uſque ad terram Ghilhad*. Notant deſignari hic terminum orientalem terræ ſanctæ: ut hoc verſu deſcribatur longitudo terræ Iſraeliticæ ab aquilone ad meridiem, nempe a Dan uſque ad Beerſabah; & latitudo a Galaad uſque ad mare mediterraneum, vel a mediterraneo, nempe ab occidente, ad Galaad, terminum orientalem. AD DOMINUM IN MASPHA. Quidam hic *Mitzphah* Siluntem intelligunt, cum quod in editiore eſſet loco, & ad ſpeculandum apto; tum quod ibi eſſet ſpecula, id eſt oraculum Iſrael, nempe tabernaculum, & arca. Ioſephus: *Apud Siluntem conventum faciunt*, *& congregati ante tabernaculum*. Alii volunt, lucum fuiſſe in finibus Biniaminitarum, quorum res agebatur in iſto conventu, quaſi in media longitudine regionis ſitum, ac proinde conventibus habendis deſtinatum. Erat proculdubio hæc Mitzphah Biniaminica, de qua egimus Ioſue xi. verſ. 3. & cap. xviii. verſ. 26. in qua ſolitos celebrari ſacros conventus, & publicas orationes populi, quod locus ad id eſſet aptus, nec procul a Silunte, apparet e I. Samuel. vii. verſ. 5. & 6. cap. x. verſ. 17. & I. Machabæor. iii. verſ. 46. atque ex iſto loco: unde recte intelligimus quod hic dicitur, congregatum fuiſſe conventum ad Dominum in Mitzpham.

V. 2. OMNESQUE ANGULI POPULORUM. פנה *pinnah*, cuius hic plurale פנות *pinnoth* ponitur, aiunt eſſe *angulum*, non quidem receſſum anguli, ut vulgus accipit; ſed flexum, ſeu faciem exteriorem ædificii, ſic dictum eo quod proſtet, & ſit in conſpectu, immo verius, quod ad diverſa loca reſpiciat: conſentienteque voce, *pinnam* exponunt, id eſt ædificiorum,

& murorum ſummitates, quas Hiſpanice *almenas* vocamus, ſic dictas, quod ſint conſpicuæ, & ſpecioſæ, & quod ex iis longe lateque aſpiciatur. Utuntur ea voce Latini, ut Livius Lib. LX. cap. XLV. *Aulus Gellius* Lib. V. cap. VI. & alii. Virgilius *minas* appellat, AEneid. IV.

.... minaeque

Murorum ingentes...

Servius: *Minæ, eminentiæ murorum, quas pinnas dicunt*. Varro Lib. IV. de Lingua Latina cap. XXXII. *Pinnæ* in muris dicuntur *ab eis quas inſignis milites habere in galeis ſolent: & in gladiatoribus Samnites*. Notant, Matthæi Interpretem, cap. IV. verſ. 5. & Lucam IV. verſ. 9. ubi deſcribunt Chriſtum a diabolo ſuper pinnam templi ductum, vertiſſe πτερύγιον, quod ab ala nomen habet. Et quia in angulis ponuntur maiores, & meliores lapides, qui duos parietes coniungant, ſuſtententque ædificium: atque etiam pinnæ ſunt ædificiorum faſtigia, & ornamenta; inde id nomen figurate tranſumitur pro principibus, primoribus, magnatibus, proceribus populi, qui ſunt ceu anguli, pinnæ, & faſtigia humanorum cœtuum, qui populum regunt & ſuſtinent, ac inter ceteros eminent, ut faſtigia & ornamenta populi. Sic ſumitur I. Samuel. XIV. verſ. 38. Hie exiſtimant quidam *angulos populi* appellari ipſas tribus, ut apud Philiſthæos ſatrapias: nam ſtatim ſe exponit. Quidam hic reddunt: *Ubi conſtiterunt uſque ab extremitatibus totius populi*.

V. 3. INTERROGATUSQUE LEVITA, MARITUS MULIERIS INTERFECTAE, QUOMODO TANTUM SCELUS PERPETRATUM ESSET. Hebr. *Et dixerunt filii Iſrael: Loquimini quomodo factum fuit malum iſtud* Noſter vel pluralem numerum pro ſingulari accepit, vel cum Levita alios quoque interrogatos intellexit, nempe vel famulum, vel hoſpitem. Alii exponunt: *Et dixerunt filii Iſrael: Eloquimini quomodo*, &c. id eſt, legatis miſſis, Biniaminem convocaverunt, & rationem malefacti reddere iuſſerunt; Biniaminitis vero non comparentibus, Levitam totam rem expoſuiſſe ſequente verſu.

V. 5. VOLENTES ME OCCIDERE. Verbi דמה *dimmah* in Pihel, notionem, & uſum explicavimus Numer. XXXIII. verſ. 56. Hic diverſe interpretantur. I. *Me cogitaverunt occidere*. II. *Præſeferentes, ac ſi vellent me interficere:* vel *aſſimilaverunt me interficere*, ſeu *viſi ſunt parare me interficere*. Hiſpanice. *Hizieron ſemeias de matarme*. III. *Imaginati ſunt*, vel *ſibi propoſuerunt me occidere*. Nimirum, vel abuti me præpoſtera libidine uſque ad mortem, ut fecerunt in uxore mea, ut puta niſi morem geſſiſſem terræ ipſorum libidini, qui præoptabam mori, quam horrendum illud ſcelus perpeti Sermo gravis.

*V.*6. NEFAS. Hebr. זמה *zimmah*. Huius vocis vim expendimus Levitici XVIII. verſ. 17. varie hic transferunt: *Abominationem, ſcelus deliberatum, & concoctum*. Hiſpanice *hecho penſada, alevoſia, præſumptionem:* Hiſpanicus Interpres, *maldad*.

V. 7. ADESTIS OMNES FILII ISRAEL. Hebr. *Ecce omnes vos, filii Iſrael*; quaſi dicat: Hæc iniuria non me ſolum, ſed totam Iſraelitarum rempublicam attingit. DECERNITE QUID FACERE DEBEATIS. Hebr. *Date vobis verbum, & conſilium hic*. Poſtremo verſu capitis præcedentis dixerat: *Conſulite, & loquimini*: hic ait: *Date vobis verbum*, &c. id eſt, ferte ſententiam, & date conſilium, quid hic facto opus ſit. Quidam: *Curate negotium hoc, & deliberate in rem præſentem*. Alii: *Date*, vel *communicate inter vos ſermonem & conſilium, hic*; id eſt, conferte inter vos ſermones, & conſilia, quid hic ſit agendum.

V. 9. SED HOC CONTRA GABAA IN COMMUNE FACIAMUS. Hebr. nos ex verbo reddidimus (*Et nunc iſtud verbum, quod faciemus Ghibghah ſuper eam in ſorte.*) Alii ſic: *Sed nunc eſto hæc res, quam facturi ſumus contra Ghibham, contra eam ſorte ibimus*: vel *oppugnabimus eam ſorte*; id eſt, ſortiemur qui annonæ curatores & qui bellatores ſint futuri. Quidam: *Quin hoc faciemus contra Gibea, aſcendemus contra eam ſorte*; id eſt. mittemus ſortem quinam pugnaturi ſint contra eam.

V. 10. ET POSSIMUS PUGNARE CONTRA GABAA BENIAMIN, ET REDDERE EI PRO SCELERE, QUOD MERETUR. Nos Hebræa verbatim expreſſimus (*Ad facere, ad venire eos Ghebagh Biniamin, ſecundum omnem fatuitatem, quam fecit Iſrael.*) Alii in hunc modum:

dum : *Ut faciat, cum pervenerit in Ghibab Biniamin, iuxta omnem fœditatem, quam fecit in Iſrael*. Quidam: *Qui hoc facturus eſt, qui veniat contra Gibea Biniaminitarum, propter univerſum hoc ſcelus, quod patravit in Iſraele*. Nonnulli: *Ut invadendo Ghibbam Biniaminitarum, faciant omnino prout meritum eſt flagitium illud, quod fecit in Iſraele*.

V. 15. INVENTIQUE SUNT. ויתפקדו *vaiithppakkedu*, formula Hithpahel, puto hic ſignificatum intendere; quaſi dicat: Accuratiſſimo, ac diligentiſſimo delectu recenſuerunt, conſcripſerunt viginti ſex millia virorum, &c. Alii: *Et viſitati, numerati, recenſiti ſunt*, &c. Nonnulli: *Et numeraverunt ex ſe*, ut nullas alias copias auxiliares acciverint; id eſt, e toto ſuo numero conſcripſerunt viginti ſex millia virorum, qui in aciem prodirent; ut Ghibhani ſeptingentos; reliquis ad locorum cuſtodiam relictis. VIGINTI QUINQUE MILLIA..... PRAETER HABITATORES GABA. Ita quoque LXX. & Ioſephus, & congruit hic numerus ſequenti narrationi: nam. cæſi ſunt in acie Biniaminitarum viginti quinque millia & centum, infra verſ. 35. ſuperſuere tantum ſexcenti, infra verſ. 47. quæ eſt ſumma hoc verſu expreſſa a LXX. Noſtro, Ioſepho, nempe viginti quinque millia ſeptingenti. At Hebræa, & Chaldæa diſertiſſime habent hic *viginti ſex millia*: quam lectionem probant Hebræi omnes, Lyranus, Toſtatus, Caietanus, Sanctes, Vatablus, Leo Iudas, Pellicanus, Munſterus, Clarius, Tremellius, & Iunius, Montanus, Hiſpanicus Interpres. Nec obiecta ratio multum evincit: nam. illi 600. ſuperſtites ex illis tantum deſcribuntur qui in ſolitudinem verſus rupem Rimmon fugam intenderunt; cum mille alii alio potuerint refugere, aut in Gabaa ſe recipere, ubi fuerint interfecti. Unde plerique exiſtimant Noſtrum in damno eſſe, non ſua, ſed exſcribentium culpa, & reſtituendam in eo lectionem, *Viginti ſex millia*, &c. Alii conciliant, fuiſſe 26. millia comprehenſis 700. Gibeanis, ſic rotunde a maiori parte pronuntiata ſumma, nempe exacte 25700. nec Hebræa reddenda eſſe, ut quidam volunt, ſubauditionibus, *præter habitatores Ghibah, qui numerati fuerunt*, vel *quorum recenſiti fuerunt*, aut *qui numeraverunt ſe*, *ſeptingenti viri*. Sed ſimpliciter, ut nos vertimus, *ſolum de habitatoribus Ghibbah recenſiti; fuerunt ſeptingenti viri ſelectiſſimi*; quaſi dicat: In his ſex millibus ſoli ſeptingenti erant Ghibeani viri lectiſſimi, qui tamen erant ſeptingenti præter 25. mille, quos Noſter ponit.

V. 16. QUI SEPTINGENTI ERANT VIRI FORTISSIMI. Hebr. *de toto populo iſto ſeptingenti viri lectiſſimi*. Exponunt: Id eſt. e toto Biniaminitarum exercitu, ii erant velites ad Iſraelitas laceſſendos miſſi. ITA SINISTRA UT DEXTERA PRAELIANTES. Hebr. *clauſi, capti, dextera manu ſua*. Elucidavimus hanc locutionem ſupra cap. III. verſ. 15. Quidam hos omnes ſcævas fuiſſe putant, quod ſiniſtra tantum manu uterentur. dexteram vero mancam, inutilem, ſeu diſſolutam, aut contractam, aut minus habilem haberent. Solet id genus hominum eſſe promptum, & audax. Sed unde tot ſcævæ? Sane non eſt monſtri loco habendum, cum fortaſſe illis temporibus forte & glorioſum haberetur, uſu potius ſiniſtræ quam dexteræ valere: nec enim hos penitus dextera captos exiſtimaverim. Ita hunc locum accipiunt, Caietanus, Vatablus, Clarius, Marinus, Leo Iudas, Montanus, Hiſpanicus Interpres. Alii reddunt, *Præcludentes manum dexteram ſuam*; id eſt, ita præſidentes viribus, & militari peritiæ ſuæ, ut vel manu ſiniſtra cum hoſte dimicare auderent. LXX. & Noſter amphotherodexios; ſeu ambidextros intellexerunt; homines, qui ſolent eſſe ſtrenuiſſimi, & facientes pugnam ambiguam, hoſtibus magno detrimento eſſe. ET SIC FUNDIS LAPIDES AD CERTUM IACIENTES, UT CAPILLUM QUOQUE POSSENT PERCUTERE, ET NEQUAQUAM IN ALTERAM PARTEM ICTUS LAPIDIS DEFERRETUR. Paraphraſi expreſſit iſta Hebraica: *Omnes ii funda rotantes lapidem ad pilum, & non aberrabunt*. Quidam: *Et illi omnes iaculando e funda lapidem pilum capitis ferire potuiſſent, nec aberaſſent*. Alii: *Iſtorum quiſque funda mittens lapidem ad capillum, non ſineret peccare*, id eſt aberrare lapidem: vel *ſine erratione mittebat*. Notant eſſe hyperbolem, qua tanta eorum peritia in mittendis lapidibus fuiſſe dicitur, ut rem quantumvis parvam, & minutam attingerent. Et vero ſine hyper-

bole; nec mirum : nam Phœnices fundas inveniſſe, auctor eſt Plinius Lib. VII. cap. LVII. Diodorus Siculus Lib. V. numer. 206. de Balearibus: *Hos populares & Romani Baleares a Βάλλειν, id eſt iaculando, nuncupant, quia magnos fundis lapides melius quam univerſi mortales eiaculantur.* Et num. 207. de eiſdem: *Ubi neceſſitas belli exigit, lapides multo grandiores, quam alii iactitant, idque tam valide ut a catapulta quadam miſſile intorqueri putetur. Ideo inter murorum oppugnationes, propugnatores ictibus ſuis graviter ſauciant: in collata vero acie, ſcuta, galeaſque, & omnem, qua corpora teguntur, armaturam perfringunt. Et tam certo ictus dirigunt, ut plerumque ab ſcopo ſibi propoſito non aberrent. Efficit hoc crebra a pueris exercitatio, qua parvuli adhuc ſub matrum diſciplina fundis iaculari coguntur. Pro ſcopo enim illis in ſtipite aliquo ſuſpenſus eſt panis, quem donec contigerint, ieiuni manent: & hic tum demum a matre in cibum eis conceditur.* Strabo Lib. III. pag. 167. de eiſdem Balearibus: *Funditores tamen ſunt optimi, aiuntque eam artem eos magnopere exercuiſſe, ex quo tempore Phœnices eas inſulas occuparunt. A pueris autem ita funda exercebantur, ut non alias panis daretur, quam ſi funda ſcopum tetigiſſent.* Florus Lib. III. cap. VIII. de eadem gente Balearica: *Tribus quiſque fundis prœliatur. Certos eſſe quis miretur ictus, cum hæc ſola genti arma ſint, id unum ab infantia ſtudium? Cibum puer a matre non accipit, niſi quem, ipſa monſtrante, percuſſit.* Vegetius Lib. I. cap. XVI. *Fundarum uſum primi Balearium inſularum habitatores & inveniſſe, & ita perite exercuiſſe dicuntur, ut matres parvos filios nullum cibum contingere ſinerent, niſi quem ex funda deſtinato lapide percuſſiſſent. Sæpe enim adverſus bellatores caſſidibus, cataphractis, loricisque munitos, teretes lapides de funda, vel fuſtibalo deſtinati, ſagittis ſunt omnibus graviores: cum membris integris, lethale tamen vulnus importent: & ſine invidia ſanguinis, hoſtis lapidis ictu intereat. In omnibus autem veterum prœliis funditores militaſſe, nullus ignorat.* Philoſtratus Lib. II. de vita Apolonii, cap. XII. de Indis: *Funda etiam adeo ſubtiliter iaculantur, ut emiſſo lapide, aut glande, pueri extremos duntaxat capillos attingant*: quod huic loco lucem affert. Notum eſt, tantam vim fundarum fuiſſe, ut iis iactæ plumbeæ glandes, in aere incandeſcerent, ac liqueſierent; de qua re multa ex auctoribus collegere Lipſius Lib. V. de Militia Romana, cap. XX. & Xyſtus Arcerius in Notis ad Æliani Tactica, pag. 111. Quibus addo locum Guntheri Lib. X. Ligurini.

> *Fundaque contorto tranſverberat aera plumbo,*
> *Et mediis liquidæ glandes in nubibus ardent.*

Hæc paulo longius annotavimus, ut non omnino hyperbolem, quæ de Ghibbeorum fundibulandi peritia divinus auctor affirmat, exiſtimaremus.

V. 18. VENERUNT IN DOMUM DEI, HOC EST IN SILO. Hebr. tantum *Et aſcenderunt Beth-el.* Quidam hic Beth-el nomen proprium urbis accipiunt, locum ſacrum, viſione divina Iacob inclytum, Geneſ. XXVIII. quo forte propter loci religionem Iſraelitæ convenerint. Ioſephus: *Profectique Beth-ela, quæ urbs non longe aberat.* Plerique tamen appellative ſumunt, id eſt *domum Dei fortis*, ut cap. XIX. verſ. 18. appellatur *domus* IHUH: intelliguntque ipſam Siluntem, ubi erat tabernaculum, & arca Dei, quod plane confirmatur e cap. XXI. verſ. 12. Vide ſupra cap. XIX. verſ. 18. Sic infra verſ. 26 & cap. XXI. verſ. 2. CONSULUERUNTQUE DEUM, nempe per ſacerdotem in urim & thummim, ut moris erat. Ita verſ. 23. & 27. QUIS ERIT IN EXERCITU NOSTRO PRINCEPS CERTAMINIS? Hebr. *Quis aſcendet nobis in principio ad bellum?* Explicuimus hanc phraſim ſupra I. verſ. 1. Quidam exponunt: *Quænam ex omnibus tribubus prima dimicabit?* Alii, quaſi dicant: Statutum eſt bellum inire ad puniendos ſceleratos, & contumaces: vires autem noſtræ tantæ ſunt, & adeo iuſta cauſa, ut de victoria ſecuri ſimus; ſed non convenit inter nos, quis primus ordine inter nos procedat. Nonnulli: *Quis aſcendet nobis, quo duce geramus bellum?* IUDAS SIT DUX VESTER. Hebr. *Iehudah in principio*; id eſt, tribus Iehudæ in primo ordine procedet ad prælium, vel dimicabit. Hiſpanice: Erit in prima acie, *llevara la vanguardia.* Quidam reddunt, *Iehudah primum.* Alii: *Iehudah erit in primo pilo.*

V. 22.

V. 23. FRATRES MEOS? Exponunt quaſi dicant: An ideo ingratum eſt bellum, quia contra fratres ſuſcipitur! Sic nondum pugnaſſe videntur filii. Sed ſolet Deus alia peccata obiter, & ex occaſione punire, tametſi iſti iuſtum aggreſſi bellum fuiſſent.

V. 26. FLEBANT CORAM DOMINO. Explicant: Id eſt, tandem videntes ſeipſos Deo ingratos fuiſſe, reſipuerunt, ac pœnitentiam egerunt, quam pœnitentiam externis etiam ſignis exercuerunt. Nam & vera fide Deo nixi ſunt, & bellum inſtaurant, & a Deo opem poſtulant, renuntiantes peccatis per veram pœnitentiam. Unde prioribus duobus præliis non videntur rite ſacraſſe bellum.

V.28. PRAEPOSITUS DOMUS. Heb. *ſtans faciebus*, ſeu *ad facies eius*, nempe arcæ, vel Dei, quia tunc erat ſummus Sacerdos. Vide Deuteron. x. verſ. 8.

V. 31. ITA UT VULNERARENT EX EIS. Hebr. *Et cœperunt percutere de populo confoſſos*. Quidam: *Et cœperunt percutiendo confodere ex populo*. Poſſis reddere: *Et profanarunt percutere de populo profanatos*; id eſt, ſtragem late ſpargere cœperunt. ET ALTERA IN GABAA. Heb. *Et una ad Ghibghah in agro*. Aliqui, *Altera vero Ghibeam in agro ſitam*; id eſt, campeſtrem civitatem Ghebah, quæ a Ghibhah hac perſpicue diſtinguitur, Ioſue XVIII. verſ. 24. & 28. Nugæ: neque enim illa Ghebhah Ioſue ab hac noſtra diſtinguitur; nec ullus umquam diſtinxit. Quare illud, *In agro*, vel iungendum cum illo, *Cœperunt percutere in agro*, id eſt procul ab urbe; vel referendum ad viam, id eſt altera via, quæ per agrum ſeu campeſtrem ducit in Ghibham.

V. 33. & 34. BAALTHAMAR. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Baalthamar, iuxta Gabaa, ubi filii Iſrael adverſum tribum Beniamin iniere certamen, & uſque hodie Bethamari in ſupradictis locis viculus appellatur*. Significat בעל תמר *baghal thamar*, *dominum*, *herum*, ſeu *poſseſſorem*, aut *habentem palmæ*, ſeu *palmeti*; quod ibi inſignis eſſet aliqua palma, ſeu palmetum. Ex circumſtantiis locorum non abſurde ſuſpicamur, hunc locum eſſe palmam, ſeu palmetum, in quo Debora habitabat, ſupra cap. IV. verſ. 5. PAULATIM SE APERIRE COEPERUNT, ET AB OCCIDENTALI URBIS PARTE OCCIDERE. Hebr. *Et inſidians*, ſeu *inſidiator Iſraelis erumpens*, vel *erumpere faciens de loco ſuo, de maghareh Ghabagh*. Participium מגיח *meghiach* ex Hiphil, magnam vim, & impetum erumpendi deſignat; quaſi dicat: Ex improviſo, & quam maxima impreſſione coorti ſunt ex inſidiis. Vox מערה *maghareh* alibi in Scriptura in hac forma non legitur, varieque convertunt. I. *de cavea*, *ſpelunca*, *caverna*, *Ghebah*. II. *ex valle Ghebhah*. III. *ex gramineto*, *vireto*, *prato*, *loco herboſo*, *Ghebah*. IV. *ex detectione*, *nuditate*, *planitie*; id eſt, ex loco detecto, aperto, nudo, patente, plano *Ghebah*. V. *ex latere collis*. VI. *ex declivitate collis*. VII. *poſt denudationem Ghibbæ*; id eſt, poſtquam Ghibhani cum totis copiis exeuntes in Iſraelitas fugientes, civitatem præſidio nudaverant. VIII. Quidam nomen proprium loci faciunt, *ex Maghareh Ghebagh*. Sic dicti quaſi *effuſio*, ſeu *evacuatio Ghebha*, quod in eum effunderentur vel evacuarentur cives ex Ghibghah: ut in Carpitanis *Vazia Madrid*. Ego ex nativa verbi notione dixi, *de effuſione Gabagh*, id eſt, de locis devexis, & declivibus Ghabagh; quaſi dicat, de declivitate, devexitate, decurſu Ghabagh; Hiſpanice, *de la vertiente*: ut Deuteronom. III. verſ. 17. & alibi dicuntur אשדות פסגה *aſchedoth Phiſghah*. *effuſiones Piſghah*. SED ET ALIA DECEM MILLIA VIRORUM, &c. Hebr. *Et venerunt contra Ghibhah decem mille vir electus*, &c. Quidam: *Veneruntque Ghibbæ ex adverſo decies mille viri lectiſſimi*, &c. Exponunt: Id eſt, collocaverunt ſe medios inter Ghibham & Ghibhanos, ne ſe Ghibhani in civitatem reciperent. Intercluſerunt illis receptum in urbem.

V. 35. PERCUSSITQUE EOS DOMINUS, &c. Quidam reddunt: *Sic affecit Iehovah Biniaminem plaga coram Iſraele*, &c. Notant hunc verſum eſſe prolepticum: nam in genere proponit hiſtoriam, quam deinde ſigillatim perſequitur.

V. 37. QUI CUM REPENTE DE LATIBULIS SURREXISSENT. Hebr. *Et inſidians feſtinaverunt*. החישו *hechiſchu* ex Hiphil, magnam feſtinantiam, & celeritatem denotat, & quod ſubito, & ingenti vi coorti ſint. INGRESSI SUNT. Hebr. *Et traxit inſidians*. Multifariam reddunt:

I. Et

1. *Et pertraxit inſidiator*, nempe Iſraelitas in urbem: 2. *Et profectus eſt inſidiator*: 3. *Extracti* ſcilicet *ex inſidiis*: 4. *Et protraxerunt* buccinæ ſonitum *inſidiæ*: 5. *Et tractim clanxerant inſidiæ*, & percuſſerant totam civitatem: vel *& ſigno dato inſidiæ* percuſſerant, &c.

V. 38. SIGNUM AUTEM DEDERANT, &c. Hunc verſum nos ex Hebræo verbatim expreſſimus (*Et ſtatio fuit viro Iſrael cum inſidiante, multiplicare ad aſcendere facere eos levandam fumi de urbe*;) ſeu quia ſubobſcure conceptus eſt, dilucidius alii conati ſunt explicare. I. *Tempus autem conſtitutum erat*, vel *conventio autem facta erat, viris Iſraelis cum inſidiis, quod magna diligentia aſcendere facerent combuſtionem*, ſeu *incendium fumi e civitate*. II. *Symbolum enim conſtitutum fuerat inter Iſraelitas, & inter eos qui collocati erant in loco inſidiarum, ut ipſi interficerent gladio, cum illi excitarent elevationem fumi ab urbe*. III. *Fuerat enim conſtitutum tempus Iſraelitis cum inſidiis iſtis, ad faciendum eos ut multum aſcenderet elatio fumi*, ſeu *quando excitaturæ eſſent illæ multam delationem fumi, e civitate illa*, &c. מועד *moghed* notant capi hic pro certa nota quæ militibus in bello datur, nempe pro ſigno, *ſymbolo, teſſera militari*: הרב *hereb*, quod pro infinitivo Hiphil vertimus, *multiplicare*, ſeu *multiplicare facere*: alii pro imperativo capiunt, *multiplica*; ut alloquatur ducem inſidiarum; quaſi dicat: Da operam ut milites, quam maximum poterunt, excitent incendium & fumum. Aliqui nomen eſſe volunt, ut Pſalm. L. 5. *Multam aſcendere facere eos elationem fumi*; id eſt, ut aſcendere facerent illi multam elationem fumi. Vel adverbialiter, ut multum aſcendere facerent illi elationem fumi.

V. 39. QUOD CUM CERNERENT FILII ISRAEL IN IPSO CERTAMINE POSITI. Hebr. *Et vertit vir Iſrael in prælio*. Quidam: *Verterant autem ſeſe viri Iſrael in prælio*, id eſt, dederant terga in ipſo conflictu: nam ſimularant fugam, ſupra verſ. 32. Alii: *Tunc converterunt ſe Iſraelitæ ad prælium, cum Beniaminitæ incœpiſſent confodere quaſi triginta viros*, &c. id eſt, animadverſo ſigno incendii, & fumi, tunc converterunt ſe a fuga in prælium, &c. Sed prior ſenſus eſt rectior: nam Iſraelitæ convertent ſe in prælium, infra verſ. 41.

V. 40. ET FLAMMAS IN SUBLIME FERRI. Hebr. *Et ecce aſcendit* כליל *calil, urbs*, vel *urbis, in cælos*. De voce כליל *calil* diſſeruimus Levit. VI. verſ. 23. & Deuteron. XIII. verſ. 16. Hic varie convertunt. I. *Et ecce aſcendit univerſale incendium civitatis in cælum*: ubi notant, capi pro fumo incendii, quo conſummatio civitatis ſignificatur. II. *Et ecce aſcendit conſumptio, conſummatio, urbis in cælum*. III. *Et ecce univerſa civitas aſcendebat in cælum*; id eſt, tota civitas in flammam & fumum converſa, aſcendebat in cælum. Aiunt *calil* hic ſignificare *conſummationem, totalitatem, univerſitatem*; id eſt, incendium plenum, conſummatum, abſolutum, totale.

V. 41. QUI PRIUS SIMULAVERANT FUGAM, VERSA FACIE FORTIUS RESISTEBANT. Hebr. *Et vir Iſrael vertit*: ſingulare pro plurali; id eſt, quiſque Iſraelitarum fugientium antrorſum ſe obverterunt, ſeu obverſa facie in perſequentes, cœperunt illis reſiſtere.

V. 42. ET AD VIAM DESERTI IRE COEPERUNT. Hebr. *Et aſpexerunt ante viros Iſrael, ad viam deſerti*. Quidam: *Verterantque ſeſe ante viros Iſrael ad viam deſerti*. Alii: *Averteruntque ſe ante Iſraelitas in viam ad deſertum*; id eſt, dederunt terga filiis Iſrael fugientes in viam tendentem ad deſertum. ILLUC QUOQUE EOS ADVERSARIIS PERSEQUENTIBUS. Hebr. *Et prælium agglutinavit eum*. Quidam: *Et prælium apprehendit, aſſecutum eſt eum*: metonymia; id eſt, præliatores aſſecuti ſunt eos. Alii. *Et prælium inſecutum eſt eos graviter*. Nonnulli: *Et prælium inhæſit eis*. Coniugatio Hiphil indicat valide, & intime prælium in eos incubuiſſe, & agglutinatum ſeu impreſſum fuiſſe. Quidam reddunt: *Et prælium infixum, compactum, impactum fuit eis*. Nec deſunt qui: *Et bellum contingebat eos*. Vide infra verſ. 45. SED ET HI QUI URBEM SUCCENDERANT, OCCURRERUNT EIS. Hebr. *Et qui de urbibus, perdebant eos in medio ſui*; id eſt, qui de urbibus egrediebantur, trucidabant eos in medio ſui; hoc eſt, inter cæſos agri & cæſos urbis. Alii: *Et qui prodibant e civitatibus aliis, proſternebant eos in medio,*

Digitized by Google

dio fui. Id eſt, Iſraelitæ reliqui omnes, qui in propinquis civitatibus præſto erant, & huius belli eventum expectabant, ii fuſos Biniaminitas incluſerunt, & omni ex parte exceperunt, ita ut non potuerint fugientes mortem præſentem effugere; ſed in medio cincti undique trucidarentur.

V. 43. ATQUE ITA FACTUM EST, UT EX UTRAQUE PARTE AB HOSTIBUS CAEDERENTUR. Hebr. *Cinxerunt Beniaminem, perſecuti ſunt eum*. Verbum הרדיפו *hirdiphu*, ex forma Hiphil, magnam vim, & impetum perſequendi demonſtrat: unde quidam vertunt: *Perſequi fecerunt eos*; id eſt, diligenter & ſtrenue perſecuti ſunt eos. Alii: *Perſequendum curaverunt quemque*. NEC ERAT ULLA REQUIES, &c. מנוחה הדריכהו *menuchah hidrichuhu* varie reddunt. I. antecedentibus iungunt vocem *menuchah*, *Perſecuti ſunt eos quiete*; id eſt, in loco quietis, ubi ſcilicet ſe quietos & tutos eſſe putabant. Vel *perſecuti ſunt eos*, ne eſſet *requies*; id eſt, ita ut nulla eſſet eis requies: aut *perſecuti ſunt eos ſine intermiſſione*. Quidam: *Inſectati ſunt eius quietem*. II. *Quiete*, id eſt *ſine* magno *labore*, *proculcaverunt eos*. III. *Viam præripuerunt eis, ne tutum locum invenirent*. IV. Nomen proprium loci eſſe volunt, ac *Min* ſubaudiunt ממנוחה *Mimmenuchah, a menuchah, conculcaverunt eos uſque ad e regione Ghibghah*. Ita Forſterus, Munſterus, Iſidorus Clarius, Mercerus, Tremellius, & Iunius olim, & Hiſpanicus Interpres. Vide in I. Paralip. II. verſ. 52. & Ierem. LI. verſ. 59. V. *Quiete incedere fecerunt eum*, pedetentim. Ego expoſuerim: *Reſidentia*, vel *in reſidentia proculcaverunt eum*; id eſt, in loco eius reſidentiæ, in ditione eius. Vel *reſidenter*, *conſiſtenter*, *firmiter*, *ex profeſſo*, *per otium proculcaverunt eos*. Verbum *hidrichu* ex Hiphil, intendit ſignificatum: Quam maxime conculcaverunt, penitus ac valide proſtrarunt. Nos ex verbo diximus: *Reſidentiam viare fecerunt eum uſque ad e regione Ghibghah*, &c. id eſt, fugaverunt eum per eius reſidentiam, ſeu ditionem uſque ad, &c. AD ORIENTALEM PLAGAM URBIS GABAA. Hebr. *uſque ad e regione Ghibbah ab ortu ſolis*. Quidam, *uſque ex adverſo Ghibbæ ab ortu ſolis*; id eſt, uſque ad fines Beniaminis verſus Ieruſalem.

V. 44. QUI IN EODEM LOCO INTERFECTI SUNT. Hebr. *Et ceciderunt de Biniamin*, in ipſo ſcilicet conflictu.

V. 45. AD PETRAM, CUIUS VOCABULUM EST REMMOM. Quidam reddunt, *ad munitionem Rimmon*. רמון *Rimmon*, a malo Punico, ſeu malogranato nomen habet: quod iis arboribus fortaſſis abundaret. Sic verſ. 47. IN ILLA QUOQUE FUGA PALANTES, ET IN DIVERSA TENDENTES, OCCIDERUNT, &c. Hebr. *Et racemaverunt eum in viis ſtratis*, &c. De ſignificatione verb. עולל *Gholel*, diſſeruimus Levit. XIX. verſ. 10. Uſus eſt metaphora a racematione ad populi reliquias trucidandas, quaſi extremos racemos in vinea ſuccidere, quas iure belli non debebant trucidare, ſed reſervare: ut extremos racemos in vinea, ex lege. Sic cap. VIII. verſ. 2. Alii: Id eſt, *palantes interfecerunt, non reliquerunt ex eis racemos*. Quidam vertunt: *Et involverunt eum*. ET CUM ULTRA TENDERENT, PERSECUTI SUNT EOS. Hebr. *Et inſectati ſunt eum uſque ad Ghidghom*. גדעום loci nomen fere omnes putant, a ſucciſione ſic dictum, forte ab eventu huius prælii. Si puncta ſpernas, licebit appellative vertere: *Uſque ad excidere, ſuccidere, eos*: vel *uſque ad ſucceſſionem, exciſionem, eorum*.

V. 46. DE BENIAMIN; id eſt, ex acie Biniaminitarum. VIGINTI QUINQUE MILLIA. Nimirum, centenario illo prætermiſſo, brevitatis cauſa, quia paulo ante expreſſus fuit verſ. 35. eclipſis uſitata ad rotundationem numeri, ut cum LXX. Interpretes dicuntur, pro LXXII. aut Romæ centum-viri, pro 105. Sic etiam ſupra cap. XI. verſ. 26. & II. Samuel V. verſ. 5. Quidam notant, omitti item hic mille, qui fuerant numerati in ipſo delectu, ſupra verſ. 15. quos cecidiſſe putant in duobus prioribus præliis, partim in uno, partim in altero, qui in rotundatione numeri millium prætermiſſi fuerunt.

V. 48. REGRESSI AUTEM FILII ISRAEL, videlicet a perſequendis iis qui profugerant ex Ghibhana clade. OMNES RELIQUIAS CIVITATIS, A VIRIS USQUE AD IUMENTA, GLADIO PERCUSSERUNT. Hebr. *Ad filios Biniamin, & percuſſerunt eos acie gladii de urbe* מתום *methom, uſque ad iumentum*.

Illud,

Illud, *Ab urbe methom*, varie exponunt. I. *ab urbe hominis*: hypallage, *ab homine* ſeu *ab hominibus urbis*; id eſt, *tam homines civitatis cuiuſque, quam iumenta*. Hebræi notant *methom* ſignificare ipſum genus humanum, ut viros, mulieres, parvulos includat. II. *de urbe*, ſeu *urbibus hominem*, vel *homines*, qui ſcilicet reliqui fuerant; id eſt, homines utriuſque ſexus, ac cuiuſcumque ſtatus. III. Plerique non *methom*, ſed מתים *methim* legunt: *De urbe*, ſeu *urbibus*, *mortales*, *homines*, *viros*. IV. *methom* a תמם *tamam* deducunt: *De urbe conſummationem*, *integritatem*, *perfectionem*; id eſt, omnia penitus deleverunt uſque ad iumenta. Alii: *Perfectiorem partem urbis*, id eſt viros. Male, *urbem* ſeu *civitatem*, hic ipſam Ghibhah ſingulariter plerique intelligunt: alii ſingulare pro plurale, omnes urbes ſeu civitates Biniamitarum: exciſam quidem totam tribum, præter ſexcentos ſolos, ſequenti capite dicetur: urbes omnes exuſtas, poſtremo huius verſus membro deſcribitur: quod ſane eſt veriſſimum, e verſ. 23. ſequentis capitis quoque.

MENOCHII.

Verſ. 1. QUASI VIR UNUS, *eadem* ſcilicet *mente*, *unoque conſilio*, ut dicitur num. 11. DE DAN USQUE BERSABEE: quæ duæ civitates ſunt extremi terræ ſanctæ termini, a ſeptemtrione, & a meridie per eius longitudinem. TERRA GALAAD; tribus ſcilicet quæ ultra Iordanem erant. AD DOMINUM IN MASPHA. Maſphæ plures, ut dixi ſupra cap. x. num. 17. Putat Maſius in cap. XVIII. Ioſue, per Maſpham intelligi poſſe Silo, quæ erat ſita in edito loco, cum Maſpha *ſpeculam* ſignificet. Alii putant Maſpham, cuius hic ſermo, eam eſſe quæ in tribu erat Beniamin, quæ non longe aberat a Silo, & ex qua fortaſſe ipſum tabernaculum, quod erat in Silo, conſpici poterat, itaque illic congregati Iſraelitæ, coram Domino eſſe cenſebantur. Porro in Maſpha frequenter comitia habita legimus I. Reg. VII. & x. Ier. XL. 41. I. Mach. III. 49.

V. 2. ANGULI POPULORUM: principes populi, quia nimirum principes angulorum, aut angularium lapidum inſtar populum continere, ac ſuſtentare ſolent. IN ECCLESIAM, congregationem, convocationem, comitia.

V. 3. INTERROGATUSQUE LEVITA: id enim ad certiorem rei cognitionem, iuſtioremque ſententiam valebat plurimum.

V. 10. DECEM VIRI ELIGANTUR, &c. E qualibet Iſraelitarum congregatorum decade unus eligitur, id eſt quadraginta millibus.

V. 12. MISERUNT NUNTIOS. Nam in privatis, publiciſque negotiis antequam tribunalia ſumma adeantur, aut arma expediantur, omnis rentanda ſatisfactionis, paciſque moderata, & placida ratio.

V. 16. FORTISSIMI, robuſtiſſimi corpore. ITA SINISTRA UT DEXTERA PRAELIANTES: ambidextri, læva in prœliis non ſecus, quam dextera prœliantes. UT CAPILLUM QUOQUE POSSENT PERCUTERE. Hyperbolica locutio, ſi præſertim de omnibus Gabaenſibus accipiatur.

V. 18. CONSULUERUNT DEUM, per pontificem Phinees, qui tunc aderat in Silo, ut habetur infra num. 28. IUDAS SIT DUX VESTER: non vir aliquis, qui Iudas diceretur, ſed tribus ipſa Iuda, ut ſenſus ſit: Ipſa tribus Iudæ bellum inchoet contra Beniamitas. Vide in ſimili, quæ diximus ſupra cap. I. num. I.

V. 21. OCCIDERUNT DE FILIIS ISRAEL VIGINTI DUO MILLIA VIRORUM. Mirum videtur in tali cauſa Iſraelitas tanta clade affectos. Sed etiam viri innocentes magnis malis divinæ providentiæ conſilio atteruntur. II. Fit nonnumquam ut nobis videamur iuſti, ac innocentes, cum tamen non ſimus. III. Aliquando etiam aliquid recte ſuſcipitur, quod poſtea non bene, & ad Dei legis normam adminiſtratur. IV. Sæpe in hoſtibus boni eſt aliquid, quod temporanea aliqua felicitate Deus velit munerari. V. Iſraelitarum aliqui idololatriæ crimine erant infecti. VI. Sibi, viribuſque ſuis nimium confidebant, quod expreſſe dicitur in ſacro textu num. 22. aliaque eiuſmodi peccabant, quare prius illos Dominus per geminam illam cladem expiare voluit, ut ad Dominum reverſi, ultionem Domini contra Beniamitas exercerent.

V. 23. ASCENDITE AD EOS, ET INITE CERTAMEN. Nulla hic victoriæ promiſſio,

Digitized by Google

ſio, ut infra num. 28. cum illis dictum eſt: *Aſcendite: cras enim tradam eos in manus veſtras.*

V. 26. Sedentes fiebant coram Domino. Seſſio, habitus eſt flentium. Sic in ſacris litteris opponuntur ſeſſio, & reſurrectio, Pſalm. cxxxviii. 2. & Thren. iii. 63. & de lugente Ieruſalem ait Ierem. *Quomodo ſedet ſola civitas plena populo*, &c. Significatur etiam illa voce *ſedentes*, diu admodum illos coram Domino permanſiſſe. Holocausta, et pacificas victimas, ut Domini pacem expoſcerent, & ſeſe illi totos darent, & ſubmitterent.

V. 28. Praepositus domus, ſummus Sacerdos, Pontifex.

V. 33. Baalthamar. Chald. *in planitiebus Iericho.*

V. 34. Ab occidentali urbis parte. LXX. habent, *A Maraagabe*, quæ ſunt duæ voces Hebraicæ coagmentatæ, quæ ſignificant, *Ab arundineto Gabaa*, vel *ab occidente Gabaa*, quod Vulgatus noſter ſecutus eſt.

V. 43. Nec erat ulla requies morientium. LXX. habent, *a Nua iuxta pedem eius*, &c. Sed vox Hebraica נוחה & certum locum ſignificare poteſt, ut putaverunt LXX. & requiem, ut illam Vulgatus interpretatus eſt.

V. 47. Sexcenti viri. Hi relicti, ne una tribus ex Iſrael aboleretur, ut dicitur infra cap. xxi. num. 3. & 6. Deinde, ut daretur aliquid miſericordiæ, quando iuſtitiæ per cladem illam multum tributum videbatur. Tertiam rationem addit S. Hier. in Epitaphio Paulæ his verbs: *In Gabaa urbe uſque ad ſolum diruta, paululum ſubſtitit Paula, recordata peccati eius, & concubinæ in fruſta diviſæ: & tribus Beniamin ſexcentos viros, propter Paulum Apoſtolum reſervatos.* In Petra Remmon. *Remmon*, ſeu *rimmon*, malum punicum, ſeu granatum ſignificat, quare illam Ioſephus vocat πέτραν ῥοᾶς, nam ῥοιὰ ſive ῥοὰ Græcis malum granatum ſignificat. Mensibus quatuor: quo loco aſperrime eos vixiſſe neceſſe eſt, cum ibi obſiderentur, nec ſecum, ut in fuga, ad victum neceſſaria ferre potuiſſent.

TIRINI.

Verſ. 1. Egressi sunt filii Israel in Maspha. Quadruplex erat Maſpha, inquit hic Serarius. Hoc loco de Beniaminia ſermonem eſſe totus contextus demonſtrat. Nam & Silo, ubi tabernaculum fœderis erat, quo & Iſraelitæ iam conveniſſe dicuntur verſ. 18. vicina erat illi Maſphæ: eidem quoque vicina erat Gabaa, quam bello petebant. Solebatque Beniaminia hæc Maſpha frequenter comitium eſſe, I. Reg. vii. & x. Ierem. xl. & I. Machab. iii. ubi etiam propter hanc Maſphæ, & Siluntis viciniam, unus locus pro altero uſurpatur, dum dicitur: *Locus orationis erat in Maſpha ante in Iſrael.* Forte etiam ex Maſpha videri eminus poterat tabernaculum Siluntinum: ut qui iſtic adeſſent, cenſerentur coram tabernaculo adeſſe, & ante arcam orare.

V. 17. Sic fundis lapides iacientes, ut capillum quoque possent percutere. Licet hæc hyperbolica videantur Caietano, & Abulenſi; facile tamen credet qui meminerit quæ de Cambyſe tradit Herodotus; de Indo Arianus; de Merione Cretenſi Themiſtius; de Perſa, & Lydio iaculatore Zoſimus: de Commodo Imperatore Herodianus; de Balearicis Strabo; de aliis Lipſius, Villalpandus, & alii *a*.

V. 21. Filii Beniamin .... occiderunt de filiis Israel viginti duo millia. Sequenti die rurſus alia 1800. Cur vero permiſerit Deus, etiam rite conſultus, tanta ſtrage affligi Iſraelitas tam æquam cauſam foventes: cur ſanctiſſimos reges Ioſiam, Oſvvaldum Anglorum, Ludovicum Gallorum, Sebaſtianum Luſitanorum, tam infeliciter pugnare ſit paſſus: & in genere, cur toties permittat variis adverſitatibus & ærumnis affici etiam maxime probos & iuſtos, pulchre explicant Origenes, Auguſtinus, Salvianus, Gregorius, Ephrem, Bernardus, S. Birgitta, Antonius Gevara, & Serarius *b*. In particulari de his Iſraelitis videtur Scriptura quatuor inſinuare cauſas tantæ cladis. Prima eſt, ut ſcelera quibus iam varii contaminati erant, prius expiarentur: inter alia, etiam idololatria, non illa Mi-

chæ tantum cap. XVII. & XVIII. ſed longe vulgarior, & plurium, ſupra cap. II. & III. explicata. Ita Procopius. Secunda, quia filii Iſrael *ſua fortitudine ac numero* nimis *confidebant*, ut hic dicitur verſ. 22. quo eodem & tertia indicatur cauſa, nempe *temeritas* maxima, dum contempto hoſte, & neglecta diſciplina militari, locum ad pugnam ineptum deligunt, utpote inferiorem ipſa urbe Gabaa; & ſequenti nihilominus die, in eodem loco, ſtulta vel audacia, vel contumacia pugnare voluerunt. Et has ob cauſas notat Plutarchus etiam cæſum a Iulio Cæſare Pompeium, viribus alioquin, & numero longe ſuperiorem. Quarta denique indicatur verſ. 26. & ſequentibus, ut maior in populo excitaretur erga Deum religio, pietas, & animi demiſſio. Quod notant etiam ipſi Rabbini; & luculente comprobavit eventus.

V. 46. PETRA REMMON. Ioſepho dicta *Roob*, urbs erat in prærupta petra, diſtans Ieroſolymis 15. milliaribus, non longe a Gabaa Saulis patria, inter ſeptemtrionem & orientem. Ita ſanctus Hieronymus, Adrichomius, & alii. Erat & altera Remmon, in tribu Simeonis, Ioſue XIX. verſ. 7. quæ limes erat tribus Iudæ ad *auſtrum*, ſicut altera limes erat ad Aquilonem, ut alibi (c) dicam.

(a) Herod. Lib. II. Adrianus in Alexandro. Them. orat. VI. Zoſimus in Aureliano, & in Tacito. Herod. in Commodo. Strabo Lib. III. Lipſius Lib. IV. Polior. dial. II. Villalp. Tom. II. pag. II. &c.

(b) Orig. hom. XIV. in Num. Aug. Lib. V. de Civ. Dei Salv. de Providentia Gregor. Lib. VI. epiſt. II. & Lib. VII. epiſtol. III. & Lib. XXI. Moral. cap. III. Ephrem Tom. I. ſerm. de Patientia Bern. ſerm. XXVII. in Cant. S. Birg. Lib. IV. cap. XV. & Lib. V. paſſim Gevara in fine Tom. II. Epiſt.

(c) Zach. XIV. verſ. 10.

GORDONI.

Verſ. 1. CONvenerunt ad hoc bellum etiam transiordanini (quod accidit dum adhuc arca eſſet in Silo) ac demum principes viri, quos hic verſ. 2. vocat Hiſtoricus *angulos populorum*; quod tamquam angularis lapis aut cardo, contineant, & ſuſtentent populum. Conveniſſe dicuntur IN MASPHA. מצפה *Mitſpa*, aliqui hic cum Abulenſi Galaaditicam urbem intelligunt; alii rectius Beniaminiam, & vicinam Silo, comitiorum locum; certe ex vicinitate, aliquoties pro Silunte ponitur, I. Machab. III. verſ. 46. Locus orationis erat in Maſpha, ante in Hieruſalem.

Verſ. 15. INVENTIQUE SUNT VIGINTI QUINQUE MILLIA DE BENIAMIN. Ita codex Latinus; at in Hebr. ſunt 26000. apud Septuag. 23000. idque præter 700. Gabaaditas, verſ. 16. Ex triplici hoc numero verior videtur Latinus, ut codex hic auctoritate pollet: item Regia Biblia Græca conſentiunt; & conſtat colligendo numerum. Totus exercitus erat 25700. iam ex verſ. 44. & 45. occiſa ſunt millia 25100. virorum Beniamin, & Gabaa: & ſuperſtites manſerunt 600. ex verſ. 47. reſultant 25700. quantus erat totus exercitus Beniamin cum illis Gabaaditis.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 1. TERRA GALAAD trans Iordanem eſt. Maſphæ plures erant: hic videtur intelligi ubi erat tabernaculum. Ita Maſius. Vel certe locus eſt in tribu Beniamin, non longe a Silo. Vox *Maſpha* ſpeculum ſignificat.

V. 21. Mira videtur tanta cædes Iſraelitarum in tam iuſta cauſa. Sed quis novit conſilium Domini! Iuſtus eſt.

CAPUT XXI.

Inſtauratur tribus Beniamin ex 400. virginibus in cæde habitatorum Iabes Galaad reſervatis, & ex raptis ducentium choros in Silo virginibus.

1\. IUraverunt quoque filii Iſrael in Maſpha & dixerunt: Nul-
lus noſtrum dabit filiis Beniamin de filiabus ſuis uxorem.
2\. Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo, & in con-
ſpectu eius ſedentes uſque ad veſperam, levaverunt vocem,
& magno ululatu cœperunt flere, dicentes: 3. Quare Do-
mine Deus Iſrael factum eſt hoc malum in populo tuo,
ut hodie una tribus auferretur ex nobis? 4. Altera autem
die diluculo conſurgentes, extruxerunt altare: obtuleruntque ibi holocauſta, &
pacificas victimas, & dixerunt: 5 Quis non aſcendit in exercitu Domini de uni-
verſis tribubus Iſrael? Grandi enim iuramento ſe conſtrinxerant, cum eſſent in
Maſpha, interfici eos qui defuiſſent. 6. Ductique pœnitentia filii Iſrael ſuper fra-
tre ſuo Beniamin, cœperunt dicere: Ablata eſt tribus una de Iſrael, 7. unde
uxores accipient? omnes enim in commune iuravimus, non daturos nos his fi-
lias noſtras. 8. Idcirco dixerunt: Quis eſt de univerſis tribubus Iſrael, qui non
aſcendit ad Dominum in Maſpha? Et ecce inventi ſunt habitatores Iabes Ga-
laad in illo exercitu non fuiſſe. (9. Eo quoque tempore cum eſſent in Silo,
nullus ex eis ibi repertus eſt.) 10. Miſerunt itaque decem millia viros robu-
ſtiſſimos, & præceperunt eis: Ite, & percutite habitatores Iabes Galaad in ore
gladii, tam uxores quam parvulos eorum. 11. Et hoc erit quod obſervare de-
bebitis: (a) Omne generis maſculini, & mulieres quæ cognoverunt viros, interfici-
te, virgines autem reſervate. 12. inventæque ſunt de Iabes Galaad quadringen-
tæ virgines, quæ neſcierunt viri torum, & adduxerunt eas ad caſtra in Silo,
in terram Chanaan. 13. Miſeruntque nuntios ad filios Beniamin, qui erant in
Petra Remmon, & præceperunt eis, * ut eos ſuſciperent in pace. 14. Vene-
runtque filii Beniamin in illo tempore, & datæ ſunt eis uxores de filiabus Ia-
bes Galaad: alias autem non repererunt, quas ſimili modo traderent. 15. Uni-
verſuſque Iſrael valde doluit, & egit pœnitentiam ſuper interfectione unius tri-
bus ex Iſrael. 16. Dixeruntque maiores natu: Quid faciemus reliquis, qui
non acceperunt uxores? omnes in Beniamin feminæ conciderunt, 17. & ma-
gna nobis cura ingentique ſtudio providendum eſt, ne una tribus deleatur ex
Iſrael. 18. Filias enim noſtras eis dare non poſſumus, conſtricti iuramento &
maledictione, qua diximus: Maledictus qui dederit de filiabus ſuis uxorem Ben-
iamin. 19. Ceperuntque conſilium, atque dixerunt: Ecce ſolemnitas Domi-
ni eſt in Silo anniverſaria, quæ ſita eſt ad Septemtrionem urbis Bethel, * &
ad orentialem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam, & ad meri-
diem oppidi Lebona. 20. Præceperuntque filiis Beniamin, atque dixerunt: Ite,
& latitate in vineis. 21. Cumque videritis filias Silo ad ducendos choros ex mo-
re procedere, exite repente de vineis, & rapite ex eis ſinguli uxores ſingulas,

& pergite in terram Beniamin. 22. Cumque venerint patres earum, ac fratres; & adverſum vos queri cœperint, atque iurgari, dicemus eis: Miſeremini eorum: non enim rapuerunt eas iure bellantium atque victorum, ſed rogantibus ut acciperent, non dediſtis, & a veſtra parte peccatum eſt. 23. Feceruntque filii Beniamin, ut ſibi fuerat imperatum: & iuxta numerum ſuum, rapuerunt ſibi de his quæ ducebant choros, uxores ſingulas: abieruntque in poſſeſſionem ſuam, ædificantes urbes, & habitantes in eis. 24. Filii quoque Iſrael reverſi ſunt per tribus & familias in tabernacula ſua. In diebus illis non erat rex in Iſrael: ſed unuſquiſque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.

(*a*) Num. xxxı. 17. 18.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 13. *Ut eos ſuſciperent in pace*. Non mutes maſculinum *eos* cum feminino *eas*.

Verſ. 19. *Et ad orientalem plagam*. Alii omittunt, *&*

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 3. IN POPULO TUO. Hebr. Chald. & LXX. *in Iſrael*.

V. 7. IN COMMUNE. Hebr. *per Dominum*. LXX. *Domino*. Chald. *in verbo Domini*.

V. 9. ESSENT IN SILO. Hebr. Chald. & LXX. *numeraretur populus*.

V. 10. DECEM. Hebr. Chald. & LXX. *duodecim*.

V. 13. PRAECEPERUNT EIS, UT EOS SUSCIPERENT. Hebr. Chald. & LXX. *Vocaverunt eos*.

V. 18. QUAE SITA EST; pro, in ea parte quæ ſita eſt.

V. 22. PECCATUM EST, ſcilicet non bene cuſtodiendo filias veſtras. Nota, quod iurarant iſti non dare filias ſuas, dederunt autem alienas, facto conſilio, inſciis illarum parentibus. Eſt autem Hebr. & Chald. totius periodi ſenſus. Ignoſcite illis: cum enim captæ in bello uxores non ſufficerent eis, nec vos eis dare voluiſtis, ne forte peccaretis.

ESTII.

Verſ. 6. DUCTIQUE POENITENTIA FILII ISRAEL SUPER FRATRE SUO BENIAMIN. Quæritur quare pœnituerint, cum bellum illud geſſerint Dei conſilio, ut patet capite præcedenti. Reſpondeo: Bellum quidem ſuſceperunt ex Dei conſilio, ſed non fuerunt iuſſi totam tribum delere, ſimulque & mulieres, & parvulos occidere; ſed hoc ab illis factum eſt zelo inordinato, cuius merito eos poſtea pœnituit: quamquam alioqui pœnitentia etiam referri poſſet, non ad factum ipſorum in ſe, ſed quatenus ex eo aliquod malum haud præcogitatum evenit. Quomodo Paulus dicit II. Corinth. VIII. *Etſi pœniteret, videns quod epiſtola illa (etſi ad horam) vos contriſtavit*.

V. 18. FILIAS ENIM NOSTRAS EIS DARE NON POSSUMUS CONSTRICTI IURAMENTO ET MALEDICTIONE. Ita Scriptura narrat. Quorumdam tamen opinio eſt, quod filii Iſrael non tenebantur hoc iuramento, eo quod non tantum imprudenter factum eſſet, ut ſatis oſtendit hiſtoria huius capitis, ſed & illicitum eſſet, utpote contra caritatem: nempe contra reparationem unius tribus, quæ alio modo reparari non poterat. Nam lege vetitum erat ducere uxores alienigenas, Exodi XXXIV. & Deuter. VII. ſed ſalvo meliori iudicio, videtur iuramentum omnino ſervandum fuiſſe: quia licet uxores alienigenas ducere non potuerint; alia tamen ratione providere eis potuerunt, ut uxores acciperent de filiabus Iſrael, quemadmodum etiam fecerunt,

runt, prout hoc capite duobus modis oſtenditur. De quorum poſteriore, ſcilicet de raptu filiarum in Silo, magna quæſtio eſt. Sed dici poteſt, quod proprie non erat raptus, quia fiebat auctoritate publica, & ob bonum publicum, & ſic ut expectaretur quoque conſenſus parentum virginum, & multo magis ipſarum virginum, ſicut ſequitur verſ. 22. *Miſeremini eorum: non enim rapuerunt eas iure bellantium*, &c.

MARIANAE.

Verſ. 1. IURAVERUNT; pro, iuraverant ſe non daturos Beniamitis uxores.

V. 2. AD DOMUM DEI IN SILO. Hebr. *in Bethel:* ſic Sept. & Chald. ſed Hieronymus perſtat in ſententia, per *Bethel* intelligendi *tabernaculum Dei quod erat in Silo*. Porro *Bethel* urbs duplex erat: altera in tribu Ephraim, quæ dicta eſt etiam *Bethaven*; altera in tribu Beniamin. *Silo* in Ephraim erat, ſed locis a *Bethel* disiuncta. Sic qui Palæſtinam deſcribunt.

V. 3. IN POPULO TUO. Hebr. *In Iſrael factum eſt*, ut tribus una auferretur.

V. 4. EXTRUXERUNT ALTARE, diruto ſcilicet veteri, quod in atrio tabernaculi erat. Uſitatum enim erat, ad mactandum victimas ſolemnes altare novum extruere.

V. 5. CUM ESSENT IN MASPHA. Hebr. paulo aliter: *Et dixerunt filii Iſrael: Quis non aſcendit in congregationem* (id eſt exercitum) *ex omnibus tribubus Iſrael ad Dominum? quia iuramentum magnum fuerat ad eum* (id eſt contra eum) *qui non aſcendit* (pro aſcenderet) *ad Dominum in Maſpha*. Porro *Maſpha* in tribu Beniamin erat non procul Gabaa. Sed quare dicit conveniſſe ad Dominum in Maſpha? Aiunt ibi fuiſſe orationis locum, & menſam. Aut forte quoniam *Maſpha ſpeculam* vocat, *Silo*, aut *Bethel* ſic vocantur, quod loco ſublimi eſſent.

V. 7. IN COMMUNE IURAVIMUS. Hebr. *Iuravimus in Domino*, id eſt per Dominum, non daturos filias Beniamitis.

V. 9. CUM ESSENT IN SILO. Hebr. *Et numeratus eſt populus, & ecce non ibi vir* (ſcilicet erat) *ex habitatoribus Iabes Galaad*. De *Silo* nulla mentio, neque in Septuag. aut Chald.

V. 10. DECEM MILLIA VIROS miſerunt contra Iabes. Hebr. *duodecim millia*: ſic Sept. & Chald.

V. 13. PRAECEPERUNT EIS, UT EOS SUSCIPERENT, ſcilicet nuntios quos mittebant, quos miſere ad Beniamitas qui erant in Petra Remmon. Hebr. *Et vocaverunt eos pace*, id eſt pacifice: ſic Sept. Chald. non animo nocendi Beniamitis. Datæ ſunt eis uxores de filiabus Iabes:

V. 14. ALIAS AUTEM NON REPERERUNT, QUAS SIMILI MODO TRADERENT. Hebr. *Et non invenerunt illis ſic*; hoc eſt, parem numerum viris Beniamitis. Chald. *Et non ſuffecerant illis ſic*. Pagn. hoc ſequitur.

V. 17. MAGNA NOBIS CURA. Hebr. *Hereditas evaſionis Beniamitis*; id eſt, curandum eſt ut ſit hereditas, & ſucceſſio iis qui evaſerunt ex Beniamitis, ne cum eorum morte penitus pereat tribus. Ecce in Silo eſt ſolemnitas

V. 19. ANNIVERSARIA. Hebr. *a diebus in dies*; id eſt, certo tempore anni eſt ſolemnitas in Silo. AD SEPTEMTRIONEM URBIS BETHEL. Hic a *Bethel* diſtinguitur certe *Silo*. Rapiant virgines venientes ad feſtum. Dicemus patribus earum:

V. 22. MISEREMINI EORUM. Hebr. *Miſeremini noſtri eorum* (id eſt & eorum) *noſtri*, quia conſuluimus; *illorum*, quia fecerunt. NON ENIM RAPUERUNT EAS IURE BELLANTIUM. Hebr. *Non accepimus quiſque uxorem ſuam in bello*, eo ſcilicet quod geſtum eſt contra Iabes Galaad. Tribuunt ſibi, quod ipſis auctoribus factum erat. SED ROGANTIBUS UT ACCIPERENT, NON DEDISTIS. Hebr. *Quia non vos dediſtis*, ſupple eis, ideo ſic fecerunt. ET A VESTRA PARTE PECCATUM EST. Hebr. *Non dediſtis eis ſecundum tempus, peccabitis*; pro, ne peccaretis, ut Chald. explicat. Pagn. vertit: *Non dediſtis eis tempore hoc* (cum petierunt) *ne peccaretis*: nimirum propter iuſiurandum quod fecimus non daturos nos eis uxores, ita vobis neſcientibus acceperunt ſibi. Locus difficilis, Hebraice præſertim, & fortaſſis Hebraica ſunt vitiata. Noſtra verſio perſpicua.

MAL-

MALVENDAE.

Verſ. I. IURAVERUNT QUOQUE FILII ISRAEL. Aliqui per pluſquam perfectum vertunt: *Iſraelitæ autem iuramento ſe obſtrinxerant*: nimirum ante initum, ſed poſt decretum bellum, quando convenerant in Mitzphah, ſupra cap. xx. verſ. I. ad ampliorem videlicet facti deteſtationem temere ſpondentes, & iuramenti religionem adhibentes: quamobrem cum rem ſerio cogitaverunt, poſtea pœnituit ipſos, verſ. 6. & conſulentes Deum hoc nomine, non libertatem quidem a voto exoraverunt, ſed didicerunt artem voti præſtandi, & tribus conſervandæ. Sic quanti utrumque faceret, palam demonſtravit Dominus, & religionem voti iurati, & ſalutem populi. IN MASPHA, cum de bello contra Biniaminitas ſuſcipiendo deliberaturi illuc conveniſſent, ſupra cap. xx. verſ. I. NULLUS NOSTRUM DABIT FILIIS BENIAMIN DE FILIABUS SUIS UXOREM. Qui tam immaniter, & atrociter, atque contumelioſe uxorem Levitæ tractaverunt, indigni ſunt qui ex nobis uxores habeant.

V. 2. AD DOMUM DEI IN SILO. Illud, *In Silo*, non eſt in Hebr. ſed recte explicationis gratia adiectum eſt e verſu 12. infra.

V. 3. QUARE, DOMINE DEUS, &c. Poſtulant ut Deus ſibi rationem conſervandi tribum explicet.

V. 4. ALTERA AUTEM DIE DILUCULO CONSURGENTES. Notant, cum iam exoraviſſent, ac impetraviſſent conſilium, quod petierant, ut in ſequentibs explicatur. EXTRUXERUNT ALTARE. Hebr. *Et ædificaverunt ibi altare*. Obſervant, novum, & præterordinarium, propter multitudinem ſacrificiorum, quæ offerenda erant, ut factum eſt Salomonis tempore, I. Reg. VIII. verſ. 64. nam quod unum tantum altare lege imperabatur, ad ambulatoriam rempublicam reſtringendum eſt, cum altare huc illuc deferendum erat, ut oſtendit Moſes Exodi xx. verſ. 24. cum vero neceſſitas expoſceret, non erat interdictum novum altare conſtruere in loco ſacro, ſeu tabernaculo: alibi neutiquam niſi inſtinctu divino, ut I. Samuel. VII. verſ. 9. & 17. & cap. XI. verſ. 15. & cap. XVI. verſ. 2. & 5. II. Samuel. XXIV. verſ. 25. I. Regum XVIII. verſ. 30.

V. 5. *ET DIXERUNT FILII ISRAEL. Quidam exponunt: Et propoſuerunt ſeniores conſilium populo, quod ex Domino audiverant.

V. 6. DUCTIQUE POENITENTIA FILII ISRAEL, &c. Explicant, nempe totus cœtus Iſraelitarum, qui ex ſenioribus ſuis voluntatem Dei audiverat.

V. 8. IDCIRCO DIXERUNT: QUIS EST DE UNIVERSIS? &c. Notant, omnes iſtos uno ore conſtituiſſe ſibi permanendum eſſe in illa ratione divinitus oſtenſa, conſulendi reliquis Biniaminitarum, & contumaces caſtigandi. IABES GALAAD. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis, voce Aſiroth: *Eſt autem Iabes trans Iordanem, nunc villa pergrandis, a civitate Pella ſex millibus diſtans, pergentibus Geraſam*. Et in Littera I. *Iabes Galaad, & hanc oppugnaverunt filii Iſrael. Nunc autem eſt vicus trans Iordanem in ſexto milliario civitatis Pellæ, ſuper montem euntibus Geraſam*. Eſt urbs in Scriptura celebris, cuius frequens mentio; a ſiccitate, & ariditate videtur nomen habere; niſi forte ſit antiphraſis, quod Galaadena regio fluviis & fontibus mirum in modum ſcateret, ut auctor eſt Beniamin Tudelenſis pag. 54. Itinerarii.

V. 11. VIRGINES AUTEM RESERVATE. Hoc non eſt in Hebræo, ſed neceſſario intelligendum e ſequenti verſu: nam cum dicitur, *Et omnem feminam expertam concubitum maris internecioni devovebitis*; facile intelligitur: Et ex contrario ſervabitis feminas intactas a viris, ut ſequens verſus oſtendit.

V. 12. ADDUXERUNT EAS AD CASTRA IN SILO: reliquis omnibus interfectis, ut mandatum illis fuerat, verſ. 10. AD CASTRA IN SILO, IN TERRAM CHANAAN. Hebr. *ad caſtrametationem Siloh, quæ in terra Chenaghan*. Quidam: *Siluntem ad caſtra, quæ manſerant in terra Chenahanis*; id eſt, quæ non traiecerant Iordanem, ut Iabeſitas oppugnarent. Alii notant. dictam Siluntem, vel caſtrametationem fuiſſe in terra Chenahan, ad diſcrimen Iabes Ghilhad, quæ erat ultra Iordanem: ut hic terra Chenahan ponatur pro regione ciſiordanina, quamvis alibi terra Chenahan vocetur etiam

Digitized by Google

iam tranſiordanina. Vide Ioſue XXII. verſ. 10. Verum notamus alibi ſimpliciter dici Siloh in terra Chenahan, ut Ioſue XXI. verſ. 2.

V. 13. ET PRAECEPERUNT EIS, UT EOS SUSCIPERENT IN PACE. Hebr. *Et vocaverunt eis pacem*. Quidam: *Et vocaverunt eos cum pace*, vel *in pace*; id eſt, appellaverunt eos verbis pacificis; vel *de pace cum illis egerunt*. Alii: *Revocaveruntque eos in pace*. Nonnulli: *Et inclamaverunt*, ſeu *promulgaverunt illis pacem*.

V. 14. ALIAS AUTEM NON REPERERUNT, QUAS SIMILI MODO TRADERENT. Optime ſenſum expreſſit. Hebr. *Et non invenerunt eis ſic*; id eſt, neque hoc modo, hacque a ſe excogitata ratione invenerunt tot uxores, quot illi erant, vel quot illis ſufficerent. Quidam: *Neque ſuffecerunt eis ſic*. Alii: *Sed ſic non fuerunt ſatis illis*. Vide ſimilem locutionem Numer. XI. verſ. 22.

V. 16. QUID FACIEMUS RELIQUIS? &c. ducentis illis ſcilicet, qui non acceperunt uxores ex Iabeſitis, cum virgines illæ tantum eſſent quadringentæ.

V. 17. ET MAGNA NOBIS CURA, &c. Hic verſus ita Hebraice concipitur: *Et dixerunt: Hereditas evaſionis ipſi Biniamini: & non abſtergetur tribus de Iſrael*. Quidam: *Hereditas evaſionis ſit Beniamini, ut non deleatur tribus de Iſrael*; id eſt, ſtudendum eſt, aut conandum, ut ex tribu Beniamin aliqui evadant, & ſerventur, qui ſint vice hereditatis ipſi Iacob. Alii: *Et dixerunt: Hereditas in Biniamin eorum erit, qui evaſerunt: & non delebitur tribus una ex Iſrael*: vel *opus eſt ut ſit hereditas iis, qui evaſerunt de Biniamin, ut non deleatur una tribus ex Iſrael*. Nonnulli: *Amplius dixerunt: Hereditaria horum qui evaſerunt poſſeſſio, pro Biniamine futura eſt: non enim delenda eſt tribus ex Iſraele*; id eſt, in ſua tribu ſemper eſt futura ſors, quæ antea fuit Biniaminitarum. Quidam פליטה *pheletah*, contra omnem analogiam Hebraicam verbum faciunt, redduntque: *Hereditas evaſit Biniamino*; id eſt, ſervata eſt. Hiſpanicus Interpres: *Haya Biniamin heredad de eſcapadura*; id eſt, *queden algunos: y no ſea raido un tribu de Iſrael*.

V. 19. SOLEMNITAS DOMINI. Notant fuiſſe feſtum ſcenopegiæ ſeu tabernaculorum, quo tempore vineæ ſunt pampinis, & longis ſarmentis veſtitæ, ubi commode ſe abſcondere Biniaminitæ poterant, e verſ. 20. & 21. Aliis חג *chag*, hic *tripudium*, *circumgyratio*, *circulatio*, quales in choreis, & feſtivitatibus fieri ſolent. ANNIVERSARIA. Hebr. *de diebus in dies*, id eſt, quotannis, vel *de anno in annum*; melius, *ſtatis diebus*. QUAE SITA EST AD SEPTEMTRIONEM URBIS BETHEL. אשר *aſcher*, hic varie reddunt: 1. *In loco, qui eſt ad aquilonem domus Dei*: 2. *Ecce feſtum*, vel *tripudium*, *Iehovæ eſt in Silunte de anno in annum*, *quod celebratur ab aquilone domus Dei fortis*, *verſus ortum ſolis*, &c. Deſcribunt, inquiunt, eis locum in quo virgines ſolebant ducere choros; ubi poſſent deliteſcere, & rapere virgines: non autem deſcribunt ſitum urbis Silo, quem omnes norant. Erat enim quaſi ſolemnis pompa, & proceſſio.

V. 21. AD DUCENDOS CHOROS. Hebr. *ad chorizandum in choris*, ſeu *in choreis*. Quidam: *ad ſaltandum in choreis*. Poſſis reddere, *ad profanandum*, *violandum polluendum*, *in choreis*. Vix eſt, quod in choreis profanum aliquid, & abſurdum non intermiſceatur.

V. 22. MISEREMINI EORUM. חננו *chebannunu* אותם *otham* varie convertunt. I. *Miſeremini noſtrum*, *& illorum*, vel *pro illis*: vel *miſereamini nos*, *eos*: aut *miſereamini nobis*, id eſt in gratiam noſtram, *illorum*. II. *Date*, *impartite*, *eis hanc gratiam*. III. *Gratificamini nobis illas*: vel *concedite eas nobis*; quaſi dicant: Non illis, ſed nobis datæ reputantor. IV. *In gratiam recipite eos*. NON ENIM RAPUERUNT EAS IURE BELLANTIUM, &c. Hanc partem uſque ad finem verſus diverſimode ex Hebræo transfundunt. I. *Quia non accepimus unicuique mulierem ſuam in bello illo*: *& quia non dediſtis illis*: *ita ut tempore hoc deliqueritis*; id eſt, quia in bello illo geſto adverſus Iabeſitas Ghilhad non accepimus tot mulieres, quæ ſatis eſſent 600. iſtis Biniaminitis (defecerunt enim ducentæ) nec dediſtis illis filias veſtras: neque hoc tempore, vel huc uſque deliquiſtis; hoc eſt, contraveniſtis iuramento veſtro, nec rei illius eſtis; quaſi dicant: Ne puteris in hac re tranſgreſſores vos eſſe iuramenti, quia vos non dediſtis ſponte veſtra illis filias veſtras, ſed ipſi acceperunt eas ſibi. II.

Quan-

Digitized by Google

Quandoquidem nos in prælio illo non accepimus unicuique uxorem: nec vos dediſtis eis, ita ut hoc tempore delinquatis. III. *Qui non excepimus cuique uxorem ſuam in iſto bello*; id eſt, qui horum uxores non ſubſtraximus exitio, ſed promiſcue tolli cum aliis curavimus una expeditione, ut narratum eſt ſupra cap. xx. verſ. 48. *nam vos non dediſtis illis*, *neque iam rei eritis*, vel *culpabimini*; quaſi dicant: Non eſt cur metuatis ne non præſtetis fidem veſtram iuramento obſtrictam: vos non dediſtis; ceperunt ipſi: & ſi qua culpa eſt, eam in nos recipimus.

*V.*24. REVERSI SUNT PER TRIBUS ET FAMILIAS IN TABERNACULA SUA. Hebr. *Et receperunt ſe inde filii Iſrael tempore illo, quiſque ad tribum ſuam, & ad familiam ſuam: unde exiverunt, quiſque in poſſeſſionem ſuam*; id eſt, cum gregatim primum unaquæque tribus ad ſortem ſuam perveniſſet, ſinguli poſtea in poſſeſſionem ſuam diſceſſerunt. NON ERAT REX IN ISRAEL. Vide ſupra cap. XVII. verſ. 6. & cap. XVIII. verſ. 1.

* His verbis quibus in noſtro Vulgato abſolvitur verſ. 4. incipit Hebr: verſ. 5. At illud, *Filii Iſrael*, textus poſterior tantum habet.

Valentiæ, anno ætatis 57. poſtquam aliquot diebus opus intermiſiſſet.

MENOCHII.

Verſ. 2. IN CONSPECTU EIUS SEDENTES. Vide dicta ſuperiori cap. num. 26.

V. 4. EXTRUXERUNT ALTARE. Unicum apud Iſraelitas oportebat eſſe altare in quo ſacrificia fierent, hocque erat in atrio tabernaculi in Silo. Verum propter hoſtiarum a populo oblatarum multitudinem, aliud in neceſſitatis ſupplementum excitari poterat, ut tot ſacrificiis locus eſſet. Idem enim Salomonis tempore factum eſt III. Reg. VIII. 64. Ita aliqui. Alii cenſent, ordinarie unum tantum eſſe potuiſſe altare, extraordinarie vero nihil obſtitiſſe quo minus alterum excitaretur, ſi idololatriæ periculum abeſſet; ut cum viri prophetia, & ſanctitate ſpectatiſſimi ſacrificarent: ut Samuel qui in Ramatha, & Maſpha ſacrificia obtulit, I. Reg. VII. in Galgala I. Reg. XI. in Bethlehem I. Reg. XVI. ut David in area Ornan Iebuſæi II. Reg. XXIV. I. Paralip. XXI. ut Elias in Carmelo monte III. Reg. XVIII. Alii exiſtimant, unum tantum locum altari deſtinari, ſed intra illum locum, plura altaria erigi potuiſſe. Tandem non deſunt qui exiſtiment, unum altare eo tantum tempore præceptum fuiſſe, quando populus per deſertum peregrinabatur; poſtea vero cum Iſraelitæ quietam ſedem adepti erant, plura excitari potuiſſe. Vide Serarium hic quæſt. 1.

V. 6. SUPER FRATRE SUO BENIAMIN. Omnes tribus, & ſinguli Hebræi, quaſi fratres erant, quia communem patrem habebant Iacob, a quo Iſraelitæ dicti ſunt.

V. 7. OMNES IN COMMUNE IURAVIMUS. Pro *in commune*, Hebræus habet *in Domino*, ſeu *per Deum*, ut etiam LXX. Iuramento addita fuit imprecatio, ſeu, ut noſter ait Interpres, maledictio, num. 18. *Maledictus qui dederit de filiabus ſuis uxorem Beniamin*.

V. 8. HABITATORES IABES GALAAD. Urbs ultra Iordanem percelebris in tribu Manaſſe, cuius frequens poſtea mentio in Scripturis.

V. 11. INTERFICITE. Hebraica, & Græca ſignificant, *Anathemati ſubiicite*: quod anathema quale eſſe deberet explicatur, ut ſcilicet interficerentur viri omnes, & infantes, non autem virgines, pecora, & iumenta; nec urbs incenderetur, aut everteretur.

V. 12. QUADRINGENTAE VIRGINES. Sermo eſt de virginibus adultis, non de puellulis, aut infantibus.

V. 13. PRAECEPERUNT EIS UT EOS SUSCIPERENT IN PACE. Iuſſit populus Iſrael, ut Beniamitæ legatos illos in pace ſuſciperent, quia iam admittebant ad pacem reliquias illas Beniamitarum. In Hebræo eſt: *Vocaverunt eis pacem*, ſeu *denuntiaverunt*, aut *promulgaverunt iis pacem*, vel potius *vocaverunt eos in pace*, ut etiam habent LXX.

*V.*18. FILIAS ENIM NOSTRAS EIS DARE NON POSSUMUS. In tantæ neceſſitatis caſu non tenebantur Iſraelitæ ratione iuramenti; alioqui Beniamitæ coacti fuiſſent, ſi ducere vellent uxores, ducere alienigenas gentiles, quod erat illis vetitum divino interdicto. Verum quia exiſtimabant ſe teneri, conſtringebantur ea-

Digitized by Google

ea, quam erroneam conſcientiam vocant. Vide Serarium quæſt. III.

V. 21. AD DUCENDOS CHOROS... PROCEDERE. Non ex puellari laſcivia ducebantur hi chori, ut vult hæreticus quidam interpres, ſed ex religione, patriaque cæremonia. Chaldæus innuit fuiſse calendas, quas Græco vocabulo *neomeniam* vocant. Aliqui paſcha fuiſse putaverunt. Communior ſententia fuiſse ſcenopegiam, quod huius feſti tempore frondeant vites, & illarum umbraculis tegi inſidiæ Beniamitarum facile potuerint. RAPITE EX EIS SINGULI UXORES. Tenebantur tantum iuramento ex conſcientia erronea, ut dictum eſt num. præcedente. Itaque quacumque ratione conſcientiæ ſatisfacerent, licebat eis contra illam operari. Satisfaciunt autem ſibi perſuadentes, ſe tantummodo iuraſse non daturos ſponte ſine vi, aut dolo: ſi ſecus aliquid accideret, hoc iam ad iuramentum non pertinere.

V. 23. FECERUNTQUE FILII BENIAMIN UT SIBI FUERAT IMPERATUM. Nihil peccarunt Beniamitæ in hoc raptu. I. quia bono Iſraeliticorum optimatum paruerunt conſilio. II. quia nullo ipſi, quod obſtaret, iureiurando tenebantur. III. quia iſto modo præſtabat Iſraelitidas ſibi matrimonio adiungere, quam aut vagam exercere libidinem, aut Ethnicas ducere.

V. 24. IN DIEBUS ILLIS NON ERAT REX IN ISRAEL, &c. Quando iſta contigerint, variæ ſunt opiniones. Verior ea eſse videtur, quam ſequitur Abulenſis, Genebrardus, Lyranus, Serarius, & alii, eo tempore accidiſse, quod poſt Ioſue mortem, ante primum Iudicem fuit. Vide Serarium quæſt. VI.

TIRINI.

Verſ. 4. EXTRUXERUNT ALTARE (utique alterum ac diverſum ab altari Moyſis, & Siluntino) OBTULERUNTQUE IBI HOLOCAUSTA, ET PACIFICAS VICTIMAS. Sed quo iure, cum ex Levit. XVI. & Ioſue XXII. conſtet non licuiſse aras erigere, & ſacrificare extra locum tabernaculi fœderis? Reſpondeo: Hoc altare in ipſo tabernaculi loco erectum fuit. Et hoc licuiſse, docet recte Abulenſis. Poterant enim, etiam ordinarie, plura altaria in loco tabernaculi erigi, ſi victimarum numerus ita exegiſset, uti legimus feciſse Salomonem III. Reg. VIII. 64. Extra vero locum illum id non licuit, niſi ex privilegio, & ſpeciali diſpenſatione, qua ſubinde viris ſanctitate, ac prophetia ſpectatiſſimis id indultum legimus, verbi gratia Gedeoni, Iud. VI. Manue, Iudic. XIII. Samueli in Ramatha, in Galgala, in Bethlehem, I. Reg. VII. XI. & XVI. Davidi in area Ornan Iebuzæi, II. Reg. XXIV. Eliæ in Carmelo monte, III. Reg. XVIII. & aliis, in quibus locum non habebat ratio legis id vetantis, puta periculum idololatriæ, cum eſsent viri ſanctitate, ac prophetia ſpectatiſſimi, ut dixi. Ita Abulenſis, Caietanus & Serarius.

V. 7. OMNES IN COMMUNE IURAVIMUS, NON DATUROS NOS Beniaminitis FILIAS NOSTRAS, ſingulis noſtrum proprias. Sed non iuravimus, non daturos nos illis communi decreto filias aliorum: aut non permiſsuros, vel non ſuaſuros, ut vi vel dolo rapiant. Hinc neque Beniaminitis peccatum fuit hic raptus: partim quia conſilio, vel decreto ſuperiorum ob finem honeſtum factus eſt; partim quia non valde invitis filiabus, aut illarum parentibus contigit. Quin nullo modo inviti fuiſsent, ſi periurii periculum abeſse ſciviſsent, ut revera aberat. Nam iuramentum cum non obſtringat ultra mentem iurantis; certumque ſit hunc neceſſitatis caſum, quo defectu ſponſarum integra tribus excidenda eſset, Iſraelitis cum iurarent, non veniſſe in mentem; certum item eſt, eo caſu illos ad id obſtrictos non fuiſſe. Quia tamen erronea conſcientia putabant ſeſe obſtringi, prudenter ad raptum ſuadendum diverterunt. Ita Lyranus, Caietanus, Arias, & Serarius.

Nota, raptum Siluntinarum præceſſiſſe raptum Sabinarum a Romanis circiter annos 700. quot ſcilicet ab Othoniele primo iudice effluxerunt uſque ad Romulum, cuius tempore Sabinas rapuere Romani. Et videtur uterque raptus contigiſſe paulo ante æquinoctium autumnale, Sabinarum 14. kalendas ſeptembris, ut tradit Livius, & Plutarchus; Siluntinarum vero in ſcenopegiis, menſe quoque ſeptembri: nam tum temporis commodum erat

propter latas frondes *latitare in vineis*; quod hic verſ. 20. raptoribus præſcribitur.

GORDONI.

Verſ. 2. AD DOMUM IN SILO. Septuag. & Hebr. habent *Bethel*; ſed perinde eſt: nam domus Dei, ſeu Bethel erat in Silo, ut vides hic verſ. 18. Hic de Bethel in tribu Beniamin. Alter poni ſolet a quibuſdam in tribu Ephraim, dicta etiam Bethaven. Vide Ioſ. XVIII. verſ. 11.

V. 4. EXTRUXERUNT ALTARE. Ioſue cap. XXII. improbatur novi altaris erectio. Verum in tanta ſacrificiorum copia, numeroque ſacrificantium, nil vetat, in ſubſidium erigi altare ſecundum. Vide etiam ſimile factum III. Reg. VIII. verſ. 64. plura ergo licita altaria, ſed tamen intra tabemaculum, & urgente cauſa aliqua. Unus quidem ſacrificiorum locus deſignatus eſt Levitic. XVII. & Deuter. XXI. at in uno illo loco non ſunt vetita plura altaria.

V. 5. CUM ESSENT IN MASPHA. De hoc loco dixi cap. XX. Erat in tribu Beniamin, nec procul a Gabaa. Quod vero hic eſt, QUIS NON ASCENDIT, explicatur verſ. 8. ſenſus eſt: Inquiſitum eſt cenſu habito, qui non veniſſent ad ſacrum bellum hoc, & inventum eſt defuiſſe Iabes Galaad: proinde in eos decernitur anathema.

V. 12. Anathema decretum in Iabes Galaad, quia recuſarunt venire ad bellum ſacrum; quo tamen noluit Iſrael (ex iuſta cauſa) comprehendi virgines. Sed de iuramenti vi, & quando honeſtum obliget, docent ſuo loco Theologi. Ceterum de tempore huius totius tragœdiæ, nihil niſi ex coniecturis aſſequi poſſumus: quod tamen eſt probabilius, attigi cap. XIX. verſ. 1.

V. 22. PECCATUM EST; id eſt, petierunt a vobis uxores; vos negaſtis, obligati iuramento: ac ſi dicerent: Excuſat neceſſitas raptum.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 8. IABES GALAAD urbs eſt trans Iordanem in tribu Manaſſe.

V. 13. UT EOS SUSCIPERENT IN PACE. Ita iuſſit populus, ſic denuntians Beniamitis, datam iam illis eſſe pacem.

V. 24. IN DIEBUS ILLIS. Videtur, quod ait Genebrardus, accidiſſe hæc hiſtoria brevi poſt mortem Ioſue, & forte ante primum iudicem. Ita & alii non pauci

LIBER

LIBER
RUTH.

HIC Liber eſt velut appendix quædam Libri Iudicum. Quæ enim in eo commemorantur geſta, Iudicum temporibus euenerunt: ſed quo Iudice, non liquet, uti nec de illius Libri Auctore. Plerique Samuelem eum eſſe volunt, qui Librum Iudicum, & Librum primum Regum ex communiori ſententia conſcripſit: neque abhorret a veriſimili, hunc Librum ab eodem eſſe exaratum, ut Regis David ſtirpem & genus deſignaret. Quin etiam Theodoreti ſententia admodum eſt probabilis, hunc Librum a Spiritu ſancto dictatum eſſe propter Chriſti Domini Incarnationem, qui ex Ruth ſecundum carnem duxit originem.

Quo tempore hæc contigerint, dictu difficile eſt, quod a coniugio Salomonis cum Raab paucæ interſint generationes uſque ad Davidem regem. An plures extiterunt Booz nomine, ut videtur Lyrano; an forte illud non eſt in Scripturis inuſitatum, ut generationes non proximæ & immediatæ, ſed mediatæ tantum recenſeantur; an demum alia eſt Raab ab ea cuius ſit mentio in Libro Ioſue?

C A P U T P R I M U M.

Elimelech Bethlehemita præ nimia fame cum uxore Noemi ac filiis in Moab concedit: quo una cum filiis mortuo, Noemi cum Ruth nuru ſua in Bethlehem revertens, non vult vocari Noemi, ſed Mara.

1. IN diebus unius iudicis, quando iudices præerant, facta eſt
fames in terra. Abiitque homo de Bethlehem Iuda, ut
peregrinaretur in regione Moabitide cum uxore ſua ac duo-
bus liberis: 2. ipſe vocabatur Elimelech, & uxor eius
Noemi: & duo filii, alter Mahalon, & alter Chelion,
Ephrathæi de Bethlehem Iuda. Ingreſſique regionem Moa-
bitidem, morabantur ibi. 3. Et mortuus eſt Elimelech ma-
ritus Noemi: remanſitque ipſa cum filiis. 4. Qui acceperunt uxores Moabitidas,
quarum una vocabatur Orpha, altera vero Ruth. Manſeruntque ibi decem an-
nis, 5. & ambo mortui ſunt, Mahalon videlicet & Chelion: remanſitque mu-
lier orbata duobus liberis ac marito. 6. Et ſurrexit ut in patriam pergeret, cum
utraque nuru ſua, de regione Moabitide: audierat enim quod reſpexiſſet Domi-
nus populum ſuum, & dediſſet eis eſcas. 7. Egreſſa eſt itaque de loco peregri-
nationis ſuæ, cum utraque nuru: & iam in via revertendi poſita in terram Iu-
da, 8. dixit ad eas: Ite in domum matris veſtræ, faciat vobiſcum Dominus
miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis & mecum. 9. Det vobis invenire re-
quiem in domibus virorum, quos ſortituræ eſtis. Et oſculata eſt eas. Quæ ele-
vata voce flere cœperunt, 10. & dicere: Tecum pergemus ad populum tuum.
11. Quibus illa reſpondit: Revertimini filiæ meæ, cur venitis mecum? * num
ultra habeo filios in utero meo, ut viros ex me ſperare poſſitis? 12. Reverti-
mini filiæ meæ, & abite: iam enim ſenectute confecta ſum, nec apta vinculo
coniugali, etiam ſi poſſem hac nocte concipere, & parere filios, 13. ſi eos ex-
pectare velitis, donec creſcant, & annos pubertatis impleant, ante eritis vetulæ
quam nubatis. Nolite, quæſo, filiæ meæ: quia veſtra anguſtia magis me premit,
& egreſſa eſt manus Domini contra me. 14. Elevata igitur voce, rurſum flere
cœperunt: Orpha oſculata eſt ſocrum, ac reverſa eſt: Ruth adhæſit ſocrui ſuæ:
15. cui dixit Noemi: En reverſa eſt cognata tua ad populum ſuum, & ad deos
ſuos, vade cum ea. 16. Quæ reſpondit: Ne adverſeris mihi ut relinquam te &
abeam: quocumque enim perrexeris, pergam: & ubi morata fueris, & ego pa-
riter morabor. Populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus. 17. Quæ
te terra morientem ſuſceperit, in ea moriar: ibique locum accipiam ſepulturæ.
Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat, ſi non ſola mors me & te ſeparave-
rit. 18. Videns ergo Noemi, quod obſtinato animo Ruth decreviſſet ſecum
pergere, adverſari noluit, nec ad ſuos ultra reditum perſuadere: 19. profectæque
ſunt ſimul, & venerunt in Bethlehem. Quibus urbem ingreſſis, velox apud cun-
ctos fama percrebruit: dicebantque mulieres: Hæc eſt illa Noemi. 20. Quibus
ait: Ne vocetis me Noemi (id eſt pulchram) ſed vocate me Mara (id eſt
amaram) quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. 21. Egreſſa ſum ple-

Digitized by Google

na, & vacuam reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis me Noemi, quam Do-
minus humiliavit, & afflixit Omnipotens? 22. Venit ergo Noemi cum Ruth
Moabitide nuru ſua, de terra peregrinationis ſuæ: ac reverſa eſt in Bethlehem,
quando primum hordea metebantur.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 11. *Nam ultra habeo filios*. Non mutes præſens *habeo*, cum futuro *habebo*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. UNIUS. Quis iſte, incertum. Hebr. Chald. & LXX. *In diebus quibus iudicabant Iudices*. TERRA, ſcilicet Iuda.

V. 2. EPHRATHAEI, id eſt ex Ephratha, Chald. *magnates*. DE BETHLEHEM. Explicatio præcedentis.

V. 13. SI EOS EXPECTARE VELITIS, &c. Hebr. Chald. & LXX. *Numquid tamdiu expectabitis innuptæ, donec creſcant?* QUIA VESTRA ANGUSTIA, &c. Hebr. & Chald. ſenſus eſt. Maior eſt mea anguſtia, quam veſtra. ET EGRESSA; pro, etenim egreſſa.

ESTII.

Verſ. 1. IN DIEBUS UNIUS IUDICIS. Iudex iſte a Ioſepho putatur eſſe Heli ſacerdos. Sed repugnat Chronologia. Non enim Obed qui in fine libri natus refertur ex Ruth, naſci potuit tempore Heli, ſed multo ante natus eſt, videlicet veriſimiliter tempore Abeſſan iudicis, aut circiter. Quem proinde Abeſſam probabile eſt hunc iudicem eſſe. Inſcribitur autem hic liber, non Noemi, neque Booz, ſed Ruth, quia huius mulieris virtus in hoc libro præcipue commendatur; quomodo & libri Tobiæ, Iudith, Eſther, & Iob, ea nomina ſortiti ſunt.

V. 2. EPHRATAEI DE BETHLEHEM IUDA. Quæritur quomodo Elimelech fuerit Ephratæus, ſi fuit de Bethlehem Iuda; cum tribus Ephraim & Iuda fuerint diverſæ? Neque dici poteſt, quod fuit ex tribu quidem Ephraim, ſed habitatione tantum Bethleemita. Nam quod fuerit de tribu ipſa Iuda, manifeſtum eſt, quia fuit propinquus Booz, qui fuit ex tribu Iuda, uti clarum eſt ex genealogia Chriſti Matth. 1. Ioannes Iſaacius dicit vocabulum hoc, *Ephratæus*, non tam ad tribum pertinere, quam dignitatis nomen eſſe, quo ſignificetur homo celebris, & magnæ in populo exiſtimationis, propter ſapientiam, & pietatem. Quomodo etiam Elcana pater Samuelis, ſecundum eum, dictus ſit Ephratæus I. Reg. 1. Sed falli opinione videtur. Nuſquam enim oſtendi poteſt, Ephratæum in ea ſignificatione accipi. Sed uno modo ſignificat eum, qui eſt ex tribu Ephraim, ut Iudicum XII. *Numquid Ephratæus es?* Alio modo eum qui habitat in monte Ephraim: ita Elcana Ephratæus vocatur, cum alioqui eſſet ex tribu Levitica, ſed in monte Ephraim habitans. Tertio modo Ephratæus, non ab Ephraim, ſed ab Ephrata dicitur: Ephrata autem idem eſt quod Bethlehem, Geneſis XXXV. & XLVIII. ubi Rachel dicitur *ſepulta in Ephrata*; & additur: *Hæc eſt Bethlehem*: & cap. ult. huius libri idem ſignificatur. Unde Ephratæus hoc loco idem eſt quod Bethlehemita. Sic & David dicitur filius viri Ephratæi, id eſt Bethlemitæ. Eſtque notandum, quod etſi Ephraim, & Ephrata, ſint vocabula diverſa, unum tamen idemque eſt patronymicum nomen ab utroque derivatum, etiam in Hebræo, ſcilicet *Ephrati*, id eſt Ephratæus, cum alioqui ab Ephraim potius videretur dicendum, Ephraimita.

V. 16. POPULUS TUUS POPULUS MEUS, ET DEUS TUUS DEUS MEUS. Non eſt ſenſus: Quemcumque elegeris populum, eumdem & ego eligo, & ſimi-

Digitized by Google

liter de Deo: ſed aſſertive profert Ruth: Populus Iſraeliticus, quem ſcio populum tuum eſſe, & ad quem nunc reverteris, erit & populus meus, & ſimiliter Deus tuus Deus meus; & in hoc animi propoſito parata ſum, & cupio reliquum vitæ meæ tranſigere. Ex his ergo dictis ſequitur, non poſſe ullo modo ex hac Scriptura ſumi patrocinium perverſæ doctrinæ politicorum, docentium debere ſimiliter dicere unumquemque: Fides principis mei eſt fides mea, quaſi ſcilicet obiectum fidei eſſet non Deus ipſe, ſed quidvis politicum.

MARIANAE.

Verſ. I. IN DIEBUS UNIUS IUDICIS. Hebr. *in diebus iudicare* (pro, quibus iudicabant) *iudices*: ſic Sept. & Chald. Quo autem id tempore, clam eſt. IN REGIONE MOABITIDE. Hebr. *in agris Moab*: ſed bene pro *agris* ponitur *regio*, ſeu *terra*. Ibi peregrinati ſunt Elimelech, uxor, & filii.

V. 2. EPHRATHAEI, id eſt Bethlehemitæ, nam *Bethlehem* vocata eſt etiam *Ephratha*, Gen. XLVIII. verſ. 7. & cap. XXXV. verſ. 19. ſic dicta ab Ephratha uxore Caleb. Qua de cauſa I. Paralip. II. verſ. 24. vocatur Hebraice *Caleb Ephratha*. Chald. pro *Ephrathæis*, *magnates* ponit. DE BETHLEHEM IUDA: explicatio eius quod dixerat *Ephrathæi*. Mortuis viro, & filiis,

V. 5. REMANSIT MULIER ORBATA DUOBUS LIBERIS ET MARITO. Hebr. *Et relicta eſt*, ſeu *manſit a duobus filiis eius*, *& a marito eius*: ſic Septuag. ſed bene ſuppletur, *orbata*, ut ſupplet etiam Chald. Cum audiſſet, Deum dediſſe

V. 6. ESCAS. Hebr. *panem*: ſed *panis* pro cibo, & annona.

V. 7. IN VIA REVERTENDI POSITA...DIXIT. Hebr. *Et abierunt in via ad revertendum in terram Iuda*. Ita *in via revertendi*, vel *ad revertendum*, non iungitur cum verbo *dixit*, ſed cum *abierunt*. Redite dixit nurubus Noemi,

V. 8. SICUT FECISTIS. Verbum Hebr. maſculini generis, forte ad indicandum virilem animum nuruum: ſic Deus vobis faciat,

V. 13. SI EOS EXPECTARE VELITIS, ſcilicet filios ex me, ut eis nubatis. Hebr. *Numquid eos expectabitis quouſque creſcant? Numquid eis* (id eſt propter eos) *viduatæ eritis*, *ne ſitis viro?* id eſt nubatis: ſic Septuag. & Chald. quaſi dicat: Num ſuſtentabitis viduæ, donec iis nubatis? Porro *eis*, & *eos* Hebr. feminini generis, forte ad indicandam debilitatem eorum filiorum. QUIA VESTRA ANGUSTIA MAGIS ME PREMIT. Hebr. *Quia amara ſum valde præ vobis*; id eſt, anguſtia mea maior eſt veſtra. ET EGRESSA EST; pro, etenim egreſſa eſt MANUS DOMINI CONTRA ME. *Et*, pro quia. Orpha rediit. Noemi ait ad Ruth:

V. 15. COGNATA TUA; id eſt, uxor cognati tui, ſcilicet leviri tui, reverſa eſt.

V. 16. NE ADVERSERIS. Hebr. *Ne roges*, vel *ne cogas*. Sept. *Ne occurras mihi*. Chald. *Ne ſolicites*, *ut te relinquam*. Verba Ruth. Venerunt Bethlehem.

V. 19. VELOX APUD CUNCTOS FAMA PERCREBRUIT. Hebr. *Et commota eſt univerſa civitas*. Hæc eſt illa Noemi. Illa: *Ne vocetis me Noemi*, *id eſt pulchram*.

V. 21. DOMINUS HUMILIAVIT: ſic Sept. Alii: *Et Dominus teſtificatus eſt in me*; id eſt, me affligens teſtatur me peccaſſe: ſic Chald. Vox Hebr. ענה *hanah* utrumque ſignificare poteſt, & *humiliare*, & *teſtificari*.

MALVENDAE.

Verſ. I. IN DIEBUS UNIUS IUDICIS, &c. Incertum apud ſacros Chronologos, & Explanatores eſt, quo tempore Hiſtoria, quæ hoc libro deſcribitur, cœperit: nos eam ſententiam veriſimiliorem exiſtimamus quæ eius initium in tempora Barachi, & Deboræ conſert: quam Tremellius, & Iunius ita explanant: *Ex collatione primi capitis Matthæi verſu quinto, cum fine huius hiſtoriæ, colligitur hæc contigiſſe ſub tempora Deboræ. Primum autem, quod ad Boazum attinet e Rachaba natum, fieri poteſt, ut ea ipſum pepererit quinquaginta quinque annos nata, ſi ei tribuantur quindecim, cum exploratores excipit Ioſue* XI. *ita ut vigeſimo tertio Othonielis genuerit Bobazum: unde ad initium Deboræ ſunt anni nonaginta ſeptem: quibus ſi addideris viginti priores annos Deboræ, erit Bobaz* 117. *annorum, cum e Rutha ſuſcipit Hobedum: Hobedum*

*hedum quoque, & Iſaium, ut hiſtoriæ Davidis tempus cum hoc conveniat, neceſſe eſt centenarios genuiſſe. Duo videntur eſſe impedimenta huic coniecturæ: quæ alios adduxerunt in hanc ſententiam, ut intermiſſa eſſe quorumdam nomina in hac recenſione putaverint. Id unum eſt, Rachabæ ætas, quam ex coniectura ponimus ad partum. Itaque per me licet, ut illi minus, aliis plus ætatis paulo tribuatur. Sed tamen ne illud quidem puerperii tempus videtur mihi incredibile: qui & vegetam illorum temporum conſtitutionem in corporibus fuiſſe novi: & hic in Palatinatu annos aliquot vidi meis oculis, & vocatus interfui partui cuiuſdam feminæ amplius annos quinquaginta ſex natæ, quæ binos mares enixa eſt eodem partu. Alterum eſt: virorum, de quibus poſtea agitur, ſenium. Sed hoc neminem remorari poteſt, qui & Dei benedictionem ſingularem in hoc genus animadverterit, & alia, quæ modo in cauſa Rachabæ diximus. Omnino cum nuſquam veſtigium extet intermiſſi nominis in hac genealogia, ubicumque legitur, a divinatione illa malo abſtinere, quam novæ * λεπτογνώτει feneſtram aperire.* Hæc illi. Plinius quidem Lib. VII. cap. XIV. *Mulier poſt quinquageſimum annum non gignit*. Solinus cap. IV. *Poſt annum quinquageſimum fecunditas omnium conquieſcit*. Sed id accipiendum de eo quod ut plurimum fit. IN DIEBUS UNIUS IUDICIS, QUANDO IUDICES PRAEERANT. Noſter proculdubio legit שופט *ſchophet*, *iudicis*: vulgo exemplaria præferunt שפוט *ſchephot*, infinitivum: *In diebus iudicare iudices*: vel *in diebus, cum iudicarent iudices*. Aut *quo tempore iudicabant iudices*: ſeu *in diebus iudicare iudicum*; hoc eſt, iudicaturæ, recturæ, præſidatus iudicum. Quidam exponunt: *Cum iudicaret Deus*; id eſt, puniret iudices, nempe fame afficeret. Ridicule. FACTA EST FAMES, &c. Hebr. *Et fuit fames*. Quidam: *Accidit ut eſſet fames*.

V. 2. ELIMELECH. Exponitur, *Deus meus Rex*. Hebræi augurantur hunc fuiſſe fratrem Salmonis patris Bohazi. Fides penes ipſos. NOEMI. Hebr. נעמי *naghomi*, ſonat *amœna*, *iucunda*, *grata*, *accepta*, *ſuavis*, *pulchra*. Vide infra verſ. 20. MAHALON. מחלון *Machlon*. Licet interpretari *ægrotum*, *morboſum*, *doloroſum*; quod forte æger, & infirmus natus ſit; *chorizantem*, *choragum*. CHELION. Hebr. כליון *chilion*. Poſſis exponere *conſummatum*, *conſumptum*, *finitum*, augurio nominis brevi conſumptum. EPHRATHAEI, id eſt Bethlehemitæ, de Bethlehem Iudæ, ut mox exponitur. Ephrathah enim eſt ipſa Bethlehem, Geneſ. XXXV. verſ. 19. Vide ibi. Aliqui *Ephrathæos* exponunt, id eſt nobiles, prædivites, viros magnos, & præclaræ æſtimationis, a פרה *pharah*, *fructificare*, *creſcere*, *augeri*.

V. 4. ORPHA. Hebr. ערפה *ghorphah* ſignificat *cervicoſam*. RUTH. רות: exponunt *humectatam*, *irrigatam*, *inebriatam*, *ſaturatam*. Hebræi per metatheſim, תור *tor*, *turturem*.

V. 6. QUOD RESPEXISSET DOMINUS POPULUM SUUM. Hebr. *Quia viſitavit Iehovah populum ſuum*. In bonum hic verbum *viſitandi* ſumitur; id eſt, quod famem levaſſet, benigne, ac largiter proventum terræ & annonam dediſſet, ut ſtatim ſe exponit. Quidam: *Quia requiſivit Iehova populum ſuum*.

V. 8. CUM MORTUIS, nempe filiis meis maritis veſtris, cum viverent.

V. 10. ET DICERE: TECUM PERGEMUS AD POPULUM TUUM. Quidam reddunt: *Et dixerunt: Non abibimus, nam tecum revertemur ad populum tuum*; id eſt, revertentem proſequemur, & comitabimur; quaſi dicant: Adeo grata fuit noſtra tecum, & cum filiis tuis converſatio, ut iucundiſſimus, ſuaviſſimuſque conſpectus tuus, & beata illorum recordatio nos ad tuum populum amandum incitet.

V. 11. NUM ULTRA HABEO FILIOS? &c. nimirum per quos ſuſcitetur mortuis ſemen, ex lege Deuteronom. XXV. verſ. 5.

V. 12. IAM ENIM SENECTUTE CONFECTA SUM, NEC APTA VINCULO CONIUGALI. Hebr. *Quia ſenui de eſſe viro*. Quidam: *Senior enim ſum, quam ut nubam*. Alii: *Quoniam ſenior ſum, quam ut uxor ſim, vel fiam viro, ſeu marito*. ETIAM SI POSSEM HAC NOCTE CONCIPERE, ET PARERE FILIOS. Hebraicanos ordine verborum reddidimus (*Quia dixi, exiſtentia mihi expectatio, etiam fui nocte viro, etiam genui filios*.) Alii ſenſum ita: I. *Quin etiamſi dicerem*; id eſt, ſi hoc etiam reputarem: *Eſt adhuc mihi ſpes, etiam ſi nocte hac nuberem viro, atque etiam parerem filios*. II. *Etſi maxime dicerem: Spes*

mihi

mihi eſt, ut hac nocte nubam viro, ſimulque filios pariam. III. *Si dicerem: Eſt mihi ſpes, eſſem etiam hac nocte cum viro, aut etiam parerem filios*. IV. *Quod ſi dixero: Eſt mihi ſpes, etiam ſi fuerim hac nocte viro, atque etiam peperero viginti filios*. Notant, *Eſſe viro*, eſſe rem habere cum viro (Plautus: *Hac nocte fuit mecum:*) vel *nubere*, ut Numeror. ult. ſic infra verſ. 13.

V. 13. Si eos expectare velitis. Hebr. *An eis expectabitis?* להן *laken* formam habet femineam, unde quidam reddunt: *An propter hæc expectabitis?* Plerique poſitum aiunt pro להם *lahem*, *Num eos expectabitis?* vel *an propter eos expectabitis?* Sic ſtatim: Ante eritis vetulae quam nubatis. הלהן תעגינה לבלתי חיות לאיש *halahen theghagenah lebilti heioth leiſch*. Locum difficilem reddit ſignificatio futuri Niphal תעגינה *theghaghenah*, quod varie vertunt. I. *Numquid eis*, vel *propter eos, retardabimini, morabimini, retardabitis vos ipſas, ut non ſitis viro?* deducunt ab עגה עגן *ghaghah*, ſeu *ghaghan*. Ita Hebræorum plerique, Sanctes, Vatablus, Mercerus, Marinus, Schindlerus, Buxſtorfius, Hiſpanicus Interpres. II. *Numquid propter eos, clauſæ, concluſæ, incarceratæ eritis, ut non ſitis viro?* Ita Chaldæus, Sanctes, Pomarius, Montanus. III. *An propter eos ligabimini ad eſſe viris?* Ita Caietanus. IV. *An ſuperſtites*, vel *derelictæ eritis, nedum ut futuri ſint mariti?* vel *num vos ſuperſtites manebitis propter eos, quominus nubatis viris?* Ita Reuchlinus, & Leo Iudas. V. *An propter hæc*, nempe has conditiones, quas commemoravi verſu præcedenti, *differretis, ita ut non nuberetis cuiquam?* Ita Tremellius, & Iunius. VI. *An eos præſtolabimini, ut non ſitis viro?* Ita Druſius. VII. Alii derivant ab עוג *ghug*, *urere*: *Num illis*, vel *propter illos uremini, aduremini, aduſtulabimini abſque marito?* vel *quominus nubatis?* Ita Forſterus, & Avenarius. Et quidem Forſterus in hunc modum ſcribit: *In voce paſſiva* נעוג *naghog*, *Ruth* 1. *Num aduremini abſque marito? hanc meam expoſitionem contra omnium cum Gramaticorum, tum Interpretum ſententiam, & interpretationem approbat Divus Paulus Apoſtolus, qui in hunc locum reſpiciens*, I. *Corinth.* VII. *in hæc verba ſcribit: Dico autem inconiugatis & viduis, bonum eis eſt, ſi manſerint ut ego: quod ſi non continent, contrahant matrimonium: nam ſatius eſt nubere, quam uri. Verbum hoc Hebræum vertit etiam paſſive verbo Græco idem ſignificante, & in eadem etiam phraſi, & ſententia: nam & Naami dicit nuribus ſuis, ſatius eſſe ut revertantur in patriam ſuam, & ibi nubant, quam urantur*. Hæc ipſe. Quem carpit Mercerus his verbis: *Peccant in Grammaticam, qui ab ghugh deducentes, exponunt, uremini: etſi Paulum pro ſe afferant*, I. *Corinth. Præſtat connubio iungi quam uri. Sed cum id nulla ratione ferat res Grammatica, non immorabor in ea ſententia improbanda*. Mercero ſubſcribit Marinus. Ego interpretationem Forſteri piam, & congruentem exiſtimo: nec hic tanti facienda eſt recentior Hebræorum norma Grammaticæ. Quia vestra angustia magis me premit. Hebr. *Quia amaritudo eſt mihi valde præ vobis*, vel *pluſquam vobis*. Aliqui: *Nam alioqui plus ſatis doleo veſtri gratia*. Nonnulli: *Nam mihi multo amarius eſt, quam vobis*; id eſt, & ſi grave eſt quod deſeritis me, mihi adhuc moleſtius eſt vobis privari. Et egressa est manus Domini contra me. Quidam: *Quod manus Domini me divexavit, afflixit*. Alii: *Verum exeruit ſe contra me manus Iehovæ*; id eſt, non per me factum eſt ut vos deſererem; ſed divina voluntate, qua ego filiis, vos viris orbatæ eſtis. *Manus Domini*, pro efficacitate, operatione, ſeu plaga divina.

V. 14. Orpha osculata est socrum. Hebr. *Et oſculata eſt Ghorphah ſocrui ſuæ*; ſubaudi, manus, vel os, vel oſculum dedit: ſive oſculo dedito valedixit ei. Sic Geneſ. XXXI. verſ. 28. & I. Reg. XIX. verſ. 20. Quidam: *Et Horpa oſculata ſocrum ſuam*, abiit, vel reverſa eſt: quia non religione, ſed humanitate fuerat mota ad ſequendam ſocrum, ut oſtendunt verba Naghomi proxime ſequentia.

V. 15. Vade cum ea. Hebr. *Revertere poſt fratriam tuam*. Notant, hoc dicere, ut fidem eius exploret, fratriæ exemplo propoſito.

V. 16. Ne adverseris mihi. Heb. *Ne incurras in me*. Alii: *Ne roges me*. Quidam: *Ne obſtes: ne obſiſtas mihi*. Nonnulli: *Ne obviam eas mihi*. Aliqui: *Ne occurras in me*; id eſt, ne ores me, vel ſuadeas mihi.

V. 17.

Digitized by Google

V. 17. Haec mihi faciat Dominus, et haec addat. Quidam exponunt, quaſi dicant: Diſpeream ego, ſi non ſola mors, &c. vel hæc, immo multo graviore faciat mihi Iehova, ſi non, &c. Alii notant, eſſe formulam iurandi; quaſi dicant: Ita habeam Deum propitium. Ita me Deus adiuvet; ita me Deus amet, ut propoſitum eſt mihi manere apud te; quam niſi mors, nulla res a me divellet. Nonnulli obſervant, eſſe imprecandi formam, qua malum aliquod ſibi infligi & continuari veteres poſtulabant, ſi se..s quam dixerant, facerent: eſſe autem ubique apoſiopeſim mali, quod vel intelligebant, vel Dei iudicio committebant. Sic I. Samuel. xxv. 22.

V. 19. Velox apud cunctos fama percrebuit. Hebr. *Et conturbata eſt omnis civitas ſuper eas.* Futurum תהום *tehom* varie reddunt. I. *Et turbata, commota, eſt tota civitas propter eas.* Arbitrantur quidam ex hoc loco Matthæum cap. xxi. verſ. 10. eamdem phraſim uſurpaſſe, & vim verbi הים *him*, ab eius Interprete per Græcum ἐσείσθη redditam; id eſt, *commota eſt univerſa civitas, dicens: Quis eſt hic?* II. *Et tumultuata fuit tota urbs*, &c. III. *Et attonita fuit tota civitas.* IV. *Ut urbs tota ſtrepitu quodam illarum gratia commoveretur.* V. *Ut perſtreperet tota civitas de eis.* VI. *Ut confunderetur tota civitas ad eas.* VII. *Ut fuſe omnes cives accurrerent ad eas, ac dicerent.* Notionem verbi explicavimus Exodi xiv. verſ. 24.

V. 20. Ne vocetis me Noemi. Hebr. *Naghomi*, id eſt *amœnam, iucundam*, &c. Vide ſupra verſ. 2. Vocate me Mara, id est amaram. Notant translatum ab uno ſenſu ad alium, ut ſignificet horrentem ex triſtitia, & animi amaritudine, nempe triſtem, deſolatam, animi ægram.

V. 21. Quam Dominus humiliavit. Hebr. *afflixit, oppreſſit, deiecit.* Quidam ex altera verbi ענה *ghanah* ſignificatione reddunt: *Cum Dominus reſponderit, teſtificatus ſit, locutus ſit, in me*; id eſt, cum Dominus contra ſuis in me protellatus ſit operibus, me amœnam non eſſe.

V. 22. Venit ergo Noemi, &c. Quidam hunc verſum ita ex Hebræo convertunt: *Sic cum reverſa eſſet Nahomi, & Ruth Moabitis nurus eius cum ea, rediens ex agris Moabitarum; ingreſſæ ſunt Bethlechemum in principio meſſis hordeaceæ.* Illud, *Rediens*, exponunt, id eſt cum redeunte veniens, ut ſupra verſ. 10. & infra cap. ii. verſ. 6. & I. Samuel. xv. verſ. 26. Catachreſis.

* Subtili, & argutæ generationi.

MENOCHII.

Verſ. 1. In diebus unius iudicis. Qui fuerit iudex hic, non exprimit ſacer textus. Interpretes in varias abeunt ſententias. Alii Eli Pontificem, alii Abeſanem, alii Gedeonem, alii Barac, & Debboram, alii tandem Aod ſtatuunt. Certi nihil. Vide Serar. in cap. iv. Ruth quæſt. xviii. Facta est fames in terra. Chaldæus, *In terra Iſrael.* Tenuit autem fames hæc annos decem, ut ex num. 4. ſequenti colligunt auctores, nec ex cauſis naturalibus orta, ſed ad plectenda Iſraelitarum peccata, qui iudicum tempore frequenter in idololatriam labebantur. Ita cenſent paſſim loci huius Interpretes. In regione Moabitide: quæ eſt terræ ſanctæ ad orientem, tranſito Iordane.

V. 2. Ipse vocabatur Elimelech, quæ vox *Deus Rex*, vel *Dei Rex*, vel *Dei mei Rex*, ſignificat. Aiunt Rabbini fuiſſe Elimelech fratrem Salmonis illius, qui cum Ioſue promiſſam terram ingreſſus eſt, ideoque & Nahaſſonis, de quo infra cap. iv. num. 16. filium. Uxor eius Noemi: quod nomen ſignificat pulchram, ſuavem, & amœnam. Rabbini docent, fuiſſe eam Nahaſſonis in Iudæ tribu Principis neptem, filiamque fratris Salmonis, de quo infra cap. iv. Mahalon: quæ vox ſignificat ægrum, infirmum, aut qui chorum agitat, & fiſtulam inflat. Chelion, aut conſummatum, & perfectum ſignificat, aut eum qui totus columbinus eſt. Ephrataei de Bethlehem Iuda. Non una tantum erat Bethlehem, ut ſupra etiam dixi Lib. Iud. cap. xvii. numer. 7. Ut ergo intelligatur ſermonem eſſe de Bethlehem tribus Iudæ, additur vox *Ephratæi*, & vox *Iuda*: nam hæc Bethlehem etiam Ephrata dicebatur, ut patet ex Gen. xxxv. & xlviii. I. Paralip. ii. & iv. Michæ v. & hoc libro Ruth cap. iv. num. 11.

V. 4. Una vocabatur Orpha, altera vero Ruth. Orpha Chelion uxor fuit, Ruth vero Mahalon, ut patet ex cap. IV. numer. 10. cum ait Booz: *Ruth Moabitidem, uxorem Mahalon, in coniugium ſumpſi*. Orpha poteſt exponi *cervicoſa*, vel *ore nudata*, & *excitata*; Ruth *madefacta*, vel *irrigata*, metaphorice vero *inebriata*, vel *ſaturata*. Aliqui peccaſſe putant par hoc fratrum gentiles uxores ducendo, patriis erroribus non abiuratis, ut colligitur ex num. 15. ſeq. & docet Serar. quæſt. XI. Idem tamen Serarius eos excuſat neceſſitate, quod Iſraelitidas ibi ducere non poſſent. Idem docet Rupertus Lib. I. in Matth.

V. 5. Ambo mortui sunt, nullis relictis: quod licet Scriptura non expreſſerit, tamen ex tota narratione colligitur. Vide Serar. quæſt. XIV.

V. 7. Egressa est cum utraque nuru. Ad aliquam itineris partem abeuntes amicos proſequi humanitatis ſemper fuit. Geneſ. XVIII. 16. cap. XXXI. 27. Actorum XX. 38. Rom. XV. 24. At iſtæ duæ nurus ſocrus ſuæ prudentia, & ſuavitate ductæ Bethlehem uſque comitari, & apud illam eſſe perpetuo volebant.

V. 8. Ite in domum matris vestrae. Ita loquitur, vel quia patre carebant, vel quia filiæ cum matribus & frequentius, & ſuavius verſantur, vel quia feminæ in gynecæo ſeorſim a viris habitabant, filiæ cum matribus, & ſororibus, &c. Misericordiam sicut fecistis cum mortuis. *Miſericordiam facere*, eſt bene facere. Fecerant miſericordiam duæ iſtæ Moabitides cum viris ſuis: 1. illis peregrinis nubendo, & cum illis placide & officioſe convivendo; 2. poſt mortem iuſta funeris curando, eorum memoriam retinendo, & celebrando, & illorum etiam amore cum Noemi perpetuum vivere ſtatuendo.

V. 9. Invenire requiem in domibus virorum, &c. ut ſcilicet immunes ſint a moleſtiis, litibus, querelis, laboribus, lacrymis, quæ coniugia comitari ſolent: propter quam cauſam ſanctus Paulus *tribulationem carnis* habere coniugatos affirmat, I. Corinth. VII. 28. Habent etiam requiem uxores, viris rem familiarem curantibus, & negotia tractantibus, quæ ad tuendam familiam pertinent, quo præſidio deſtitutæ viduæ magnis curarum & moleſtiarum fluctibus agitantur.

V. 11. Num ultra habeo filios in utero meo? &c. Sumitur ratio hæc ex ea lege quæ ante Moſen fuit, Gen. XXXVIII. 11. & 14. & quæ ante Moſen poſtea ſancita eſt Deuter. XXV. 5. ut ſcilicet fratres fratrum, qui abſque liberis deceſſiſſent, uxores ducerent, fratribuſque mortuis ſemen ſuſcitarent.

V. 13. Angustia vestra magis me premit: valde angor, quod diſceſſum hunc meum adeo ægre feratis, ac propterea a me divelli nolitis: dolor veſter, quia impenſe vos amo, me valde cruciat. Egressa est manus Domini contra me. Ad alias moleſtias, quibus me Dominus exercuit, hæc etiam addita eſt, ut a vobis diſcedere, & veſtra carere conſuetudine cogar.

V. 15. Ad populum suum, et ad Deos suos. Ex quo patet, idololatriæ deditam Orpham Iudaica ſacra numquam ſuſcepiſſe.

V. 16. Deus tuus Deus meus: patriæ ſuperſtitioni valefaciam, tibique adhærebo.

V. 18. Obstinato animo: in bonam partem ſumitur, pro conſtanti voluntate. Nec ad suos ultra reditum persuadere. Suaſerat ut manerent urbanitatis cauſa, ne ſineret eas patriam, propinquos, amicos, & natos ſua cauſa relinquere. Et ſi forte ipſæ ſignificaverant ſe Iudaica ſacra ſuſcepturas, voluit earum experiri conſtantiam, verita ne poſtea cum ſuo mærore, & dedecore a recta religione deficerent. Cognita ergo Ruth voluntate conſtanti, non amplius ſuadet ut redeat.

V. 19. Venerunt in Bethlehem. Si ex Petra Moabitidis urbe, quam multi, & graves auctores Ruth patriam fuiſſe volunt, venerunt, iter ferme erat quatridui, plures poſuiſſe credibile eſt imbecilles feminas, cum præſertim Noemi iam eſſet anus. Velox apud cunctos fama percrebuit. In Hebr. eſt, *Reſonuit tota urbs*. Haec est illa Noemi. Dicebant hoc, vel cum gaudio, & gratulatione, vel cum admiratione, & contemptu, quod ad paupertatem eſſet redacta.

V. 21. Egressa sum plena, et va-

VACUAM REDUXIT ME DOMINUS. Vacuam ſe appellat, quia mortuus maritus, extincti filii, ipſa ad paupertatem redacta.

V. 22. QUANDO PRIMUM HORDEA METEBANTUR. Quæ meſſis in Palæſtina fieri ſolet menſe Niſan, qui reſpondet partim martio noſtro, partim aprili.

T I R I N I.

Verſ. 3. VEteres Rabbini, B. Iſidorus, Abulenſis, Eugubinus, Arias, Genebrardus, Driedo, Sixtus Senenſis *a*, Fevardentius, & Serarius faciunt huius libelli auctorem Samuelem, quod vellet, poſteris conſtare de Davidis a ſe in Regem uncti proſapia, ſimulque & Chriſti ex Davide orituri. Recenſet autem hic patrem, avum, & proavum Davidis, puta Ieſſe, Obed, & Booz. Cuius parens cum fuerit Salmon, & hic cum Ioſue, & reliquis Iſraelitis ingreſſus ſit terram ſanctam; ſubducto temporum calculo, dicendum videtur, hanc Ruth hiſtoriam contigiſſe ſub tempora Barac, & Debboræ, ut colligunt Abulenſis, Vigeneræus, Torniellus, & Funccius. Vel potius ſub Abimelecho tyranno, ut optime probat Salianus, qui cum Lyrano, Genebrardo, Catharino, Ianſenio Rabbinis, & aliis citatis a Serario *b*, tres dicit ſibi mutuo ſuccedentes eodem nomine Booz vocatos fuiſſe.

V. 4. UXORES MOABITIDAS Moabitis eſt Arabiæ pars, teſte Plinio *c*: cuius metropolis Hebraice *Selha*, Græce, & Latine *Petra* vocabatur, quod rupibus ac præcipitiis extrorſum muniretur. Eam hodiernam eſſe Turcarum Mecham opinatur Bellonius *d*, ab ea metropoli nomen regioni toti fuit *Arabia Petræa*. Ex hac urbe Petra Ruth, & Orpham oriundas fuiſſe affirmant quos citat Abulenſis *e*, Vatablus, Arias, qui proinde cum S. Hieronymo, illud Iſaiæ XVI. verſu I. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de Petra deſerti*, explicant de noſtra Rutha, quæ oriunda ex urbe Petra produxit Obed avum Davidis, & Chriſti.

Petes, an filii Noemi potuerint ſine peccato uxores ducere Moabitidas in idololatria perſeverantes, ut has perſeveraſſe colligitur ex verſ. 15. Reſpondeo, cum Ruperto Tuitienſi *f*, illos non lege, ſed neceſſitate excuſatos fuiſſe a peccato. Iuvenes erant: ætatis fervor, proliſque amor coniugium ſuadebant: & in peregrino ſolo Iſraelitides nullæ, ſed ſolæ Moabitides. Et ſperare poterant, ſucceſſu temporis ad Iudaicam religionem converſum iri.

V. 11. REVERTIMINI FILIAE MEAE. Non iubet, ſed ſolum ex urbanitate id eis liberum eſſe vult; quaſi dicat: Nolo, mea unius cauſa, e ſolo patrio, e domibus, a parentibus, ab amicis, & notis in alienam terram ad alienos, & ignotos emigretis, & pauperiem, liberorum orbitatem, & alios caſus, qui peregrinantibus, ac inopibus comites eſſe ſolent, ſubire cogamini. Nolo etiam, mea ſolius cauſa religionem mutetis, ne forte malorum, quæ Iudaicam fidem amplexis, ſed minus in ea conſtantibus, evenire ſolent, ignaræ, & ſcandalum aliis, & vobis exitium, & mihi probrum creetis. Ita Abulenſis, Caietanus, & Serarius.

V. 21. EGRESSA SUM PLENA, ſcilicet liberis, marito, nummis, vigore, pulchritudine, honore, gratia, & favore. His omnibus iam VACUAM REDUXIT ME DOMINUS. Pia matrona pie admodum vacuitatis, ſeu orbitatis omnis ſuæ, Deum (a quo omnia pendent) auctorem agnoſcit: ideoque, ut decebat, æquo animo, patienter, atque hilariter fert omnia.

(*a*) Iſidor. cap. XI. de Offic. Eccl. Abul. hic cap. IV. quæſt. lxxxVIII. Eugub. Fevard. Serar. hic. Arias in cap. V. Iſaiæ Genebr Lib. I. Driedo Lib I. de Catalog. S. Script. cap. III. Sixtus Sen. Lib. I. Bibliot.

(*b*) Salian. anno mundi 1741. Catharin. Lib. cont. Caiet. Ianſen. cap. VI. Concordiæ. Serar. in cap. IV. quæſt. XIX.

(*c*) Plin. Lib. V. cap. XI. & XXIV.

(*d*) Bellon. Lib. II. cap. LIII. & Lib. III. cap. I.

(*e*) Abul. quæſt. XIX.

(*f*) Rupert. Lib. I. in Matth.

G O R D O N I.

Verſ. 4. QUid hoc capite contineatur, ſatis iam expreſſum eſt. Ruth fuit ex ea Arabiæ Petreæ regione, quæ Moabitis dicta eſt: regio dicta Moab. Adricho. in Ruben, Num. LI. Immo ex Petra urbe oriunda Ruth putatur. Ex qua etiam urbe Arabia dicta eſt Petrea, & quam urbem aliqui nunc dicunt eſſe Mecham Turcarum. Sic nec dubium eſt quin Orpha quoque fuerit Arabiſſa, & Moabitis. An hæc coniugia fuerint licita certatur. At conſtat licuiſſe, ſi mulier illo ab

Xxx 2 ido-

idololatria diſcedere voluit (ut factum eſſe, non eſt improbabile) & aliqua urgebat neceſſitas: utraque cauſa hic adfuiſſe videtur. Sane verſ. 16. Ruth Arabiſſa ſic loquitur: *Deus tuus Deus meus*.

Verſ. 20. Ne vocetis me Noemi. LXX. habent νοέμιν. Ioſephus εὐτυχίαν: vertit noſter Interpres *pulchram*, *ſuavem*: ſic Gen. IV. 21. filia Lameth Noema. Hebr. נעמי *nahhomi*, נעם, *amœnum eſſe, iucundum.* Vocate me Mara. מרר, *amarum eſſe*; מר, *amarus*; מרה, *amaritudo*.

Ex Eiusdem Auctario.

V. 1. An fames hæc duraverit per decennium (quamvis Noemi per decennium abfuerit, ex verſ. 4.) non poteſt manifeſte colligi. *Moab* eſt trans Iordanem ad orientem terræ ſanctæ.

V. 4. Uxores Moabitidas. Hoc aliqui excuſant a peccato propter neceſſitatem, cum ibi non eſſent ullæ ex ſtirpe Iuda.

V. 8. *Facere miſericordiam*, hic eſt bene ſe gerere, & officioſe.

V. 11. Num ultra? &c. Reſpicit ad legem Moſaicam, Deuter. XXV. 5. ut frater fratris defuncti uxorem accipiat.

V. 22. Hæc meſſis ibi inciderat in Niſan menſem Iudaicum: nobis eſt fere martius.

C A P U T II.

Ruth ſpicas in agro Booz aſſinis colligens, gratiam apud eum invenit, & læta veſperi ad ſocrum reverſa, multum frumenti & de ciborum reliquiis ei affert.

1. ERat autem viro Elimelech conſanguineus, homo potens,
& magnarum opum, nomine Booz. 2. Dixitque Ruth
Moabitis ad ſocrum ſuam: Si iubes, vadam in agrum,
& colligam ſpicas, quæ fugerint manus metentium, ubicumque
clementis in me patris familias repercero gratiam.
Cui illa reſpondit: Vade filia mea. 3. Abiit itaque & colligebat
ſpicas poſt terga metentium. Accidit autem ut ager
ille haberet dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech. 4. Et
ecce, ipſe veniebat de Bethlehem, dixitque meſſoribus: Dominus vobiſcum. Qui
reſponderunt ei: Benedicat tibi Dominus. 5. Dixitque Booz iuveni, qui meſſoribus
præerat: Cuius eſt hæc puella? 6. Cui reſpondit: Hæc eſt Moabitis, quæ
venit cum Noemi, de regione Moabitide, 7. & rogavit ut ſpicas colligeret remanentes,
ſequens meſſorum veſtigia: & de mane uſque nunc ſtat in agro, &
ne ad momentum quidem domum reverſa eſt. 8. Et ait Booz ad Ruth: Audi
filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco:
ſed iungere puellis meis, 9. & ubi meſſuerint, ſequere. Mandavi enim pueris
meis, ut nemo moleſtus ſit tibi: ſed etiam ſi ſitieris, vade ad ſarcinulas, & bibe
aquas, de quibus & pueri bibunt. 10. Quæ cadens in faciem ſuam & adorans
ſuper terram, dixit ad eum: Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante
oculos tuos, & noſſe me dignareris peregrinam mulierem? 11. Cui ille reſpondit:
Nuntiata ſunt mihi omnia quæ feceris ſocrui tuæ poſt mortem viri tui:
& quod reliqueris parentes tuos, & terram in qua nata es, & veneris ad populum,
quem antea neſciebas. 12. Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam
mercedem recipias a Domino Deo Iſrael, ad quem veniſti, & ſub cuius

con-

Digitized by Google

confugiſti alas. 13. Quæ ait: Inveni gratiam apud oculos tuos, domine mi, qui
conſolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non ſum ſimilis unius
puellarum tuarum. 14. Dixitque ad eam Booz: Quando hora veſcendi fuerit,
veni huc, & comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque
ad meſſorum latus, & congeſſit polentam ſibi, comeditque & ſaturata eſt, &
tulit reliquias. 15. Atque inde ſurrexit, ut ſpicas ex more colligeret. Præcepit
autem Booz pueris ſuis, dicens: Etiamſi vobiſcum metere voluerit, ne prohibea-
tis eam: 16. & de veſtris quoque manipulis proiicite de induſtria, & remanere
permittite, ut abſque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat. 17. Colle-
git ergo in agro uſque ad veſperam: & quæ collegerat virga cædens & excu-
tiens, invenit hordei quaſi ephi menſuram, id eſt tres modios. 18. Quos por-
tans reverſa eſt in civitatem, & oſtendit ſocrui ſuæ: inſuper protulit, & dedit
ei de reliquiis cibi ſui, quo ſaturata fuerat. 19. Dixitque ei ſocrus ſua: Ubi
hodie collegiſti, & ubi feciſti opus? ſit benedictus qui miſertus eſt tui. Indicavit-
que ei apud quem fuiſſet operata: & nomen dixit viri, quod Booz vocaretur.
20. Cui reſpondit Noemi: Benedictus ſit a Domino: quoniam eamdem gratiam
quam præbuerat vivis, ſervavit & mortuis. Rurſumque ait: Propinquus noſter eſt
homo. 21. Et Ruth, Hoc quoque, inquit, præcepit mihi, ut tamdiu meſſoribus
eius iungerer, donec omnes ſegetes meterentur. 22. Cui dixit ſocrus: Melius eſt,
filia mea, ut cum puellis eius exeas ad metendum, ne in alieno agro quiſpiam re-
ſiſtat tibi. 23. Iuncta eſt itaque puellis Booz: & tamdiu cum eis meſſuit, donec
hordea & triticum in horreis conderentur.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. SI IUBES. Additum id ab Interprete.

V. 13. PUELLARUM. Hebr. & Chald. *ancillarum*.

V. 14. IN ACETO. Chald. *in pulmento cocto in aceto*. CONGESSIT POLENTAM SIBI, id eſt far toſtum. Hebr. *Porrexit ei* (ſcilicet *ipſe Booz*, ut dicunt LXX.) *toſtum*, ſcilicet far. TULIT RELIQUIAS. Hebr. Chald. & LXX. *Reliquit*; quaſi dicat: Et ſuperfuit etiam, ſcilicet quod ſecum ferret.

V. 15. VOBISCUM METERE VOLUERIT. Hebr. Chald. & LXX. *inter manipulos collegerit*.

V. 17. MODIOS, id eſt ſata.

V. 20. GRATIAM. Hebr. & LXX. *miſericordiam*. Chald. *bonitatem*.

ESTII.

Verſ. 12. ET PLENAM MERCEDEM ACCIPIAS A DOMINO DEO ISRAEL. Alii vertunt *perfectam*, alii *ſolidam*.

V. 17. & 18. INVENIT HORDEI QUASI EPHI MENSURAM, ID EST TRES MODIOS. QUOS PORTANS REVERSA EST. Sed qui fieri poteſt ut mulier portaverit tres modios hordei, cum uni modio ferendo apud nos vir fortis non ſufficiat? Reſpondeo: Hebr. tantum legitur: *Et fuit circiter epha hordei*: cetera ab Interprete adiecta ſunt. Epha autem, vel ephi menſura, erat quæ in cibum ſufficeret uni homini ad decem dies. Nam decima pars ephi, ut patet Exod. XVI. de manna ſufficiebat in unum diem. Unde patet, ephi fuiſſe menſuram nullo modo comparandam cum noſtro modio, quippe cum noſter modius ſufficere poſſit uni homini ad ſpatium ſex menſium, & amplius.

MARIANAE.

Verſ. 1. ERAT AUTEM VIRO ELIMELECH CONSANGUINEUS. Hebr. *notus*: ſic vocantur *conſanguinei*,

quo-

quoniam omnes illi inter ſe cognoſcunt: quomodo Latine etiam *cognati* vocantur a *cognoſcendo*, quaſi *cogniti*. Sept. & Chald. *notus*, ſeu *cognitus* poſuere. Ruth ad Noemi:

V. 2. SI IUBES. Additum ab Interprete. Hebr. eſt, *Vadam obſecro in agrum*. Hieronymus pro *obſecro*, poſuit *ſi iubes*. Septuag. *iam*, Chald. *nunc*. Vox נא *na* hæc omnia ſignificare poteſt. Rogat Booz quæ illa eſſet. Reſpondent eſſe nurum Noemi.

V. 7. ET NE AD MOMENTUM QUIDEM DOMUM REVERSA EST. Hebr. *Hoc manere eam in domo parum*; id eſt, ne ad momentum domum diſceſſit: quod Hieronymus expreſſit aliis verbis. Pagn. *Stetit a mane uſque nunc; excepta modica eius in domo ſeſſione*. Id ſequitur Chald.

V. 8. AUDI FILIA. Hebr. *Nonne audiſti filia mea?* Videtur ordo inverſus, ac dixiſſe prius: *Ne vadas in alterum agrum*, &c. poſt addidiſſe: *Nonne audiſti filia mea?* ſic Hebræus.

V. 9. BIBE AQUAS. Hebr. non eſt vox *aquas*, ſed illud, *Bibe ex quo hauriunt pueri*. Sept. *unde aquantur pueri*. Chald. *ex aqua quam impleverunt pueri*, id eſt adduxerunt. Reddat tibi Deus,

V. 12. SUB CUIUS CONFUGISTI ALAS. *Ala* ſumitur pro *umbra*, & *protectione*.

V. 13. INVENI GRATIAM. Hebr. *inveniam*; quaſi dicat: Ita gratiam tuam conſequar, ut me conſolatus es. Forma iurandi. UNIUS PUELLARUM TUARUM. Hebr. & Chald. *Ancillarum tuarum non ſum ſimilis*.

V. 14. INTINGE BUCCELLAM TUAM IN ACETO. Chald. *in pulmento coćto in aceto*. CONCESSIT PULMENTUM SIBI. Hebr. *Et dedit ei* (ſcilicet Booz) *toſtum triticum*, ſive *polentam*. ET TULIT RELIQUIAS. Hebr. *Et reliquum fecit*, ſcilicet ſuperfuit. Booz ad meſſores:

V. 15. ETIAMSI VOBISCUM METERE VOLUERIT. Hebr. *Etiam inter manipulos colligat*: ſic Sept. & Chald.

V. 17. QUASI EPHI MENSURAM collegit. Quod ſequitur, ID EST TRES MODIOS, id addidit Interpres, & bene. Nam *ephi* tria ſata continet, ut Hebræus ait: tum Chald. & hic, & fere ſemper pro *ephi* ſubſtituit *tria ſata*. Levit. v. verſ. 11. & vi. verſ. 20. Num. v. verſ. 15. Iſai. v. verſ. 10. Porro *ſatum* modium continet, quæ eſt verior ſententia quam illorum qui dicunt capere modium & ſemiſſem. Ita Hieronymus bene dixit: *Ephi, id eſt modios tres*. Modius autem duos noſtros celemines capit. In Gotth. non eſt illud, *Id eſt tres modios*. Noemi de Booz ait:

V. 20. GRATIAM. Hebr. *miſericordiam*: ſic Sept. Chald. *Bonitatem ſuam non deſerit cum vivis & cum mortuis*. PROPINQUUS NOSTER EST HOMO. Hebr. *Propinquus nobis vir* (ſcilicet eſt) *ex redemptoribus ipſe*. Propinqui ſuccedebant in iura defunćti, ſed ſimul vindicare eos tenebantur, & ſemen ſuſcitare: ideo *propinqui* vocantur *redemptores*.

MALVENDAE.

Verſ. 1. BOOZ. Hebr. בֹּעַז *Bozhaz*. Licet interpretari, *In eo obfirmatio, robur, fortitudo*.

V. 3. ACCIDIT AUTEM. Hebræa varie convertunt: 1. *Et evenit eventus eius*; 2. *Et accidit accidens eius*; 3. *Et occurrit occurentia eius*; 4. *Et forte fortuna incidit*; 5. *Accidit caſus eius*. Enallage, pro & accidit caſu ei; id eſt, ipſe hac de re nihil cogitante, ſed Deo pro ipſa.

V. 7. ET ROGAVIT UT SPICAS COLLIGERET, &c. Hebr. *Et dixit: Legam, quæſo, & colligam nunc, & congregabo in manipulis*, &c. Sunt hic duo verba Hebraica ſynonima, nec magis inter ſe differentia quam Latinis *colligo*, & *congrego*. ET NE AD MOMENTUM QUIDEM DOMUM REVERSA EST. Hebr. *Iſtud ſedere*, vel *manere, eam*, ſeu *eius, in domo, paucum*. Alii varie exprimunt: 1. *Hoc ſedere eius domi, parum*: 2. *Iam manſio eius in domo, paululum eſt*: 3. *Hæc ſeſſio ipſius in domo, paululum*: 4. *Modo ſedet domi paululum*: 5. *Ideo ſedet domi paululum*. 6. *Ob hanc cauſam tam parum domi ſedet*. 7. *Manſio ipſius, domi parum*, ſubaudi manet: 8. *Quod enim domi ſedet, perpuſillum eſt*: 9. *Quod ſedit in tuguriolo, perpuſillum eſt*. 10. *Modo ſedit paulipſer domi ſuæ*. Senſus eſt: Tota die ſpicilegium facit in agro, & domi ſuæ, aut in tuguriolo, parum manet.

V. 9. MANDAVI ENIM PUERIS MEIS. Hebr. *An non præcepi pueris?* &c.

Gra-

Graviſſimum genus affirmandi familiare Hebræis, per interrogationem. Sic ſupra verſ. 8. Vide Ioſue I. verſ. *9.*

V. 12. ET PLENAM MERCEDEM RECIPIAS A DOMINO, &c. Hebr. *Et erit merces tua integra*, ſeu *perfecta a Iehovah*; hoc eſt, plane fidem tuam, qua ad ipſum confugiſti, cumulatiſſime munerabitur Deus. AD QUEM VENISTI, ET SUB CUIUS CONFUGISTI ALAS. Hæbræa varie redduntur. I. *Quæ veniſti ad ſperandum ſub alis eius*; id eſt, ut ſub alis eius tuta degeres. II. *Ad recipiendum te ſub alis eius*. III. *Quod ſub alas eius veniſti ut te obtegeres*. Metaphora a pullis avium. Quidam ad alas Cherubinorum propitiatorii reſpectum putant. Simplicius eſt ut ſit figurata locutio: *Quæ veniſti, ut te reciperes ſubter alas eius*; id eſt, ut in eius umbra & præſidio eſſes, ut te reciperes in eius clientelam. Vide infra cap. III. verſ. *9.*

V. 13. INVENI GRATIAM APUD OCULOS TUOS, &c. Quidam reddunt: *Invenio gratiam in oculis tuis, domine mi, quod conſolatus es me, & quod locutus es quæ ſunt cordi ancillæ tuæ: at ego non ſum futura ut una ancillarum tuarum*; quaſi dicat: Satis gratiæ inivi apud te, dum me humaniter conſolatus es, & verbis tuis confirmaſti: indignum eſſet me accipere abs te beneficium etiam illud, quod domeſticorum tuorum proprium eſt, ſupra verſ. *9.* ET LOCUTUS EST AD COR ANCILLAE TUAE. Vide de hac locutione Geneſ. XXXIV. verſ. *3.*

V. 14. QUANDO HORA VESCENDI FUERIT. Hebr. *ad tempus cibi*; id eſt, quando ipſe cum operariis cibum ſumpturus eſſet. IN ACETO. Quidam putant fuiſſe oxycratum, ſeu poſcam, aut embamma; vel pulmentum, aut pulmentarium aceto conditum, & confectum, idque factum propter æſtum: nam *aceto ſumma vis eſt in refrigerando*, inquit Plinius Lib. XXIII. cap. I. ET CONGESSIT POLENTAM SIBI. Hebr. *Et porrexit ei toſtum*: quidam, *ariſtas toſtas*: alii, *far toſtum*: nonnulli, *farinam toſtam*. Quid ſit קלי *kali* expoſuimus Levit. XXIII. 14. Verbum, *Porrexit*, referunt vel ad Boozum, vel ad aliquem ex pueris, ſeu famulis, qui aderant. Quidam vertunt: *Et porrecta fuit ei polenta*.

V. 15. ETIAMSI VOBISCUM METERE VOLUERIT. Hebr. *Etiam inter manipulos colliget*; id eſt, inter faſces manipulorum. Quidam: *Etiam in manipulis*, vel *de manipulis colliget*. Aliqui: *Etiamſi inter acervos ipſos colligat*. NE PROHIBEATIS EAM. Hebr. *Et non ignominia afficietis eam*. Quidam: *Neque pudore afficietis eam*; id eſt, ne prohibete eam. Qui enim prohibent, aut negant, faciunt ut petentes rubore ſuffundantur. Aliqui: *Ne pudefacite eam*; id eſt, ne reprehendite eam, quod pudori eſſet honeſtæ feminæ. Sic Iudicum XVIII. 7. Nonnulli: *Ne pudefacite eam*; id eſt, nolite ei exprobrare pauperiem, aut viduitatem, vel etiam ſterilitatem, aut quod orbata ſit marito: in ſumma, ne afficite illam ulla ignominia, ſive dicto, ſive facto; ut ſolent meſſores, & operarii in feminas, petulantiores voces iacere.

V. 16. ET DE VESTRIS QUOQUE MANIPULIS PROIICITE DE INDUSTRIA. Varie hunc locum ex Hebræo transferunt. I. *Et etiam dimittendo dimittite ei de manipulis*. II. *Et etiam ſolvendo ſolvetis ei de faſciculis*. III. *Et etiam porrigendo porrigite ei de manipulis*. IV. *Quin & de induſtria ei tranſmittite ex manipulis*. V. *Atque etiam extrahendo extrahite ei de mergitibus*. VI. *Et etiam deſpoliando deſpoliabitis ei de manipulis*; id eſt, detrahetis ex manipulis. VII. *Et etiam exſpoliando, exſpoliabitis ipſi de manipulis*; id eſt, relinquetis ipſi ſpolium, ſpicas ſcilicet, quas colligat. VIII. *Atque etiam de induſtria omittite ei ex faſciculis manualibus*.

V. 17. INVENIT HORDEI QUASI EPHI MENSURAM, ID EST TRES MODIOS. Capiebat *ephah* quantum contineri poteſt quadringentis triginta duobus putaminibus ovorum, ut oſtendimus in Exodi XVI. verſ. *36.*

V. 18. DE RELIQUIIS CIBI SUI, QUO SATURATA FUERAT. Hebr. *Quod reliquum fecerat de ſaturitate ſua*; id eſt, quod de prandio ſuo reliquerat ſaturata. Quidam: *Et id quoque, quod refecta reliquum fecerat*. Alii: *Quod reliquum fecerat, ex quo ſaturata fuerat*. Vide ſupra verſ. 14.

V. 19. ET UBI FECISTI OPUS? Heb. ſimpliciter, *Et ubi feciſti?* ſed *facere* ſimpliciter, pro facere opus, recte intelligi-

tur.

Digitized by Google

tur, ut Matth. xx. 12. *Hi noviſſimi una hora fecerunt*. QUI MISERTUS EST TUI. Hebr. *Cognitor tuus*, id eſt curator tuus, qui tui rationem habuit, benefactor tuus.

V. 20. QUONIAM EAMDEM GRATIAM QUAM PRAEBUERAT VIVIS, SERVAVIT ET MORTUIS. Hebr. *Qui non dereliquit pietatem ſuam cum vivis, & cum mortuis*. Quidam exponunt: Qui clementer egit non ſolum cum viventibus, ſed etiam cum mortuis ſuis: qui non deſtitit a clementia ſua ſolita tam erga viventes ipſos, quam erga mortuos illos. Alii: *Ut qui non deſiſtit exercere benignitatem ſuam erga vivos, & erga mortuos*; id eſt, erga nos, & erga mortuorum noſtrorum recordationem in nobis. Sed præſtat Noſtri ſenſus, ut dicat, Boazum pietate uſum olim erga Elimelechum & filios eius dum viverent, & memoriæ quoque eorum iam mortuorum nunc gratificari, collata benignitate in Rutham, & Noamim. PROPINQUUS NOSTER EST HOMO. Heb. *Propinquus nobis eſt vir: de redemptoribus, vindicibus, aſſertoribus, noſtris ipſe*, vel *eſt*; id eſt, ex eis ad quos pertinent vindiciæ, ſive ius redimendi hereditates noſtras, & ſemen ſuſcitandi, Levit. xxv. verſ. 25. & Deuteron. xxv. verſ. 5. Alii reddunt: *Propinquus noſter eſt vir ille, ac de cognatis noſtris ipſe*.

V. 21. HOC QUOQUE PRAECEPIT MIHI. Hebr. *Etiam quia dixit ad me*. Quidam: *Etiam certe dixit mihi*. Alii: *Locutus eſt inſuper ad me*. Aliqui: *Quin etiam mihi dixit*. Nonnulli volunt eſſe elegantem ellipſim, ac ſupplendam vocem *benedictus* ex antecedente verſu: *Etiam benedictus, quia edixit mihi*. UT TAMDIU MESSORIBUS EIUS IUNGERER. Hebr. *Cum pueris, qui mihi ſunt, hærebis*. At ſupra verſ. 8. dicit: *Et hic adhærebis cum puellis meis*: quia in agro & pueri, & puellæ Boazi erant, & utriſque adiungi Rutham voluit Bohaz; pueris meſſoribus, & puellis ſpicilegium facientibus, aut certe etiam metentibus, vel faſciculos colligantibus.

V. 22. MELIUS EST, FILIA MEA, UT CUM PUELLIS EIUS EXEAS AD METENDUM, NE IN ALIENO AGRO QUISPIAM RESISTAT TIBI. Nos Hebræa verbis totidem reddidimus (*Bonum, filia mea, quia exibis cum excuſſis eius, & non incurrent in te in agro alio.*) Alii ſic. I. *Bonum eſt, filia mea, quod egrederis cum puellis eius, ne occurant tibi in agro alio*; id eſt, honeſtum eſt, placet, quod egrederis ad colligendum cum puellis eius, ne in te irruant, vel adverſi ſint tibi metentes in agro alio. II. *Bonum eſt, filia mea, quod exeas cum puellis eius, & non obviabunt in te in agro alio*. III. *Placet, filia mea, quod cum puellis eius egrederis, ne quis tibi in agro alio obſtet*. IV. *Bonum eſt, filia mea, ut exeas cum puellis eius, ac non adverſi ſint tibi metentes in agro altero*. V. *Bonum eſt, filia mea, ut exeas cum puellis eius, & non obverſentur*, ſeu *adverſentur tibi, in agro alio*.

V. 23. ET TAMDIU CUM EIS MESSUIT. Reprehendunt Noſtrum quod *meſſuit* dixit, cum Hebraice ſit *ad colligendum*: aliud enim eſt metere, aliud ſpicilegium facere, quod hic dicitur. Sed id ridiculum: nam cathachriſtice recte *metere* dixit pro *colligere*, cum utrumque ſimul fieret, & tamdiu utrumque duraret. DONEC HORDEA ET TRITICUM IN HORREIS CONDERENTUR. Hebræa addunt hic: ותשב *vatteſcheb ad ſocrum ſuam*, a ישב *iaſchab*; id eſt, *& ſedit, manſit, habitavit apud ſocrum ſuam*, vel *cum ſocru ſua*. Quidam. *Deinde manſit apud ſocrum ſuam*. Alii: *Ceterum apud ſocrum ſuam verſabatur*. Alii legunt ותשב *vattaſchab*, a שוב *ſchub*: *Et reverſa fuit ad ſocrum ſuam*: quod inſtituto videtur magis congruere, ut Noſter initio capitis ſequentis annexuit.

MENOCHII.

Verſ: 1. ELIMELECH CONSANGUINEUS. Quomodo Booz fuerit eius conſanguineus, non expreſſit Scriptura. Rabbi Ioſue citatus a Serario quæſt. 1. ait, Elimelech, Salmon, & Iob fratres fuiſſe, Booz autem filium fuiſſe Salmon fratris Elimelech: hic ergo patruus; Booz vero ex fratre nepos. Quod Rabbinus hic docet, ait Serarius falſi convinci non poſſe, nec aliud certius ab auctoribus affertur. NOMINE BOOZ: quæ vox vel ſignificat *in fortitudine*, vel *in eo fortitudo*.

V. 2. COLLIGAM SPICAS. Apud Hebræos enim conceſſum non erat ſpicilegium ipſis agrorum dominis, ſed tantum pauperibus tam indigenis, quam advenis.

Fra-

Præceptum que erat in lege veteri, ut dum ſegetes demeterent earum domini, ſpicarum aliquid relinquerent: Levit. xix. 9. & cap. xxiii. 22. Deuter. xxiv. 19. Ruth ergo ut pauper ad colligendas ſpicas egreditur.

V. 4. IPSE VENIEBAT DE BETHLEHEM. Servabat Booz id quod Cato de re ruſtica Lib. I. cap. 1. præcipit, cum ait: *Ne opera tua parcas viſere*. DOMINUS VOBISCUM. Dominus vobis adſit. Fauſta precatio: quid enim deeſſe poſſit iis qui ſub divino præſidio latent? Merito ergo Eccleſia & in miſſæ ſacro, & in horariis precibus hanc ſalutationem frequenter uſurpat.

V. 5. IUVENI QUI MESSORIBUS PRAEERAT. In Hebræo eſt נער *nahar*, quæ vox *puerum*, aut *miniſtrum* ſignificat, in Græco eſt *παιδάριον*, quia & ætate, & viribus erat bonis, & integris. Eum Ioſephus *ἀγρονόμον* vocat, vel ut alii legunt *ἀγρονόμον*, eadem tamen ſignificatione, hoc eſt *agri curatorem*.

V. 8. IUNGERE PUELLIS MEIS. Apparet Boozi prudentia, gravitas, & caſtimonia, qui puellæ ſuadet ut puellis adhæreat, quod honeſtius erat, & pudori tutius, quam ſi cum viris verſata eſſet.

V. 9. BIBE AQUAS, &c. Magna in orientalibus, calidiſque locis aquarum penuria eſt, ut ex Gen. xxvi. & xxviii. Exodi ii. Numer. xx. Deuter. ii. aliiſque locis patet, & meſſis erat tempus, quod torridum, & ſiticuloſum eſt; itaque aquæ hauſtus inter beneficia merito annumeratur.

V. 10. ADORAVIT SUPER TERRAM. Frequens mentio in ſacris litteris harum adorationum viris exhibitarum in reverentiæ argumentum, aut gratiarum actionem. Exempla habes Gen. xxiii. 7. & 12. cap. xxvii. 29. cap. xxxiii. 3. & 7. cap. xlvi. 6. cap. xlvii. 26. cap. xlix. 8. cap. l. Exodi xviii. 7.

V. 11. VENERIS AD POPULUM QUEM ANTEA NESCIEBAS, eiuſdem etiam populi religione ſuſcepta.

V. 12. SUB CUIUS CONFUGISTI ALAS. Chald. *Veniſti ut proſelyta fieres, & te ipſam absconderes ſub umbra maieſtatis gloriæ ipſius*.

V. 13. LOCUTUS ES AD COR ANCILLAE TUAE. *Loqui ad cor*, Hebraica phraſi eſt loqui verba conſolatoria. Exempla paſſim occurrunt, II. Paralip. xxx. 22. & xxxii. 6. Iſaiæ xl. 2. Oſee ii. 14. QUAE NON SUM SIMILIS, &c. quæ vilior ſum.

V. 14. COMEDE PANEM. Potum ipſi Ruth ante conceſſerat, nunc addit & cibum: gradatim enim aſcendit virtus. Pro pane, phraſi Hebraica intelligitur quilibet cibus. INTINGE BUCELLAM TUAM IN ACETO. Videtur ſermo eſſe de acetariis, quibus qui æſtu laborant, valde recreantur. Alioqui etiam uſus ruſticorum eſt, ut in meſſe utantur oxycrato, hoc eſt aceto aqua diluto, quod genus potionis refrigerandi vim habet, ut univerſum acetum, de quo Plinius Lib. XXIII. cap. 1. *Vini etiam vitium*, inquit, *tranſit in remedia: aceto ſumma vis eſt in refrigerando*, &c. AD MESSORUM LATUS: non e regione, ne in eius faciem oculos coniicere poſſent. ET CONGESSIT POLENTAM SIBI. *Polenta* eſt far toſtum, & contuſum, & in farinam redactum. Hæc materia erat parabilis eduliorum, addito aliquo genere condimenti, iure, caſeo, &c. Quod dicitur Ruth ſibi congeſſiſſe, ſignificat affatim & largiter illi ex cibis tributum, quos cum ipſa omnes non abſumeret, quaſi eorum cumulum ante ſe habebat. ET SALUTATA EST. *Diſce*, inquit Seneca epiſt. cx. *parvo eſſe contentus, & illam vocem magnus, atque animoſus exclama: Habeamus aquam, habeamus polentam. Iovi ipſi de felicitate controverſiam faciamus*. TULIT RELIQUIAS. LXX. habent *κατέλιπε*, *reliquit*. Vulgatus noſter ſignificat, collegiſſe eam reliquias, & aſſervaſſe: quod ita fuiſſe patet ex num. 18. ubi dicitur eam dediſſe ſocrui Noemi de ciborum ſuorum reliquiis.

V. 17. QUASI EPHI MENSURAM. Ephi continens tres modios continebat uncias 960. ut probat Alcazar Libro de Menſuris, & ex eo Cornelius a Lapide in opuſculo eiuſdem argumenti addito ad Pentateuchum.

V. 19. GRATIAM QUAM PRAEBUERAT VIVIS, SERVAVIT ET MORTUIS. Benevolentia complexus eſt Elimelech maritum meum, & filios meos dum eſſent in vivis, nunc pergit nobis benefacere eorum reſpectu, ſibi ſemper ſimilis.

V. 20. PROPINQUUS NOSTER EST HOMO. Additur in Hebræo, *e redemptoribus*

ribus noſtris ipſe eſt, ſeu *e vindicibus*, id eſt ex iis ad quos pertinet ius liberandi nos ab orbitate, & vindicandi nomen filiorum meorum, maritique tui ab interitu, & oblivione, ſemen iis, ac poſteritatem dando iuxta legem Levit. xxv. 25. Deuter. xxv. 5.

V. 22. Ad metendum: ad ſpicilegium, quod parva quædam meſſis eſt; ſicut racematio, parva vindemia. Ne in alieno agro quiſpiam reſiſtat tibi. Booz benevolum experta es, in eius agro nullus tibi reſiſtit, favent omnes: perge igitur eo ire, non enim meliorem alibi conditionem invenies.

T I R I N I.

Verſ. 1. Erat...Elimelech conſanguineus...Booz. Rabbi Ioſue apud Raſchi dicit *a*, Booz fuiſſe Elimelechi nepotem ex fratre illius. Sed male addit, eumdem eſſe cum Abeſan nono in ordine iudicum: ut fuſe refellit Abulenſis, & Serarius.

V. 2. Colligam ſpicas. Nota ex Levit. xix. & xxiii. item Deuter. xxiv. Iudæis præceptum fuiſſe, dum ſegetes demeterent, aliquid ſpicarum in uſus pauperum relinquerent, quæ fiebant primi pauperis occupantis, ſive indigena is eſſet, ſive advena. Voluit tamen Ruth verſ. 7. rogare præfectum agrorum, id ſibi bona ipſius gratia liceret. Sed hoc fecit ex ſingulari modeſtia, & humanitate: forſan & ignara erat eiuſmodi privilegii, inquit Abulenſis. Apud Chriſtianos, ad quos ſola moralia tranſierunt, neque ulla ſpicarum iuſſa relictio, neque ipſis agrorum dominis, aliiſve divitibus vetita relictarum collectio, licet probroſum atque inhumanum foret, eas pauperibus quando adeſſent, præripere. Ita ſanctus Thomas, & Inſtitutiones Iuris, & Digeſta *b*. Erat ergo ſpicilegium iſtud inopiæ certum argumentum; honeſtum tamen, minimeque probroſum, quia laborioſum. Et vero ſuadet ratio, dum vires, annique ſinunt, omnem adhibendum laborem, & induſtriam ad vitæ neceſſaria conquirenda, prius quam ad mendicandum ſeſe accingat egenus & pauper, ut pulchre docet Muretus *c*.

V. 12. Sub cuius confugiſti alas. Recte ſub Dei Iſrael alas confugit Ruth, cum relictis diis Moab, in Iudæorum religionem tranſiit, ut velut implumis, & tenella avicula in nido Dei confoveretur, contra ſolis ſeu tentationum æſtus, contra rapaciſſimos inferorum vultures ac milvos, contra omnes aereas tempeſtates protegeretur.

V. 14. Intinge bucellam tuam in aceto. Iam ante de potu proſpexerat Booz Ruthæ. Neque leve munus erat, in calida regione, ubi magna dulcium aquarum *d* penuria, tempore meſſis torrido & ſiticuloſo, quantum vellet frigidæ aquæ concedere. Sed hic non ſtetit liberalitas, etiam *panem* addit, quo deſignatur omne genus cibi, & *acetum*, ſeu embamma, vel pulmentum aceto conditum. Sic enim Chaldæus vertit. Quamquam & merum acetum ad ſtomachum iacentem, faſtidientem, aut nauſeantem recreandum, vel ad æſtuantem refrigerandum, feſſumque recreandum valeat plurimum, teſte Plinio *e*, & medicis. Ac vero id etiam hodie in deliciis habent Italiæ, Hiſpaniæque ruſtici & meſſores, quibus *poſca* (acetum eſt aqua mixtum) etiam gratiſſima, & utiliſſima: & in navibus, ac triremibus etiam nautæ utuntur. Vide Chriſtophorum a Vega, Aetium, Bellonium, & alios medicos. Pro *polenta*, cuius partem detulit Ruth ſocrui ſuæ Noemi, vertunt aliqui *far toſtum*, ſeu *ariſtas toſtas*, Lyranus *granatum*, id eſt cibum e novis granis toſtis, vel frixis confectum: quem qui guſtarunt, palato gratiſſimum aſſerunt.

V. 20. Eamdem gratiam, id eſt benevolentiam & beneficentiam, quam praebuerat vivis, Elimelecho eiuſque filiis, ſervavit et mortuis, cum illorum memoria, & intuitu, nobis eorum uxoribus tam benigne facit.

(*a*) Raſchi cap. iii.

(*b*) S. Thom. I. II. quæſt. ciii. civ. cv. Inſtitut. Lib. II. tit. 1. §. *Hoc amplius*, & *qua ratione* Digeſt. Lib. IV. tit. 7. Pro derelicto.

(*c*) Muret. Lib. XIII. cap. 1. Var. lection. de robuſtis mendicis.

(*d*) Patet Gen. xxvi. & xxviii. Exod. ii. Num. xx. Deut. ii. &c.

(*e*) Plin. Lib. XXV. cap. 1. Vega Lib. III. de Arte medendi. Aetius ſerm. 1. tetrabibl. vi. Bellon. Lib. II. Obſervat. cap. lxix.

GORDONI.

Verſ. 1. BOoz hic narratur conſanguineus Elimelech mariti Noemi: cuius genealogia ex cap. IV. verſ. 20. ſic exprimitur: *Naaſſon genuit Salmon, Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, Obed Iſai, Iſai genuit David*. Porro Matth. I. hæc habentur: *Salmon autem genuit Booz de Raab*. Sed de Raab, vide Ioſue cap. VI. & de annis 365. a capta Ierichunte ad nativitatem David, quæ incidit in annum II. Samuelis, uti paulo ſuperius hic præfatus ſum.

Ceterum erat e tribu Iuda Booz, ex citata genealogia: at quomodo vocatur conſanguineus Elimelechi? LXV. γνώριμος; immo & in Hebr. notus dicitur: tamen apud Ioſephum συγγενής. Sane propinquum fuiſse doctiores recipiunt; ſed cognatum fratrem fuiſſe, nihil evincit.

V. 9. BIBE AQUAS DE QUIBUS PUERI BIBUNT. Septuag. *Bibe unde aquantur pueri*. In Hebræo: *Bibe ex quo hauriunt pueri*.

V. 14. IN ACETO. Chald. *In pulmento coctto in aceto*. CONGESSIT POLENTAM SIBI. Hebr. *Dedit ei* (Booz) *toſtum triticum*.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 14. Favor eſt prius in priori ſpicilegio conceſſo, in aquæ potu, & tandem in cibo. CONGESSIT POLENTAM SIBI. *Polenta* eſt far in farinam redactum, & præparatum meſſoribus edulium. Ruth cum omne quod ſibi offerebatur, non conſumeret, habebat ante ſe quaſi edulii cumulum.

V. 17. Ephi continet tres modios. Vide I. Reg. XVII. 17.

C A P U T III.

Ruth ſocrus conſilio ad pedes Booz dormientis recumbens, accepto læto reſponſo multas hordei menſuras ad ſocrum defert.

1. POſtquam autem reverſa eſt ad ſocrum ſuam, audivit ab ea:
Filia mea, quæram tibi requiem, & providebo ut bene ſit
tibi. 2. Booz iſte, cuius puellis in agro iuncta es, propin-
quus noſter eſt, & hac nocte aream hordei ventilat. 3. La-
vare igitur, & ungere, & induere cultioribus veſtimentis,
& deſcende in aream: non te videat homo, donec eſum
potumque finierit. 4. Quando autem ierit ad dormiendum,
nota locum in quo dormiat: venieſque & diſcooperies pallium, quo operitur a
parte pedum, & proiicies te, & ibi iacebis: ipſe autem dicet tibi quid agere de-
beas. 5. Quæ reſpondit: Quidquid præceperis faciam. 6. Deſcenditque in aream,
& fecit omnia quæ ſibi imperaverat ſocrus. 7. Cumque comediſſet Booz, & bi-
biſſet, & factus eſſet hilarior, iſſetque ad dormiendum iuxta acervum manipu-
lorum, venit abſcondite, & diſcooperto pallio a pedibus eius, ſe proiecit. 8. Et
ecce, nocte iam media expavit homo, & conturbatus eſt: viditque mulierem ia-
centem ad pedes ſuos, 9. & ait illi: Quæ es? Illaque reſpondit: Ego ſum Ruth
ancilla tua: expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es.
10. Et ille, Benedicta, inquit, es a Domino filia, & priorem miſericordiam
poſteriore ſuperaſti: quia non es ſecuta iuvenes, pauperes ſive divites. 11. Noli
ergo metuere, ſed quidquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit enim omnis populus,

Yyy 2 qui

qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te eſſe virtutis. 12. Nec abnuo
me propinquum, ſed eſt alius me propinquior. 13. Quieſce hac nocte: & facto
mane, ſi te voluerit propinquitatis iure retinere, bene res acta eſt: ſin autem
ille noluerit, ego te abſque ulla dubitatione ſuſcipiam, vivit Dominus: dormi
uſque mane. 14. Dormivit itaque ad pedes eius, uſque ad noctis abſceſſum.
Surrexit itaque antequam homines ſe cognoſcerent mutuo, & dixit Booz: Ca-
ve ne quis noverit quod huc veneris. 15. Et rurſum, Expande, inquit, pallium
tuum quo operiris, & tene utraque manu. Qua extendente, & tenente, menſus
eſt ſex modios hordei, & poſuit ſuper eam. Quæ portans ingreſſa eſt civita-
tem: 16. & venit ad ſocrum ſuam. Quæ dixit ei: Quid egiſti filia? Narravitque
ei omnia, quæ ſibi feciſſet homo. 17. Et ait: Ecce ſex modios hordei dedit mi-
hi, & ait: Nolo vacuam te reverti ad ſocrum tuam. 18. Dixitque Noemi: Ex-
pecta filia donec videamus quem res exitum habeat: neque enim ceſſabit homo
niſi compleverit quod locutus eſt.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. REQUIEM, ſcilicet nuptias. *Verſ.* 9. EXPANDE PALLIUM; quaſi dicat: Suſcipe me in tutelam tuam, ſeu *in uxorem*, ut vertit Chald. PROPINQUUS: ſcilicet qui debeas ſuſcitare ſemen cognato defuncto.

V. 10. MISERICORDIAM. Chald. *bonitatem*. IUVENES, ſcilicet inhoneſte, ut ſolent puellæ.

V. 15. MODIOS, id eſt ſata. Chald. *ſata*. Hebr. tantum dicitur, & hic, & inf. *ſex*: unde quidam verterunt, *epha ſex*.

V. 18. COMPLEVERIT. Hebr. *compleverit hodie*.

E S T I I.

Verſ. 7. ET DISCOOPERTO PALLIO, A PEDIBUS EIUS, SE PROIECIT. Quæritur, an in hoc peccaverit Ruth? Sed non videtur hac in re peccaſſe. Nihil aliud enim voluit hoc ſuo facto, quam Booz ut propinquum requirere, ut ſecundum legem eam acciperet uxorem. Nec id ſua ſponte fecit, ſed iuſſa, & inſtructa a ſocru ſua. Nec aliter ipſe Booz factum interpretatus eſt, quin magnifice etiam collaudat factum.

V. 10. BENEDICTA (inquit Booz ad Ruth) ES A DOMINO FILIA, ET PRIOREM MISERICORDIAM POSTERIORE SUPERASTI. Priorem miſericordiam vocat qua uſa fuerat erga maritum ſuum adhuc viventem, & erga ſocrum ſuam, quam pietatis affectu ſecuta erat in terram Iſrael, relictis patriis ſedibus. Poſteriorem autem miſericordiam vocat pium illum affectum quo movebatur ad ſuſcitandum nomen mariti defuncti per coniugium cum aliquo ex propinquis ſecundum legem. Hanc autem dicit maiorem illa priori, quia maioris caritatis, ac miſericordiæ eſt, alicui benefacere poſt mortem, quando ab eo temporalis retributio nulla expectatur, quam dum adhuc vivit, & gratiam aliquam is referre poteſt. Quod autem Booz addit, QUIA NON ES SECUTA IUVENES, PAUPERES SIVE DIVITES, hunc habet ſenſum, quaſi dicat: Non quæris iuvenem aliquem maritum, ſive pauperem, ſive divitem, id eſt qualemcumque invenire poſſes, ſed me iam ſenem, & provectæ ætatis. Quod dicit ad commendandam ipſius pudicitiam, quod non inſtinctu libidinis, ſed amore poſteritatis ex propinquo ſuſcitandæ, incitaretur ad coniugium. Quod ergo dicit Hieronymus in 1. cap. Matth. notandum, in genealogia Salvatoris nullam ſanctarum aſſumi mulierem, ſed eas quas Scriptura reprehendit: unde & in conſequentibus Ruth Moabitis ponitur, & Berſabee uxor Uriæ: exponendum eſt, Hieronymum de Ruth agere, antequam ad ritum Iudaicum, & cultum unius Dei converteretur. Unde ſcilicet eam ſpecialiter appellat Moabitidem.

MA-

Digitized by Google

M A R I A N AE.

Verſ. 1. QUAERAM TIBI. Hebr. *Nonne quæram tibi?* interrogatio, ſed quæ maiorem vim affirmandi habet. REQUIEM, id eſt nuptias. Sic Noemi,

V. 2. AREAM HORDEI VENTILAT; pro, hordeum in area. Hordeo plurimum in iis regionibus victitant homines. Cum comediſſet Booz,

V. 7. ET FACTUS ESSET HILARIOR. Hebr. *Et bonum* (id eſt iucundum) *fuit cor eius*. VENIT ABSCONDITE. Hebr. בלט *balat*, *pedetentim, quiete venit* Ruth, & ait Booz:

V. 9. EXPANDE PALLIUM TUUM. Hebr. *alam tuam*, ſic Sept. ſed *veſtis* vocatur *ala*: quoniam ut avis ala, ſic homo tegitur veſte. Verum *expandere pallium*, ut & *revelare alam*, ſeu *operimentum patris*, Deuter. XXII. verſ. 30. *concubitum* honeſta voce, ſed uſitata phraſi inter Hebræos ſignificat, ad quod Ruth invitavit, ſed coniugii ſpe prætenta. Sic inter alios Abulenſis docet. Quo enim alio ornatus, & accubitus nudæ cum nudo ſpectabat? Booz ad Ruth:

V. 10. MISERICORDIAM. &c. Chald. *Bonitatem priorem poſteriori ſuperaſti*, ut Noſter dixit. NON ES SECUTA IUVENES, ut ſolent laſcivæ.

V. 11. POPULUS, QUI HABITAT INTRA PORTAS URBIS. Hebr. *Scit omnis porta populi mei*. Ad portas erant fora, & fiebant conventus. Significat ergo *porta multitudinem conventuum*, apud quam Ruth in laude erat.

V. 12. NEC ABNUO ME PROPINQUUM. Hebr. *redemptorem*. SED EST ALIUS ME PROPINQUIOR. Hebr. *Eſt redemptor propinquior me*.

V. 15. ET TENE UTRAQUE MANU. Hoc non eſt Hebr. ſed, *Da pallium quod ſuper te, & tene in eo*; quaſi dicat: Mecum tene, tu ex una parte, ego ex altera: ſic Hebræus. SEX MODIOS HORDEI. Hebr. & Sept. *ſex hordei* haud dubium *menſuras*: ſic Hebræus; ſed quæ ea menſura eſſet, non explicat. Sept. per *menſuram* abſolute poſitam *ſatum* intelligunt, cum pro *ephi*, quod tria ſata continet, τρία μέτρα ponunt Exod. XVI. verſ. 35. Iſaiæ V. verſ. 10. Itaque Chald. hic *ſex hordei ſata* dixit. Idem dic verſ. 17. Porro *ſex ſata* ſive *modios* (perinde enim eſt) *hordei* duodecim celemines e noſtris, quos bene poterat femina portare: ſex ephi, quod quidam ponunt, portare qui poſſet? Ephi tres modios capit.

V. 16. QUID EGISTI FILIA? Hebr. *Quæ es tu filia mea?* vel ob malignam lucem primo occurſu non ſatis eam Noemi cognovit, aut, ut Rabbi Iona ait, מי *mi* ſumitur pro מה *mah*, *quæ* pro *quid*, ut Hieronymus potuit, & Sept. & alias ſæpe fit. At Chald. *quæ* poſuit. Non ceſſabit Booz

V. 18. NISI COMPLEVERIT. *Hodie* additur Hebr. Græce, & Chaldaice. *Niſi compleverit hodie quod locutus eſt, non ceſſabit*.

M A L V E N D AE.

Verſ. 1. FILIA MEA, QUAERAM TIBI REQUIEM, &c. Heb. *Filia mea, an non quæram tibi requiem, qua bene ſit tibi?* Exponunt quaſi dicat: An non ſolicita ſum ut tibi de futuro connubio proſpiciatur? Confer cum cap. I. verſ. 9. De hac affirmandi formula per interrogationem, vide ſupra cap. II. verſ. 9. quaſi dicat: Certiſſime, procul dubio, in hoc tota ſum, ut quæram tibi reſidentiam quietam, ſtatum optimum coniugii.

V. 2. PROPINQUUS NOSTER EST: Hebr. *cognatio noſtra*: quidam, *de conſanguinitate noſtra*: alii, *cognatus*, *affinis noſter*. Nam ut Latini dicunt, ſervitium pro ſervis, neceſſitudines pro neceſſariis, ſic Hebræi cognationem dicunt pro cognato: ut Levitic. XVIII. verſ. 9. & 11. Genitura, ſeu nativitas dicitur progenita, genititia, nata. ET HAC NOCTE AREAM HORDEI VENTILAT. Difficile eſt intelligere quomodo hordeum in area noctu ventilaretur. Quidam exponunt: *Ecce ipſe ventilat aream hordeorum hac nocte*; id eſt, ſtatuit ventilare. Sic Ioſue XXIV. verſ. 9. *Et Balak pugnavit contra Iſrael*; id eſt, conatus eſt, in animo habuit, ſtatuit pugnare. Et ſupra cap. I. verſ. 6. *Et reverſa eſt Nahomi*; id eſt, in animo habuit reverti. Et infra cap. IV. verſ. 3. *Vendidit*; id eſt, vendere parat. Sed ſimplicius eſt: *Ecce ipſe dormit hac nocte in area, ut ſum-*

imo

Digitized by Google

mo mane curet hordeum ventilari. Aliqui reddunt: *Ecce ipſe ventilaturus eſt hoc hordeum in arca hac nocte*. Poſſit reddi: *Ecce ipſe conſtringit, complicat, congregat horreum hordeorum hac nocte*, id eſt hordea in horreum. Sic verbum זרה *zarah* ſumitur II. Samuel. XXII. verſ. 40.

V. 3. LAVARE IGITUR, ET UNGERE, &c. Notant, conſilium iſtud ex re legitimum fuiſſe, ſpecie inhoneſtum: ſed fidentem pietati utriuſque, & Bohazi ſenio, illud nurui propoſuiſſe; ita ut offenſionem proximi circumſtantiis temporis, & loci vitarit. *Et ungere*. Unguentis pretioſis & odoriferis ſolebant orientales perungi, præſertim feminæ, cum ſe ad venuſtatem componerent: II. Samuel. XII. verſ. 20. & cap. XIV. verſ. 2. II. Reg. IV. verſ. 2. Iudith. X. verſ. 3. & cap. XVI. verſ. 10. Eſther. II. verſ. 12. qui mos in occidentem quoque promanavit. Plinius Lib. XIII. cap. III. *Summa commendatio unguentorum, ut tranſeunte femina, odor invitet etiam aliud agentes*. ET INDUERE CULTIORIBUS VESTIMENTIS. Heb. *Et pones veſtes tuas ſuper te*. Recte Noſter intellexit cultiores, præſtantiores, & elegantiores veſtes.

V. 4. ET DISCOOPERIES PALLIUM, QUO OPERITUR A PARTE PEDUM. Hebr. *Et devolves* מרגלותיו *margelothau*, varie convertunt. I. *Et reteges pedes eius*; ſic vocem, מרגלות *margeloth*, capi volunt Daniel X. verſ. 6. II. *Et diſcooperies a pedibus eius*, vel *a parte pedum eius*; ut Mem hic ſit ſervile, & præpoſitio. III. *Et deteges ad pedes eius*, vel *iuxta pedes ipſius*. IV. *Et diſcooperies locum pedum eius*, id eſt inferiorem partem lecti, vel pedes lecti. V. Quidam notant, *margeloth* eſſe nomen feminini generis, ſingularis numeri; & ut מראשית *maraaſchoth*, *capitale*, *cervical*, ſeu *pulvinum*; ita hoc, *pedale*, *pedaneum*, ſeu *pedamentum*, ſignificare; unde reddunt: *Et devolves pedale eius*. Alii volunt eſſe femineum formæ pluralis, exponuntque *pedalia*, *pedanea*, *pedamenta eius*; quæ inferne ad pedes tegendos admoventur. Nonnulli reddunt *pedales ſtragulas eius*. Sic verſ. 7. & 8. & 14.

V. 7. ET FACTUS ESSET HILARIOR. Hebr. *Et bonum fuit cor eius*. Alii: *Et exhilaratum fuit cor eius*. Nonnulli: *Et hilaris animo fuiſſet*. Nimirum cum hilariter convivatus fuiſſet, prout fieri ſolebat meſſis, vindemiæque tempore: quo alluſum putant Pſal. IV. verſ. 8. Quidam feſtum tunc fuiſſe exiſtimant, quale Athenis celebrabatur, quod Aloa vocabant, cum comportatis ex agris frugibus feſtum agitarent: ſic dictum, quod illius feſti diebus homines in areis, quæ Græce ἅλως dicuntur, morarentur. De quo feſto vide Cælium Rhodiginum Lib. XII. Lectionum antiquarum, cap. XIX. Lilium Gyraldum ſyntagmate XVII. Henricum Stephanum Tom. I. Theſauri, colum. 326. Rudolphum Hoſpinianum Lib. II. de Feſtis, fol. 148. colum. 2.

V. 8. EXPAVIT HOMO. Hebr. *Et contremuit, trepidavit, exterritus fuit*, videlicet, rei novitate perculſus. ET CONTURBATUS EST. De ſignificatione verbi לפת *lapoath* egimus Iudic. XVI. verſ. 29. Hic in Niphal ponitur, & varie reddunt. I. *Inclinavit ſe* ad videndum quid illud eſſet quod ad pedes iaceret. II. *Et vertit, convertit ſe*, id eſt, huc illuc vertit ſe, de latere ſcilicet in latus. III. *Et perculſus fuit*. IV. *Et diſtorſit ſe, deflexit ſe*. V. *Et apprehendit ſe ſe*; id eſt, membra ſua ad ſe retraxit, more eorum qui pavore corripiuntur, ſubito membra ſua alia ad alia collegit, & apprehendit præ timore. VI. *Et contrectavit*, ſcilicet id quod ad pedes ſuos iacebat. Chaldæus: *Emollita fuit ſicut rapum caro eius præ metu*; quod לפת *lapoath*, ſeu לפת *lepheth*, Rabbinis, & Arabibus ſit rapum, vel rapa.

V. 9. EXPANDE PALLIUM TUUM SUPER FAMULAM TUAM. Hebr. *Et expandes alam tuam ſuper ancillam tuam*, id eſt oram pallii tui, ſeu operimenti tui. Aliqui metaphorice exponunt: Id eſt, recipe me in tuam fidem, & protectionem: nam aves alis protegunt pullos ſuos; & homines pallio, & operimento, quos tutari volunt. Alii periphraſim eſſe coniugii volunt; quaſi dicat: Expande ſuper me veſtem tuam, extende ſuper me operimentum tuum, obnubito me. Hiſpanice, *Velaame*: deſponde me tibi, duc me in uxorem, contrahe mecum matrimonium, celebra mecum nuptias. Vide de hac locutione. Annotata in Geneſ. XX. verſ. 16. in 7. expoſitione. Conſimili loquendi genere dicitur: *Detegere alam patris ſui*, Deuteronom. XXII. verſ. 30. & cap. XXVII. verſ. 20. pro rem habere cum uxore pa-

tris

Digitized by Google

tris ſui, ſcilicet cum ea quam pater eius obnupſit, & ſuper quam expandit alam ſuam. Verum hæc phraſis, *Expande alam tuam ſuper ancillam tuam*, utrumque complecti videtur, & protectionem, & coniugium; quaſi dicat: Me ducens in uxorem, protectionem meam ſuſcipias. Vide ſupra cap. II. verſ. 12. Longius quidam interpretantur: *Et expandes gremium tuum ſuper ancillam tuam*. Sic Ezechiel. XVI. 8.

V. 10. ET PRIOREM MISERICORDIAM POSTERIORE SUPERASTI. Noſtra Translatio, Hebraica verba ordine expreſſit (*Bonificaſti benignitatem tuam poſteriorem de prima.*) Alii ſic: *Præſtantiorem reddidiſti pietatem tuam hanc poſteriorem illa priore*. Quidam: *Meliorem feciſti gratiam tuam poſteriorem priore*. Aliqui: *Ampliaſti pietatem tuam poſteriorem ſupra priorem*. Nonnulli: *Meliorem præſtas benignitatem tuam hanc poſteriorem illa priore*; id eſt, quod ſocrum tuam mariti recordatione ſecuta es, magnum quidem eſt; ſed maius adhuc, quod poſthabita ætatis, & formæ meæ ratione, mariti propinquum iuvenibus formoſis præfers.

V. 11. QUIDQUID DIXERIS MIHI, FACIAM TIBI. Explicant: Id eſt, connubium, quod expetis cum vindice, procurabo. OMNIS POPULUS, QUI HABITAT INTRA PORTAS URBIS MEAE. Hebr. *omnis porta populi mei*. Exponunt, tota porta populi mei ſynecdochice pro tota civitas, ſeu univerſa urbs populi mei. Quidam reddunt: *Quiſque intra portas populi mei*. Portam pro urbe ſynecdochice Hebræis plerumque ſumi notant, ut Geneſ. XXII. verſ. 17. Deuteron. XVII. verſ. 2. Abdiæ verſ. 11. & alibi. Alii convertunt: *Univerſus ſenatus, tota curia, totum forum, omnis conventus iudicialis, totum tribunal populi mei*. Quod olim iudicia publica in portis urbium exercerentur. ut infra cap. IV. verſ. 1. vide Geneſ. XXII. 17. Chaldæus: *Sciunt omnes qui ſedent in porta ſynedrii magni Beth-lehemitici, te eſſe mulierem iuſtam*, &c.

V. 12. NEC ABNUO ME PROPINQUUM, &c. Hunc verſum totidem verbis ex Hebræo noſtra exſcripſit Translatio (*Et nunc quia fideliter; quia ſi rediment ego: & etiam exiſtentia redimentis propinqui de a me.*) Varie alii. I. *Iam igitur fateor verum eſſe quod cognatus ſum: eſt tamen alius cognatus propinquior me*. II. *Iam igitur verum eſt quod cognatus ſum*, &c. III. *Et nunc quia vere propinquus ſum: & etiam propinquus propinquior me*. IV. *Nunc itaque verum eſt quod ego ſum vindex: eſt tamen & alius vindex me propinquior*. V. *Nunc, inquam, quia verum eſt, etſi vindex ego ſum: tamen præterea eſſe vindicem propinquiorem me*. VI. *Et nunc, quia vere licet vindex ego ſim; tamen etiam eſt vindex propinquior me*. VII. Hiſpanicus: *Y ahora aunque es, cierto que yo ſoy el redemptor: contodo eſſo hay eſtio redemptor mas cercano que yo*. Particulam אמנם *amenam*, vertunt, *vere*, *fideliter*, *certo*, *profecto*. Illud vero כי אם גואל אנוכי *ci im goel anochi*, reddunt: *Quinimmo redemptor ego*. Alii: *Etſi vindex ego ſum*. Nonnulli: *Licet vindex ego ſim*. Ex verbo: *Quia ſi redimens ego*. Hebræi notant, *im*, *ſi*, hic quidem ſcribi, ſed non legi. Non dubito geminationem particulæ כי *ci*, adiecto אם *im*, ad ſententiæ emphaſim plurimam vim habere; quaſi dicat: Quod ſane ita vere eſt, quod ego revera ſum iure propinquitatis vindex: at eſt etiam alius vindex me propinquior.

V. 13. SI TE VOLUERIT PROPINQUITATIS IURE RETINERE, BENE RES ACTA EST: SIN AUTEM ILLE NOLUERIT, EGO TE ABSQUE ULLA DUBITATIONE SUSCIPIAM, VIVIT DOMINUS. Hebræa hic nos verbatim transfudimus (*Si redimet te, bonum, redimet: & ſi non beneplacitum habebit ad redimere te, & redimam te ego, vivens* IHVH.) Alii in hunc modum: *Si ille ius tibi cognationis præſtare voluerit, bene eſt, propinquus ſit*, vel *præſtet: ſi vero noluerit id tibi præſtare, ego ius illud cognationis tibi præſtabo, vivit Iehova*. Quidam: *Si propinquus tuus eſſe voluerit, bene propinquus ſit*; id eſt, ſi te voluerit accipere in uxorem, tamquam qui illud facere debeat iure propinquitatis, recte eſt, propinquitatis iure te habeat uxorem: *ſi vero noluerit propinquus tuus eſſe propinquus, ero tibi ego propinquus, vivit Dominus*; hoc eſt, ſi te noluerit ducere uxorem iure propinquitatis, ego te ducam uxorem iure propinquitatis, *vivit Iehova*. Aliqui: *Si is tibi ius vindicis præſtiterit, bene, præſtet: ſi vero ei non placuerit, ut tibi ius vindicis præſtet, ego ius vindicis præſtabo*. Nonnulli: *Si vindicabit te, bene eſt, vindicet: ſin autem noluerit*

erit vindicare te, tum vindicabo te ego, ut vivit Iehova. De ſignificatione verbi גאל *gaal*, quod *redimere*, *vindicare*, *aſſerere* ſignificat, abunde diſſeruimus in Gen. XLVIII. verſ. 16. Obſervant, quod eſt ſane veriſſimum, in iſto libro Ruth hoc verbum notare, *iure propinquitatis aſſerere*, *vindicare ſibi*, hoc eſt *ducere cognatam*, ut hereditas ad ſe devolvatur. Unde reddunt: *Si aſſeruerit te, bene, aſſerat: ſi autem non voluerit aſſerere te; tunc ego te aſſeram, vivit Iehova*: vide ſupra in cap. II. verſ. 20. Porro illud quod Hebraice eſt, *Si redimet* טוב *tob, redimet*, &c. aliqui ex Hebræis putant, *Tob* hic nomen eſſe proprium illius viri cui arctius ius propinquitatis erat cum defuncto Ruthæ marito, de quo hic ſermo. Sed id eſt frivolum, & pugnat cum verſ. I. capitis IV. ubi nomen vindicis Bohazo propinquioris reticetur. Simplicius eſt: Si redemerit te ille redemptor me propinquior, bonum ſit, bene ſe res habet, bonum factum, recte fiet, redimat, &c.

V. 15. PALLIUM TUUM. מטפחת *mitbachath*, aiunt eſſe *linteamen*, ſeu *velamen*, *velum explanatum*, & *extenſum*, quo mulieres caput velant ac ornant. Quidam *linteum* reddunt; alii *peplum*; alii *velum*; Chaldæus *ſudarium*; LXX. *perizoma*, id eſt *ſuccinctorium muliebre*, ſeu *ſemicinctium*, ut appellatur Actor. XIX. verſ. 12. Nec deſunt qui *ſupparum*, de quo vide Feſtum, & Nonium. Nonnulli *ventiale*, quo vocabulo utitur Plinius Lib. VIII. cap. XLVIII. nempe veſtis, ſeu operimentum quo venter tegitur. Hiſpanice *avantal*, ſeu *devantal*; ſic dictum, quod ſuper ventrem explanetur, ſeu explanetur: quod inſtituto convenit. Nec deſunt qui *mantellum*, Hiſpanice *manteo*. Aliqui *pallam*, quæ totum corpus tegeret. QUO OPERIRIS? Heb. *Quod eſt ſuper te*. Quidam: *Quo caput velas*, aut *tegis*. Alii: *Quo tegeris*. Nonnulli: *Quo tegeris cubans in lecto*. Aliqui: *Quo te involviſti*. Num forte attulerat ſindonem, aut lodicem ad ſe involvendum in lecto, aut ſtrato? MENSUS EST SEX MODIOS HORDEI. Hebr. *Et menſuravit ſex hordeorum*. Plerique ſubaudiunt ſex ſata, vel modios hordeorum. Alii ſex menſuras hordei, quæcumque illæ fuerint, tunc notæ & uſuales, quibus metiri hordeum ſolebant. Sic infra verſ. 17. INGRESSA EST CIVITATEM. ויבא *iabo*, *venit*, eſt verbum maſculeum: incommode ad Ruth referri videtur, niſi ſit generis enallage, & Ruthæ ob virilem & ſtrenuum animum in hoc negotio, de induſtria verbum maſculeum tribuatur. Plerique tamen ad Bohazum referunt: *Et venit*, *ingreſſus eſt urbem*: unde exponunt, deinde ingreſſus eſt civitatem Bohaz ad conficiendum quod Ruthæ promiſerat, ut ſequens caput oſtendit.

V.16. QUID EGISTI, FILIA? Heb. *Quæ tu, filia mea?* vel *quænam es, filia mea?* Nam ipſo diluculo venerat, ita ut ſocrus eam de facie agnoſcere non poſſet, ſupra verſ. 14. Aliqui Hebræorum exponunt, fieri potuiſſe ut ſocrus non viderit eam, donec aperuerit ei fores; atque ex voce, atque aliis circumſtantiis cognoverit eam feminam aliquam fuiſſe. Alii: *Quid tu, filia mea*? ſubaudi, egiſti? Nonnulli: *Quænam, & qualis tu redis, filia mea?*

MENOCHII.

Verſ. I. QUAERAM TIBI REQUIEM, a laboribus, & ærumnis, quas egeſtas, & peregrinitas attulit, & ab orbitate liberorum, quæ animum tuum cruciat, nec quieſcere ſinit. Vide dicta cap. I. num. 9.

V. 2. PROPINQUUS NOSTER EST. Vide dicta cap. II. num. 20. AREAM HORDEI VENTILAT; id eſt, ventilare parat.

V. 3. LAVARE. Suggerit Noemi nurui ſuæ, quæ & ad corporis munditiem, honeſtumque cultum pertinent, in hoc enim magnum feminis telum, ideoque & a Iudith adverſus Holophernem adhibitum, Iudith X. 3. UNGERE. Unctionibus utebantur frequentibus Orientales mulieres. Sic Iudith *unxit ſe myro optimo*; Iudith X. 3. NON TE VIDEAT HOMO: non te videat Booz.

V.4. NOTA LOCUM IN QUO DORMIAT. Moris tum fuit ut patres familias etiam divites, urgentibus præſertim negotiis ruſticanis in areis etiam ipſis quietem caperent, ut uſurpari poſſit illud Ovidian. Faſt. I.

Non pudor in ſtipula placidam cepiſſe quietem,
Nec fenum capiti ſuppoſuiſſe ſuo.

IPSE DICET TIBI QUID AGERE DEBE-

DEBEAS. Sperat Noemi Ruthæ nuptias, eaſque tunc tranſigi poſſe confidit, ſed legitime modo bono, & a divinis præceptis non abhorrente.

V. 7. FACTUS ESSET HILARIOR, citta temulentiam tamen, ut quæ ſecuta ſunt, ſatis oſtendunt.

V. 9. EXPANDE PALLIUM SUPER FAMULAM TUAM. Chaldæus, *Vocetur nomen tuum ſuper ancillam tuam, ad accipiendum me in uxorem*. Pro pallio eſt in Hebr. & LXX. *Extende alam tuam ſuper ancillam ſuam*. Eſt adagialis formula loquendi, qua poſtulatur auxilii, tutelæ, ac defenſionis petitio. Hic tamen non qualiſcumque tutelæ petitio eſt, ſed eius quæ uxori a viro debita eſt. Itaque eſt modeſta, & verecunda mattimonii petitio.

V. 10. PRIOREM MISERICORDIAM, quam ſcilicet in maritum, & ſocrum hactenus contuliſti. POSTERIORE SUPERASTI: quam ſcilicet nunc ſtudes in maritum conferre filios ei excitando, nomenque illius ad poſteros propagando. QUIA NON ES SECUTA IUVENES, PAUPERES SIVE DIVITES. Laudat Rutham, quod femina iuvenis non virum aliquem, defuncto Mahalone marito ſuo, quæſiverit in patria iuvenem, ſive divitem, ſive pauperem; ſed relictis omnibus, in Iudæam venerit, ibidemque non cuilibet ſe matrimonio iungere voluerit, ſed ei a quo reſtitui poſſet in familia extinctum defuncti illius nomen. MULIEREM TE ESSE VIRTUTIS. Eadem Hebraica phraſis quæ hic habetur, Proverb. XXXI. 10. vertitur, *Mulier fortis*. Itaque muliet fortis, ſive virtutis, illa eſt quam Italice dicimus, *Donna di valore*.

V. 13. VIVIT DOMINUS. Iuramenti formula frequens in Scripturis ſacris. Chaldæus habet: *Iuratus coram Domino, dico me, quidquid tibi dixi, facturum*.

V. 14. ANTEQUAM HOMINES SE COGNOSCERENT MUTUO, ſummo mane, antequam diluceſceret. CAVE NE QUIS NOVERIT QUOD HUC VENERIS. Oportet enim, ut monet Apoſtolus I. Theſſal. v. 22. ut ab *omni ſpecie mala* abſtineamus, etiamſi ab omni peccato alioqui integri ſimus: ſic Booz ſuæ, & Ruth famæ conſuluit.

V. 15. EXPANDE PALLIUM TUUM, ſuccinctorium, ſeu ſemicinctum linteum, quo ſub pectore præcinctæ mulieres, domi præſettim utuntur. LXX. vocant περίζωμα, alii ὑπόζωμα. Itali vocant *grembiale*. QUAE PORTANS INGRESSA EST CIVITATEM. Mirum videtur quibuſdam Rabbinis, mulierem tantum pondus ſerre potuiſſe, ideoque ad allegoricas interpretationes confugiunt. Sex modii, iuxta ea quæ dixi capite ſuperiori num. 17. libras conficiunt 160. quod pondus grave non diffiteor; puto tamen illi geſtando mulierem parem eſſe potuiſſe. Vidi ſæpius mulieres capite aut hydrias, aut alia vaſa, pondera geſtantes, tantæ molis, & gravitatis, ut obſtupeſcerem.

TIRINI.

Verſ. 2. HAC NOCTE ſequenti VENTILAT, pro ventilare decrevit, AREAM HORDEI, id eſt hordeum quod in area iam tritum, & aggeſtum iacet. Nam meſſione peracta, & ſiccatis manipulis ſuccedebat excuſſio ſeu tritura, deinde ventilatio, qua a palea grana ſecernantur, & fit vel trituræ ad ventum expoſitione, vel vannatione, vel e latere in latus, per palas ac ventilabra deiectione, ut ex Homero docet Euſtachius, Varro, & Columella *a*. Solent autem, invecta pene meſſe in horrea, epulæ quædam exhiberi operariis ad eos excitandos, recreandoſque: de quibus Cato *b* ait: *Eo die quo daps fiebat* (ſic vocabatur eiuſmodi epulum) *feriæ bobus & bubulcis, & qui dapem facient*. Unde & ab Ovidio *c vacuna* appellantur, quod poſt invectos fructus vacarent tum agricolæ a laboribus. Hanc vero feriarum & epularum occaſionem putabat Noemi opportunam Ruthæ fore ad animum Booz iam exhilarati commodius expugnandum.

V. 4. IPSE AUTEM DICET TIBI QUID AGERE DEBEAS. Sperabat enim Noemi, quod Booz, audita Ruthæ iuſtiſſima nuptiarum poſtulatione, conceſſurus eas eſſet extemplo etiam ipſa illa nocte. Vult tamen, ex ſapienti ſapientis Boozi conſilio totam pendere, ut non niſi legitime ſeu ex legum præpſcripto res peragatur.

V. 9. EXPANDE PALLIUM, ſeu ſtragulum TUUM SUPER FAMULAM TUAM. Hebraice, & Græce eſt, *Extende alam tuam*; eſtque proverbium quo implorat Boozi auxilium, defenſionem, ac tutelam, non qualemcumque, ſed matrimonialem, quæ uxori a marito debetur. Et

vero ſolent tum olim, tum nunc quoque Iudæi in nuptiis ſuis, cum ſponſus fidem dat ſponſæ, partem veſtimenti ſui imponere ſponſæ; ita Lyranus, Vatablus, & Serarius. Eſt ergo modeſta verecundaque petitio coniugii. Unde Chaldæus vertit: *Vocetur nomen tuum ſuper ancillam tuam, et accipias me in uxorem.*

V. 10. PRIOREM MISERICORDIAM POSTERIORE SUPERASTI. Priorem miſericordiam Ruthæ vocat Booz eam benignitatem quam in deſunctum maritum, & viventem adhuc ſocrum contulit hactenus; poſteriorem vero, quam conferre tunc ſatagebat, novis nuptiis filios deſuncto excitando, nomenque ipſius ad poſteros propagando. Nam hoc in magnis bonis, ſicut contrarium in magnis malis, tum ponebatur Addit & novum aliud encomium, quod vidua iuvencula non virum aliquem marito deſuncto ſuperinduxerit in patria ſua, iuvenem ſive divitem, ſive pauperem: ſed relictis omnibus, exulatum in Iudæam venerit, ibidemque ſe matrimonio iungere ſtuduerit non cuilibet, ſed ei a quo poſſet reſtitui in familia exſtinctum alioqui mariti nomen.

Petes, an Noemi, & Ruth non peccarint tam periculoſis utentes modis ad nuptias Boozi extorquendas? Lyranus Noemi graviter accuſat, Rutham propter ſolam ignorantiam excuſat. Sed Reſpondeo, neutram peccaſſe, eo quod hoc omni apparatu, & lenocinio non aliud quam legitimum matrimonium aut intenderint, aut poſtularint, confiſæ ſat probatæ tum ſenis Boozi, tum Ruth continentiæ. Fas autem eſt, aptis verborum, geſtuum, aliorumque generum ſignis ad matrimonium ineundum honeſte invitare, ut docet ſanctus Thomas, Caietanus *d*, Abulenſis, & alii. Ferebat quoque tunc matrimonii natura, tulitque etiam diu apud Chriſtianos ante Tridentinum Concilium, ut occulto conſenſu ſeu clandeſtino poſſet contrahi. Eaque propter potuiſſet illa ipſa nocte inter Booz & Ruth matrimonium conciliari, & conſummari, niſi remoram inieciſſet alterius maior propinquitas.

Petes ſecundo: Quomodo ſaltem in eo non peccavit Noemi, quod alterius propinquioris nuptias non prius ſollicitarit? Reſpondeo: Forte ipſa hoc ignorabat; vel, ſi ſcivit, ominabatur, quod evenit, eam illius propinquioris vel duritiam, vel faſtum fore, ut etiamſi ei deferretur, recuſaret tamen, & aſpernaretur paupercula Ruthæ coniugium. Vide ſanctum Ambroſium, ſanctum Hieronymum, Auctorem operis imperfecti in Matthæum, Theodoretum, Fevardentium *e*, & Serarium.

(*a*) Euſtach. in Iliad. v. Varro Lib. I. cap. I. & LI. Colum. Lib. II. cap. XXI.
(*b*) Cato cap. CXXXI. de Re ruſt.
(*c*) Ovid. VI. Faſt.
(*d*) S. Thom. II. II. quæſt. CLXV. art. IV. & quæſt. CLXIX. art. 2. & Caiet. ibid.
(*e*) Ambr. Lib. III. de Fide cap. V. Hieron. & Auctor. imperf. in I. cap. Matth. Theod. apud Fevard. hic pag. 236.

GORDONI.

Verſ. 1. AREAM VENTILAT; id eſt, hordeum ventilat in area. Per *requiem*, nuptias intellige.

V. 9. EXPANDE PALLIUM. Petit accipi in uxorem, honeſta Hebræorum phraſi. Addit rationem: *Quia propinquus es*: eius erat ſuſcitare ſemen cognato deſuncto. De hac phraſi Deuter. XXII. verſ. 30. Item de hac lege Deuter. XXV.

V. 10. MISERICORDIAM, *bonitatem*, ex Chald. NON ES, inquit, iuhoneſte SECUTA IUVENES, dum ſic coniugium ex lege proponis.

V. 15. SEX MODIOS. Sunt ſex ſata: onus quod portari ſane poterat. Male aliqui reddunt *ephi*: nam ephi continet tres modios.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 2. PROPINQUUS EST. Ad eam devolvi poteſt ius ſuſcitandi defuncti memoriam, Levit. XXV. 25.

V. 3. NON TE VIDEAT HOMO. Booz non te videat.

V. 15. Pallium hic linteum deſignat quo utuntur mulieres.

C A P U T IV.

*Booz coram ſenioribus civitatis accipit poſſeſſionem Elimelech, & Ruth nurum defun-
cti in uxorem, cedente alio propinquiore iuri propinquitatis, ex qua
genuit Obed avum David regis.*

1. AScendit ergo Booz ad portam, & ſedit ibi. Cumque vidiſ-
ſet propinquum prætereire, de quo prius ſermo habitus eſt,
dixit ad eum: Declina pauliſper, & ſede hic: vocans eum
nomine ſuo. Quid divertit, & ſedit. 2. Tollens autem Booz
decem viros de ſenioribus civitatis, dixit ad eos: Sedete hic
3. * Quibus ſedentibus, locutus eſt ad propinquum: Par-
tem agri fratris noſtri Elimelech vendet Noemi, quæ rever-
ſa eſt de regione Moabitide: 4. quod audire te volui, & tibi dicere coram cun-
ctis ſedentibus, & maioribus natu de populo meo. Si vis poſſidere iure propin-
quitatis: eme, & poſſide: ſin autem diſplicet tibi, hoc ipſum indica mihi, ut
ſciam quid facere debeam: nullus enim eſt propinquus, excepto te, qui prior
es; & me, qui ſecundus ſum. At ille reſpondit: Ego agrum emam. 5. Cui di-
xit Booz: Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem,
quæ uxor defuncti fuit, debes accipere: ut ſuſcites nomen propinqui tui in he-
reditate ſua. 6. Qui reſpondit: Cedo iuri propinquitatis: neque enim poſterita-
tem familiæ meæ delere debeo: tu meo utere privilegio, quo me libenter care-
re profiteor. 7. (a) Hic autem erat mos antiquitus in Iſrael inter propinquos,
ut ſi quando alter alteri ſuo iuri cedebat, ut eſſet firma conceſſio, ſolvebat ho-
mo calceamentum ſuum, & dabat proximo ſuo: hoc erat teſtimonium ceſſio-
nis in Iſrael. 8. Dixit ergo propinquo ſuo Booz: Tolle calceamentum tuum.
Quod ſtatim ſolvit de pede ſuo. 9. At ille maioribus natu, & univerſo popu-
lo, Teſtes vos, inquit, eſtis hodie, quod poſſederim omnia quæ fuerunt Elime-
lech, & Chelion, & Mahalon, tradente Noemi: 10. & Ruth Moabitidem,
uxorem Mahalon, in coniugium ſumpſerim, ut ſuſcitem nomen defuncti in he-
reditate ſua, ne vocabulum eius de familia ſua ac fratribus & populo deleatur.
Vos, inquam, huius rei teſtes eſtis. 11. Reſpondit omnis populus, qui erat in
porta, & maiores natu: Nos teſtes ſumus: faciat Dominus hanc mulierem, quæ
ingreditur domum tuam, ſicut Rachel & Liam, quæ ædificaverunt domum Iſ-
rael: ut ſit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Beth-
lehem; 12. fiatque domus tua, ſicut domus Phares, (b) quem Thamar peperit
Iudæ, de ſemine quod tibi dederit Dominus ex hac puella. 13. Tulit itaque
Booz Ruth, & accepit uxorem: ingreſſuſque eſt ad eam, & dedit illi Dominus
ut conciperet, & pareret filium. 14. Dixeruntque mulieres ad Noemi: Benedi-
ctus Dominus, qui non eſt paſſus ut deficeret ſucceſſor familiæ tuæ, & vocare-
tur nomen eius in Iſrael. 15. Et habeas qui conſoletur animam tuam, & enu-
triat ſenectutem: * de nuru enim tua natus eſt, quæ te diligit: & multo tibi
melior eſt, quam ſi ſeptem haberes filios. 16. Suſceptumque Noemi puerum po-
ſuit in ſinu ſuo, & nutricis ac gerulæ fungebatur officio. 17. Vicinæ autem mu-

Digitized by Google

ſicres congratulantes ei, & dicentes: Natus eſt filius Noemi: vocaverunt nomen
eius Obed: hic eſt pater Iſai, patris David. 18. Hæ ſunt generationes Phares:
(c) Phares genuit Eſron, 19. Eſron genuit Aram, Aram genuit Aminadab, 20.
Aminadab genuit Nahaſſon, Nahaſson genuit Salmon, 21. Salmon genuit Booz,
Booz genuit Obed, 22. Obed genuit Iſai, * Iſai genuit David.

(a) Deuter. XXV. 7. (b) Gen. XXXVIII. 29. (c) I. Paralip. II. 4. & IV. 1. Matth. 1. 3.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 3. *Quibus ſedentibus*. Alii minus apte, *quibus reſidentibus*.

V. 15. *De nuru enim tua natus eſt, quæ te diligit*. Noli ſubſtituere maſculinum *qui* pro feminino *quæ*, aut futurum *diliget* pro præſenti *diligit*.

Verſ. 22. *Iſai genuit David*. Non addas *regem*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. AD PORTAM, ſcilicet urbis, ubi olim iudicia fiebant. Chald. *ad portam domus iudicii, qui locus Sanhedrim*, id eſt concilii, ſeu conſeſſus iudicum. Uſurpatum enim id verbum Hebræis a Græco, ut apparet *συνέδριον*. VOCANS EUM NOMINE SUO. Hebr. *Peloni almni*, quæ voces ponuntur loco nominis proprii, ut Hiſpanis *Iulano Zutano*; quaſi dicat: Sede hic, o talis. Vide ſimile quiddam I. Reg. XXI. & IV. Reg. VI. & Dan. VIII.

V. 3. VENDET. Chald. & LXX. *vendit*. Hebr. *vendidit*, pro vendet, id eſt vult vendere.

V. 8. DIXIT ERGO PROPINQUO, &c. Hebr. Chald. & LXX. *Dixit ad Booz propinquus: Acquire tu*, ſeu *poſſide: & detraxit calceamentum. Et ait Booz maioribus, &c.*

V. 15. MELIOR, ſcilicet ipſa nurus.

V. 19. ARAM. Hebr. & Chald. *Ram*.

E S T I I.

Verſ. 6. NEQUE ENIM POSTERITATEM FAMILIAE MEAE DELERE DEBEO. Immo vero obedire potuiſſet legi, & non tamen delere poſteritatem familiæ ſuæ: quia ſolus primogenitus adſcribebatur fratri defuncto, reliqui autem ipſi generanti. Sed forte hunc propinquum illud excuſabat, quod videret alium paratum ſuſcitare ſemen defuncto. Nam uno ex propinquis, licet remotiore, faciente quod lex exigit, ceteri liberabantur. Porro Scriptura ſtudioſe retinet nomen huius propinqui, idcirco fortaſſe quod indignus eſſet nominari, qui fratris ſui nomen, iubente lege, ad poſteros nollet tranſmittere.

V. 10. UT SUSCITEM NOMEN DEFUNCTI .... NE VOCABULUM EIUS DELEATUR. Quæritur, quomodo hoc præſtitum fuerit a Booz, cum Obed ex hoc coniugio natus, non fuerit vocatus filius Mahalon, vel Elimelech, ſed Booz, tum hoc capite, tum alibi, & potiſſimum Matthæi cap. 1. in Genealogia Chriſti? Reſpondeo, quod Booz ſatisfecerit legi, quantum in ipſo erat: per eum namque non ſtetit, quominus filius ex Ruth ſuſceptus, vocaretur filius Mahalon, ut qui id fieri non prohibuerit. Sed cum Booz eſſet vir dives & potens, alter autem pene ignotus, ut qui in aliena terra, ubi fame preſſus, peregrinatus fuerat, mortuus eſſet, vulgo a vicinis Obed filius Booz, non filius Mahalon fuit appellatus; eaque appellatio deinde uſu obtinuit.

V. 20. NAASSON GENUIT SALMON, SALMON GENUIT Booz. Non improbabiliter aliqui putant omitti hic parentes aliquot medios, ob diſtantiam temporum, inter Naaſſon & Booz. Vide Ianſenium cap. VII. in concord. Evang. Et licet hæc genealogia texatur eodem modo I. Paral. cap. II. Matth. 1. & Lucæ III. nihil tamen

men hoc impedit, quin aliqui medii potuerint eſse omiſſi. Nempe, quia Matthæus, & Lucas ex hoc loco, vel Paral. acceperunt, ut & auctor Paral. ex hoc loco accepiſse potuit.

MARIANAE.

Verſ. 1. ASCENDIT ERGO Booz AD PORTAM. Ad portas urbis ſora erant, & conventus civium, & tribunalia. Viſo propinquo, VOCANS EUM NOMINE ſuo. Hebr. *ſede hic*, *Peloni almoni*, ſic vocatur Hebr. is cuius nomen reticetur ab eo qui verba alterius recitat. Itaque qui prius locutus eſt, nomen expreſſit eius cum quo loquebatur, & id eſt quod Hieronymus poſuit: *Vocans eum nomine ſuo*, qui tamen eius verba repetit; vel quia non recordatur, vel quia proprium nomen exprimere non vult libri Scriptor, ſuppreſſo proprio nomine utitur his vocibus; quaſi dicat: O talis, ſede hic. Græce hanc vim habet δεῖνα Matth. XXVI. verſ. 18. *Ite in civitatem*, *& dicite* πρὸς τὸν δεῖνα, *ad quemdam*, qui ſcilicet non nominatur. Porro a *Peloni*, *Fulano* Hiſpanis deducitur, eamdem vim habens. Quod vero addere ſolemus, *Zutano* a סתם *ſatham* videtur deduci, quaſi occultatum, quod & *peloni* ſignificat, a פלא *pala* deductum, quod eſt *tegere*. Ita, cuius nomen tegitur, iis vocibus vocatur: quæ ponuntur etiam I. Reg. XXI. verſ. 2. IV. Reg. VI. verſ. 8. Daniel. VIII. verſ. 13. Quid dixit Booz?

V. 3. PARTEM AGRI, id eſt poſſeſſionem, prædium; ſic dictum, quoniam inter cives ager dividitur per partes, ſic Hebræus. VENDET NOEMI. Gotth. *vendit*. At Hebr. *vendidit*; ſic Pagn. vertit. Sept. ἀπέδοτο, in aoriſto medio, *vendidit*: ſic etiam Chald. quaſi dicat: Noemi iam vendidit, tu ſi volueris tantidem redime propinquitatis iure.

V. 4. EME, ET POSSIDE. Hebr. *Si redimes*, *& ſi non redimes*, *indica mihi*: ſic Chald. ſic tamen, ſi Ruth ducas. Recuſat ille:

V. 6. NEQUE ENIM POSTERITATEM FAMILIAE MEAE DELERE DEBEO. Hebr. *Ne forte corrumpam hereditatem meam*: ſcilicet ſi filii alieno vocentur nomine, propter viduæ coniugium. Itaque iuri cedo.

V. 7. HIC AUTEM ERAT MOS ANTIQUITUS IN ISRAEL INTER PROPINQUOS. Hebr. *Et hoc ante in Iſrael ſuper redemptione*, *& ſuper permutatione*, *ad ſtabiliendum omne verbum* (id eſt negotium.) Itaque, iuxta hæc verba, calcei ſolutio non fiebat tantum quando quis iuri propinquitatis cedebat, & viduæ coniugium recuſabat; ſed in omni contractu eo ritu mittebatur, qui emebat quive acquirebat aliquid (id permutare eſt) in poſſeſſionem.

V. 8. DIXIT ERGO PROPINQUO SUO BOOZ. Hebr. contra: *Et dixit propinquus*, ſeu *redemptor Booz*. Quid dixit? *Poſſide tibi*, *& ſolvit calceamentum ſuum*: ubi Noſter, TOLLE CALCEAMENTUM TUUM; quaſi verba ſint Booz: & additur: QUOD STATIM SOLVIT DE PEDE SUO. Cum Hebraicis conſentiunt Sept. & Chald. Sumpſi Ruth in uxorem,

V. 10. NE ..... DE FAMILIA SUA AC FRATRIBUS ET POPULO DELEATUR. Hebr. *ne..... de cum fratribus*, *& de porta loci ſui*, ſcilicet deleatur defuncti nomen. Qui adſtabant: Faciat Deus hanc ut Rachel, & Liam,

V. 11. QUAE AEDIFICAVERUNT DOMUM ISRAEL. *Parere filios* Hebraice vocatur *ædificare domum*. Exod. I. verſ. 1. *Et quia timuerunt obſtetrices Deum*, *ædificavit eis domos*; id eſt, liberos ut gignerent dedit: ſic בן *ben*, id eſt filius, a בנה *banah* deducitur, quod *ædificare* ſignificat. Edito filio dicunt mulieres Noemi: Deus fecit, ut non deficiat

V. 14. SUCCESSOR FAMILIAE TUAE. Hebr. *Qui non ceſſare fecit tibi redemptorem*, ſeu *propinquum hodie*. De nuru natus eſt filius,

V. 15. QUAE TE DILIGIT: ſic Hebr. non, *qui te diligit*: ſcilicet nurus ipſa te diligit: ſic Sept. & Chald. & de ea intelligitur quod ſequitur: *Multo tibi melior eſt quam ſi ſeptem haberes filios*.

V. 19. ESRON GENUIT ARAM: ſic Sept. Hebr. tamen & Chald. *Ram* pro *Aram*.

MALVENDAE.

Verſ. 1. AD PORTAM. Exponunt, id eſt ad locum iudicii, ubi

iudi

iudices conveniebant, & iudicia exercebantur: nimirum expectans dum vindex propinquior rediret peregre. Ioſephus: *Circa meridiem vero reverſus Bozus in oppidum, ſenatum coire fecit: ac mox Ruthem, & cognatum illum aceivit*. Sed vero propenſius eſt cognatum illum invocatum, ſorte fortuna, ſeu potius divino conſilio illac tranſiviſſe, ſive euntem in agrum, ſive inde redeuntem. Chaldæus: *Et Bohaz aſcendit ad portam domus iudicii, quæ locus ſanhedrin*, ſeu ſynedrii, id eſt fori iudiciarii ipſius ſenatus. DECLINA PAULISPER, ET SEDE HIC. Hebr. *diſcede, recede, diverte*; id eſt, a tuo loco digreſſus, accede. Sic verbum סיר *ſur* capitur Proverb. IX. 4. & alibi. Quidam, *Sedes dum*. VOCANS EUM NOMINE SUO. פלוני אלמוני *pheloni almoni*. Notant hiſce duabus vocibus Hebræos uti ſolere, quando aliquem certum & proprium locum, cuius tamen nomen data opera exprimere nolunt, ſignificare volunt. Unde exponunt: *Et ſede hic aliquo*, vel *alicubi*. De loco dici videntur I. Samuel. XXI. verſ. 3. & II. Regum VI. verſ. 8. Alii de perſona dici potius exiſtimant: aiuntque eſſe voces quæ nihil ſignificant, ſed ſic Hebræos loqui cum certum hominem ſignificare volunt, neque tamen eum nominare. Euſebius, & S. Hieronymus Libello de Locis Hebraicis: *Felmoni, Almoni, quod Aquila interpretatur, illum* vel *iſtum*; *Symmachus vero, neſcio quem locum*; *Theodotion, illum locum*: volunt eſſe quod Græci dicunt *ὁ δεῖνα, quidam*. Matthæi XXVI. verſ. 18. *Ite in civitatem πρὸς τὸν δεῖνα, ad quemdam*. Unde hic varie reddunt. I. *Sede hic talis & talis*, vel *tu talis*. II. *Sede hic, o quidam ſingularis*. III. *Sede hic, quiſquis tandem ſis*. IV. *Sede hic, heus tu N*: ſic Latini litteram N, interponere ſolent, quando nomen alicuius ſcripto exprimere nolunt, ſed voce pronuntiandum, aut nominandum intelligunt. V. Hiſpanicus Interpres: *Sientate fulano çutano*; optime: neque enim dubito Hiſpanicus iſtas voces factas ex Hebræis *peloni almoni*; quamvis alii *çutano* a סתם *ſatham* deducant: Itali dicunt *il cotale*. Facile intelligitur, Bohazum nomine proprio vindicem illum compellaſſe; ſed auctorem huius libelli nominibus *Peloni almoni* intellexiſſe, nec tamen expreſſiſſe; ſicut Chriſtus nomen illius ad quem diſcipulos mittebat, eis expreſſit: alioqui ne ſciſſent quo mitterentur: ſed Matthæum hiſtoriam referentem, ſuppreſſiſſe, ac dixiſſe, *Ite in civitatem ad quemdam*, certis de cauſis omiſſo nomine proprio. Et apposite quidem hæc duo nomina adhibentur ad occultandum nomen proprium alicuius. *Peloni* enim eſt a פלה *pala*, quod inter alia *velatum*, & *occultum eſſe* ſignificat. *Almoni* vero eſt ab אלם *alam*, id eſt *mutum eſſe*.

V. 3. VENDET. Hebr. præteritum, *vendidit*. Nonnulli exponunt, Vendere ſtatuit. Vide ſimilem locutionem ſupra cap. III. verſ. 2. Hunc ſenſum firmat verſ. 5. infra. Aliqui reddunt, *Alienavit*; id eſt, in filium Machlonem tranſtulit, quo mortuo ad Rutham uxorem devoluta eſt. Hoc autem ambigue enuntiaſſe Bohazum ut hominis illius mentem penitus cognoſceret, antequam illius conditionis de ducenda Rutha iniiceretur mentio.

V. 4. QUOD AUDIRE TE VOLUI. Hebr. *Dixi, Revelabo aurem tuam*. Exponunt: Cogitavi, ſtatui, apud me huius te admonere, ſive id tibi indicare. *Revelare aurem alicuius*, pro revelare ei aliquod ſecretum, indicare ei aliquid, & de eo admonere. Similis locutio eſt I. Samuelis IX. 15. & cap. XX. verſ. 2. & 13. Virgilius Ecloga VI. dixit:

.... Cynthius aurem
Vellit, & admonuit ...

Ubi Servius: *Aurem ideo, quia memoriæ conſecrata eſt*. Quidam hic reddunt: *Statui revelare te audiente*. Vel *dixi: Revelabo auri tuæ*. Ego exiſtimo hanc locutionem continere ſeriam, & attentam auditionem; quaſi dicat: Aurem, & animum attente adverte ad ea quæ dicturus ſum. SI VIS POSSIDERE IURE PROPINQUITATIS, EME ET POSSIDE: SIN AUTEM DISPLICET TIBI, HOC IPSUM INDICA MIHI. Heb. *Si redimes, redime: & ſi non redimet, indica mihi*. Vides ſubitam perſonæ mutationem, a ſecunda in tertiam]. Quidam exponunt: *Et ſi non redimet*; ſubaudi, is qui ius habet redimendi, vel redemptor, aut vindex alius; quaſi dicat: Si non vindicat quiſquam, aut ſi vindicare velit nemo, me propinquior. Tremellius, & Iunius: *Quod ſi non vindicaturus eſt. Apoſtrophe ad ſeniores primum, deinde ad vindicem: qua non obſer-*

va-

Digitized by Google

vata, locus videtur, obſcurior. Druſius: *Si non vindicabis, ſcriptum in Hebræo, ſi non vindicaverit; poſtulat autem ſententia ut accipiatur pro illo, ſi non vindicaveris, ſive enallage ſit, ſive ſubita apoſtrophe, ſive ſubaudiendum, vindex alius, aut aliquid tale*. INDICA MIHI, UT SCIAM QUID FACERE DEBEAM. Hebr. *Indica mihi, & cognovi*. Iſtud, *Et cognovi*, quidam præcedentibus iungunt *indica mihi, & cognoſcam*; id eſt, ut ſtatuam quid mihi faciendum ſit. Sic Geneſ. XVIII. verſ. 21. Alii ſequentibus: *Scio enim quod nemo eſt qui redimere poſſit, niſi tu*.

V. 5. QUANDO EMERIS AGRUM DE MANU MULIERIS. Hebr. *Quo die acquiſieris agrum de manu Nahomi*. Quidam: *Quo die comparabis agrum illum alienatum a manu Nohami*. Vide ſupra verſ. 3. ſic infra verſ. 9. RUTH QUOQUE MOABITIDEM, QUAE UXOR DEFUNCTI FUIT, DEBES ACCIPERE. Hebr. plerique reddunt: *Et a Rutha Moabitide uxore defuncti comparabis*; quaſi dicat: Quod fieri nequit niſi ſimul ducas Ruth Moabitidem in uxorem. Alii: *Et Rutham Moabitidem uxorem defuncti emes*, vel *acquires*, aut *poſſidebis*. Nonnulli ita diſtinguunt: *Quo die acquires agrum illum de manu Nahomi, & a Ruth Moabitide; uxorem defuncti acquires*. Ceterum Hebraice concurſus duarum præpoſitionum, *Et de ad Rutham Moabitidem acquires*, ſignificat omnino, prorſus ſimul cum agro Rutham acquirendam; quaſi dicat, & de agro ad Rutham acquires. Verbum קָנִיתִי *Kanithai*, præteritum cum Iod paragogico, *acquiſiviſti*, certitudinem, neceſſitatem, conſtantiam ducendæ in uxorem Ruthæ oſtendit. UT SUSCITES NOMEN PROPINQUI TUI IN EREDITATE SUA, nimirum ſecundum legem Deuteronom. XXV. verſ. 5. Vide Comm. noſtros in eum locum.

V. 6. NEQUE ENIM POSTERITATEM FAMILIAE MEAE DELERE DEBEO. Hebr. *Ne quando corrumpam*, ſeu *perdam hereditatem meam*. Exponunt, quaſi dicat: Ne ſi unam tantum prolem ſuſcipiam, non mihi, ſed mortuo ſuſcipiam: ideoque hereditatem meam ita perdam, ut Elimelech, & filii eius ſuam. Eadem ratio fuit Onanis Geneſ. XXXVIII. verſ. 9. iuxta hac interpretationem, Agamus erat hic vindex. Ioſephus vero, & alii, ei uxorem, & filios fuiſſe tradunt. Unde exponunt: Ne perdam hereditatem meam; id eſt, ne qui poſt primogenitum e defuncti uxore excitatum naſcerentur, paternæ hereditatis partem abſtraherent: & ſic paterna hereditas diſſecta & diviſa in plures filios prioris & poſterioris uxoris, minueretur & diſſiparetur, ſeu diſperderetur. Quanto enim poſſeſſio in plures diſtribuitur, tanto minor ſingulis obvenit. TU MEO UTERE PRIVILEGIO. Hebr. *Redime tibi tu redempturam meam*. Vel *vindica tibi tu vindicias meas*, ſeu *vindica tibi tu id, cuius meæ erant vindiciæ*. Quidam: *Vendica tu tibi ius propinquitatis meæ*.

V. 7. HIC AUTEM ERAT MOS ANTIQUITUS IN ISRAEL. Hebr. *Et iſtud ante in Iſrael*. Quidam: *Hoc autem antiquitus in Iſraele obtinebat*. UT SI QUANDO ALTER ALTERI SUO IURI CEDEBAT. Hebr. *ſuper redemptura*, ſeu *vindictis*, *& ſuper commutatione*, ſeu *permutatione*. Quidam, illud *in permutatione*, univerſe exponunt, cum res invicem permutarent; ut verbi gratia, agrum cum agro, aut aliquid huiuſmodi: vel in emptione, & venditione generaliter, in omni publico alienationis genere. Sinecdoche: nam permutatio antiquiſſimum eſt alienationis genus, teſte Ariſtotele Ethicorum ad Nichomachum Lib. V. cap. v. UT ESSET FIRMA CONCESSIO. Hebr. *ad ſurgere facere omne verbum*. Quidam, *ad confirmandum quodvis negotium*. Alii, *ad ſtabiliendam unamquamque rem*. Nonnulli, *ad confirmandam totam rem*, ſive totum, aut omnem contractum. SOLVEBAT HOMO CALCEAMENTUM SUUM. Recte notant duplicem fuiſſe excalceationem: unam, iuris ceſſionem, de qua hic; alteram in pœnam, & ignominiam, de qua Deuteron. XXV. 9. Unde hic exponunt: *Detrahebat vir ille calceum ſuum*, nimirum vir ille qui rem a ſe alienabat: nam calcei traditione, iuris ſui ceſſionem, & rei alienationem ſignificabat. Etſi magis placet, ut de perſonarum commutatione hoc loco accipias, quæ commutatio vulgo, ſubſtitutio, vel ſubrogatio dicitur. ET DABAT PROXIMO SUO, nempe ei in quem ius ſuum transfundebat. Calceamentum ſymbolum poſſeſſionis. Vide Deuter. XXV. 9. HOC ERAT

TE-

TESTIMONIUM CESSIONIS IN ISRAEL. Hebr. *Et iſta teſtificatio in Iſrael*. Quidam: *Et hoc erat eius rei teſtimonium in Iſraele*; quaſi dicat: Hæc erat certa & firma, atque conteſtata formula, ſeu rata cæremonia, & ſolemnitas contractus, ſeu ceſſionis iuris. Elias in Thisbi ſcribit: *Kanah, Rabbini noſtri dicunt: Acceptio poſſeſſionis. Item poſſeſſio Sudar, id eſt ſudarii. Sic vocant conſuetudinem, quæ ſucceſſit in locum eius, quæ olim in Iſrael erat, de qua mentio fit Ruth* IV. *Hæc autem conſuetudo olim erat in Iſrael in commutatione propinquitatis, cum roborare quis vellet negotium: Extrahebat calceamentum ſuum. Ea eſt apud nos hodie, quod dum emimus, vel contrahimus aliquid, adhibeamus in hunc uſum veſtem, quam Sudar appellant. Hanc apprehendunt duo teſtes, & diſerte explicant coram his qui contrahunt, verba conditionis eorum: quorum teſtium quiſque expandit oram veſtimenti ſui, & qui recipiunt ſe confirmaturos quamlibet rem, attingunt oras veſtimentorum illorum. Et hoc ipſum vocatur* קִנְין סודר *Kinian ſudar: qua voce uſus eſt & Chaldæus in hunc locum, Acquire tibi: & extraxit calceamentum ſuum*. Hactenus Elias.

V. 8. DIXIT ERGO PROPINQUO SUO BOOZ, &c. Hebræa hunc verſum aliter concipiunt: *Et dixit redemptor ipſi Bohazo: Poſſide tibi*. ET EXTRAXIT CALCEUM SUUM. Controvertunt Hebræi ſuppoſitum verbi, *extraxit*. Quidam: *Et extraxit Booz calceum ſuum*. Alii: *Et extraxit vindex*, vel *redemptor ille, calceum ſuum*. Quod proculdubio eſt veroſimilius. Quidam hanc calcei extractionem confundunt, & implicant, ut & illam ceſſionem iuris, & illam ignominioſam, de qua verſ. 7. dicebamus, ſimul complectatur. Unde exponunt: *Et vindex extraxit calceum ſuum*; id eſt, paſſus eſt ſecundum legem Deut. XXV. verſ. 9. ab ea cuius connubium recuſabat extrahi, ut cui ea nuberet, illum in ceſſionis ſignum daret. Vide nobis annotata ad eum Deuter. locum. Ioſephus: *Boozus apud ſenatum conteſtatus, iuſſit mulierem accedere illum, & iuxta legem calceum ei detractum, in faciem incutere*.

V. 10. ET POPULO. Hebr. *& de porta loci eius*. Quidam, *de curia popularium ſuorum*. Chaldæus, *de porta ſynedrii, quæ eſt in loco eius*. Alii, *de ſenatu, de conſeſſu iudicii*: quod iudicia in portis exercerentur. Plerique, *a porta loci ſui*, id eſt a civibus ſuis. Metonymia, & ſynecdoche.

V. 11. QUAE AEDIFICAVERUNT DOMUM ISRAEL. Vide de hac locutione in Deuter. XXV. verſ. 9. & in Gen. XVI. verſ. 2. UT SIT EXEMPLUM VIRTUTIS IN EPHRATA. ET HABEAT CELEBRE NOMEN IN BETHLEHEM. Hebraice hæc de Bohazo imperative efferuntur: *Et fac ſtrenuitatem in Ephrathah, & voca nomen in Beth-lechem*. Et utrumque verum eſt, & utrumque per Ruth conſecutus eſt Bohaz. *Et fac ſtrenuitatem*. Quidam: *Et fac opes*, vel *& compara opes*, ſeu *divitias*. Sic vox חיל *chaiil* ſumitur Proverbior. XXXI. 29. Pſal. XLVIII. verſ. 12. Geneſ. XXXIV. verſ. 28. & alibi. Unde exponunt quaſi dicat: Precamur, ut qui opes in hoc matrimonio non ſpectaſti, opulentus ex eo fias. Alii: *Et fac virtutem, ſtrenuitatem, robur, fortitudinem*; id eſt, gere te viriliter, præſta te ſtrenuum, fortem, gnavum, induſtrium. *In Ephrathah*. Vide ſupra cap. I. verſ. 2. Neſcio cur quidam hic gignendi caſu reddant: *Et compara opes Ephrathæ*, id eſt Bethlechemi. *Et voca nomen in Beth-lechem*. Quidam: *Et compara tibi nomen in Beth-lechem*; id eſt, famam tibi acquire in Bethlehem. Alii: *Prædica, celebra, nomen in Beth-lechem*. Nonnulli: *Et fias magni nominis in Beth-lechem*. Aliqui: *Et fac prædicetur nomen Beth-lechemi*: nimirum tam demortui, quam tuum ipſius, ſuſceptis pluribus liberis. ET VOCARETUR NOMEN EIUS IN ISRAEL. Heb. *Et vocatum fuit*, vel *ut vocetur, nomen eius in Iſrael*. Quidam: *Et celebretur nomen eius in Iſraele*; puta illius pii vindicis, qui propinquo ſuo defuncto ſemen excitavit: ut ante viri precati fuerant, verſ. 11. Nec penitus aliene referas ad Deum: *Benedictus IHUH, qui non deſtituit te redemptore, & celebretur, & prædicetur nomen ipſius*, Iehovæ, *in Iſrael*, qui ſingularem hanc erga te exhibuit pietatem. Poſſis exponere: Ut propagetur, & augeatur nomen, ſoboles, genus tam pii vindicis, qui tantam pietatem erga defunctum propinquum oſtendit, tam ſollicite curando ſuſcitare ei nomen, & genus, ſupra verſ. 5. & 10.

V. 15. ET HABEAS QUI CONSOLETUR ANIMAM TUAM. Hebr. *Et erit*

tibi

tibi in redire facientem animam. Quidam: *Et erit tibi recreantem animam*: vel *animum quoque tuum recreaturus eſt*. Alii: *Et erit tibi reducens animam*; id eſt, revocabit tibi animum, deſperanti de prole, quam numquam ne ſperaſſes quidem. Pauci: *Fecerit tibi inſtaurator animæ*; id eſt, vitæ. ET ENURIAT SENECTUTEM. Hebr. *ad ſuſtentandum canitiem tuam*. De ſignificatione verbi כלכל *cilcal* egimus Geneſ. XLV. verſ. 11. Hic convertunt: 1. *Atque alet ſenectutem tuam*: 2. *Et ſuſtinebit canitiem tuam*: 3. *Idque ſuſtentando canitiem tuam*: ex verbo: *Ad conſummare, univerſitare, decrepitatem tuam*; id eſt, ut univerſa, ne quid deſit, tibi provideat quæ neceſſaria fuerint ad fovendam, alendam, nutriendam, ſuſtinendam, ſuſtentandam decrepitudinem, ſeu canitiem tuam. Poſſis reddere: *Ad calculandum canitiem tuam*; id eſt, ad omnibus calculis & numeris, omnique ratione, integre, conſummate, perfecte, abſolute ſuſtentandam ſenectutem tuam. DE NURU ENIM TUA NATUS EST, QUAE TE DILIGIT: TE MULTO TIBI MELIOR EST, QUAM SI SEPTEM HABERES FILIOS. Hebræa nos ex verbo reddidimus (*Quia nurus tua, quæ amavit te, genuit eum: quæ ipſa bona tibi de ſeptem filiis*.) Alii ſic: *Quia nurus tua, quæ diligit te, peperit eum; quæ tibi melior eſt quam ſeptem filii*. Quidam: *Quoniam nurus tua, quæ te dilexit, genuit ei*, nempe Bohazo: *& hæc ipſa melior eſt tibi, quam ſeptem filii*; id eſt, & quæ tibi interim multis liberis præſtantior eſt. *Septem* pro multis, notiſſimo Hebraiſmo, quod numerus ſeptenarius ſit numerus univerſitatis. Vide I. Samuel. 11. verſ. 5.

V. 16. POSUIT IN SINU SUO, ſeu *in gremio ſuo*; id eſt, fovit unice, cariſſimeque. Synecdoche.

V. 17. VOCAVERUNT NOMEN EIUS OBED, id eſt *ſervientem, colentem*, ab officio quod antea dicebant eum vetulæ præſtiturum, verſ. 15. Ioſephus: *Hunc Naamis nutricans, Obedum de conſilio mulierum nominavit, ſibi in ſenectute conſtitutæ inſerviturum: nam ea vox Hebræis inſervientem ſignificat*. Alii, quod egregius Dei cultor extiterit, hoc iam ei præſagio bene ominantes.

V. 18. HAE SUNT GENERATIONES PHARES, &c. Ab hoc verſu ad finem capitis excripſit Matthæus cap. 1. verſ. 3. 4. & 5. *Phares*. Hebr. *Pheretz*. Rationem nominis expoſitam habes Geneſ. XXXVIII. verſ. 29 ESRON. Hebr. חצרין *Chetzron*, licet interpretari *villanum*, ſeu *paganum*.

V. 19. ARAM: ſic LXX. & Matthæus habent; at Hebr. רם *Ram*. Significat *excelſum, elevatum, altum*. AMINADAB Hebr. עמינדב *Ghaminadab*; exponitur, *Populus meus, ſpontaneus, beneficus, ingenuus, liberalis, munificus, magnificus*.

V. 20. NAHASSON. Hebr. נחשון *Nachſchon*. Significat *obſervatorem, augurem, incantatorem*; vel *æreum*, aut *ſerpentinum*. SALMON. Hebr. שלמה *Schalmah*, qui tamen verſu ſequente dicitur שלמון *Schalmon*. Denotat *pacificum, perfectum, integrum, fortunatum, felicem*.

Valentiæ 23. Aprilis, 1623. ætatis meæ 57. cum tamen ab opere per octo continuos dies ceſſaverimus.

MENOCHII.

Verſ. 1. ASCENDIT AD PORTAM. In Iudaicarum enim urbium portis celebrioribus exerceri ſolebant iudicia, magnique, & publici contractus. SEDET IBI: quod ibi aliqua de retractantibus, ſedere moris eſſet.

V. 2. VOCANS EUM NOMINE SUO, in Hebræo eſt פלני אלמני *Peloni almoni*, quod in Bibliis Pagnini ab Aria recognitis vertitur, *O quidam ſingularis*. Reſpondet phraſis Italicæ noſtræ, *O tale*: Hiſpani dicunt, *Fulano*, quod cum prima voce *peloni* affinitatem videtur habere. DECEM VIROS DE SENIORIBUS; qui agendorum teſtes eſſent, vel arbitri, ut colligitur etiam num. 9. & 11.

V. 3. FRATRIS NOSTRI, propinqui, cognati noſtri. VENDET NOEMI. Poterant agri uxoribus ſuperſtitibus relinqui a maritis morientibus, ex quorum fructibus, dum viverent, alerentur. Hoc ius ſuum iam vendere volebat Noemi, ut ſentit Lyranus. Abulenſis putat hunc uſum fructuum iis tantum legari potuiſſe quæ nubere vellent propinquo demortui, & illi ſemen ſuſcitare, qualis erat Ruth, non Noemi. Huius tamen ſit mentio, ne proximo illi ſuboleret matrimonii neceſſitas,

& quia Ruth iunior Noemi ſenioris, & ſocrus ſuæ conſiliis regebatur.

V. 5. RUTH QUOQUE DEBES ACCIPERE. Viduæ, quæ marito ſuſcitare ſemen volebant, de quibus dixi, ſtatim poſt viri mortem hereditatem capiebant. Deinde qui eas uxores duxiſsent, ea hereditate fruebantur, donec ad primogenitum ex hac natum tandem perveniret; ſicque ad illud tantummodo temporis vendi vel ab uxore, vel a poſteriori marito poterat, dum eam adire poſſet iſte primogenitus. Generalis enim lex erat, ut ſi bonorum immobilium quid a quoquam Iudæo venditum eſſet, id vel ab eius propinquis, vel ab ipſomet vendente poſtea redimi poſſet. Porro ipſam Ruth in uxorem propinquus ille accipere debebat, ſi agrum habere volebat, quia hereditas, ſi vidua nuberet alicui, eam debebat comitari, & ad maritum eius pervenire. Vide Serarium in hoc cap. quæſt. VI. & Abulenſem a quæſt. XXX. uſque ad LXI. UT SUSCITES NOMEN PROPINQUI TUI IN HEREDITATE TUA: gignas filium, qui legis vi, & auctoritate, mortui illius filius cenſeatur, & legalis illius parentis ſui hereditatem accipiat.

V. 6. POSTERITATEM FAMILIAE MEAE DELERE. In Hebræo eſt: *Ne fort. corrumpam hereditatem meam*: quod accideret, ſi plures ex Ruth filios gignerem: quamvis enim primogenitus Mahalonis filius cenſeretur, & illius hereditatem adiret; alii tamen mei eſſent, & cum filiis, quos iam habeo, hereditatem partirentur.

V. 7. SOLVEBAT HOMO CALCEAMENTUM SUUM, is ſcilicet qui iuri ſuo cedebat: quamquam ſunt qui ſentiant eum calceamentum ſolviſſe cui fiebat ceſſio; ſed quod dixi, verius eſt.

V. 9. OMNIA QUAE FUERUNT ELIMELECH, CHELETONIS, ET MAHALON: quia Chelione mortuo abſque liberis, & Orpha ad ſuos reverſa, nec curante ſuſcitare ſemen Chelioni, omnia ad Mahalonem, ſeu Mahalonis heredem devolvebantur.

V. 10. VOCABULUM EIUS, nomen eius.

V. 11. SICUT RACHEL, ET LIAM. Nominantur hæ, quia etiam ipſæ patria relicta, Iacob ſecutæ ſunt. II. quia & ipſæ a marito ſuo Iacob prolem petierunt, Geneſ. XXX. 1. & 16. IN EPHRATA, in Bethlehem.

V. 12. SICUT DOMUS PHARES. Ex quinque familiis, quæ ex Iuda præſeminatæ ſunt, familia Phares, ex qua erant Bethlehemitæ, præcipua cenſebatur. Optant ergo Booz parem gloriam ex matrimonio, quod nunc init.

V. 17. VOCAVERUNT NOMEN EIUS OBED. Noemi hoc illi nomen impoſuit, ut cenſet Serarius quæſt. XIV. aliis mulieribus vicinis ſuadentibus: parentum enim eſt filiis nomina imponere. *Obed* ſignificat *ſerviens*, cuius nominis cauſas alii alias aſſignant. Ea veriſſima eſſe videtur, quod anui Noemi omne obſequium, ac ſervitutem exhibiturus eſſet, & ſenectutem illius curaturus: idque dicere, & ominari videntur vicinæ, dum dicunt num. 15. *Qui conſoletur animam tuam, & enutriat ſenectutem.*

T I R I N I.

Verſ. 1. CUM VIDISSET PROPINQUUM PRAETERIRE, forte in agrum ad meſſores exeuntem, vel inde redeuntem.

Petes: Quare Samuel libelli huius auctor nominare illum noluit? Reſpondeo: Videtur hac nominis æterna oblivione merito voluiſſe mulctare virum ingratum, ac ſuperbum: & qui ſui nominis adeo ſtudioſus eſſet, ut de propinqui defuncti nomine nihil omnino laborarit, ipſamque illius viduam Ruth contempſerit, indignus ipſe cenſetur qui proprio nomine poſteris innoteſceret.

V. 3. PARTEM AGRI FRATRIS, id eſt propinqui, NOSTRI ELIMELECH VENDET, neceſſitate coacta NOEMI, ſcilicet nomine Ruthæ nurus tuæ, quæ quod vellet ſecundum legem Deuter. XXV. mariti vita functi cognatorum alicui nubere, atque ita filios illi ſuſcitare, poterat vel ad vitam ſuam proventibus agri frui, vel ea conditione vendere, ut ſaltem quamdiu primogenitus ex ipſa naſciturus, eius agri poſſeſſionem non adiret, eſſet dominium, vel uſus fructus penes emptorem. Petes: Quis peregrinante Elimelecho in Moabitide, agrum illum tenebat, colebat, metebat? Reſpondeo, veriſimiliter alicui elocatum fuiſſe, qui pro annorum illorum ſterilitate aliquid ſaltem quotannis penderet. Ita Abulenſis, & Lyranus.

V. 6. CEDO IURI PROPINQUITATIS:

NE-

NEQUE ENIM POSTERITATEM FAMILIAE MEAE DELERE DEBEO: Hebraice, Chaldaice, & Græce, *Corrumpere*; quaſi dicat: Mihi & uxor, & filii multi ſunt, qui poſſeſſiones meas,& poſteritatem, ac nomen ſatis tuebuntur: ad hos ſi e iuvencula Ruth plures accederent filii (nam præter primogenitum, propinquo ſubſtituendum, reliqui omnes pari cum prioribus iure cenſebuntur mei filii,& heredes) iam meæ poſſeſſiones nimium diſſecarentur, & diſperderentur, forſan & litibus involverentur.

V. 7. SOLVEBAT HOMO CALCEAMENTUM SUUM: Nota. Præter *excalceationem religioſam*, qualem præcepit Angelus Moyſi ad rubum, Exodi III. itemque Ioſue prope Iericho, Ioſue V. duplex reperitur in Scripturis *excalceatio politica*. Una *in pœnam*, quæ deſcribitur Deuter. XXV. quæ ex lege præſcripta erat, cum nollet frater germanus fratri defuncto ſemen ſuſcitare: nam inter ſolos fratres proprie dictos locum habebat: fiebatque etiam invito, & cum conſputatione faciei, & erat valde probroſa. Altera non in pœnam aut probrum, ſed in contractus ſolemnitatem, ac firmamentum adhibebatur, ut apud nos *clavium traditio*. Et talis fuit hæc propinqui Booz *excalceatio*, ad confirmanda hæc ſua pacta conventa. Neque fiebat hæc ex legis præſcripto, ſed ex ſola *conſuetudine*, ut hic dicitur. Et loco illius iam in contractibus maioris momenti utuntur Iudæi *ſymbolo lintei*, teſte Rabbi Elia *a*, qui emptionem ſic initam dicit inde vocari *emptionem ſudar*, vel emptionem *linteatam*. Vide de his fuſe Abulenſem, & Serarium.

Petes: Quomodo licuit Boozo ducere Rutham Moabitidem, cum Deuteron. XXIII. Moabitis in æternum negetur aditus in eccleſiam Dei? Hanc ob cauſam dicite Beza *b* Boozum peccaſſe. Sed reſpondeo, legem illam non de feminis, ſed de ſolis viris ita ſtatuiſſe. Nam ſolorum virorum, inquit ſanctus Auguſtinus *c*, culpa fuerat ob quam pœna iſta Moabitis inflicta eſſet, ut colliget ex Numer. XXII. Addit Abulenſis & alteram cauſam, nempe quod nati ex matre Moabitide, ſed patre Iudæo, non erant, nec cenſebantur Moabitæ, ſed Iudæi: nam filii referri ſolent ad genus & ſtirpem patrum, non vero matrum ſuarum.

V. 17. ISAI PATRIS DAVID, non primo, ſed ſeptimo loco ex eo prognati, ut dicitur I. Paralip. II. verſ. 13. Vide quam promptum ſit Deo, plebeios vulgareſque homines, etiam ad ſummum evehere faſtigium dignitatis, cum e paupercula, extera, & obſcuriſſima muliercula Ruth, tot tantoſque reges, adeoque & ipſum quoque Regem regum Chriſtum proſeminari voluerit! Unde & ab Hebræis *Ruth* vocari ſolet *Emah malcuth*, id eſt *mater regni*, puta Iudaici.

Allegorice Booz Chriſtum Dominum, Ruth Eccleſiam præfiguraſſe. Moraliter, perfectiſſimarum virtutum exemplar fuiſſe, docent Dionyſius Carthuſianus, Hugo, Victorinus, Fevardentius, & Serarius, ex SS. Ambr. Hieronim. Chryſoſt. Petro Damiano, & Iſidoro *d*. Sed præ omnibus elegantiſſime Ludovicus de Puente, in priori parte Ducis ſui ſpiritualis.

(*a*) R. Elias in Thisbi verſ. 30.
(*b*) Beza Lib. de Repudiis.
(*c*) Auguſt. in Deut. quæſt. XXXI. Hebr. in Iuchaſin fol. 10.
(*d*) Ambr. Lib. III. de Fide cap. V. Hier. Procœmio in Oſee, & Lib. V. in Iſaiæ cap. XVI. Chryſoſt. homil. III. in Matth. Damian. Lib. VIII. epiſt. XIV. ad ſoror.

GORDONI.

Verſ. 1. IN portis exerceri ſolita iudicia apud Iudæos, notum eſt. Horum iudiciorum ritum deſcribit hoc caput verſ. 4. & 8. & Deuter. XXI. Pſal. CXXVI. & alibi.

V. 3. PARTEM AGRI FRATRIS NOSTRI ELIMELECH VENDET NOEMI. Et recte obſervant hic Interpretes loquendi modum quo quis vocatur ſuppreſſo nomine, ac ſi diceretur, Quidam ſingularis, ſeu ut, Heus tu aliquis; Gallice *toy, tel.* Græce vim eam habet δεῖνα Sic Matth. XXVI. verſ. 18. *Dicite ad quemdam* πρὸς τὸν δεῖνα. Voces Hebraicæ ſunt פלני אלמני *peloni almoni*, a radice פלא *occultare*, *mirum eſſe*: & אלם *mutus* redditus eſt. Sic cuius nomen tegitur his vocibus vocatur. Sed forte Booz nomen propinqui expreſſit, quod Scriptor huius hiſtoriæ ſuppreſſit utens vocibus, *Peloni Almoni*. Verum quæ eſt illa agri emptio: correcti codices habent *Noemi vendet*: alii *vendit*, in aliis *vendidit*, ſcilicet quando diſceſſit.

Digitized by Google

ceſſit. Hebr. *vendidit* מכרה *machra*, & LXX. *ἀπέδοτο vendidit*, in aoriſto medio; ac ſi diceret Booz: Noemi vendidit partem agri: tu eam redime, ac poſſide; ſic tamen ut Ruth ducas uxorem. De lege ſuſcitandi ſemen fratris ne familia extingueretur, vide Deuter. cap. xxv. Abulenſ. de hac re prolixe, filiiſque naturalibus, & legalibus.

Verſ. 7. HIC AUTEM ERAT MOS. Hebr. *ſuper permutatione, ad ſtabiliendum omne verbum*: quæ verba deſignant hunc morem ſervatum fuiſse in omni permutatione, & contractu de poſseſſione.

Verſ. 11. QUAE AEDIFICAVERUNT DOMUM. Hebraica phraſi *ædificare domum*, eſt procreare filios. Sic Exod. 1. verſ. 21. *Edificavit illis domos*: liberos dedit. בן *ben*, *filius* eſt; בנה *bana*, *ædificare*. Extrema pars capitis dat genealogiam.

Verſ. 15. ET MULTO TIBI MELIOR EST: ſcilicet nurus tua tibi melior eſt. Nam codices habent, *Quæ te diligit*:

EX EIUSDEM AUCTARIO.

V. 5. Vidua quæ volebat ſuſcitare ſemen defuncti poſt mortem mariti, accipiebat hereditatem; & qui eam ducebat uxorem, fruebatur hereditate donec perveniret ad primogenitum ex hoc matrimonio natum, & ad hoc ſolum vendi poterat hereditas ab uxore, vel marito. Vide Abulenſem quæſt. xxx.

FINIS TOMI QUARTI.

Digitized by Google

Digitized by Google